Theatrum
4 Mat. med. 238a

2. Exe.

<36628685910015

<36628685910015

Bayer. Staatsbibliothek

33

Dupl. Pr. m. 238.

THEATRUM SYMPATHETICUM AUCTUM,

exhibens
Varios Authores.
DE

PULVERE SYMPATHETICO

quidem:
DIGBÆUM, STRAUSSIUM, PAPINIUM, ET MOHYUM.
DE

UNGUENTO

verò

ARMARIO:

GOCLENIUM, ROBERTUM, HELMONTIUM, ROBERTUM FLUDDUM, BECKERUM, BORELLUM, BARTHOLINUM, SERVIUM, KIRCHERUM, MATTHÆUM, SENNERTUM, WECHTLERUM, NARDIUM, FREITAGIUM, CONRINGIUM, BURLINUM, FRACASTORIUM, ET WECKERUM.

PRÆMITTITUR HIS

SYLVESTRI RATTRAY,

ADITUS AD SYMPATHIAM ET ANTI-PATHIAM.

Editio novissima, correctior, auctior, multisq; parasangis melior.

NORIMBERGÆ,
Apud JOHAN. ANDREAM ENDTERUM, & WOLFGANGI Junioris Hæredes.

ANNO MDCLXII.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Nobiliss. & Excellentiss. Amplissimisq;

VIRIS

Dn. JOHAN. GEORGIO FABRICIO, Phil. & Medic. D. Com. Pal. Cæs. Diversorum Statuum & Reip. Norib. Archiatro Experientiss.

Dn. GREGORIO HILLINGIO, Medic. Doct. clarissimo ac celeberrimo, & h.t. amplissimi Collegii Medici Decano.

Dn. JOH. GEORGIO VOLCKAMERO, Ejusdem Facultatis inclyto Doctori, ut & Physico Noriberg. Practicoq; felicissimo.

Dominis Patronis, necnon hisce Affinibus suis observanter deveneranandis, suspiciendis,

Paginas istas humiliter consecrat, &, quâ decet animi summissione,

offert

Cliens

JOH. ANDREAS ENDTER.

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI,

Patroni insigniter colendi.

ANtæum illum Libycum, quoties ab Hercule prostratus terram tetigerit, duplicato toties robore ad pugnam acriorem surrexisse, in fabulis est. Veriùs id, de inventis & subtiliter cogitatis ingeniosorum quorundam, deque Opinionibus sensum & sententiam communem prætergressis, aliquis dixerit: multorum enim heroum doctissimorum Herculeis quasi ictibus, ceu monstra quædam gigantea, quatiuntur & alliduntur solo; multorum etiam ex adverso succurrentium suppetiis recreantur, renovatisq; & adauctis viribus in talos quasi firmiores semper eriguntur & stabiliuntur. Ab illa, impugnantium nempe, parte stat Consuetudo, & mos antiquus, & põdera rationum evidentiora; quæ viris solidis & constantibus solent esse pro norma & lege: ab hac verò defensorum, singularitas, ingenium, usus, experientia, & compendii favor ac desideriũ, fœcundi nova-

Bayerische Staatsbibliothek München

rum inventionum parentes. Tantum igitur abest, ut istiusmodi literariæ velitationes aut duella finiantur; ut, cum planè sopita & è memoria hominum deleta credideris, vel post sæcula etiam resurgant ac pugnam resumant: quoniam rari & insoliti dogmatis non perinde hæres, ac inventor, statim intermoritur.

Talia quoque novæ illius ac veteribus incognitæ Sympatheticæ Vulnerum Curationis hactenus fuêre fata. Primus hoc eruditæ Eridos pomum in aream & arenam Medicorum ac Philosophorum projecit famosus ille Paracelsus: quod ipsum postea avidè arripiens Porta, exosculatus, hoc est, sententiam Paracelsi amplexus est; aliis clarissimis viris reclamantibus, & hoc Remedium, veluti Syriæ quoddam speciosum in speciem Malum, in fumos & cineres collabi existimantibus, si rationis & experientiæ legitimæ manibus apprehendas. Obiit Paracelsus, jacet Porta: Opinio nondum expiravit. Inventi enim hoc sunt sæculo, qui quamvis non omni ex parte vel vitam Paracelsi, vel dogmata probarent; illam tamen compendiosam sanandi per Compassionem methodum, ceu margaritam in fimeto repertam, non negligendam planè, sed potiùs, abstersis superstitionum & abusuum sordibus, Experientiæ medicinalis corollæ inserendam judicaverint. Primus inter hos *Crollius* anno Octavo istam curandi viam occasione Unguenti Armarii repetiit. Illi Goclenius Marpurgensis succenturiatus est, habitâ in gratiam ejus rei luculentâ Oratione: quam postmodum amplificatam anno *decimo*

tertio fecit publici juris. Hanc anno decimo ſeptimo *Johannes Robertus, Jeſuita,* cultello anatomico ſecare & perfodere ſtuduit. Non tulit Goclenius; ſed cultro excuſſo, inſtituit Synarthroſin Magneticam: quâ tamen minimè ſatisfactum ſibi, idem Robertus poſtea alio quodam Scripto redarguit. Utrumq; Joh. Baptiſta Helmontius ille famigerabilis, & varii rumoris, anno viceſimo rejecit, disputatione anno *viceſimo primo* Pariſiis editâ. Non tamen neutras partes ſecutus eſt: ſtetit enim pro Sympathia; licet defenſorem ut ineptum, impugnatorem verò, ut aculeis potiùs quàm telis armatum, reprehenderit. Præter hos alii complures paſſim hac de re diſſeruerunt, ut *Wittichius, Gabelcoferus, Hartmannus, Colerus*: & prolixè quidem *Robertus Fludd de Fluctibus*, refutatorem expertus doctiſſimum *Kircherum*, cum clariſſimo *Sennerto & Nardio* hac in re facientem. A Kirchero tamen diverſum ſe oſtendit P. Servius Archiater Romanus, peculiari Diſſertatione de Unguento Armario. Trigeſimus nonus ſeculi annus *Erycii Mohy* vidit libellum de *Pulvere Sympathetico*, quo curentur vulnera ſine applicatione medicamentorum ad partem læſam, ſineque ſuperſtitione. Anno quadrageſimo ſexto in eandam arenam Italia *Papinium* produxit, ſcriptorem *Pulveris* cujusdam Sympathetici, judicioſorum judicio in pulvere non relinquendi. Non abſimile huic in Gallia anno quinquageſimo nono edidit Illuſtris ille & ad Invidiam doctus Dominus *Kenelmus Digbæus*, Comes, & Regis Angliæ quondam Cancella-

rius. Hunc præ cæteris æstimavit & magnifecit, illud Medicorum decus, Nob. & Excell. Dominus Doctor Straussius; & ut pulchritudo tanti ingenii aliis quoque innotesceret, Orationem ejusdem, Gallicâ linguâ conscriptam, in Latinam transtulit.

Horum, ultimo loco citatorum, quatuor autorum scripta Theatrum Sympatheticum, ante biennium typis nostris extructum, repræsentavit: in quo tamen nec contrariæ ullus Scriptor visebatur, nec ejusdem sententiæ tum supra recensiti tum alii adstipulatores apparuêre: quoniam illo tempore haberi non poterant. Verùm cum progressu temporis plerorumq; facta nobis copia, & prioris Editionis exemplaria jam distracta sint: è re & voluptate Eruditorum fore putavimus, per præsentem novam Editionem amplius aliquod Theatrum erigere, quod plures Personæ implerent, & suam hac de materia mentem orbi proderent. Ibi non modò, ut in priori, illustris *Digbæus*, nobilissimique *Straussius*, *Mohyus* & *Papinius* spectabuntur: sed *Sylvester Rattrary Aditum* quoque ad *Sympathiam* & *Anti-pathiam*, patefaciet: *Goclenius* & *Robertus* dimicabunt: *Helmontius* judicium suum, & permulta Paradoxa, interponet: deinde *Fluddus* de *Fluctibus*, *Beckerus*, *Borellus*, *Bartholinus*, *Servius*, *Kircherus*, *Ioh. Matthæi*, *Sennertus*, *Wechtlerus*, *Nardius*, *Freitagius*, *Conringius*, *Bu: linus*, *Fracastorius Veronensis*, & *Weckerus*; quilibet suas agent partes. Uter verò horum quàm optimè & veritati convenientissimè egerit; non meum, sed penes doctos & expertos spectatores esto judicium.

Habe-

Habetis, Excellentisſimi Viri, cauſam reædificati Sympathetici Theatri. Reſtat ut paucis asſignetur ratio, cur, cum prius illud jam ante biennium veſtro patrocinio commendatum ſit, hoc repetitum quoque denuo eidem conſecretur. Scitote igitur, Vos ipſos dediſſe anſam, ne aliis dedicaretur præſens Theatrum, quàm quos prior Dedicatio experta eſſet tam benevolos & faventes. Tam enim benignè qualemcunque illum cultum meum tum accepiſtis, ut recuſo huic Opuſculo idoneos magis Patronos nunc nec quæri deberi putaverim, nec poſſe inveniri. Et cur non eosdem deligam, cum non nova, ſed eadem adhuc Materia hic, quamvis fuſiùs & à pluribus, pertractetur? Quin potiùs, ut ad illos, qui ad ſacrum fontem Sponſores exiſtunt, ex intervallo quodam temporis Suſcepti deferuntur; quò unà cum ætate his Sponſoris ſimul favor accreſcat & firmetur: ſic ego hunc quoque diverſorum Eruditorum partum quaſi literarium Vobis iterum offerre minimè dubito; ut auctus ſimul favoris & amicitiæ veſtræ augmentum, ſeu potiùs ſtabilimentum acquirat, & à me non conſtanter minùs, quàm ardenter coli Vos, demonſtret. Accipite igitur propenſis animis, quod Vobis, hoc eſt, benevolentiæ erga me veſtræ debetis, ac me perpetuò futurum existimate, qui eſſe debeo, veſtræ ſcilicet amicitiæ ac voluntatis ſtudioſiſſimum. Faces & lumina Medicinæ, valete! Norimbergæ, 19. Aug. ipsâ nimirum S. *Sebaldi* feſtâ die.

Ad

Ad ingenuos & Christianos Bibliopolas.

Voluisse nonneminem Theatrum nostrum Sympatheticum, anno sexagesimo editum, fraudulento recudere prælo, rumor est. Autorem tam nefariæ voluntatis per humanitatem adhuc reticemus; prodituri tamen illum, & in honestioris Orbis conspectum daturi, si in factum eruperit, & circa præsens Opusculum rapinam exercere imposterum præsumserit: tantâ quidem redargutionis evidentiâ, ut manifestum furem omnes agnoscere & legere possint. Ab aliis piis Bibliopolis similem imposturam non speramus; quinpotiùs unumquemq; cui vel mica superest pudoris & ingenuitatis, pudore & conscientiâ ab ejusmodi flagitio iri revocatum: monitos saltem & amicè rogatos volumus, ut oblatâ fortè præter spem furtivâ Editione Bibliothecas quoq; suas noluerint contaminare; sed aditum & progressum sceleribus præcludendum esse meminerint.

ADITUS NOVUS AD OCCULTAS SYMPATHIÆ *Et* ANTIPATHIÆ CAUSAS INVENIENDAS:

Per

Principia Philoſophiæ naturalis, ex Fermentorum artificioſa ANATOMIA hauſta, PATEFACTUS.

à

SYLVESTRO RATTRAY, MED. DOCT. Glasguenſi Scoto.

Natura eſt arcanorum ſuorum interpres fidisſima, nam quæ in uno aliquo genere obſcurius exhibet, ea luculentius in alio explicat.

CLARISSIMO AMPLISSIMO AC CONSULTISSIMO VIRO,

D.D. JOANNI SCOTO, SCOTOTARVATIO,

Nobili Musarum Mecænati, Amico suo submissè colendo,

Sylvester Rattray, Med. Doct.

S. P. D.

IN universâ scientiarum Cyclopædia (Vir Clarissime) jure sibi primas vendicat Physica; cujus studium res sanè ardua, sacra & planè divina: sed ita naturâ comparatum est, ut, quietem potiùs amantes, quàm ea quæ difficilia & obscura sunt, & in condo naturæ tenebricoso latitantia indagantes, ingeniis obices posuerimus, ignaviam lege quadam sancientes. Quod, ne verba in re tam manifesta prodigamus, non opus est pluribus rationum momentis statuminare; nam Authores Physici, maxima ex parte, nihil præter scitam inscitiam plenis plaustris ingerentes, dicunt se malle cum *Aristotele*, *Galeno*, & Antiquis errare, quàm cum *Neotericis* vera proferre. Dicterium verè Satanicum, scientiarum omnium internecinum exitium, ingeniorum acutissimorum venenum verè deleterium, quo in ipso limine ita contaminantur, & nisi salutare aliquod antidotum hauserint, inebriantur & ita infatuantur, ut in posterum continuò cespitantibus, à veritatis tramite aberrantibus, & Ictericis oculis objecta conspicientibus, omnia iis flavescant, ad præconcepta opinionum portenta, naturam inscitiæ funiculis devinctam pro libitu torquentibus, quod impium semper judicavi, & à verò Philosophiæ studio alienissimum. Ideoque in concinnando nostro hoc Tractatu non libros scriptorum, sed folia & codicem naturæ à vinculis liberæ evolvi. En igitur, Domine clarissime, Musarum Charitumque deliciæ, *Palladis* & *Apllionis* Alumne meritissime, tenellum ingenioli nostri fœtum, è florigero amœnissimæ naturæ viridario oriundum, ad aras patrocinii tui gratitudinis obsidem humiliter sisto; ut à fascinatione oculorum malignantium sartum tectum tuearis. Interim non ignoro, te splendorem ex nostra comendatione, & opusculis non aucupari, qui lucere vis iis ignibus, quos proprii labores accenderunt, sed ut testatum facerem, imane quantum vestræ humanitati & benevolentiæ deberem, quem si æqui boniq; consulere digneris, excitabitur animus tam suaviter stimulatus ad majora offerenda. Vale.

Datum Glasguæ, 10. Febr. 1658.

Clarissimi Nominis tui

Studiosissimus Cultor,

SYLVESTER RATTRAY.

Præfatio ad Lectorem.

INsanabile illud hujus seculi cacoethes (amantissime Lector) scripturiendi nimirum prurigo, quæ passim grassatur, suo contagio me leviter fermentando, inter alios authores, qui ἄμετροι sunt καὶ ἀνάριθμοι, impulit ut Rudimenta studiorum juvenilia, & præcoces, ne abortivos dicam, ingenioli nostri fœtus, lucis & Doctorum aleam subire permitterem. Ante duos annos hortatu quorundam amicorum, animus erat tractatum tantùm de Sympathia & Antipathia, *Mineralium, Vegetabilium, & Animalium exornare, cui sedulò incumbens postquam plurima per classes distribuissem exempla, atque exinde Corollaria deducens, inveni multa planè repugnantia principiis Philosophiæ Peripateticæ, Epicureæ, &c. Exin perspicuè cognovi, naturam tam angustis cancellis non posse concludi, ideoque meritò posthabitis omnium libris & opinionibus, me immenso naturæ pelago, ratione duce, experientiâ Palinuro, pro Arcto naturæ phænomena designando, commisi: Quibus cursum meum dirigendo, Scyllam sæpe feliciter & Charybdim enavigando, in intima naturæ latifundia memet demisi, ubi augustissima ejus magnalia summa cum voluptate contemplanti, nudam, neque confragosis disputationum ineptarum salebris vestitam (quibus dignitas ejus & forma magis obscurantur & obfuscantur, quàm illustrantur) mihi per transennam sese conspiciendam obtulit. Cujus conspectu intellectus, sicut vespertilionum oculi ad solis radios, vacillans, Proteiformem illam virginem non intueri, nedum vivis coloribus depingere poterat: & sic stans obtutu defixus in uno, splendore faciei, ita occæcatus sum, ut necesse esset oculos fatiscentes aliò ad visum disgregatum recuperandum deflectere. Ecce se mihi interea obtulit ingens speculum ex materia Vegetabilium, Minerabilium, & Animalium conflatum, ubi virgo ista quotidie sese offert conspiciendam amatoribus suis: at ocelli mei, spisso velut glaucomate obsessi, per nebulam tantum, faciem in se splendentissimam intueri poterant. Adde quod è longinquo stabant grandævi quidam senes, quorum alii obliquis, alii cæsiis, alii ictericis oculis speculum intuentes, faciem naturæ pulherrimam pro vario intuitu variè & diversissimis coloribus pingentes & adumbrantes, longè tamen à prototypo deviantes, suam quisque picturam supra aliorum laudibus extollens, magna hinc inter eos orta est discordia, nunc his, nunc illis, ex hominum opinione vincentibus. Pulvere istius acerrimi certaminis adeo pro longo tempore conspurcarunt, ut exinde desperarint posteri, nunquam in speculo isto faciem ejus pulchrigenam se ampliùs visuros, ideoque fictitiis istis contenti, ab ulteriori scrutinio quiescebant: Exactis quibusdam seculis nasuti quidam exorti sunt, quibus fucum subolfacientibus glaucomate magna ex parte sale ex oculis abluto, clarior paululum visus obtigit: ac indignabundi se tandiu putationibus & phantasmatis aliorum, fictis & fucatis coloribus naturæ faciem delineantium ludificari, serio scrutinio se dantes omnem movebant lapidem, si quid sub sole fortè reperirent, quod pristinum splendorem ac nitorem speculo, absterso istius certaminis pulvere, conciliaret. Frustra diu, multis tentatis præsidiis, laborarunt, ac tandem subiit animos igne comburere, accenso autem igne haud improspere laborarunt, nam, ablatis ejus vi facibus ex multis speculi partibus, hic oculum, illic genam, istic palpebras, ast omnia tantum dimidiata, viderunt. Dehinc tanto amore ardebant integram ejus faciem conspiciendi,*

 ut

ut ignis gradum intendentes, secundò opus aggressi sint. Sed interea tantus evolavit fumus, ut fuligine densissimâ adhærente duàs faciei partes, velamine magis furvo obscurarint, tertia ejus parte, ubi ignis immediatè agebat, manente tantum clarâ; unde reliquas duas, si non intactas, saltem leviter & superficietenus adumbrarunt coloribus, ex trium mistelâ, Salis *nempe,* Sulphuris, *& Mercurii, haud sufficientibus, quacunque proportione interse coeant ad tot diversas figuras, proportiones, colores, odores, sapores &c. delineanda, quæ in speculo naturæ se visui offerunt; & licet imparibus telis & viribus opus aggressi oneris ponderi oppressi fatiscentes succubuerint, tamen non negandum est eos immensis & continuis sudoribus & laboribus (quibus Dii omnia vendunt) præclara spolia & celeberrimam mercedem retulisse. Igitur, ut missos faciamus eos, qui ex impari confluxu quatuor elementorum, atque alios qui ex duobus, alios etiam qui ex Atomorum coitionibus naturæ varietates depingere conantur. At noster Palinurus vere pollicitus est, si pro polo designarem ipsius naturæ phænomena, non opinationes aliorum & scripta fallacia se non solum monstraturum speculum in suo splendore & nitore naturali. Ariadneo filo facem in obscuris præferendo, & in Labyrinthis intricatissimis, per manus ducendo, & navem à scopulis, procellis, & prædonibus incolumem, ex tam immenso & profundo pelago reducendo, sed etiam quibus coloribus faciem naturæ in speculo nitentem ad vivum depingerem. Atque id neque ex mistela quatuor, trium, duorum, aut ex Atomorum phantasticarum congregatione aut segregatione, sed solâ purâ, simplici, & limpidâ aquâ opus esse perficiendum, in Tabula autem ipsa latitare tot invisibilia contagia à naturæ ipsius digito in prima creatione impressa, quot expectationes proportionum, odorum, saporum & virtutum, ex quibus naturæ proteizantes varietates originem ducunt. Ego igitur, benigne lector, quò facilius ac felicius ad occultas Sympathiæ & Antipathiæ causas pervenirem & penetrarem, hoc tramite insistendum fore duxi, primùm principia philosophiæ naturalis, maximè verò ea, quæ ad præsens institutum accomoda sunt ex hoc fonte limpidissimo eruere, & prolegomenωn loco describere, antequam ulteriori scrutinio causas* Sympathiæ *& Antipathiæ in specie prosequerer: unde habes hic prima quasi rudimenta & fundamenta majoris operis, ad excitanda eruditorum ingenia & acumina, veterno & narcosi inexpugnabili jam diu sopita, ex cognitione fructus deveniendo ad cognitionem arboris, quæ in studio philosophiæ naturalis inter omnes sola est methodus certissima, tutissima, & præstantissima. Non me latet hîc occurrere quædam exempla, de quorum veritate dubitant viri doctissimi, sed his in eruendis corollariis non utar. Et licet nullibi tot exempla Sympathiæ & Antipathiæ reperiri possint in uno tractatu, tamen quia omnia tum philosophorũ tum medicorum scripta hisce aut similibus referta sunt, ut cuivis perscrutanti liquidò patebit: visum est authorum nomina silentio præterire, tum ne tractatus hic authorum nudis nominibus solum turgesceret, tum quia testimonia humana tanti, haud ponderant, quantũ propria uniuscujusq; experientia; apposui multa igitur hic, ne, quæ tota antiquitas tanquã verissima amplectebatur, temere viderer repudiasse, & ut si alicui esset animus ea experiendi hic in synopsi paucis schedulis comprehensa habeat, quæ aliter nisi lectione tædiosa multorum voluminum haud inveniat. Novi quam fit arduum novis auctoritatem dare, neque ignoro tractatum hunc laudari, celebrari, vituperari, condemnari, conviciis proscindi, in admirationem rapi, pro diversitate geniorum in quorum manus inciderit. Scio me, quamvis bona aperte proferre studui, non posse*

Zoi-

Zoilorum ungues devitare, quibus placere ne quidem ipse potest Jupiter. *Conspicio Momos quasi indignabundos in me arietando vires & virus plenis labris & flabris evomere: sed si tam facilè esset eorum opprobria & dubia divinare quàm diluere, laborem sane non detrectarem. Velim interim cogitent, non mirum esse in tam abstrusis naturæ mysteriis homuncionem hallucinari, feci quantum potui; meliora si quis dederit, ei nec obsto, nec invideo, sed lubens palmam cedo, à lectoribus benignissimis hoc unum extorquere vellem, ut me, magis veritatis quàm gloriæ avidum putent. Hisce fruere lector, si fuerint genio non inamœna tuo, & si vitam, valetudinem, otium* DEUS *Opt. Max. largitus fuerit, altiora forsan & jucundiora ex iisdem fontibus eruere non pigebit. Vale.*

MAGNALIA NATURÆ,

PER OMNES

SYMPATHIÆ & ANTIPATHIÆ,

Mineralium, Vegetabilium, & Animalium, COMPLICATIONES Methodicè digestæ.

Vegetabilium Antipathia.

Brassica, Cyclamino apposita vel juxta sata, arescit.
Brassica, ab Origano, arescit.
Brassica, & ruta simul sata, arescunt.
Vitis, si ei Brassica applantatur, arescit, & se in adversum flectit.
Succi eorum etiam post, mutuam Antipathiam exercent, nam ebrietatem ex vino, Brassica compescit.
Item si Brassicæ in olla bullienti imponetur tantillum vini, non coquitur neque tenerescit.
Cucumeres, cum olea, inimicitiam habent.
Quercus Oleæ adversatur, ita ut si juxta sint, inarescant.
Vitis abhorrescit Laurum, neque crescit, si ei Laurus applantetur.
Mala Medica abhorrent panem, nam si cumulo inspergas panem, continuò putrescunt.
Arundo flaccescit, obsita filicibus, & contrà.
Quercus Juglandi proximè crescens, arescit.

Cicuta à Vite flaccescit, & veneno Cicutæ, vinum posteà exhibitum, est antidotus, si verò cum Cicuta exhibeatur, intendit ejus vim.

Nux, umbrâ solum proximis arboribus, & vegetalibus exosa.

Lavendula herbis proximè satis inimica.

Mandragora vitibus nocet, nam vim iis narcoticam indit.

Chamæpitys Viti adversatur, & ramis ejus coronati non inebriantur.

Colocynthis omnes herbas sibi vicinas, veneni modo inficit, & amaras reddit.

Ocymum inficit Cuscutham, in eo nascentem.

Salix inimica frugibus, nam juxta salicta non crescunt.

Ruta cum Basilico non crescit.

Taxi insitionem nulla arbor admittit.

Cerasus, nec Persici, nec Terebinthi insitionem admittit.

Si frumentum imponas saccis farinaceis, urediné contrahunt fruges, ex eo productæ.

Thuris arbos inficit alias odoris fragrantia.

Assa gravis fœtoris participes reddit accrescentes.

Lupini Sycomoris infesti sunt, neque simul crescunt.

Rosa abhorret Cæpe.

Ruta Cicutam odit.

Sigillum B. Mariæ aversatur Brassicam.

Orobanche, legumina omnia, si inter ea crescat, strangulat.

Aconito ruta adversatur.

Hedera arboribus omnibus, & satis nocet.

Si putamina fabarum juxta radices arborum serantur, eas steriles reddunt.

Antithora inimica Aconito.

Animalium Antipathia.

TOrpedo Piscatoris manum convellit, in distans operando.

Leo omnium animalium terror, cantu galli terretur.

Homines viso Lupo, raucescunt, & vocem amittunt.

Basilisci aspectus Homini lethalis, in distans.

Pullus gallinaceus timet Accipitrem, non prius visum.

Agnus modò enixus timet Lupum & Vulpem.

Confossum cadaver coram Judice, præsente Homicidâ, cruorem effundit.

Crocodilus hominibus infestus.

Cancri fluviatiles abhorrent Sues, & ab odore fœtido eorum moriuntur.

Araneæ & Bufones, se mutuo odio prosequuntur, & veneno Bufonis antidotus est Aranea apposita.

Mures, Glires & Sues Phaseolum timent, & citius perirent quàm eum comederent.

Mustela timet Bufonem, nam si diu teneatur in ejus conspectu, moritur: & attractrici vi ad se eam allicit Bufo, ut devoret, nec Mustela aggreditur Caponem, aut Anates, Bufonibus pastos.

Canes Pelliones, non prius visos, odio habent.
Canes Hyænam odio prosequuntur, & contactu umbræ ejus obmutescunt.
Gallinæ, appenso iis milvi capite, nunquam quiescunt.
Aureolus avis ab aspectu Icterici moritur, attrahendo ægritudinem ad se.
Odor Cancrorum Apes interficit, & ab alvearibus pellit.
Mures cæci, pertranseundo vel attingendo membrum aliquod hominis, illud stupidum reddunt.
Mures odio prosequuntur Scorpiones, & eos interimunt.
Lupi timent Lepores.
Elephas furens ad conspectum arietis mansuescit, & ejus morsum sanat pinguedo ejus.
Elephas Porcelli grunnitum timet.
Serpentes Ibidem timent.
Equus timet Lupum.
Camelum Equus etiam timet.
Vespertilionem timet Ciconia, & ova ejus contactu suo sterilia reddit.
Crocodilus timet Ibidem.
Otis timet Equum.
Alauda Serpentes timet, nam sibilis eam fascinant, & ad se trahunt.
Pavonis Vox terribilis Serpentibus.
Pavo terror Bufonum.
Noctua & Phœnicurus se mutuò oderunt.
Ibidis penna injecta in cavernam Serpentum, eos stupidos reddit.
Hyænam Pardus timet.
Si Equa Lupi vestigia conculcaverit, torpescit & abortit.
Vespertilio & Ciconia se odio prosequuntur.
Vermes Talpam fugiunt.
Simia Serpentes odio prosequitur.

Mineralium Antipathia.

MErcurius tyrannide quadam omnia metalla, dempto auro, destruit, omnia cætera metalla Mercurio supernatant.
Antimonii vis attractiva, & humorum purgativa, ligatur à nitro, in Antimonio diaphoretico.
Magnetis vis ligatur præsente Adamánte: & tamen hoc negat doctissimus *Kircherus*.
Plumbum Adamantem frangit, quod ferrum & ignis non possunt.
Lapis Theamedes ferrum abigit, & à se pellit, in Æthiopia nascitur.
Stannum odit omnia metalla, quia si cum iis misceatur, ea impura, friabilia, immalleabilia & dura facit.

Corrodentes aquæ fortes, Salia, Sulphur, Antimonium, metalla ab iis mortificantur, dissolvuntur, calcinantur, corrumpuntur, & in tenues auras auferuntur.

Mercurius & Antimonium se mutuò aversantur.

Aqua liquefactionis plumbi, ferrum molle reddit.

Crystallus Arsenico adversatur.

Vegetabilium Sympathia.

Vitis Ulmo gaudet associari, & roboratur si tartarum radicibus inspergatur.

Lupini vitem meliorem reddunt, si juxta seruntur.

Raphanus, eodem modo, Hermodactylos meliores facit.

Vitis quando floret, turbat Vina in cellis procul, quæ non turbantur ubi nulla Vitis nascitur: & citius in *Hispania* quàm *Gallia*, & illic quàm apud *Rhenum*.

Cerevisia in cadis, florente hordeo, turbatur, & ex hordeo non fit malta, dum reliquum in campis floret.

Cerasi species impressa in Embryonem, per imaginationem maternam, viridescit, flavescit, & rubescit cum Cerasis in arboribus, pro diversitate regionum citiùs aut tardiùs.

Cucumures amant aquam.

Olea amica Viti, & lignum Aloes, nam intendunt ejus vim.

Palma non germinat, nec fructificat: Fæmella, nisi vicinaa d contactum maris, & exciso mari sterilescit.

Vitis admittit insitionem Oleæ, unde fit Elæostaphylon.

Filix resistit frumenti corruptioni.

Asparagus delectatur in Arundinetis, nam illic melius crescit.

Castaneæ commixtæ Juglandibus, non putrescunt.

Lilia Rosis applantata, melius crescunt, & fragrantiora sunt.

Platanus gaudet ficui inseri, & accrescere.

Castanea Moro delectatur, & ferè omnibus aliis arboribus.

Quercus Castaneæ, Terebinthi, & Cerasi admittit insitionem.

Punica malus omnibus aliis arboribus associari cupit.

Ficus Moro & Platano conjungi cupit.

Pyrus Amygdalo, Terebintho & Moro inseri cupit.

Nux soli Arbuto jungi potest, nam cæteris nocet.

Laurus Malo Damascenæ & Persicæ jungitur.

Cydonea & Caprificus omnibus ferè jungi gaudent.

Caprificus innumeras ficus producit, sed non maturescunt circumpositis fœmellis, & etiam sic firmantur in arbore.

Nymphæa Ranunculi commercio delectatur.

Ruta Nymphææ bene accrescit.

Ficus Nepetæ consortio delectatur.

Pulegium Aſparagum amat.
Agaricus Cedro accreſcit.
Polypodium accreſcit Quercui, vel apud radices ejus.
Epithymum in Thymo, & Lino.
Iva accreſcit cæteris arboribus.
Uva una liveſcens, reliquas propinquas livore inficit.
Unum pomum, putredine marcidum, quotquot attingit, marcidá reddit.
Ruta & Ficus ſe mutuò amant.
Roſa & Allium ſimul creſcere delectantur.
Papaver Rheas, & Triticum, mutuo conſortio delectantur.
Aqua diſtillata Roſarum & Aurantiorum, nullum odorem emittunt, eo tempore, quo Roſæ & Aurantia florent.
Zythum ex hordeo confectum, præſervatur à Cariophillis.
Vinum inſtauratur à Beta.
Cocao ita Ebenum amat, ut nullibi niſi ſub umbra ejus creſcat.
Picearum umbrâ gaudent Tapſia, herba cuculi, Cotyledon.
Taxorum umbris gaudent Aconiti & Solani ſpecies.

Animalium Sympathiă.

DElphinus, Lacerti, Elephantes, Canes, amant Homines.
Puer ſeu infans recenter natus, ſæpe iisdem torminibus afficitur, quibus mater, ante lapſum umbilici.
Rubecula Phænicuri ſodalitio gaudet, nam ejus ope tuta eſt à Noctua.
Luſcinia Pavonem amat.
Attagines & Perdices Cervos amant.
Columbæ Tinnunculum amant.
Hirundines hominum aſpectu recreantur.
Vulpes cum Serpente amicè degit.
Corvus, Lupus, Picus, cum Vulpe.
Anas & Capo Bufones amant.
Galli & Gallinæ araneas in deliciis habent, ut & Simia.
Cervus Serpentes etiam in deliciis habet.
Sues etiam Salamandram amant, Urſi Formicas.
Ciconia omnia genera reptilium in deliciis habet.

Mineralium Sympathia.

MAgnes amat ferrum, & limaturâ ejus paſcitur.
Aqua Tartari præſervat argentum.
Arſenicum fuſum cum metallis, ea præſervat à rubigine, &c.

Cuprum gaudet associari Mercurio, item cum sublimato Mercurio.
Cuprum præservat oleum salis marini.
Mercurius habet ad aurum Magnetismum, nam ab auro attrahitur.
Argentum, dissolutum in aqua Regia, adhæret æri.
Æs, in aqua regia dissolutum, adhæret ferro.
Mercurius etiam argentum amat.
Si multa metalla simul cum auro injiciantur in vas Hydrargyro plenum, aurum fundum petit, cæteris supernatantibus.
Aurum coalescit cum argento, pulvere Boracis.

Antipathia Hominis cum partibus Animalium.

LEpus marinus, vel assumptus, vel tactus, vomitum Choleræ, & sanguinis sputum, difficultatem urinæ, & ulcus pulmonum, infert.
Cantharides non solùm assumptæ, sed & applicatæ in distantissimis corporis partibus, officiunt vesicæ, & eam exulcerant, & stranguriam inferunt, quarum etiam cinis post combustionem idem facit.
Cati cerebrum qui comedit, vertiginem incurret, & stolidus redditur, mores, gesticulationes, & vociferationes Cati præ se ferens.
Fel Leopardi efficit vomitum materiæ viridis, Aloes odorem habentis, & Ictericus redditur assumens, & frequenter syncopizans moritur.
Cervinæ caudæ extremitas, angustiam & dolorem stomachi, cum syncope inducit.
Fel canis marini infert symptomata fellis Leopardi.
Sanguis hominis irati & furiosi epotus, confundit sensus, & intellectum cum furore maximo, & inverecundiâ, & marasmo paulatim consumpti potantes moriuntur.
Sanguis Tauri, assumptus vomitum sanguinis producit, præfocationem, spasmum, & mortem.
Spuma & sanguis Bufonis difficultatem anhelitus, intumescentiam corporis, cordis syncopen, mortemque inducit.
Sanguis puerperialis assumptus, lunaticum, leprosum, maleficum, & obliviosum reddit, & , si conceperit mulier fluentibus mensibus, iisdem, ut plurimùm, tentatur infans.
Pisces cocti & rancidi faciunt ventris & stomachi inflammationem cum pectoris dolore, urinæ retentione, brevispirio, syncope, sudore frigido, & tandē mortem.
Scorpionis ictus vehementem infert dolorem & incendium, oculi torquentur, corpus videtur quasi guttis quibusdam percuti, in oculis lachrymæ viscidæ, membra torquentur, horrores perpetui, & frigus etiam congelans, tumores sub axillis vel inguinibus, anus extra procedit, aliquando delirant, & loquelam amittunt, ignorantes omnia.

Taran-

Tarantulæ ictus relinquit hominem in ſtatu, quo invenit, ſed potius dicunt ſaltationem continuam cum dementia, ab ictu ejus provenire.

Percuſſio viperæ totum corpus tumidum reddit, Icterum aliquando flavum, aliquando nigrum infert, horrores, refrigerationes, mentis ſtuporem, ſingultus, febres, Hæmorrhagiam narium, difficultatem anhelitus ſubinde inferens.

Araneæ punctura tumidum reddit hominem, & hoc peculiare habet, quod puncti in excrementis & urinâ ejiciunt telis aranearum aliquid ſimile.

Aſpidis morſus viſûs hebetudinem, tumorem faciei, ſurditatem & dolorem hebetem, cum torpore, crebros hiatus & inclinationes colli infert.

Si quis pertransiverit tumulum Embryonis mortui in utero, ante partum ferunt corpus ejus ita aduri, ac ſi ſe urticis fricuiſſet.

Canis rapidi ſaliva ex dentibus morſu, in carne relicta, inducit Hydrophobiam, & omnia ſymptomata quæ in canibus rabidis videntur, & ſi alium momorderint, iis etiam accidunt talia ſymptomata, &c.

Dens cadaveris longa tabe extincti, ſolo attactu dentes excidere facit.

Tempore conceptus, ſi contigerit mulierem pertransiſſe ſedem leporis, infans bifurcato labio notabitur.

Capillus cadaveris longa tabe extincti, calvitiem facit ſolo attactu.

Ungulæ jumentorum laſcivientium dyſentericis venena.

Catula luxurians, ſi manum alicujus lambat, veſicatur.

Stragulum ex pelle gulonis (animal eſt in *Suecia* voraciſſimum) excitat inſomnia de venatione, & epularum voracitate.

Crabronum, Apum & Veſparum ictus inflammationem partis cauſant.

Solifuga (animal exiguum eſt inſtar araneæ) fodinis argenteis frequens, ſi quem pungat, excitat veſiculam venenoſam, unde oritur peſtis.

In morſu canis rabidi creſcunt vermes capite canino, item in demorſorum urina.

Vinum in quo viva anguilla perierit, item in quo ponitur polluties ranarum, homines vinum pro vitæ ſpatio abhorrere facit, & abſtemios reddit.

Sal Viperæ ptyaliſmum homini excitat, quaſi Mercurio uſus fuiſſet.

Dipſadis morſus ſiti intolerabili excruciat.

Piſcis quidam, qui ob id febricus dicitur, præhenſori febrem inducit, ſi manu geſtaverit.

Capræ pellis geſtata vel odorata, epilepſiam reducit, & iſtud animal inſultibus epilepticis maximè tentatur.

Sanies viperina, mixta cum ſanguine humano, toxicum eſt hominibus lethale.

Urina arietum à muliere epota inhibet ejus conceptum.

Stercus leporis geſtatum idem præſtat.

Vermiculi noctu lucentes ſi exhibeantur homini, eum emaſculant.

Si caudæ Pavonis pennas deferenti ex caſu aut ictu contingat hæmorrhagia, non poteſt ſiſti ſanguis, niſi iis ablatis.

Indusia ex pellibus lascivientium animalium, gestantes lascivos reddunt.

Qui vestibus ex lana scabiosorum animalium licet tinctâ & præparatâ utitur, scabiosus evadit.

Odor cornu capræ Epilepsiam inducit.

Scarabei cornuti oleo subacti & appositi carpis, continuo febrem ardentẽ inducunt.

Medulla Arietis memoriam labefactat.

Mullus suffocatus in vino, & sic deinde potatus, sterilitatem inducit.

Animalculum lacertæ instar, nomine Gnarit, in occidente æstate frequens visitur, cujus ictus syncopen, livorem partis, & præsentaneam mortem infert.

Ferino sanguine epoto ferini mores induuntur: ut sanguis Lupi, Canis, Felis, Leonis, Tigris, &c. item carnes eorum sæpe commestæ.

Caro Porcina in Palestina & Ægypto lepram generat, si comedatur.

Carnes animalium non ruminantium, ex toto vel parte sunt venena, præcipuè si animal herbis, quæ hominibus venena sunt, vescitur, quia remanet qualitas superstes post pravam digestionem.

Radius pistinacæ marinæ infixus loco, ubi minxerat aliquis, urinam ei sistit, nisi evellatur.

Antipathia hominum cum vegetabilibus, prava inducentibus Symptomata.

RUtæ odor Epilepticis nocet, morbum inducendo.

Species avenarum est apud nos, quas avenas inebriantes appellant, quarum esu homines vertigine tentantur, cespitantes usque dum dormiverint.

Taxus tam præsenti veneno est Narbonæ, ut sedentes sub ejus umbra strangulet.

Anacardis assumptus febres excitat, apostemata, morphæas & lepram.

Herba Sardonia risum facit ad mortem.

Sorba, arbor si quis sub ea jacuerit, qui prius à cane rabido demorsus, in rabiem rursus fertur.

Lolium exhibitum vertiginem inducit.

Baccæ Taxi profluvia ventris excitant hominibus, & febres.

Cornus vel Sanguinaria attactu, demorsos à cane rabido rursus in Hydrophobiam conjicit.

Coriandrum recens cum inconstanti sopore mentem turbat, aphoniam inducens, hominem stupidum reddens.

Usus multus Papaveris Rheados, infatuat & stupidos reddit homines.

Salicis decoctum exhibitum jejuno stomacho, sterilem reddit.

Mentha apposita matricit orificio aut prope conceptum impedit; hoc negant practici.

Mentha, si exhibeatur vulnerato, non facilè curatur.

Trifolium coctum sanis impositum, doloribus lancinat.

Piper

Piper Indicum tuſſim cauſat ſternutationem & vomitum.
Triticum viride lumbricos in homine generat.
Item idem præſtant nuces Indicæ.
Aloe Hæmorrhoides provocat.
Apium lactantibus malum, nam ſi eo utuntur nutrices, epilepſiam inducit.
Fabarum flores eos qui ad maniam aut melancholiam propenſi ſunt, furere faciunt mentem turbando.
Lyſimachia melancholiam inducit, exceptâ eâ, quæ luteo eſt flore.
Crocus agreſtris dyſenteriam inducit.
Orobi vel Ervi continuus uſus ſanguinem per meatus urinarios & anum expellit.
Flos in capite arundinis vallatoriæ, ſi imponatur auribus, ſurditatem cauſat.
Atriplicis ſativæ uſus puſtulas rubentes in facie excitat, item morbum regium producit.
Pomum Solani ſylvatici phrenitidem & amorem inſanum producit, item ſemen Solani hortenſis.
Napelli ſuccus facit vertiginem, ſyncopen, apoſtemationem linguæ & labiorum, oculorum egreſſum, tenaſmum; & ſi evaſerint, febri hecticâ corripiuntur.
Cornu ſpicæ aſſumptum facit mictionem ſanguinis, nigredinem linguæ cum phreneſi.
Hyoſcyami radices inducunt ſtuporem, mentis alienationem, Scotomam, vertiginem, Catalepſin, rubedinem oculorum, inflammationem linguæ, ſpumant etiam ore & rugiunt ſicuti mulus, cum ſiti intolerabili & dyſuria.
Tithymalus, & ejus ſpecies Scammonium & Mezereon eadem ſymptomata inducunt, nauſeam, ſingultum, torſiones ventris cum fluxu, vocis defectum cum ſpaſmo, & ſubinde mortem, in magna doſi.
Oleandri ſuccus inteſtinorum & ſtomachi inflammationem, cordis tremorem, & ſyncopen inducit.
Brioniæ ſuccus crudè aſſumptus, Scotomiam, cordis anguſtiam & ſtoliditatem inducit.
Cyclaminis ſuccus ſtrangulationem & ſuffocationem facit.
Cicuta inducit ſtuporem & ſenſuum amiſſionem.
Aconiti omnes ſpecies, præcipuè autem Pardalianches aſſumptus, vel manu donec tepeſcat detentus, vel ſi diu odoretur, congelant ſpiritus, Scotomam, oris apoſtemata & apoplexiam inducunt.
Mandragoræ poma & radices, ſtuporem, mentis alienationem, amentiam, & ruborem ferinum oculorum, lethargum; Papaver nigrum etiam ſupraſcripta ſymptomata facit.
Opium aſſumptum, commata, catalepſes & ſtuporem inducit, & inſenſibilitatem cum ſomno profundo adfert.
Fungorum ſpecies multæ ventris & ſtomachi inflammationem cum pectoris dolore,

urinæ retentione, brevi ſpirio, ſyncope, ſudore frigido, apoplexiam & mortem inducunt.

Ficus Pharaonis tertianas febres inducunt, ac totius corporis fractionem & hydropem.

Colocynthis in magnâ quantitate eadem ſymptomata, quæ Scammonium, Tithymallus, &c.

Serpentariæ ſemen, oris & gutturis inflammationem & excoriationem cum tremore cordis infert.

Euphorbium eadem ſymptomata cum fluxu immoderato.

Thymelæa ventri prægnantis applicata, partum extinguit.

Si ignis ex lignis ficulneis accendatur coram hernioſo, crepitant ejus teſticuli.

Fructus brevioris vitæ (ut horarii) & animalia quæ iis veſcuntur, ſi ſæpe iis utamur, vitam noſtram abbreviant.

Succus tithymalli ſali miſtus, & ſtercori humano recenti impoſitus, ventrem ſolvit.

Umbra Juglandis hominibus gravem capitis dolorem infert.

Antipathia Hominis cum Minerabilis & Lapidibus.

ARgenti vivi uſus, Apoplexiam, Epilepſiam, nervorum tremorem, dentium caſum, & congelationem ſpirituum, ſi crudè uſurpetur, inducit, cum Ptyaliſmo potenti.

Lithargyron dolores inteſtinorum, & rejectionem fæcum per ſuperiora cum paſſione Iliaca infert.

Ceruſſa linguam albificat, dentes denigrat, ſingultum & tuſſim inducit, dolorem & tenſionem ventris, ſanguinemque excernere facit.

Gypſum difficultatem anhelitus, colorem lividum, & ſtipticitatem alvi cauſat.

Scoria ferri inducit dolorem ventris & capitis, cum oris & gutturis inflammatione & febre hectica.

Scoria æris dolorem & tormina ventris, cum fluxu ingenti & vomitu inducit.

Realgar ſitim, æſtuationem & contractionem membrorum facit.

Plumbum uſtum mutat colorem linguæ & labiorum in plumbeum, & ſuffocationem ſpirituum cum morte inducit.

Qui Magnetem in potu ſumpſerit, Lunaticus & Melancholicus redditur.

Lapis Lazuli in magna quantitate & non ablatus ſubverſionem ſtomachi, triſtitiam, ſolicitudinem & melancholiam inducit.

Arſenicum adurendo, ſitimque intolerabilem cum doloribus ſtomachi ſæviſſimis inducendo, necat.

Sarcophagus lapis carnem exedit, conſumendo,

Stibium

Stibium aut Antimonium cum fluxu vehementissimo convulsiones atroces omnium membrorum inducit, aqua infusionis ejus in pavimento sparsa alvum movet, si pedibus nudis attingatur, item in annulo gestatum idem facit.

Aquæ Chrysulcæ suffitus, Apoplexiam inducit.

Corallium si carnem mulieris hystericæ aut fluxu menstruo laborantis tetigerit, colore mutatur & pallescit, si removeatur pristinum recuperat splendorem.

Animalium cæterorum Antiphatia, cum partibus Animalium, & partium inter se.

PEdes leporis ano ligati, non permittunt canes latrare.

Afflatura hirci, armenta caprarum & boum fugat.

Stercus bovinum fugat cimices.

Fumigatio cum herba Scorpione, fugat Scorpiones.

Fumigatio ex stercore vaccino vel cervino, fugat Locustas.

Fumigatio pulmonis Asini in domo, necat vermes, Serpentes, & venenata omnia.

Plumæ cæterarum avium cariem subeunt, à pennis aquilarum si iis misceantur.

Pannus è sponte mortuorum Animalium lanis mox foraminibus scatet, velut carie resolutus, quibus locis fila mortua insunt, quod non cernitur, si totus pannus ex mortuorum lanis fiat.

Tympanum ex pelle vitulina & agnina mutescit, sonante ex lupinis hoc negat *Kirchnerus*.

Plumæ ferarum si pulvillis indentur, excitant peregrina insomnia.

Stragulum ex pelle Gulonis (animal est in *Suecia* voracissimum) excitat insomnia de epularum voracitate.

Si pellis lupina ponatur inter ovinas, lanæ earum sponte cadunt.

Carnes Serpentum & venenosorum Animalium, iis venena sunt, ut caro viperina viperis exhibita, &c.

Mures fugiunt halitum murium putrefactorum.

Chordæ ex intestinis lupi, & ovis, si in instrumentis extendantur, semper discordant.

Vulneris fuci Antidotus muscæ contritæ & appositæ.

Milvi fimus, si eo suffumigetur domus, fugat Serpentes, araneas, & venenata animalcula.

Odor corii combusti fugat venenata animalcula.

Dum caseus fit, si aliquantillum cerebri mustelæ imposueris, non attingunt neque glires neque mures.

Toxici Scytharum Antidotus Cantharides.

Os capitis equæ, fugat Erucas ex hortis.

Si suspendatur caput, pellis, aut cauda lupi, super præsepe, non comedent boves nec oves, sed timent & moventur de loco ad locum; hoc negant multi.

Hyænæ

Hyænæ pellis contactu, Pardi pellis pili decidunt.
Vespertilio solo attactu ova Ciconiæ sterilia reddit.
A Scorpione aliquando percussi, nunquam crabronibus, vespis, apibusve, percutiuntur.
Vestes quæ fuerunt in funere, nunquam à tineis attinguntur.
Suffitus pennarum Upupæ fugat muscas, araneas, & Scorpiones.
Capri abhorrent salivam hominis, & si homo aliquid prius tetigerit aut gustaverit, non attingunt.
Qui stercus leporis habet, ab eo terrentur lupi.
Cimices lectularii in vino exhibiti, abigunt hirudines adhærentes in distantissimis corporis partibus.
Sanguis hircinus in lecto omnes pulices necat.
Pulvis lumbricorum lumbricos interimit.

Animalium cæterorum Antipathia cum Vegetabilibus, & contra.

Corallina, & semen Santonicum & Portulaca, vermes necant.
Dictamnus fugat Serpentes.
Palma Christi Talpam fugat.
Laurus vel ejus folia strata, abigunt venenata ex ædibus.
Decoctum Nigellæ sparsum in domo, pulices necat & abigit.
Dracunculus minor est Serpentibus venenum, & ad vernationes Serpentum se è terra exerit, & discendentibus iis non amplius cernitur.
Sabina & Rhododaphne, omnia animalia necant, excepto homine.
Regulus fugit Rutam.
Fraxini folia, item & sola umbra, fugat Serpentes.
Scorpio torpescit Aconito, item ab arbore Avellanâ.
Origanum, Serpyllum, Solanum, Abrotanum, Asphodelus, Centaureum minus inimica venenatis & Serpentibus.
Succus Taxi viperam interficit, & volatilia depennat aut jugulat.
Arum, Scammonia & Aconitum quadrupedes omnes aversantur in pascuis.
Viperæ Fagi vel arundinis ramulo tactæ stupescunt.
Apium & Batrachium ovibus lethalia, & ea in pascuis fugiunt.
Anchusa manibus portata arcet Serpentes.
Echium idem præstat.
Succo Rhaphani si imbuantur manus, impunè tractabunt Serpentes.
Taurus licet furens ficui alligatus mansuescit.
Cancri si ponantur in loco, ubi est Polypodium, ungues ex pedibus decidunt & corrumpuntur.

Scorpiones contactu herbæ Scorpionidis exanimantur.
Ranunculus flammeus corrumpit jecur ovium, & ex comestione ejus, animalcula instar soleæ in eo crescunt.
Contactu lychnis Coronariæ, Scorpiones torpescunt.
Eringium ore unius capræ detentum, totum gregem sistit.
Lupus ab Allio sylvestri terretur, nam si suspendas allium collo unius, reddit totum gregem à lupo immunem.
Serpens quernis foliis contactus moritur.
Aspis contactu radicis Halicacabi seu Vesicariæ minoris stupescit, neque rursus potest excitari.
Culices non ingrediuntur ubi est semen Cumini, item ubi sunt folia Cannabis,
Succus allii Curculiones abigit & necat.
Telephium genitalibus omnium quadrupedum appositum eos necat.
Thymelæa solo odore vermes necat.
Succus Genistæ aut Rapistri pediculos necat, & Phthiriasi adversatur.
Radius Pastinacæ marinæ arborum radicibus infixus, iis est venenum.
Origanum formicarum cellulis impositum eas interficit.
Semina quæ in boum cornua impingunt, effæta redduntur.
Apium Blattas interficit, & hirundines nidis imponunt, ut eas arceant.
Leo & Lupus si conculcaverint Ilicis vel Scyllæ folia, torpescunt.
Canibus Fraxini fructus venenum, neque adoriuntur sues iis pastas.
Lupus si tetigerit Lycoctanum Herbam, Convulsionibus tentatur.
Mandragoræ succus ebur emollit.
Malva aut Althæa aculeatis omnibus inimica sunt, neque feriunt quemlibet ea portantem.
Vespertilio torpore corripitur à Platano, ideoque Ciconicæ folia nidis imponunt, ut se defendant & ova sua à Vespertilione.
Artiplex suibus venenum est.
Chamæleon canibus, & cæteris venenum, hominibus Antidotus.
Folia Sambuci in caverna Talpæ imposita eam abigunt.
Decoctum Cannabis vermes ex foraminibus educit & necat.
Absynthium interficit & fugat mures, ita ut, si atramento Scriptorio misceatur, libri sint immunes à muribus.
Ulmus inimica apibus, neque benè apud eam vivunt.
Nux vomica Cornices, Vultures, Canes, & Feles necat.
Hypericon vermes & tineas abigit.
Polypus piscis fugit pulicariam herbam & ejus succum.
Omnes Pisces, asam fœtidam fugiunt.
Vespertiliones Eryngium aversantur, ita Ciconiæ ejus usu à vespertilionibus se defendunt.

Animalium cæterorum Antipathia cum Mineralibus.

ARgentum vivum venenum est vermibus & pediculis.
Gagates lapis Serpentes fascinat.
Arsenicum gliribus & muribus inimicum.
Realgar & Auripigmentum idem præstant odoretenus.
Fumigatio ex Vitriolo mures fugat.

Hominis Sympathia cum partibus Animalium, quæ morbis eius adversantur vel sponte intus genitis vel ab externis.

ANtidotus veneni leporis marini est sanguis anserinus, caro vulpis, Rubinæ cinis.
Moschus est Antidotus cerebri cati assumpti.
Carnes viperinæ auxiliantur symptomatibus ortis ex felle Leopardi & felle canis marini.
Carnes viperinæ contrariantur etiam symptomatibus sanguinis furiosi & rabidi hominis, item renovant carnem Elephantiacorum.
Coagulum leporis medetur malis ex sanguine taurino epoto ortis.
Caro serpentum resistit sanguini puerperiali assumpto.
Carnes viperinæ morsûs viperæ antidotus.
Aranea ipsa apposita & trita resistit puncturæ ipsius.
Saliva humana, item oleum Scorpionis resistit veneno ejus.
Urina ipsius demorsi resistit malis ex morsu Aspidis ortis.
Virga Tauri, fimus equinus, dens apri, pleuritidi medentur.
Vermium pulvis exhibitus vermes in homine necat.
Cancrorum cinis, item caro, pili, & hepar canis hydrophobiam ex morsu canis rabidi arcent.
Talpæ pes applicatus sincipiti, fascinationi resistit.
Pannus tinctus in sanguine leporino assumptus & adhibitus, antidotus est Erysipelatis & Dysenteriæ.
Cancri fluviatiles auxiliantur demorsis à colubro.
Cor hirundinis devoratum memoriæ labefactatæ medetur.
Cor Turturis palpitans, & ranarum viventium oculi deglutiti vel amuleticè gestati, curant Tertianas.
Serpentum viventium dentes gestati curant quartanam.
Capillus cadaveris longa tabe extincti, calvitiem causat attactu.
Talpæ vivæ dens dentium doloribus medetur.
Cranium hominis medetur Epilepsiæ, item ungula Alcis.
Cingulum ex pelle humana gestatum idem præstat.

Lingua hirundinis exſiccata & ſub lingua detenta exoſculatis philtrum eſſe dicitur.
Dens cadaveris longa tabe confecti, ſolo attactu pacat dolorem dentium, & deciduos reddit.
Spleneticis ſuccurrit potus ſuæ urinæ.
Rhinocerotis ſanguis exhibitus, reſiſtit febribus malignis, & morſibus Tigridis.
Piſcis Mullus antidotus eſt veneni Draconis marini, id eſt Murænæ: Scorpii, & Aranei, item ipſius caro & pinguedo ſuperpoſita.
Schincicaro impotentiam veneream curat.
Bufo alligatus ſiſtit Hæmorrhagiam.
Piſcis Anthropomorphos Syrene dictus idem præſtat, ſi oſſa ejus exhibeantur trita.
Stercus muris tritum idem præſtat præſertim in Hemoptyſi.
Medullæ arietis veneno ſuccurrit caro Phaſiani comeſta.
Scobs dentis Hippopotami Hæmorrhagiam ſiſtit.
Teſtis ſuis domeſtici venere utentis eſt optimum Antiepilepticum.
Apri teſtes valent contra ſterilitatem.
Os de corde cervi geſtantem reddit immunem à venenatorum morſibus.
Paſtinacæ Marinæ radius dentium dolori medetur.
Ad ligationem ſolvendam fel Corvi cum Oleo Seſamino valet, item ſuffimigium ex dente cadaveris, item cor Cornicis.
Coria pedum Gallinarum ſub cinere toſta verrucas abigunt.
Fimus Porcinus fluxum narium ſiſtit.
Hyænæ corii particula geſtata Hydrophobiæ amuletum eſt.
Aranea amuleticè Brachio apponitur ad febrem quotidianam.
Vermis in Diſpaci capite inventus valet ad quartanas.
Pici viridis pulvis ad Epileſiam.
Dens Canis rabidi amuleti loco geſtatus præſervat à morſibus Canũm.
Aranea contuſa, ſi juxta nares teneatur, Hæmorrhagiam ſiſtit.
Pellis Leonis particula apppſita ano Hæmorrhoides ſanat.
Cingulum ex lupina pelle conceptum retinet & ex corio equi marini.
Puncturas Scorpionum mus appoſitus, ſanat.
Icterus Gnarit curatur à ſtercore humano epoto, & aliis alexiteriis non cedit.
Exuviæ Serpentum mulieri circumdatæ, aut plantis appoſitæ, partum accelerant.
Pennæ vulturis ſubditæ pedibus parturientium idem præſtant.
Catuli coagulum in aceto epotum, curat hydrophobiã, & continuò aquam appetunt.
Umbilicus infantis exhibitus (ſponte cadens) conceptum promovet.
Oſſiculum in vertice Cyprimi Piſcis eſt, quod contrariatur Epilepſiæ.
Sanguis picæ certo experimento, verrucas ex toto corpore tollit.
Pellis vituli marini applicata, hydropicis aquam exhaurit.
Inteſtinum lupi ad Cholicum dolorem valet.
Cor Veſpertilionis ad accerſendum ſomnum valet, ſi geſtetur.

Ossiculum è poplite leporis amuletum spasmi.

Testudo mascula quæ cognoscitur ex levi incisura sub inferiori teste alligata membro sanat Arthritidem.

Pulvis ex visceribus Milvi & ejus carne sanat Elephantiasin.

Hominis Sympathia cum Vegetabilibus, quæ morbis ejus adversantur.

GRana Alkekengi & semen Cucumeris Cantharidum antidotus.

Urtica rubra antidotus fellis Leopardi & canis marini.

Nux Avellana, Pistacia veneno extremitatis caudæ cervinæ contrariantur.

Semen caulis cum aceto Antidotus veneni sanguinis Tauri.

Allia cruda, pulvis Calamenthi veneno & morbis à piscibus rancidis ortis contrariantur.

Abrotani succus adversatur veneno Scorpionum.

Scorzonera percussis à vipera succurrit.

Endivia, Melissa, Carduus benedictus, Ruta puncturis Araneæ medentur.

Acetum largiter potatum Aspidis veneno adversatur, item veneno avenarum inebriantium.

Cynorrhodi radix, Gentiana, Melissa, Ruta hydrophobis prosunt, & medentur morsibus canis rabidi.

Pæonia, Saponaria, Valeriana agrestis, Epilepsiam tollunt.

Argenti vivi Antidotus sunt Scolopendria, Ruta, Juncus Indicus, quem Icho appellant, hydrargyrum ex corpore gallicatorum trahit, si eo suffumigentur.

Decoctum apii morbis ex Lithargyro ortis resistit.

Vinum ad ebrietatem morbis à Cerussa ortis adversatur.

Cineres sarmentorum vitis aut fabarum in vino hyssopi morbis à gypso ortis, succurrit.

Apii succus morbis ex scoria æris originem habentibus prodest.

Oleum nucleorum pini symptomatibus à Realgare ortis medetur.

Opium & adstringentia adversantur venenis laxativis, succus Ribium Scammoniæ, Origani succus Mezereo, &c.

Agnus castus, grana Juniperi succurrunt morbis ab Oleandri succo ortis, item Satyriasi.

Piper nigrum succo Brioniæ contrariatur.

Piper album medetur morbis à succo Cyclamini ortis & Aristolochiæ.

Antithora antidotus aconitorum omnium & malorum ab iis ortorum.

Urtica minor Romana occurrit symptomatibus à Coriandro recenti ortis.

Radix Rhaphani medetur veneno pomorum Mandragoræ assumptorum.

Allium est antidotus papaveris nigri.

Vini spiritus antidotus Opii.

Alli-

Allium, Calamentha, absynthium, Sinapi contrariantur morbis à commestione fungorum ortis.
Nasturtium, grana Fisticorum, pini, Hyoscyamo contrariantur.
Semen Cucumeris & lac ejus ficus Pharaonis antidotus.
Semen Citri Euphorbii antidotus.
Hordei Cremor Serpentariæ symptomatibus adversatur.
Vinum antidotus Solani sylvatici.
Fraxini succus ad morsum serpentum.
Hedera ad Anguinam & cochlear ex ea confectum.
Squilla ad Epilepsiam.
Corallium nigrum, quod Antipathes dicitur, Phrenetidi succurrit.
Antirrhinum & Pervinca liberant à fascinatione & incantamentis, vel intus assumpta vel amuleticè apposita.
Cicuta Satyriasis muliebris antidotus.
Mespili lignum pro amuleto liberat mulieres abortu.
Hæmorrhois seu Chondrilla herba contactu hæmorrhoides sanat, item folia Sambuci apposita.
Fraxinus ad lepram, item Veronicæ decoctum, item Saponaria.
Chamæpitis & Brassica, folia Persici arcent ebrietatem.
Dictamnus ad partum accelerandum.
Radices Acetosæ & Plantaginis appensæ amuleta sunt morbillorum.
Folia Lapathi solvunt ventrem, semina adstringunt.
Trifolium demorsis à vipera succurrit, sanis impositum, doloribus lancinat.
Laserpitium antidotus venenatorum animalium.
Herbæ nascentes in fimetis ruri ad anguinam.
Radix Hyoscyami albi portata amuletum est Cholicum.
Herba Paris antidotus Aconiti.
Echium & Malvæ folia arcent Serpentes & eorum venena.
Chamæleon album cardui species venenum est canibus & suibus, homini alexipharmacum contra venena.
Planta Indica sanguinalis Panacea curat omnes morbos carpis applicata per sudorem sanguinis.
Alga marina contra inordinatum appetitum prægnantium Cittam.
Radices Arnoglossi suspenduntur collo ad scrophulas.
Taraxacum, Papaver Rheas Pleuritidi medentur, item succus Bellidis.
Scordium & Centaurium minus venenatorum ictibus medentur.
Anacardis antidotus lini semen torrefactum.
Rhododaphnes antidotus Juniperi succus, Apii risus, melissa antidotus.
Hellebori albi antidotus Nymphææ flos.
Chamæpityos ramis coronati non inebriantur.

Caltha movet menstrua per sympathiam, nam sanguis mulieris bene valentis redolet Caltham.

Polypodium contusum & plantis pedum parturientium applicatum partum accelerat.

Fœniculum in nutricibus lac generat.

Phu Dioscoridis, verbena flore purpureo, Hypericon, abrotanum, Ruta valent contra maleficia Cacodæmonis.

Argentinæ folia plantis pedum apposita, spatio unius diei Dysenteriam sistunt.

Helleborus niger femori interno alligatus menses movet, partum accelerat, & fœtum mortuum attrahit.

Asa fætida uterum furibundum compescit.

Personaria vel lappa, si summo vertici applicetur, matricem pendulam retrahit: si plantis pedum applicetur, detrahit.

Brassicæ folia idem præstant, eodem modo adhibita.

Contactu umbræ Tiliæ, capitis dolores exortæ ab umbra juglandis curantur.

Animalium cæterorum Sympathia cum Vegetalibus.

VEnenata animalia sympathiam habent cum Pino, Piceâ, Quercu, Cupresso, Nuce, Buxo, Napello.

Palumbes, Monedulæ, Merulæ, Perdices, laurum amant, & morbos suos abigunt lauri foliis.

Testudines Cicutam amant, & morsus suos eâ adjuvant.

Ursi Mandragoram amant, & eâ curantur.

Apri hederam amant, & eâ tanquam panaceâ utuntur.

Asini amant Ceterach & Scolopendriam.

Aves aquaticæ delectantur salviâ fontanâ.

Gallinæ Alsinæ, Anseres Hieracio gaudent & Accipitres.

Ranæ, Bufones, Serpentes, lacertæ esu vel attactu Ranunculi recreantur.

Catus Nepetam amat, canes gramen.

Cervus transfixus Serpentariâ & Dictamno se curat.

Bufo munit se ab hoste Araneâ, & morbos curat plantagine.

Mustela Rutam amat, & eâ se munit à Regulo.

Serpentes amant Fœniculum, & visum ab eo roborant.

Grues Seseli amant, & iis medetur.

Ciconia Origano delectatur.

Columbæ Verbenâ delectantur.

Hirundines curant oculos Chelidoniâ.

Ibis pasta serpentibus utitur Origano pro antidoto.

Scorpiones exanimati contactu herbæ Scorpionidis, exsuscitantur rursus contactu radicis Hellebori albi.

Muste-

Mustela à serpentibus læsa, salutem quærit à Verbasco, & ejus folia apposita ictus serpentum sanant.

Cervi Elaphobosco pasti resistunt morsibus serpentum.

Ulmi & Persicæ folia præter solitum tempus decidentia portendunt pestem in jumentorum & pecuino genere.

Aristolochia rotunda pisces ad se allicit & inebriat, ut capi possunt.

Dictamnus applicatus ventri Capræ facit lac ei abundare.

Per cribrum ex pelle lupina transmissa semina quævis crassescunt.

Per cribrum ex pelle Phocæ marinæ transmissa semina grandini & tempestatibus resistunt.

Solanum sylvaticum collo boum appensum curat eorum vertiginem.

Equi si leviter percutiantur fuste ex Sambuco confecto, provocat iis urinam remorantem.

Buso Thymum amat & sub eo delectatur jacere.

Asini Ferulam in deliciis habent, quâ pereunt equi.

Coturnices Veratro delectantur.

Hominis Sympathia cum Mineralibus & Lapidibus, quæ morbis ejus adversantur.

MAgnes Herniam curat, Catarrhum sistit, uterum firmat, quartanam, hydropem, & Cephalalgiam profligat.

Si Sapphiro Anthrax aut Bubo fricentur, curantur.

Lapis Alectorius in stomacho veteris Galli reddit gestantem apud omnes gratiosum & audacem.

Ætites valet contra abortum, si brachio sinistro aut collo applicetur: contra verò si femori interno.

Gugates lanis hydropicis confert.

Succinum applicatum pulsibus amuletum pestis est.

Crystallus generat lac mulieribus.

Unionum pulvis, Bezoar, Rubinus, Granatus. Smaragdus, Hyacinthus cyaneus cordialia sunt.

Terra lemnia & Armenia veneni Aranei, Cantharidum, leporis marini antidota.

Smaragdus collo alligatus, Epilepsiam, & ventris dysenteriam eradicat.

Selentes lapis sistit sanguinem in quacunque parte corporis, si pelli applicetur, & tertio digito applicatus, sanat dysenteriam in unius horæ quadrante.

Sulphuris odor pacat furores uterinos.

Ossifragus lapis curat & conglutinat ossa fracta exhibitus, item confert lithiasi & podagræ amuleticè gestatus.

Succinum est antiepilepticum & urinæ difficultatibus succurrit.

Lapis busonis puero appensus certo experimento lumbricos necat & expellit, item morsibus Araneæ & ipsius spumæ contrariatur. Sar-

Sardonius lapis ventri alligatus conceptum firmat.
Lapides Cancrorum in vino dolori ſplenis medentur.
Electrum minerale arcet maleficia ſagarum & incantamenta.
Hydrargyrum antivenereum eſt, &c. pro amuleto collico portatur.
Chalcedonius lapis melancholiæ antidotus.
Chelidonius lapis lunaticis medetur, amuleticè appenſus.
Arſenicum, Auripigmentum ſublimatum ſunt amuleta peſtis, licet non conveniant cum homine.
Jaſpis viridis os ſtomachi adjuvat, & ſanguinem fluentem cohibet.
Hieracites lapis Indicus Hæmorrhoides ſiſtit.
Corneolus lapis in armillis idem præſtat.
Lapis Corvinus ex Corvo piſce ſumptus dum palpitat, Cholicos dolores ſanat.
Lapis Colubrinus ſi ventri alligetur, hydropicis aquam exhaurit.
Saphirus arteriæ applicatus, minuit calorem febrilem.
Adamas madendo venena irrita reddit.
Lapis Spongiæ collo geſtatus, tuſſim cohibet.
Plumbum & varia ex eo medicamenta ulceribus tam internis quàm externis medentur, nam amicum eſt carni humanæ.
Stannum & ex eo compoſita medicamenta uterum furibundum placant.
Aurum adverſatur Elephantiaſi.
Ferrum & Chalybs & ex iis compoſita Spleneticis ſuccurrunt.
Argentum & ex eo compoſita Epilepticis conveniunt, &c. ex libris Chymicorum paſſim deſumenda quibus referti ſunt.

Animalium cæterorum Sympathia cum Lapidibus & Mineralibus.

Struthiocamelus ferro maximè delectatur, & illud in ſtomacho conficit.
Galli gallinacei aureis nummis maximè delectantur, & deglutiendo in ſtomacho digerunt.

Mineralium Sympathia cum Vegetabilibus & contrà.

Vinum ſulphure præſervatur à corruptione.
Ligna oleo Sulphuris præſervantur in ævum.
Vina à fulmine præſervantur ſi ferrum doliis ſuperponatur.
Magnes ſervatus foliis laccæ ſive Kermes, & Iſatis ſylvaticæ roboratur.
Coryli virga eodem modo concinnata quo acus nautica venas argenteas monſtrat.
Sic virga ex Piceaſtro plumbum monſtrat.
Aurum & Argentum attrahunt Olivas & Palmas, ut teſtantur theſaurorum occultorum inveſtigatores.

Aqua Tartari præſervat argentum à rubigine.

Lapis Ætites appenſus ficus radici omnes ficus maturas ex arbore detrahit, & arbor infæcunda in poſterum redditur.

Stannum cum plumbo, cupro, ferro, argento coit cum pice Græcâ.

Antipathia Mineralium cum Vegetalibus.

FRuctus Ananas eâ vi pollet, ut ferrum aut chalybem propinquum conſumat.

Portiuncula argenti vivi in meditullio arboris impoſita, impedit ne creſcat arbor.

Agrifolium foliis perpetuò virentibus & ſpinoſis, ſi injiciatur quo utuntur in liquando & purificando ferro, impedit liquefactionem ejus & friabile reddit, quod quotidie experiuntur ejusmodi artifices.

Ferrum molle redditur à ſucco Cicutæ.

Succinum ſi fricetur oleo feſtucas non trahit.

Lignum in aqua Salis gemmæ lapideſcit.

Antipathiæ & Sympathiæ Speciales.

INter omnia metalla Magnes ſolùm attrahit, & attrahitur à ferro.

Lapis Theamides inter omnes lapides ferrum ſolùm à ſe pellit.

Quidam roſas, piſces, carnem ſuillam vel carnem omnem, lac, caſeum, ova, Syſimbrium, rutam, Hericium animal, Catum, mures, vinum, Allium, panem, mannam abhorrent, ita ut, ſi ea comederet aliquis, qui ſpeciali Antipathiâ adverſatur, aut videret, in lipothymiam continuò caderet.

Aliqui Cicutam ſine nòxa comedunt.

Aliquis lapidibus paſcebatur.

Aliqui à ſerpentibus immunes ſunt, ut Pſilli, à ſcorpionibus Hydaſpis fluvii accolæ in India.

Quidam Helleboro poto non purgantur.

Alii Araneis ſine noxa paſcuntur.

Aliqui aſpectu medicamenti purgantur.

Quidam cremorem Tartari, quidam Diaphænicon abhorrent.

Aliqui viſo mari purgantur vomitu, non ſolùm navigantes.

Veratrum in agro Tridentino non purgat, in omnibus aliis locis ſummè purgativum.

Adamus præſente toxico ſudat.

Quendam novi, qui legendo tractatum de Chymo & Chylo, animi deliquio tentabatur.

Antipathia eorum, quæ sub nullo prædictorum continentur.

ELectrum non trahit Ocymum, utut reclamante Kirchero.
Electum minerale arcet maleficia sagarum, si gestetur.
Topazius verus si imponatur aquæ bullienti, continuò defervet.
In tabula plana ex Bismutho frustum succini, & tribus inde spithamis colloca vitriolum viride, mox hoc calorem & acredinem invisibiliter amittet.
Flante vento turbatur Zythum ex lupulis & hordeo factum.
Quercus excisa, flante Boreâ, verminosa redditur.
Si quis, dum panes in Clibano sunt, calidas placentas ex eadem massa scindat cultro, cuncti panes in clibano integrâ crustâ à mica divelluntur.
Item si, tempore dum panes in furno sunt, aliquis tectum ejus conscendat, aut aliquo modo concutiat, idem continget.
Gallina ovis incubante, si in iisdem ædibus ovum igne assetur, intereunt pulli exclusioni vicini.
Si lac vaccarum ab uberibus calens projiciatur super prunas candentes, inflammantur cum dolore ubera, & lac discedit, quod etiam sæpissimè accidit mulieribus.
Crescente lunâ decrescit Cæpe, licet omnia alia bulbosa crescant.
Cinnamomum ex patrio solo plantatum degenerat in laurum.
Piper extra patrium solum, nempe in Italia plantatum, producit hederam.
Zingiber ex patrio solo Arabia desumptum, mœrore tabescit.
Aquaticæ plantæ ad arida loca transplantatæ phthisi pereunt.
Aridæ in locis aquaticis Hydrope pereunt.
Galaxias lapis in mediis flammis non potest calefieri.
Si surculus Borealis arboris Australi ramo inseratur, non crescit.
Pomum in duas partes æquales dissectum, si iis verrucæ fricentur, usque dum tepescant conjunctis pomi partibus filo si reponatur ubi putrescere potest, disparent verrucæ, si vero non putrescat, manent: hoc etiam verificatur in particucula carnis eodem modo adhibita & sepulta.
Phocæ marinæ pellem qui gestaverit, immunis redditur à fulmine, ut & ipsum animal, dum vivit,
Vinum adustum cum sulphure aut pipere si superspergantur stercori calenti, dysenteriam & scabiem ani, cacanti inferunt.
Si vasi ex hedera confecto instilles vinum aquâ dilutum, extillabit aqua vino remanente.
Si quis Verrucas, Melicerides, nactas, & ejusmodi excrescentias collecto in conum vitri lunæ lumine, superradiet donec frigus percipiatur, sua sponte evanescunt.
Hydrops, mania, & morbi lienosi dissolvuntur à Dysenteria.
Febris Apoplexiam fugat.

Febris ab *Ictero* poſt diem ſextum ſuperveniente pellitur.
Lethargus à delirio expellitur.
Epilepſia non patitur tertianam febrem aut quartanam longam.
Corallium rubrum ſi carnem mulieris hyſtericæ aut fluxu menſtruo laborantis tetigerit, pallesſcit colorem mutando, removendo priſtinum recuperat ſplendorem.
Oleum Tartari inſtillatum infuſioni foliorum Sennæ rubicundam reddit.
Oleum Vitrioli recuperat ſplendorem roſis marcidis & discoloratis.
Confoſſum cadaver præſente homicidâ ante judices cruentatur.
Si farina ex tritico fiat quando germen emiſit, pultes ex eo nulla coctione ſpiſſantur.
Vaſa ex Aurichalco ſi ſunt in menſa ubi eſt venenum, varios attrahunt ſtatim colores.
Smaragdus, ſi ſit in manu ejus, cui offertur venenum, ſtatim viriditatem amittit, & alium colorem induit.
Cornu ſerpentis ſi teneatur in menſa ubi eſt venenum, ſudat.
Sues, ut & boves à ſcorpione morſi non læduntur niſi ingreſſi fuerint aquam.
Peſtilentes febres, Phthiſis, morbilli, ophthalmia, lippitudo ad diſtans contagio inficiunt, Phthiſis pulmonibus officit, ophthalmia oculis, vertigo capiti, plica Polonica capillis, &c.
Sanguis hircinus Adamantem emollit.
Serpentes, Ranæ, Bufones, Araneæ, ut & alia venenata in Hibernia non generantur neque vivunt.
Muria carnium ſalitarum impedit generationem pulicum.
Ignis, aeris humiditas, ſevum, oleum, rubigo, ſcabrities, pruinæ, pluviæ, radii Solis Magnetis vim retundunt. Item ſi detineatur in aqua, qua utuntur lapidibus ferrâ ſecandis totam vim amittit.
Si ſuccus venenatæ plantæ ponatur apud radicem alicujus ſalutaris plantæ, ut ſuccus Aconiti, hyoſcyami, &c. ad radicem Braſſicæ, Boraginis, Bugloſſi, &c. redduntur venenoſa, ſic & arbores per emphytiſmum producere poſſunt fructus vomitivos, purgativos, cordiales, deleterios, ſudorificos, &c. ſi talia medicamenta perforato loco, ubi fit emphytiſmus imponantur artificioſe.
Venenata animalia, ut ſunt ſerpentes, bufones, reddunt plantas cavernis ſuis accreſcentes venenatas, quod verificatur à Salvia infecta halitu bufonis.
Succus tithymalli ſali & ſtercori humano injectus ventrem ſolvit.
Quædam plantæ ſuccos omnes ſive amaros, ſalſos, acres, dulces, acidos in ſuam naturam convertunt, ut Colocynthis reddit omnes ad radicem ſparſos amaros.
Sic quædam animalia, ut piſces in mari ſalſo inſipidi ſunt.
Si veſicatorium aliquod impoſueris excrementis adhuc calentibus, inteſtina corroſione afficientur.
Item piſa frixa injecta excrementis tot puſtulas in podice excitabunt quot piſa.

Sympathia eorum, quæ sub nullo prædictorum continentur.

MAgnes se ad polum telluris dirigit Australem vel Borealem.

Electrica corpora, qualia sunt Electrum, Gagates, Mastix, Vitrum, cera sigillaris, sulphur, resina durior, arsenicum, selenitis, saphirus, &c. omnia promiscue attrahunt.

Terra ex Nilo desumpta exsiccata & diligenter asservata, toto anni tempore nihil in pondere mutatur ad diem 17 Julii, tunc seipsa fit gravior quo tempore inundatio fit Nili.

Aqua in vasis æreis asservata notabili incremento attollitur, dum nubes in pluviam colliguntur,

Si lignum demergatur in aquam illa parte qua cœlum aspexit, supernatat, situmque universi quoad partes reservat, quem, dum cresceret, servavit.

Esula, ut & Ebulus vel Sambuci extremitates, & Asari folia sursum evulsa per vomitum, deorsum per secessum purgant, reliquum autem sambuci quocunque modo vellicetur, uno modo tantum purgat.

Physa seu Orbis piscis Ægyptiacus semper faciem ad eam partem cœli dirigit dum vivit, ex qua ventus spirat; item exsiccatus & suspensus in domo eandem qualitatem retinet.

Hirundo marina eandem qualitatem habet.

Flores Heliotropii, sicut Tragopogon, Cyclamen, Chamæleon, Chrysanthemon, lupinus, omnia Cichoreata, Tulipæ, Lilium Persicum, Anemone, Scorpiurus, Caltha, Acatia, Lotus, & alia, tam diebus serenis quàm obnubilatis, & noctibus solem sequuntur.

Abies, Tilia, Populi, Olivæ, Ulmus, & Salicis species, & quæ folia habent virentia in una parte, & albicantia in altera, suis foliis denotant solis annuum cursum, nam crescunt & virent continuo dum sol accedit ad solstitium, ab isto tempore extenuantur & marcescunt.

Solenites lapis noctu imaginationem lunæ sequitur.

Omnia bulbosa inter herbas & cucumeracea lunæ incrementum & decrementum servant accrescendo & decrescendo, item ostreacea, & pupilla oculi Cati.

Virga ex Alno monstrat aquam sub terra, eodem modo facta ut acus nautica ex duabus virgulis.

In concavis puteorum sine semine crescunt Adianthum, Capillares herbæ, Scolopendrium, Cymbalaris, Hepatica.

In fontibus crescunt Nasturtium, Becabunga, &c.

In rimis murorũ aut tegulis crescunt Parietaria, Blitum, Sedum omnigenũ Leucoion.

Nymphæa in loco arido plantata inclinat ad vas aquæ plenum juxta positum.

Triticum potest transplantari in avenas, si juxta serantur, sic Ebulus in Sambucum.

Ilex in quercum, Adianthum in Scolopendrium; ſic Rapa, Raphanus, Typha, Zea, Syſimbrium & Menta alternas ſubeunt transplantationum metamorphoſes.

Plumbum liquatum & ſcutellæ ligneæ capiti ſuperpoſitæ & aquæ ſemiplenæ injectum, dolores capitis acutos curat.

Radix Tamariſci urinæ patientis infuſa, poſtea ſi comburatur curat Icterum.

Perſicaria, Conſolida, Sophia, Serpentaria, Braſſatella iſtud habent peculiare, ut, ſi demergantur in aquam, & ſuper vulnus aut ulcus tepeſcant, & defodiantur ubi putreſcant, tunc vulnus ſanetur, ſi vero nō putreſcant, ſed areſcant, non ſanetur.

Tapſus barbatus applicatus, & poſtea ſepultus, curat Hæmorrhoides.

Chamæleon mutat foliorum & florum colorem, pro mutatione terræ, aut fundorum diverſitate in quibus creſcit, ut nunc ſit nigra, alba, &c.

Secundina ſi non comburatur aut ſepeliatur, damnum adfert mulieri.

Sevum Urſinum in pyxide reſervatum augmentatur eo tempore, quo urſi hyeme in ſuis latibulis pingueſcere ſolent.

Piſa ſata in novilunio, tota æſtate florent, usque ad finem autumni, licet non germinent.

Spiritus ſanguinis in vitro ſervatus, monſtrat ſanitatem aut morbos ejus, à quo detractus eſt, licet longè abſentis, nam morbido eo exiſtente turbatur diverſimode, & claritatem amittit & contra.

Pellis vitulo marino detractæ pili eriguntur & rigent accidente maris æſtu, recedente autem dimittuntur & flacceſcunt.

Si mulier terretur ab inopinato lunæ conſpectu tempore conceptus, fœtus maculâ luniformi ſignabitur, quæ incrementum & decrementum ejus ſequetur.

Succus Hyoſcyami commixtus ſanguini leporino, & ſi cum pelle ejus ſepeliantur, congregat omnes lepores iſtius tractus ad locum.

Naphtha è longinquo attrahit ignem.

Heliotropium in Euphrate non ſolum ſequitur ſolis curſum, ſed ex aqua paulatim ad ſolis adventum emergit, recedente ſole ſic etiam paulatim undis immergitur.

Naſus impoſititius ex carne muſculoſa brachii cadit mortuo eo, ex quo deſumptus erat, licet rami arboris inſititii non marceſcant corrupta arbore cujus erant rami.

Ovum in urina febricitantis ebullitum, & inter formicas reconditum, tollit febrem.

Porci ſe ſolent fricare, quando nimium obeſi aut ſcabioſi, ſi mappa affricetur iſtis lapidibus, & deinde applicetur faucibus, inflammationibus earum medetur.

Hydrops, Podagra, Icterus, febres curantur, ſanguinem calentem ægri includendo putamini ovi & carne miſtum canibus exhibendo, & ſic transfertur ægritudo.

Filo, quo ſuffocatur ſerpens, curatur angina, ſi collo circumdetur.

Attractrici vi pollent Ariſtolochia longa, Scopa regia, Cadmia, adeps cuniculorum, Aſa fœtida, Tapſia, Dictamnus, fermentum panis, fimus columbinus, Anſerinus, Anagallis flore purpureo, Arundinis radix, Pyretrum, Thalaſpi ſemen, Euphorbium, Anemone, Helleborus uterque, &c.

Omnis hetba, lapillus, metallum, fructus aut ſemen habens ſimilitudinem cum aliquo membro aut morbo in figura aut colore, confert ut plurimum, illi membro & morbo, ut malum Citreum cordi, Papaver capiti, Orchis genitalibus, Serophularia ſcrophulis, Chelidonium minus, &c. Chelidonia Ictero, ut & Crocus, Rheum purgat humores ejusdem coloris.

Ea quæ Sympathiam inter ſe habent, idem in nobis fere ſemper efficiunt, ut Cuburbita & aqua, olea & myrtus: Quæ antipathiam exercent, contrarios pariunt in nobis effectus, ut cucurbita & clea, braſſica & Vitis.

Membra animalium conveniunt membris animalium ſimilibus, præſertim ſi animalia vel eorum alimenta virtutem habent morbo membri contrariam, ut lieni confert ſplen capræ, lentiſco Capparis & Tamariſco paſtæ. Item ſplen ſuis aquam ferratam fabrorum bibentis, ſic fimus & ſplen aſini paſti Chelidonio curat Icterum.

Quædam vegetabilia ita propriis locis delectantur, ut aliò transplantatæ non creſcant, vel ſpecie aut qualitatibus mutentur, ut Cinnamomum, &c.

Dulcia, fimus, ſal, piper, aqua vitæ, olea diſtillata, carnem & multa alia à putredine præſervant.

In paludibus fracidis fiunt conchylia, limaces, bufones, ranæ, lacertæ, hirudines, vermium multæ ſpecies, &c.

Mel cum pane miſtum, in formicas mutatur.

Saſſafras in Florida ſolum provenit, Iberis herba in Hiſpania: Creta fert Cupreſſum. Malabathrum & Agallochus in India, Schænanthus Cinnamomum, Piper in Arabia, &c.

Ulmus & Alnus apud flumina creſcunt, Ornus in montibus, Myrthus amat littora, Vitis in dumetis, Taxus amat aquilonem, pediculi in homine fiunt, tineæ in lanis, Cantharides in Fraxino, Bupreſtis in Pino, Conchilia marina & teſtacea in petroſis locis degunt, Anſeres in Scotia Septentrionali fiunt ex lignis aridis abietinis, aptæ etiam ſunt ad generandum ſibi ſimile.

Magnes quæ vim amiſit ex aqua qua utuntur lapidibus ſerrâ ſecandis eam recuperat moderato calore.

Herba aliqua minutim conciſa & terræ commiſſa, producit herbam ejusdem ſpeciei, utplurimùm.

Conchylia contrita & in arena ſeminata, aquâ ſalſâ irrigata, producunt conchylia.

Serpens mortuus ſeminarium eſt novis ſerpentibus.

In quercu fit Polypodium, & cortex quercus pulveriſatus, & aquâ ſubactus arboris alterius trunco impoſitus producit ingentem Polypodii copiam.

Anguis ex ſpina humani cadaveris naſcitur.

Ex vitulo mortuo occluſis meatibus fiunt apes.

Capones qui veſcuntur ſerpentibus, & bufonibus, eorum caro eſt ſalutaris.

In caverna quadam Scotiæ Slaines dicta aqua pura illic decidua vertitur in petram albam Marmoris æmulam.

In

In lacu Hiberniæ quem lacum Neich appellant, lapideſcit lignum, ita ut eo utantur ad novaculas acuendas.

Animalia quæ veſcuntur piſcibus, eorum qualitates participant, ut ſunt ſues, anſeres, anates, &c. multa ejuſmodi alias declaranda.

Teſtacea fere omnia licet extra mare, quamdiu vivunt accedente maris æſtu hiant, recedente autem æſtu, clauduntur.

Sæpe notavi morbidi cum ſua urina in vaſe clauſo, per aliquot dies ſervata, ſympathiam.

Aurum Ægyptiis edulium optimum, in noſtris regionibus ob acrimoniam non poteſt deguſtari.

Arbor Perſica fructus producit Europæis ſuaves, Perſis & Ægyptiis venena.

Nux Myriſtica ſub torrida Zona creſcit, & in Europa in juglandem degenerat.

Cypreſſus adeo auſtro delectatur, ut in ſeptrione non bene creſcat, nam in Livonia mutatur in aliquid Sabinæ ſimile.

Hyſſopus & Abrotanum in Germania & Britannia optimum odorem ſpirant, in Italia fere nullum habent.

Ocymum fragrantiſſimi odoris eſt in Italia, in Germania obtuſi tantum.

Panthera maculam habet in pelle, lunæ typos perfecte imitantem, filimenta hepatis glirium, ad normam luminis lunæ creſcunt & decreſcunt.

Formicæ creſcente lunæ lumine laborant, decreſcente ceſſant.

Phyſa piſcis decreſcit, & creſcit, cum lumine lunari.

Glycyrriza & acacia, amplectuntur ſolem, dum ſplendet, elevando & extendendo ſua folia; abſente autem eo, flaccida folia demittunt.

Trifolii ſpecies quædam eſt, quæ ter in die pro vario ſolis aſpectu, colorem mutat, nam mane albicat, meridie purpuraſcit, veſperi ſaturate rubet.

Ibis in Ægypto ſolum vivit, alibi transportatus, moritur.

Polypus ſolum vivit in aqua marina, in aliis moritur, &c.

Ex Fructu Arborum.

UT principia Philoſophiæ noſtræ felicius ac facilius ex præcedentibus exemplis eruantur, quædam, quæ præſenti inſtituto magis accommoda videntur ſimpliciter ſine aliqua confirmatione, hîc ſubjiciemus; quorum licet maxima pars prius deſcripta ſit in variis Sympathiæ & Antipathiæ complicationibus, clarioris doctrinæ gratiâ ea rurſus deſcribere haud videbatur inconveniens, ſic autem ſe habent.

Accipe terræ virginis, quantum ſatis, quæ nunquam ſemine animalis, vegetabilis, aut mineralis impregnata fuerat, & colloca in concavis puteorum recenter extructorum fontiumq; ſaxis poroſis Cryptisve arborum; & ſi pluvia irroretur in iſtis locis, terra iſta virgo ingravidabitur abſq; ſemine, radice, aut pollutie ſeminali: his herbis & non aliis; vid. *Adiantho, Capillis Veneris, Scolopendriâ, Symbellariâ, Hepaticâ.*

In rimis murorum ſi iſta terra locetur, uti priùs dictum, ingravidabitur his & non aliis plantis, vid. *Parietariâ, Salviâ vitæ, leucoio*, abſq; ullo ſemine, &c. In

In tegulis seu tectis domorum si terra talis locetur, uti dictum, in ea producuntur *Sedum* omnis generis, *Herniaria*, & *Millepedes*. Si radices aliarum plantarum putà *Hyoscyami*, *Angelica*, *&c.* illic plantentur, destruunt fermentum proprium loci.

Si terra ista locetur in loco alto in summitate pali aut in vase aliquo longè à seminali aliqua mistura, successu temporis ingravidabitur semine herbarum naturaliter illic subtus jacentium, & crescentium, ex earum evaporationibus, & hoc serio notandum, quòd post productas plantas remaneat terra virgo, in eodem pondere & quantitate.

Per sex fermè mensiũ spatiũ à coitu, *Gallinæ* ova prolifica pariunt sine ulteriori cum *Gallo* commercio, neq; potest genitura *Galli* tamdiu in ovario corporaliter remanere.

In uteris quadrupedum viviparorum (ut optimè annotavit doctissimus *Harvæus*) à coitu, non remanet seminis corpus. Nam in *Cervis*, *Damis*, *Ovibus*, *&c.* uno & altero mense à coitu vidit uteros vacuos, quicquid ἀλόγως dicat *Highmorus*.

In lacu *Hyberniæ*, quem *Lochneich* vocant, lapidescit lignum in eum projectum minimo temporis spatio.

In rupe *Scotiæ* septẽtrionalis lapidescit aqua illic guttatim decidua. Si autẽ aqua ista extra cavernam in aere aperto locetur, nõ lapidescit, licet vim habeat lac coagulandi.

Ex *Anate* putrefacta sub fimo fiunt *Bufones*.

Ex pilis equorum in aquam projectis, fiunt *Anguillæ*.

Ex stercore equino *Scarabæi*, *&c.* hujusmodi.

Ex uno pane vi diversorum stomachorum fit *caro porcina*, *equina*, *bovina*, *canina*, *humana*, *&c.* item pisces diversi.

Item ex vino, pane, oleribus, leguminibus, carnibus omniũ generum, piscibus, herbis, fructibus fit unus chylus diaphanus ex talibus multorum colorum in stomacho hominis, & ex isto chylo fiunt centũ fortassis partes specie & proprietatibus diversæ.

Piper recens in *Italia* plantatum fit *hedera*, Semen *hordei* in locis incultis mutatur in *avenas*.

Veratrum in agro *Tridentino* vi purgativâ orbatum est.

Rhabarbarum apud nos ignaviter aut parum purgat.

Papavera apud nos vi lethali orbata sunt, licet regio sit *Thebis* decuplo frigidior.

Zinziber extra patrium solum non crescit.

Triticum in avenas & lolium. *Ebulus in Sambucum*, *Ilex in Quercum*, *Adianthum in Scolopendriam*, *Imperatoria in Angelicam*, *Rapa in Raphanum* transplantari possunt, si propriè crescant.

Picæ, *serpentes*, *araneæ*, *bufones*, *ranæ*, *vespæ*, *&c.* venenata in *Hibernia*, neq; sponte, ut in aliis regionibus, proveniunt; neq; illic vivere queunt, si ex aliis locis portentur.

In insitionibus arborum surculus convertit succum radicis alterius speciei in suam naturam, mutatis omnibus ejus proprietatibus, tamen in quibusdam remanent, ut surculus *pomi in Rhamno* aut *Mezereo* acquirit vim purgativam, &c.

Apud cavernas *serpentum & bufonum* herbæ cordiales, puta *Buglossum*, *Borago*, *Melissa*, *Viola* induunt qualitatem deleteriam. *Mer-*

Mercurialis & Mezereon juxta vinum plantatæ, vim ei purgativam communicant, ſicut *Cicuta, Hyoſciamus & Solanum* ei vim narcoticam indunt.

Animalia quæ veſcuntur piſcibus, puta aves marinæ, ſues, anſeres, gallinæ, &c. induunt qualitates piſcium, nam eos redolent.

Anſeres in Scotia ſeptentrionali ex lignis abietinis creſcunt redolentes ea.

Vitis braßica applantata areſcit, vel ſe in adverſum flectit, &c. exempla ſimilia prius deſcripta.

Sublimatum vel Arſenicum appoſita venenatis ulceribus, duo venena ſe mutuò ligando curant ulcus.

Si liquori *Sublimati* inſtilletur Oleum *Tartari*, duo ignes ſe mutuo ligando relinquūt Balſamum dulce, ſi oleum *Vitrioli & Tartari* agendo in ſe relinquunt *Tartarum Vitriolatum*, ſic etiam oleum *Arſenici & Realgaris* relinquunt Balſamum paregoricum.

Vox *pavonis* item *fraxini* folia ligant ſerpentes.

Succus *Betulæ Martialis* ſolvit impotentiam veneream.

Saliva *canis rabidi* in carne à dentibus relicta, reddit homines, & cætera animalia hydrophobiæ hæredes, &c.

Item cerebrum *cati* comedentes mores & geſticulationes ejus præ ſe ferunt.

Tarantulæ ictus reddit homines & bruta inſtar *Tarantulæ* inquietos, & in motu concontinuo ſaltantes, & uriniseorum cernitur aliquid ſimile telis *aranearum*.

Ferino ſanguine epoto ferini mores induuntur.

Carnes animalium rapacium, ut ſunt *lupi, cervi, accipitres, &c.* imprimunt ſæpe comedentibus mores eorum: multa iſtiusmodi exempla annotabit lector in præcedentibus complicationibus.

Ex primis quatuor exemplis liquidò conſtat *terram virginem* poſt natas plantas remanere in quantitate & pondere priſtinis, ideoque eam non ingredi plantarum illic naſcentium compoſitionem; Relinquitur ergo plantas iſtas ex ſola aqua fieri aut ex nihilo, non vero ex ſomniatis miſtionibus quatuor elementorum. Si fortaſſe dixerit aliquis terram creſcere, rogo, num eadem ſint cœli phænomena nunc & ante mille annos, & ſi ſunt eadem, oportebit terram condenſari, & unus manipulus nunc eſſet gravior multis ante tempora Noachi, & licet iſta exempla clariſſimè illud demonſtrent, in tanto (ut videtur) paradoxo deſcribendo ne nimis jejuni videamur, alia ex naturæ promptuario habebis. Si menſe martio perforaveris *betulam, quercum, fraxinum, &c.* extillabit aqua limpida, clara & pura, obſcurum arboris ſaporem & odorem referens, quæ ſpatio 12. aut 14. dierum præponderabit arbori cum ramis & radicibus; ideoque videntur arbores ex ſola aqua fieri, quam ex terra ſugunt ſale nitro impprægnatam. 2. Ex aqua guttatim decidua in caverna *Scotiæ* ſeptentrionali videmus petram albam fieri ſine aliqua ſenſibili miſtura alterius rei. 3. Chymicorum ſal, ſulphur & mercurius migrant in aquam claram, inſipidam, & æquiponderantem corpus in eam diſſolutum, quod Chymicis peritis notiſſimum. 4. Cadavera mortuorum in Cæmiteriis in aquam migrant, nam ſi in cine-

rem & terram migrarent, cæmiteria in immensum crescerent, quod experientiæ quotidianæ repugnat. Præterea, si ex mistela quatuor elementorum omnia corpora resultarent, tunc *aurum, & cætera metalla, marchasita, & lapides* non præponderarent terræ, quod liquido patet. Licet obstrepant nonnulli, mussitantes nescio quid de terra pura, quæ non nisi in centro reperitur, atque eam esse omnibus mistis graviorem. Sed contra sic arguo. Ubicunq; fiunt metalla, lapides, &c. ibi est terra pura. At in istis locis terra est levior istis, Ergo. Si igitur ex aqua sola fiunt omnia corpora quæ mista creduntur, utrum sunt *Vegetabilia, Mineralia, vel Animalia*, unde existentiam suam mendicabit Chimericum illud monstrum *Mistio*, atque omnes salebrosæ & inextricabiles difficultates, atque incompatibiles contradictiones, quæ ingenia Philosophorum acutissimorum hucusque torserunt, exinde natæ, quis quæso contrariis elementorum in misto qualitatibus (quibus omnis generatio & dissolutio rerum falso asscribitur, cui neque insunt neque inesse possunt) dabitur locus? Et si neque mistioni, neque contrariis in misto (quod nunquam extitit) qualitatibus detur locus in natura, unde originem suam habuerunt temperamentorum tot diversæ complicationes, &c.

Licet ex aqua tanquam unico principio materiali omnia quæ mista prius fuisse putabantur, fiant; tamen omnia fieri ex unico principio simpliciter minimè dicendum est. Quia tunc nulla esset distinctio inter principium & principatum, & ambo essent illud unicum, ideoq; in exemplis istis ulterius investiganda sunt alia.

Secundò igitur ex quatuor præallegatis exemplis patet, locis omnibus à creatione indita esse principia quædam activa spermatopoetica in ævum duratura, quæ neque sunt calor, frigus, &c. aut contemperatio istarum qualitatum inter se pugnantium, aut influentiæ solis, lunæ, aut cæterorum syderum, nam si hoc esset, quodlibet ex quolibet fieret, & id promiscuè, in omnibus locis, nec hic *capilares herbæ, segetes, uvæ*, illic *Blitum, Sedum, Leucoion*, & sic de cæteris. Sol autem per suum calorem inservit productioni istorum vegetabilium, excitando nimirum & fovendo ista principia, ut imprægnent virginem suam terram eorum seminibus, ista autem principia subjectantur in odoribus concreatis aut perceptibilibus à sensu, aut aliquando non, ut in experimento quarto, quæ medio isto odore contagio quodam per totam massam substratam serpunt masculinum robur illi impertientes. Ut in panificio, v.gr. fermenti grana aliquot inficiunt contagio suo massam farinæ maximam, & in suam naturam transmutant. Sic *saliva canis rabidi* in minima quantitate mutando humores spiritus partes, consequenter actiones hominis aut bruti demorsorum inducit *Hydrophobiam*. Sic *Tarantula* ictu suo fere ob exilitatem aculei insensili, mores suos & gesticulationes ad hominem aut brutum transplantat. Sic aqua decidua in terram virginem à fermento tegularum vertitur in *Sedum*, à contagio puteorum in *Adianthum, Capillos Veneris, &c.* Ita ut istis principiis nullum nomen melius quadret, quàm si ferměta vocentur: quæ prius à solo *Helmontio* viro in multis perspicacissimo satis perfunctoriè, leviter & obscurè delineata sunt. Ergo horum anatomiam ex propositis exemplis eruere pro viribus conabor, & primum de locis fermentorum producentium vegetabilia, animalia, &c.

Loca

Loca fermentorum, ut ex exemplis constat, vel sunt in *Terra, Aere, Aquis, Vegetabilibus, Animalibus* vivis & mortuis, & eorum partibus, & *Mineralibus.*

Secundò loca fermentorum in *Terra, Aere, Aquis, &c.* Sunt vel in

Septentrione, ut *Taxus, Cochlearia, Anseres abietini.*

Oriente, ut *Piper, Aloe, Sarcocolla.*

Occidente, ut *Petum, Mirabilis Peruviana, Iber herba, Nux vomica.*

Austro, ut *Stæchas, Laserpitium, Euphorbium, Rhabarbarum.*

Tertiò, loca fermentorum sunt in particularibus regionibus, ut *Sassafras in Florida;* radix *Chinæ in China, Malabathrum & Agallochum in India, Schænanthus in Arabia,* nec alibi, *Theamides lapis in Æthiopia, Mirabilis Peruviana in Peru, Rhabarbarum in Ponto, Cochlearia & Saxifragia minima in Britannia, Opium in Thebe, Manna in Calabria, Senna in Alexandria.* Sic dantur herbæ. *Italicæ, Syriacæ, Ægyptiacæ, Creticæ, Græcæ, Virginianæ, Americanæ, Naßiliensis, Belgicæ, Æthiopicæ, Lusitanicæ, Brasilianæ, Persicæ, Illyricæ, &c.* quæ passim in libris herbariorũ extant. Sic etiam de animalibus & mineralibus dicendum.

Quartò, fermentorum loca sunt in particularibus locis omnium fere regionum, talia autem sunt.

Prata, ubi fiunt *Orchis, Trifolium pratense, Pentaphyllon bacciferum, &c.*

Uda loca, ubi fiunt *Juncus verbenaca.*

Sylvestria, *Carlina.*

Aquatica, *Nymphæa, Plantago aquatica, Piperitis, Flammula.*

Olida & uliginosa, *Spatula fœtida, Cotyla fœtida, Atriplex fœtida.*

Palustria, *Caltha palustris, Ranunculus, Spondilion, Scordium.*

Stagnantia, *Persicaria, Cannabis agrestis.*

Umbrosa, *Cyclaminus, Dracunculus major.*

Fracida, *omnia Tuberum genera.*

Arenosa, *Ononis, Plantago, cornu Cervi.*

Maritima, *Cochlearia, Braßica, Soldonella, Eringium, Scylla.*

Arida, *Saxifragia, Pimpinella, Lonchitis.*

Saxosa & petrosa, *Acanthus, Thymum, Serpillum, Rosmarinus, Clinopodium, Chamedrys.*

Inculta, *Sysimbrium, Coronopus.* Aspera, *Salvia major, Satureia, Baccaris, Chamæmelum, (Lithospermum.*

Pinguia, *Centaureum majus, Clematis.*

In colliculis, *Vitis, Centaureum minus, Smyrnium, Meum.*

Sub sepibus, *Thaspi, Dracunculus minor Aran, Aron, Alliaria, hedera terrestris.*

Apud rivulos, *Alanus, Ligusticum, Iris, Calamus, Salix.*

Inter segetes, *Cyanus, Lolium, Papaver, Rheas, Rapistrum, Antirrhinum, Artemisia.*

In ripis, *Chelidonium minus.*

Ericeta, *Ros Solis, Tormentilla, Cauda vulpina.*

Apud aquarum scaturigines, *Quinquefolium, Equisetum.*

Apud flumina, *Ulmus, Petasites.*

Apud rudera, *Digitalis, Erisimum Marrubium.*

In aliis herbis, *Cuscutha, Epithymum.*

In fontibus, *nasturtium aquaticum, Becabunga, Erinum.*

In vallibus, *Lilium convallium*, *Botrys.*

Apud radices arborum, *Polypodium.*

In arbore, *Agaricus*, *Auricula Judæ*, *Viscus quercinus*, *Hedera.*

In superficie aquarum, *Potamogeiton,*

Sub aquis, *Sion Heliotropii species.*

In tectis & tegulis, *Sedum*, *Blitum.*

In parietibus antiquis, *Leucoion*, *Salvia vitæ,*

In montibus, *Ptarinica Gentiana*, *Chamæleon*, *Calamentha*, *Asclepias.*

In concavis Cryptarum & puteorum, *Adianthum*, *Capillus Veneris*, *Symbellaria*, *Hepatica.*

In homine, *Pediculi*, *Lendes*, *Vermes*, & in spina ejus demortui *anguis.*

In Fraxino fiunt *Cantharides*, In Pino *Buprestis*, sic omnes arbores, frutices & herbæ habent erucas sibi peculiares, sicut animalia pediculos.

Animalia sicuti Vegetabilia habent sua loca determinata & fermenta. Sic *Cancer*, *Cochleæ*, & testacea omnia in saxis marinis generantur; *Trutæ* in rivulis, Anguillæ in *stagnis*, *Percæ*, *Lucii* in lacubus.

Ex Anate putrefacto sub fimo fiunt *bufones.*

Ex pilis equinis in aquam projectis, fiunt *anguillæ.*

Ex stercore columbino aut anserino urina hominis macerato fiunt *pulices.*

Ex stercore equino *Scarabei* fiunt.

Ex stercore humano, *Lumbrici.*

Ex vapore sudoris fiunt *Cimices lectularii.*

Ex vitulo mortuo occlusis meatibus fiunt *apes.*

In lana fiunt *Tineæ.*

Ex frumento fracido fiunt *glires & mures.*

Animalia etiam quæ fiunt ex parentibus licet non nascantur ex fermentis locorum, tamen non vivunt neque generant in omnibus locis, ut sunt *Simiæ & Psittaci in Britannia* non generant. *Echinus* non vivit nisi sub sepibus, &c.

Quæritur, cum Vegetabilia & Animalia ex fermentis locorum sine parentibus provenientia habeant sua determinata loca in aere, aqua, terra, Septentrione, Occidente, Oriente, Austro, in particularibus regionibus & in locis diversis omnium fere regionum, uti dictum, cur multa imò fere omnia ubique crescant? Respondeo id fieri per transplantationem aut insitionem artificialem aut accidentalem, ut cum *Rhabarbarum*, *Mirabilis Peruviana*, *Tanacetum Americanum* transplantantur de suis locis ad nos, & cum crescunt in fundo nostro fit nova insitio, quandocunque aliquid sive sit planta, animal vel minerale transplantatur de loco, ubi naturaliter proveniebat, fit insitio cum crescit & vescitur alibi & aliis succis, cibis, & aere, & licet fortassis crescant in iis locis tali alimento, tamen naturaliter illic non provenirent, ex loci fermento, & vel partialiter vel totaliter immutant loci naturam, vel à loci succo mutantur; ita ut Vegetabilia, & sic de Animalibus & Mineralibus judicium

esto,

esto, propriis locis provenientia fortiora sunt & meliora, quàm si transplantentur, nam adventu fermenti extranei debilitantur, & morbida redduntur, sicut animalia aere, & cibis insolitis & extraneis & venenis vescentia, aut in locis contagiosis degẽtia, morbos aut mortem incurrunt. Ista igitur transplantatio merito insitio dicenda erit, quæ nunquam prius cognita fuit nisi in arboribus, & uno famoso exemplo de naso impositiitio ex carne alterius insitionem admittunt, ut *Castanea & Malus punica,* sic multæ sunt regiones, in quibus vegetabilia fere omnia crescunt, exceptis paucis, *Schænando* scilicet, *Zinzibere,&c.*& ut sunt multæ arbores, quæ multorum conjugia repudiant, quales sunt *nux & taxus*, sic sunt multæ regiones, quæ non admittunt insitionem eorum, quæ fere in omnibus aliis locis proveniunt, ut in Hybernia, ubi venenata animalia, ut sunt *angues, serpentes, ranæ, bufones pica, aranea, &c.* neq; naturaliter proveniunt ut alibi, & si ex aliis regionibus eò portentur, continuò moriuntur. Item sunt multa vegetabilia quæ non crescunt nisi in suis locis & regionibus, ut *auriculæ Judæ in Sambuco. Epithymum in Thymo, Agaricus in Cedro*, & aliis arboribus & non alibi, *Schænanthus* in Arabia, *Radix Chinæ* in China, &c.

Omnis igitur emphytismus, sive sit ab inseminatione, implantatione, impositione, irrigatione, inescatione, aut approximatione, vel est

Primò, Vegetabilium, ut videre est in insitionibus arborum, ut in *Pomo, Pyro, Castanea, &c.* Item quando *vinum* redditur *laxativum à Mezereo Mercuriali, soporiferum à Solano*, sic per insitionem, fructus unius arboris possunt reddi purgativi, vomitivi, cordiales, deleterii, sudoriferi adstringentes, &c.

Secundo, Vegetabilium cum animalibus exempla sunt in venenis vegetabilium ab animalibus assumptis medicamentis purgantibus, alterantibus, &c. & in cibis & in potibus ex vegetabilibus desumptis.

Tertiò, Animalium cum vegetabilibus: ut herbæ cordiales apud cavernas serpentum & bufonum venenatæ fiunt, item ea vegetabilia quæ succo alicujus venenati animalis irrigantur, vel halitu inquinantur, ut in *salvia* ab halitu bufonis. Item morbi animalium transplantantur in vegetabilia per mumiam, ut loquuntur.

Quartò Mineralium cum vegetabilibus, ut vegetabilia super aurifodinas, induunt qualitates Mineralium illic latentium, in *Kermes & Isatis sylvatica* super ferri fodinas crescentes redolent, ejus naturã, & pręservant ac corroborant *Magnetem* æq; ac ferrũ.

Quintò, Mineralium cum Animalibus, ut sunt venena & medicamenta omnium generum ex Metallis, Marchasitis, & lapidibus confecta.

Sextò, Animalium cum Animalibus, exempla sunt in cibis & medicamentis ex iis confectis, & etiam venenis, qualia sunt *morsus canis rabidi, ictus tarantulæ, viperæ, scorpionis, cerebrum cati, extremitas caudæ cervinæ, cantharides, spuma bufonis, &c.*

Septimò, Animalia & Vegetabilia in certis locis natura & proprietates loci induunt.

Atque omnis insitio Animalium, Vegetabilium, aut Mineralium vel est substantiæ solidæ, ut in plantis rami, folia, fructus, acini, radices, semina, succi. In animalibus totum, caro, ossa, excremẽta, morbi, nævi, vel ex effluviis ex talibus afficientibus propinqua quæcunq; ut immutent vel immutentur.

Facta igitur per transplantationem insitione, ut dictum est, res per fermenta in se invicem agunt, potissimum quatuor modis.

Primò, se mutuo adjuvant, ut Asparagus gaudet associari Arundini, si Lilia Rosis applantata sint, fragrantiores fiunt & meliùs crescunt, &c. In Sympathia Vegetabilium, Animalium & Minerabilium.

Secundò, res per fermenta se mutuò ligant & solvunt, ut in exemplis de Arsenico & sublimato appositis venenatis ulceribus duo venena se mutuo ligant, & curatur ulcus. Item succus Brassicæ vini vim inebriativam ligat, Pavonis vox serpentes, Bufo mustelam, serpentes alaudam, item succus betulæ martialis solvit impotentiam ad venerem.

Tertiò, res per fermenta se mutuo destruunt, ut videre est in vite & brassica, filice & arundine, & cæteris ejusmodi.

Quarto, se mutuo transmutant, transmutatio autem omnis triplici modo fit.

Primò, qualitates (ut loquuntur) tantum mutantur, manentibus formâ & figurâ externâ, ut apud cavernas serpentum & foveas bufonum & venenatorum animalium herbæ cordiales deleteriam induunt qualitatem, item cordiales plantæ irrigatæ succis *solani*, *napelli*, *cicutæ*. Item *cicuta*, *solanum*, *napellus*, *Mezereon*, *Mercurialis* in vineto reddunt vinum particeps suarum qualitatum manente figurâ vitis & uvæ: item animalia quę vescuntur piscibus, ut *porci*, *anates*, *anseres*, *gallinæ*, redolent pisces, & non solum caro eorum, sed & ova gallinarum, halecum intestinis pastarum, item anseres ex abiete nascentes in Scotia eam redolent.

Secundò, transmutatio fit mutando formam & etiam figuram externam, remanētibus quibusdam proprietatibus, in quibusdam magis, in quibusdam minùs, ut in exemplo allato, quando *anseres* ex *abiete* fiunt, forma & figura *abietis* pereunt, remanentibus sapore & odore: item quando *Buprestis ex Pino*, *& Cantharides ex Fraxino* fiunt, item in istis animalibus quæ vescuntur piscibus, forma perit, remanente odore &c. Ab isto transmutationis modo omnia seminaria morborum originē trahunt ab assumptis cibis, potu, medicamentis, venenis, aut ab inspiratis ab aere aut contagiis aliunde haustis, aut hęreditariorum in fermento seminū parentū latitantium; nam qualitates istę ambulatoriæ, vel à debilitate partium coctioni subservientium, vel ab exalata sua virulentia indomabili restitantia in visceribus, vel in toto copore per generationem univocam, producunt sibi simile in specie quod contrariatur fermēto animalis, & secundū gradus suæ virulentiæ Symptomata sæviora, vel mitiora, morbos vel mortem inducunt. Sic inspiratio aeris fermentis venenatis vel infestis contaminati generat simile in nobis, ut in peste, contagiosis morbis, lippitudine, phthisi, &c. item ex parentū semine calculosi calculosos, podagrici podagricos, epileptici epilepticos, &c. generant.

Quæri hîc potest, cum omnes morbi ad hunc transmutationis modum referri possint: nempe ad qualitates remanentes ab assumpto cibo, potu, &c. uti dictum, & cum à tot rebus diversis oriantur, utrum detur medicamentum universale, quod sit par extinguendo omnia fermenta morbifica etiam maximè contraria; Chymici acri-

acriter uno ore contendunt dari, atq; eorũ Antesignanus Vanhelmont dicit esse liquorem *Alkahest, Mercurium Diaphoreticum, &c.* & ut hoc contra Galenistas evincat, dicit morbos omnes debellari posse tribus modis, primo extinctione *Ideæ* 2. Per sedationẽ *archæi* commoti. 3. Per ablationem *materiæ occasionalis*, & dicit ista præposita remedia morbos superare secundo modo, quem etiam sequitur *Osvvaldus Grembs* in sua arbore.

Sed contra 1. etiamsi detur morbos curari posse tot modis, tamen *Idea* ista excitatur à fermento (quod causam occasionalem appellat) & quomodo potest ista extingui, superstite fermento, nam si centies extingueretur, toties repullularet præsente adhuc fermento eum producente; idem dicendum de *Archæo* commoto eum non posse sedari præsente fermento cudente *Ideam* à qua commovetur: exemplis res erit manifestior. v. gr. si spina infigatur digito alicujus, sua præsentia turbando spiritus loci, causat dolorem, pulsum celerem, febrem, &c. si igitur aliquis adhiberet remedium spiritibus turbatis remanente adhuc spina; vel *Ideæ* furiosæ mederetur, & non extraheret spinam quæ utriusque fuerat causa (quod perficitur *adipe leporino*) incassum laborans operam & oleum perderet. 2. Ponamus aliquem à *cane rabido* demorsum esse, cujus spiritus satis sedati erant, tunc à fermento *hydrophobico*, in saliva *canis* gliscente ligantur hominis fermenta vel destruuntur (pro quorum modulo operantur spiritus) in quorum vicem subit fermentum *hydrophobicum*, & spiritus hominis furentes reddit, si in hoc casu aliquis adhiberet remedium sedando *Archæo*, remanente fermento *hydrophobico* in corpore, spiritus fortassis magis depauperaret, uti sæpius continget in febribus malignis, exhibito *laudano opiato* aut *sulphure Anodyno Vitrioli* dum spiritus ferocientes & sylvestres paululum ligantur & cicurantur virtute medicamenti narcotica, interea fermentum febrile insidiatur vitæ & patientem de medio tollit, remedium autem extinguens fermentum *hydrophobicum* fit ex jecore ipsius *canis*, *cinere cancrorum*, radice rosæ *caninæ*, *Hyænæ* corii particula, quæ cum cane adhuc vivens antipathiam habuit. Sic de *tarantismo*, *Catismo*, *lycanthropia*, *&c.* & cum supponitur ante adventum istius fermenti spiritus fuisse satis sedatos, cur non erant igitur pares extinguendo istud venenum sine remedio? Et cur cesserunt fermento extraneo jam sedati, quod à remedio sedati secundum *Helmontium* expellere possunt: cum facilius multo sit, ut vulgo dicitur, non admittere quam jam admissum inimicum expellere, spiritus autem aliquando sine aliquo remedio solent morbum expellere, quando fermentum morbificum debile est, neque satis virium habet ad ligandos, destruendos aut transmutandos nostros spiritus; ex his igitur patet, quod solum verum remedium sit extinctio fermenti exotici, non vero extinctio phantasticæ *Ideæ*, aut sedatio commoti *archæi*, remanente adhuc commotionis causa.

Cum igitur ab expulsione fermenti morbifici solùm fiat proprie dicta curatio, & quia quot simplicia sunt in mundo, tot diversa sunt fermenta, & cùm morbi ab iis fiant, uti dictum, qui specie differunt, quomodo potest fermentum unius rei omnia destruere & expellere, præsertim cum sint quidam morbi à depauperatione spirituum, aut *Apoplexia*, *syncope*, *Lipothymia*, *Lethargus*, *Carus*, *Catoche*, quæ fiunt à fermento

mento Narcotico & anodyno ? Quidam etiam morbi fiunt à conturbatione spirituum, ut *febris*, *dementia*, *delirium*, *hydrophobia*, *Mania*, *vertigo*, *phrenitis*, *&c.* à fermento furente, tremulo rotante, &c. quidam tandem morbi ab inquinamento spirituum & partium, ut sunt *Elephantiasis*, *psora*, *lues venerea*, *cancer*, à fermento excoriante, ulcerante serpente, &c. quomodo potest unum medicamentum conturbatos spiritus sedare ? Depauperatos instaurare ? & inquinatos depurgare ? & v. g. cum *Apoplexia à febri* exorta abigitur, & se non patiuntur in eodem subjecto, quomodo potest uterque uno & eodem medicamento expelli, sic dicendum de *lethargo* & *phrenitide*, *&c.* præterea frustra creata essent simplicia *cephalica*, *neuritica*, *hepatica*, *stomachica*, *antiscorbutica*, *antiepileptica*, *antiicterica*, *&c.* quas virtutes istis simplicibus *Betonica*, *Vincpervincæ*, *Hepaticæ*, *Absinthio*, *Cochleariæ*, *Chelidoniæ*, *Peoniæ*, *&* *Valeriana agresti*, inesse, certò norunt omnes practici, quicquid in contrarium adferant ii, qui primis qualitatibus omnia ascribunt. Et tandem licet omnia fermenta morbifica in hoc conveniant, quod operentur conturbando, depauperando, & inquinando spiritus, & sic pauca saltem, si non unum remedium sufficerent, tamen omnes modi prædictorum specie distinguuntur, & sic plura requirunt remedia; verb.g. spiritus conturbantur in *phrenitide*, *febre*, *vertigine*, *&c.* à diversis specie fermentis, & licet in hoc conveniant, quod omnes conturbent spiritus, tamen hic uno modo, alius alio, ita ut quod extinguit *fermentum febrile*, non poterit extinguere fermentum *vertiginosum*, & contra. Sic de iis quæ depauperant & inquinant spiritus dicendum; & non solum sic, sed & diversa simplicia unum & eundem morbum per fermnta sua excitantia, diversa remedia postulant, pro eorum defermentatione, ut videre est in convulsionibus ortis à *Napello* assumpto, & ab *Apio* risus, & sic de cæteris ejusmodi fermentum *Napelli* destruitur ab *Anthitora*, non vero *Apii* risus, qui à Melissa abigitur, quæ non attingit fermentum *Napelli*: quod si vero medicamentum sedativum spirituum solum sufficeret ad omnes morbos abigendos, cur fit cum *Anthitora* vel herba paris sedant spiritus commotos à *Napello* vel *aconito*, quod non etiam sedant spiritus ab omnibus aliis rebus ferocientes: Unde ex his omnibus liquido constat, eos qui in aliquo uno simplici utut rectificato, spiritualizato, & ad ultimum perfectionis gradum perducto quærunt remedium universale, haurire aquam cribro : sed fruantur sua opinione decepti isti adeptorum nomine superbientes. Interim non inficias eo, quando fermenta plurium morborum in aliquo omnibus communi conveniant, posse ratione symboli uno & eodem medicamento superari, v. gr. ex lapidibus *cancrorum* præparatis fit *diureticum*, *febrifugum*, *&* *vulnerarium*, medicamentum optimum, nam isti morbi in hoc conveniunt, quod acorem habeant præternaturalem spiritibus summè infensum ac molestum, qui actione sua in lapides *Cancrorum* eos dissolvere tentans, & in suam naturam convertere, acorem amittit, & dulcificatur humor, ut videre est in dissolutione *corallorum*, *perlarum*, *&* *cerussæ*, à spiritibus acidis *aceti*, *aurantiorum*, *&c.* amittunt acorem per suam actionem mutuam & dulcificantur: at *lapides cancrorum* quocunque modo præparati & exhibiti, non attingunt fermen-

fermentum *Apoplecticum, Epilepticum, Lethargicum, &c.* Neq; negandum eſt diverſa rerum fermenta unius morbi fermento ita adverſari, ut ſimul vel ſeparatim exhibita eum curent, ut v.g. *Icteri* fermentum ſuperatur à *Chelidonio majori, Cuscutha, ſtercore anſerino, & millepedis* animalculis, &c. inde tamen neque omnem morbum uno remedio, neque unum omnibus curare ſequetur.

Tandem *Oſvvaldus Grembs* ex Helmontio hoc argumento probat dari medicamentum univerſale, datur unicus vitæ moderator hîc malè ſe habens integritatem naturæ lacerat, ex qua ſubſequuntur impuritates vitæ inſidiantes; eſt itaque unitas naturæ alteratæ, unitas ſanitatis læſæ, & unitas ſpiritus ſuper morbum agitari conſideranda', non autem multiplicitas varietatum occaſionalium, ſi una natura humana alteraretur, & una ſanitas læderetur, & unus ſpiritus agitaretur ab unica re, optime ſequeretur unicum requiri tantum remedium (cujus contrarium ex jam dictis elucet) at tunc non opus eſſet recurrere ad Helmontii & adeptorum ſecretum, nam quodcunque unum morbum curaret ex vegetabilibus, mineralibus aut animalibus, omnem morbum curaret ob eandem rationem: & quod impuritates vitæ inſidiantes oriantur à ſpiritu malè ſe habente, falſum eſt, nam iſtæ impuritates male afficiunt ſpiritum, qui ante earum appulſum bene ſatis ſe habebat, ut palam fit in fermentis externe advenientibus, ut in *Hydrophobico, Tarantiſmo, &c.* & internis, ut in *Epileptico, Apoleptico, vertiginoſo, &c.*

Cum igitur propriè ſic dicta curatio, neque ſit extinctio *Ideæ* in morbis non requiſitæ, neque ſedatio *Archæi* (niſi dicas palliativam & per accidens) ſed ſolum ligatio, transmutatio aut deſtructio *fermenti* aut intus geniti aut advenientis externe, & cum tot diverſa ſunt ſpecie fermenta quot morbi, & cum id quod unius rei fermentum deſtruit, alterius non attingit, (etiamſi ambo eundem morbum cauſent) Conſequens erit nullum dari medicamentū univerſale, aut omne remedium eſſe univerſale.

Tertio transmutatio fit totalis, tum quoad formam & omnes qualitates, tum quoad figuram externam, ut quando cibi & potus transmutantur perfectè in ſtomacho ſine ulla qualitate ſuperſtite, ut cernitur in herbis, quæ contactu mutuo in ſe invicem commutantur ratione ſymboli, ut *Imperatoria in Angelicam, Rapa in Raphanum, Triticum in lolium, mutatio cinamomi in laurum,* ſi extra proprium locum plantetur, mutatio *piperis in hederam,* in Italia, & alia quæ fiunt per metamorphoſin, ut cum *erucæ* mutantur in *Chryſalas, & Chryſalæ in Papiliones,* & cum conceptus in utero ab excellenti imaginatione transmutantur in *Anatem vel glirem,* &c. neque ullum exemplum reperiri poteſt, quod non ſit reducibile ad aliquem ex prædictis modis fermentorum in ſe agentium. Notandum autem eſt, quando dicimus formas mutari, nolumus formas in ſe mutari, ita ut una ab alia ſpecie differat, ſed diverſificari actiones unius & ejuſdem formæ ratione diverſorum fermentorum ſupervenientium, ut poſterius in diſcurſu formarum patebit.

Cum mutatio omnis tum in generatione, tum in corruptione ſit vi fermentorum, uti dictum, paucis agendum eſt de generatione, & videndum eſt, num diſtinctio iſta

solennis generationis in univocam & analogam sit admittenda; dicunt enim, cum effectum continetur in sua causa efficiente formaliter, & ab ea producitur sibi simile in una determinata specie, esse generationem univocam, ut *ignis ignem, glis glirem*, cum autem effectum continetur in sua efficiente causa eminenter tantum & quæ producit multa alterius speciei, esse generationem æquivocam, ut quando sol producit glirem, murem, vermem, &c. ex putri (ut loquuntur) materia, aliquando dicunt causam æquivocam esse nobiliorem effecto, ut *statuarius statuâ*, aliquando ignobiliorem, ut *sol ignobilior ranâ, muscâ, &c.* dicunt utramque causam esse principalem, & habere in se vires producendi effectum.

Videndum autem num hæc vera sint, & primùm rogo, si sol sit ignobilior istis animalculis, & ratio est, quia ista sunt viventia, sol autem non, quomodo ignobilius & non vivens potest nobiliori & viventi tradere formam, per quam vivit & est nobilius? Secundo quæro, etsi concederetur solem non viventem concedere viventibus formam, quomodo simul & semel in uno & eodem loco diversas imò contrarias poterit formas dare? At audio eos dicentes pro diversa materiæ dispositione solem diversas dare formas, quod dissonum etiam ipsis auribus peripateticis, nam sic tota formarum specifica differentia non propoveniet ab ipsis formis, sed à materiæ variis dispositionibus. Tertiò quæro, à quonam disponitur materia tam diversimodè? v.g. in uno sterquilinio fiunt muscæ, vermes, lacerti, araneæ, ranæ, & centum generationes animalium specie differentium ex una aqua, ut dictum, & qui fit, ut in uno horto simplex aqua pluvialis amarescat in *Ruta*, *Aloe*, *Absynthio*, *Colocynthide*, dulcescat in *Liquiritia*, *Uvis*, *Pomis*, acescat *in Berberis*, *Acetosa*, *Ripis*, insipida reddatur in *Lactuca*, *Portulaca*, *Spinachio*: acerba in *Gallis*, *Mespilis*, *Sorbis*: austera in *fructibus immaturis*: acris in *Nasturtio*, *Sinapi*? salsa in *Cochlearia*, *Statice marina* in quonam diversificantur prædictæ qualitates in singulis individuis, ut specialis sit amaritudo in *Ruta*, alia in *Aloe*, alia in *Absynthio*, &c. Item specialis sit sapor aromaticus in *Cynamomo* distinctus, *à Caryophillis*, *Cardomomis*, *Cubebis*, *&c.* Item quid est, quod aquam istam reddit purgativam *in Rhabarbaro*, *Tithymallo*, *Colocynthide*, *Senna*, *Agarico*, *&c.* vomitivam in *Asaro*, *Gratiola*, *Sambuco*, *Sedo minimo*: adstringentem in *Granatis*, *Tormentilla*, *Bistorta*, *Centinodio*: emollientem in *violis*, *malvis*, *parietaria*: antidotalem in *Scordio*, *Scorzonera*, *Pentaphyllo*, *Dictamno*, *Gentiana*: venenatam in *Aconito*, *Solano*, *Cicuta*, *Apio risus*: Cephalicam in *Betonica*, *Salvia*, *Roremarino*, *Majorana*: splenicam in *Tamarisco*, *Cappari*, *Scolopendrio*, *Lupulo*: uterinam in *Matricaria Artemisia*: stomachicam in *Mentha*, *Absynthio*, *Centauro minori*: Bechicam in *Hyssopo*, *Tussilagine*, *Enula*, *Liquiritia*: cordialem in *Boragine*, *Buglosso*, *Rosis*, *Violis*, *Melissa*: antiepilepticam in *visco quercino*, *Tiliæ floribus*, *Pæonia*: antiictericam in *Chelidonia majori & Cuscuthâ*, *&c.* ejusmodi. Poteſtne unus calor vel lux solis tam diversimode materiam disponere? Si hoc foret, tot essent in sole specie distincti calores, quot sunt effecta diversa; nam quorum effecta specie distinguuntur, eorum causæ æque distant. Calor autem per se, quicunque is sit, tantum calorem producit, per accidens autem exsiccat, liquefacit, vapores elevat; aliud autem nihil præstat. Præterea omnia

promi-

promiſcue in omnibus eſſent, nec fierent hìc ſegetes, illic uvæ, Blitum, Sedum, &c. Ut igitur veritas in tanta caligine eluceſcat. Primò dicendum cauſam abſolutè proximam unicam tantum eſſe in uno effecto, licet plures eſſe poſſint cauſæ remotæ & inſtrumentales. Secundo dicendum, ubi duo effecta nullo modo inter ſe differunt, ea ab una & eadem cauſa proxima & immediata procedere neceſſe eſt. Tertiò dicendum, eam eſſe cauſam principalem, non inſtrumentalem, quæ habet vires ex ſe producendi effectum, & à ſeipſa, non autem ab alio movetur. Quarto dicendum, ut in exemplis prius deſcriptis patet, neque in viviparis neque oviparis à coitu remanere ſemen corporaliter, ut eleganter demonſtravit doctiſſimus Harvæus, nam in uteris cervarum, damarum, ovium, &c. nihil remanere vidit ad unum aut alterum menſem, & Gallinæ ex uno coitu cum gallo ſine ulteriori commercio ova prolifica pariunt. Quinto dicendum, ſicut vivipara per calorem matricis & ovipara per fotum incubationis, aut per balneum aut calorem pulveris vel fimi equini producuntur, ſic iſta, utrum ſint animalia vel vegetabilia, quæ fiunt ſine parentum ſemine in ſuis determinatis locis, requirere tantùm calorem ſolis ut producantur; & ſi ſol aliquid aliud iis præter calorem tribueret, non hyeme calore balnei creſcerent, quod frequentiſſimum eſt. Adde quod vegetabilia extiterint ante natum ſolem ex 1. Geneſeos.

Cùm igitur neque in viviparorum neque oviparorum uteris maneat, multò adhuc minus in ovis, neque parens actu præſens eſſe poteſt in quod non remanet, & ſi detur quod remaneat, non moveri poterit ab eo fortaſſis abſente, mortuo, combuſto, aut putrefacto, ut in vegetalibus effætis. Dicendum eſt ſemen non eſſe cauſam inſtrumentalem parentis in generatione, ſed à ſe moveri, & eſſe cauſam principalem & immediatè proximam, ideoque animal non generat animal, ut neque planta plantam, ſed tantum ſemen ad plantam & animal. Et cum matrix nihil tribuat viviparis præter fotum, quem incubatio, balneum & calor ſolis aliis tribuit, reſtat igitur immateriale & inviſibile fermentum remanere, quod contagio quodam ſerpit per maſſam ſubſtratam, eam organizando & ſingula membra & partes delineando & diſtinguendo, quo imprægnabantur uteri parietes, & attactu uteri ſic imprægnati ſanguis illic deciduus (vel materia alia lactea, ut quidam volunt) fermentatur, utero fotum præbente: & iſtud fermentum ſuſcitatum à calore quovis moderato impræ-gnat ovi omnes partes & opus ſuum aggreditur, membra pulli delineando. In locis fermentorum particularium in terra, terra uteri vicem petit imprægnata à fermento, aqua illic cadente materiam & calore ſolis fotum ſuppeditante, & ſic naſcitur animal, minerale, vegetabile, *bufo, glis, mus, muſca, adianthum, ſedum, leucoion, aurum, argentum, æs, ferrum, lapis marchaſita* pro diverſitate locorum & fermentorum inibi latitantium. Cùm igitur immateriale fermentum ſit cauſa immediata & proxima in omni generatione, & *mus, glis, ſerpens, rana, capillus, Veneris, Adianthum*, quæ producuntur à fermentis ſine parentum ſemine in ſuis locis, nullo modo differant ab iis quæ fiunt ex parentum ſemine (nam æquè apta ſunt ad producendum ſibi ſimile ut illa) igitur concluſio erit, vel omnem generationem eſſe univocam vel nullam.

Quod autem ex semine unius animalis fit aliud ejusdem speciei, figuras partes, & proportiones easdem habens, fit quia semen est deciduum ab omnibus partibus corporis, plantæ vel animalis, in plantis v. g. quia succus ejus ascendendo per radices, ramos, & succive per totam plantam, servat characteres & sigilla omnium partium in motu ad superiorem plantæ partem sibi mista; ita ut sit quasi magisterium totius plantæ, continens substantiam & proprietates ejus: sic etiam semen animalis testium suctu ab arteriis & venis, & harum à reliquis partibus, & cætera, provenit à distantissimis, vel potius quia testes ex sanguine formant semen, qui sibi alimentum quærit ex omnibus partibus eas deprædando (ut pulchrè demonstrat *Glissonius* in sua anatomia hepatis) & sic retinet naturam & proprietates omnium partium cum proportionibus debitis & fermentis, neque proprietates fermenta, &c. magis confunduntur quam virtutes forte quadraginta simplicium in uno medicamento commistorum, quorum alia purgant, alia corroborant, alia aperiunt, alia corrigunt, alia respiciunt stomachum, caput, renes, uterum, hepar, splenem, &c. agentia per modum lucis quæ agit impermistis radiis, eà autem impermistis virtutibus. Nam à spiritibus nostris separara unumquodque suum pensum absolvit sine alterius impedimento, & amicè conspirant ad hostem expellendum, & amicum corroborandum quædam fores aperiendo, quædam hostes ligando, quædam attrahendo, quædam expellendo, &c. hac etiam similitudine pulchrè demonstratur, ædificetur domus absque fenestris, foraminibus & rimis, ita ut sit tota tenebricosa, tunc in uno loco perforetur terebello, ita ut lumen & solis radii per istud foramen intrent, tunc extra domum colloca effigiem hominis variis coloribus depictam, in tabula, intra domum autem colloca aliam tabulam, in qua nihil sit depictum in loco opposito, ut sit certa distantia à foramine, videbis omnia membra lineamentis & coloribus variis correspondentia effigiei in tabula depictæ extra domum, si vero tabulam istam intra domum propius admoveas foramini, membra omnia cum suis proportionibus & coloribus quasi confunduntur, & nihil apparet in tabula præter lumen, ita ut in foramine lineamenta & colores sunt misti, & quasi confusi nobis apparēt, sic fermenta membrorum & diversarum partium corporis humani sunt mista, indistincta & confusa in semine: in matrice autem à calore & vi plastica ordine separantur, ut unum ex sanguine vel materia lactea, ut quidam volunt, caput, aliud cor, aliud stomachum, intestina, testes, uterum, nervos, hepar, &c. efficiant, licet ut dictum non remaneat corpus seminis, nam satis est, si semel tetigit vel imprægnavit uteri parietes; homo igitur est quasi arbor inversa, stomachus est radix, solidæ partes cum venis & arteriis sunt quasi truncus, massa sanguinea est pro foliis & frondibus, purior ejus pars descendens per arterias & venas ad testes flos est, ex quo semen in testibus generatur, verisimile autem est sanguinem ex quo fit semen, impressiones omnes membrorū tempore formationis ipsius fœtus accepisse, aliter mutili & membro aliquo truncati tales generarent; sicut morbi, nævi, & mores, quibus fermentatur semen parentis, ad seros nepotes transplantantur; quomodo autem tales impressiones fiant, posterius fusius

ſius declarabitur ſpinoſas alias difficultates de generatione & ſemine agitari ſolita conſulto permittimus, de iis alibi dicturi.

Ut ulterius proſequamur cauſas Sympathiæ & Antipathiæ, operæ pretium erit de ortu qualitatum paucis diſſerere: & ad confuſionem in re tam ardua ac difficili evitandam, Primò ponemus emunctiorum Philoſophorum hac in re diſquiſitiones breviter & ſuccincte, ne animus lectoris diutius ſuſpendatur.

Et primò dicunt, ut inveſtigent omnes qualitates ordine & methodo debitis, in mixto conſiderari poſſe rei ſubſtantiam, ſubſtantiæ modum & accidentia.

2. Dicunt ſubſtantiam aliam eſſe totalem, ipſum ſcilicet ens Phyſicum, aliam eſſe partialem, materiam videlicet & formam.

3. Dicunt materiam poſſe vel conſiderari ut eſt pura potentia indifferens ſimpliciter ad omnes formas, vel ut eſt prima materia elementaris, quæ ignea, aerea, & terrea dicitur.

4. Dicunt modum ſubſtantiæ eſſe duplicem, alterum ſubſtantiæ totius entitatis Phyſicæ, ut ſubſiſtentia, exiſtentia, & unio. Alterum dicunt eſſe modum ſubſtantiæ ſolius materiæ primæ, non ut eſt pura potentia, ſed ut ſigillata ex præciſione formæ elementaris in illa, &c.

5. Dicunt accidentia quæ ſuperveniũt in mixtis, alia produci à forma ut eſt mixta, alia ut eſt vivens, ſed ut eſt forma, ut nec mixta nec vivẽs, ſed ut eſt forma ſpecifice talis.

6. Dicunt, quæ producuntur à forma, ut miſta, producuntur ab ea, ut continet virtualiter, eminenter elementa, ut ſunt quatuor qualitates primæ, calor videlicet, frigus, humiditas, ſiccitas, & qualitates, quæ earum interventu ſuperveniunt, ut ſunt ſecundæ, quæ ſequuntur calorem, ſunt facultates aperiendi, rarefaciendi, attenuandi, incidendi, &c. quæ ſequuntur frigus: incraſſandi, repellendi, condenſandi, &c. quæ ſequuntur humiditatem: emolliendi, relaxandi, & quæ ſiccitatem: indurandi, &c.

7. Accidentia quæ producuntur à forma ut vivens, ſunt facultates, quæ operantur ſub aliquo vitæ gradu determinato vegetabili, ſenſitivo vid. aut rationali.

8. Quæ verò ſequuntur & fiunt à forma ut nec eſt mixta, nec vivens, ſed, ut eſt ſpecifice talis, nec ſunt primæ qualitates, nec quæ interventu illarum ſuperveniunt, nec potentiæ contentæ ſub aliquo vitæ gradu determinato (aliter omne mixtum & vivens haberet eas) ut eſt vis, antiepileptica in pæonia, trahendi ferrum in magnete, &c. Sed ſunt vires & potentiæ formæ ut præciſe talis, nam per ſubſtantiæ modum particularem determinatur forma ad qualitates debitas, & ſpecifice coaptatas, ita ut licet forma informet materiam ſecundum alios ſubſtantiæ modos, non producat in illa talem qualitatem, ut apparet in *Rhabarbaro*, quod in partibus tenuioribus habet vim ſolvendi ventrem, & in craſſioribus adſtringendi. *Lentiſcus* in una parte ſolvit. Sic quædam animalia in una parte habent venenum, in alia antidotum. Notandum affectus provenientes à facultate, quæ pullulat à forma ut ſpecifice tali, dici mirabiles, quia non percipitur eorum cauſa ſicut reliquorum, & quia non

 immu-

immutant aliquem ſenſum externum, ut affectus reliqui determinantur à tota ſubſtantia, quia proveniunt à forma ut taliter determinata à materia, ut virtus magnetis, &c. non dicuntur occulti, quia non omnino cognoſcuntur, ſed quia ab externo ſenſu non percipiuntur.

Specioſa equidem hæc ſunt verba, ſed fragili fundamento innixa, ex ſabulo peripatetico, quo à tempeſtate ſublato procul dubio mole ſua corruent. Et primo ſupponentes omnia corpora eſſe miſta, & ex congregationibus elementorum fieri, experientiæ & ſanæ rationi vim maximam inferunt, cum corpora quæ creduntur miſta eſſe, ſolius aquæ impragnatæ fermento fructus ſunt, uti prius in principio hujus tractatus ſatis clare inductione exemplorum manifeſtorum demonſtratum eſt, & cum non entis nullæ ſint paſſiones, quomodo poſſunt qualitates oriri à forma miſti nunquam exiſtentis? Et ſi hoc verum, unde ſuum ortum mendicabunt qualitates iſtæ, quas primas vocant, calor videlicet, frigus, humiditas, & ſiccitas, quas immediate ex ſinu miſti deducunt? Nam iſtæ qualitates exæque competunt omnibus rebus, & non primò elementis, ut loquuntur, quia omnia corpora, & etiam aer, aqua, terra, ſunt capacia caloris vel frigoris, &c. immutatis eorum eſſentiis, & etiam ignis calor intenditur & remittitur, & radii ſolis ſunt ex ſe calidi & ſicci & non ab igne; ratio autem conſequentiæ iſtius eſt, quia dicunt miſta habere in ſe iſtas qualitates, quatenus continent elementa vel formaliter, ut quidam volunt, vel virtualiter & eminenter, ut alii, quæ in miſto in actum reducuntur adventu formæ miſti, & præterea ſi qualitates iſtæ dicerentur primæ, quia primis corporibus inſunt, nempe elementis, tunc etiam gravitas & levitas quæ motrices dicuntur, eſſent primæ, quia iſtis inſunt, neq; dependenter à primis ſupple, calore, frigore, &c. nam gravia & levia ſe indifferenter gerunt ad calorem & frigus, & multa ſunt gravia & levia, in quibus ne vel calor vel frigus potentialis percipiuntur. Sic autem gravitas aut levitas fierent à frigore & calore, &c. tunc res quo plus haberent ignis, eſſent leviores, cujus contrarium elucet in ferro candente, lapidibus ignitis, &c. quæ ab igne nihilo leviora ſunt, & terta eſſet gravior *auro, ſtanno, cupro, &c.* quia cum ex eorum ſuppoſitionibus mixta ſunt, plus habent ignis quàm terra, uti prius dictum. Neq; gravitas & levitas mediatè ab iis fiunt; mediante nempe raritate, & denſitate, nam ſic *oleum* denſius eſſet levius *aqua*, & oleaginoſa non ſupernatarent aquæ, &c. & ſi qualitates iſtæ primæ, ut vocant, ab iſtis quæ elementa communiter vocantur, non oriantur, unde eorum ſuppoſitii fœtus originem ſuam derivabunt? Qualitates nempe quæ ſecundæ vocantur, quas interventu primarum ſupervenire volunt, quod probatu eſſet impoſſibile, etiamſi daretur calorem, frigus, & cætera eſſe primas, & primis corporibus primo ineſſe. Nam ſi à primis fierent, exactum poſſet dari judicium ex iis de qualitatibus primis, quod ſimpliciter impoſſibile eſſe oſtendo inductione. Et primo à coloribus non datur judiciũ de primis qualitatibus, nam ſingulæ fere herbæ facultatibus diverſiſſimæ, viridi colore dotatæ ſunt. Albedo eſt in nive frigida, & Arſenico adurente, item in flore papaveris albi, & flore *Glangæ Matricariæ, &c.* ſuccus lacteus in *Eſula & Tithymallo* adurentibus,

rentibus, & in *Cichoreo*, *Soncho & Lactuca* frigidis. Secundò, neque à saporibus datur de primis qualitatibus judicium, nam *opium* amarum refrigerat & *Camphora* piperis calidi saporem nacta, & succus *papaveris Rheados* amarus refrigerat. Acida, ut *acetum, oleum sulphuris, vitrioli, aurantiorum, succus berberorum, &c.* calefaciunt. Nam dissolvunt *corallia, lapides, perlas & conchylia*, & dissolutio & penetratio sunt caloris actiones. Tertiò, neque ab odoribus datur judicium de primis qualitatibus, nam primo homini inter animalia odoratus obtusissimus obtigit, & multa odorata frigida sunt, ut *camphora*, *opium*, *cicuta*, *&c.* & multa inodorata calida, ut *Arsenicum*, *Mercurius, Ærugo, Cantharides, &c.* Denique à densitate, mollitie, duritie, crassitie, subtilitate, ariditate, lubricitate, lentore, friabilitate, asperitate, &c. non datur judicium de primis qualitatibus, nam nulla earum magis à frigore quàm à calore dependet, ut experientiâ constat, nam multa crassa sunt calida, & multa frigida, & sic de cæteris. Qualitates autem tertii ordinis, quas occultas vocant, non possunt provenire à sigillatione materiæ, à formis elementorum in mistione, etsi daretur mistio, sigillatio formæ ignis tantum calorem produceret, aquæ humiditatem, &c. & sic istæ nullo modo occultas qualitates producere possunt, nam ipsis fatentibus à primis non oriuntur, v. g. si virtus Antiepleptica inest pæoniæ, quia prædeterminatur forma ejus à præcessisse formarum elementarium, istud est vel à forma terræ vel aquæ, vel ignis, &c. vel à complicatione trium, duarum, &c. atque hoc nullo modo fieri potest ob rationem supra allatam, neque vis solvendi ventrem in tenuioribus Rhabarbari partibus, qua talibus consistit, neque adstringendi in crassioribus & in lentisco, aliter omnia compacta & crassa hoc sibi tanquam peculiare vendicarent, & etiam tenuia, quod experientiæ contrarium. Et quod dicunt qualitates non dici occultas, quod non omnino cognoscantur, sed quod ab externo sensu percipiantur, ut reliquæ; vel visio non est sensus externus æque ac tactus, vel si sit, cur vis attractiva ferri magnetis quæ visu clare discernitur, magis occulta est quam humiditas in aqua, vel calor in igne & sole quæ percipiuntur à tactu. Et cum nemo demonstratione à priori adhuc investigare potuerit, cur ignis sit calidus, vel aqua humida, magis quam quare magnes attrahat ferrum, &c. vel igitur omnes qualitates erunt occultæ vel nullæ. Nam si primæ quæ maxime videntur sensibus subjici, non cognoscantur plus quam occultè multo adhuc minus secundæ ab iis ortæ. Præterea quæcunque ab uno & eodem principio fluunt, una earum non potest dici magis occulta, alia minus. At ab uno principio fiunt omnes istæ qualitates, Erg. &c. Nihil est in composito præter materiam, formam, & fermentum, at forma est una & eadem in omnibus (homine solum excepto) ut postea dicetur, igitur diversæ qualitates ab ea haud provenire possunt; materia est etiam una & eadem in omnibus nempe aqua, & ob eandem rationem non potest esse radix, & fons tot diversarum qualitatum, Ergo à fermento tanquam scaturigine fluunt odores, sapores, colores, proportiones, & figuræ diversæ, item vis attractiva, repulsiva, sympathetica & antipathetica, &c. vel à nihilo. Nam aqua ante fermenti adventum, neque sapida, odorata, colorata, neque tot diversis proportionibus

nibus dotata, neque purgativa electi ve, nec deleteria,nec antidotalis, nec cephalica, hepatica, splenetica, arthritica,&c. sed pro diversitate fermentorum, quibus nubit, capax est recipere myriades signaturarum: hic minerascit in auro,colore fulvo, in argento albo, in minio rubescit, in Vitriolo viridescit, vel cæruleus evadit, illic plantescit in ruta coloris viridantis,flore luteo,amarescit odore graveolenti qualitate venenis resistente & Brassicæ antipathetica, istic animal fit in Tarantula subfusci coloris instar araneæ, cum qualitate hominibus infesta,&c. particulariter autem investigare,quomodo fermenta ludendo tot diversas signaturas & proprietates producant, non est hujus loci.

Hisce igitur positis ad ortum formarum deveniendum,qui adeo obscurus & incognitus est, ut tota doctrina de sympathia & antipathia hucusque inculta manserit, ut veritas (si possibile sit) in tam abstrusis mysteriis elucescat, operæ pretium duxi omnes sententias celebriores examinare, quænam naturæ phænomena melius explicet,& postremo propriam de formis sententiam ponere,fortassis non prius auditam.

Prima igitur sententia est Peripateticorum contendentium dari formas substantiales in sensitivis & vegetabilibus, quæ cum materia constituunt compositum, dicuntque esse immateriales & incorporeas, hoc est,non constitui ex materia tanquam parte essentiali, tamen esse materiales, quatenus dependent à materia in esse, fieri, & operari,neque norunt, quid vocitent,nam si materiales, tunc neque erunt generabiles neque corruptibiles, quia materia neque generatur,&c. Neque possunt materiam informare, aliter idem seipsum informaret; sie immateriales, tunc non erunt corruptibiles,adeoq; nec generabiles. Ex nihilo nihil fit,at nihil habent,ex quo orirentur formæ, nisi sit materia vel ejus accidentia, at non à materia tanquam ex parte essentiali(ipsis fatentibus)constituuntur, ergo vel accidentibus ejus vel nihilo: non ab accidentibus ejus, quia tunc accidentia non solum producerent substantiam, sed ex nihilo crearent. Præterea forma non esset principium, cum ab alio produceretur.

Dicunt formam ex nihilo fieri, id est nihilo sui, non vero ex nihilo subjecti. At hæc distinctio difficultatem non tollit, cum nolint eam fieri à subjecto, id est materia tanquam parte essentiali, ideoque ex nihilo adhuc essentialiter fit.

Si forma educeretur ex potentia materiæ, vel existeret materia vel non existeret. Non posterius; quia (ut dictum,) ex nihilo nihil fit. Si prius, existentia ejus vel erit Physica vel Metaphysica: non Physica: quia materia est pura potentia, Physica, existentia est actus. Si sit Metaphysica tantum, uti distinguunt, quomodo forma acciperet à materia existere physice, cum nullus dabit quod ipse non habet.

Distinguant licet in æternum de potentia materiæ eductiva & receptiva, ego nihil prorsus audio, nisi formam educi ex gremio,sinu,vel potentia materiæ,id est,materiam habere in se aptitudinem ad recipiendam formam,si quis dederit,non v.fabricandi formam,ideoq; forma non educitur ex forma, sed in materiam inducitur.

Alia sententia est Epicureorum, qui, quia viderunt Aristotelis opinionem non posse bene defendi, & formæ substantiales iis imperscrutabiles videbantur, eas dari negantes pro constitutione & generatione corporis naturalis ad atomos se conferunt,

ferunt, dicentes duo esse principia concretorum, atomos & Inane, existentiam atomorum evincentes ex eo, nimirum considerando quidnam singulis horis iis quæ lente crescunt adveniat, & quid singulis horis decedat ab iis, quæ sensim imminuuntur: ut in nutritione vegetabilium & animalium, & in insensili decremento, interim non attendentes quot rami, folia, flores, fructus, & semina quotannis in arbore fiant, ut singulis exacte in statera libratis, aliquot uncias singulis horis alimenti eas conficere confiteri necessum sit. Idem eveniet etiam in nutritione Animalium, si quantitas cibi & potus ingestorum conferatur cum excrementis omnibus (& præterea in arboribus præter folia, &c. truncus arboris quotannis grandescit) qui ista requirere indivisibiles atomos, & non aliter fieri posse existimat, cum sensuum testimonia repudiare concludendum, cum nihil, ut probatum, requiratur ad nutritionem vegetabilium præter aquam.

Secundo dicunt istos Atomos, uti vox sonat, esse indivisibiles, & ob identitatem substantiæ quam sortiti sunt, prorsus ejusdem esse naturæ, unde nulla disparitas. Præterea dicunt, eos habere magnitudinem, figuras, gravitatem, & unum esse alio majorem. Sed quomodo Atomorum pariter indivisibilium unus potest esse alio major & gravior, & diversas sortiri figuras, nempe Sphæricam, Cubicam, Hexaedricam, lenticularem, &c. Credat Judæus apella. Si autem quæratur, quomodo hoc manifestum sit eos habere diversas figuras, cum atomi non possint sensari, & concreta corpora figuras & proportiones sortiantur à formis per fermenta, ut dicetur, non autem ab istis atomis non existentibus.

Tertio dicunt, Atomos qui possunt dividi, non habere inane in se, sed omnia concreta, prout sunt duriora vel molliora, plus aut minus vacui possidere: quod non dixissent, si attendissent, quod ex eorum placitis necesse sit atomos rarefieri. Nam dicunt ignem, formas, spiritus animales brutorum, effluvia magnetis, succini, &c. fieri ex flore materiæ, & ex atomis multò subtilioribus quàm sunt corpora reliqua. Hinc sequeretur corpora, quò compactiora & duriora, & plus materiæ participarent, eò esse activiora. spiritus formas, &c. quia multum vacui possident, esse minus activa: quia vacuum nihil est, nihil autem nihil activitatis habet. Præterea idem seipsum informaret: nam raritas & densitas non inferunt differentiam specificam, &, si spiritus animales perciperent omnia in brutis, (nam illos ab anima, & animam à temperamento non distinguunt) simile à simili perciperetur, nempe atomi subtiliores, qui sunt anima, perciperent alia sensibilia ex atomis minus subtilibus.

Quartò dicunt, atomorum conjunctione res omnes generari, & segregatione corrumpi & interire, atque inter se vario modo agitatos, conjunctos, segregatos, & dispositos, proprietates omnes naturæ originare, explicare, & ab innata sibi gravitate moveri, asscribentes iis proprietates generales, nempe magnitudinem, figuram, identitatem substantiæ, gravitatem, atque etiam proprietates specificas, ut sunt diversæ species figurarum, planities, acuties, angularitas, asperitas, obtusitas, orbicularitas; & dicunt istas omnes congenitas esse proprietates, & inesse iis qua tales. Alias etiam

ascribunt iis proprietates, quæ possunt abesse vel adesse; & quæ insunt quatenus concurrunt ad generationem & corruptionem concretorum, ut sunt concursus, positio, connexio, ordo, numerus.

Quæro primo, si magnitudo, figura, & cæteræ proprietates generales, & proprietates specificæ, ut sunt figurarum species rotundæ, oblongæ, orbiculares, hexaedron, &c. inter se concurrant, connectantur, &c. an nunquam aliam aliquam qualitatem ab iisdem diversam generabunt? Nam magnitudo, gravitas, figuræ diversæ, ut planities, angularitas, &c. diversas dimensiones secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem producent: at nunquam odores, sapores, colores, atque alias qualitates manifestas aut occultas (ut loquuntur) licet iis etiam jungatur calor (quem aliquando atomis à creatione impressum, aliquando à motu atomorum levissimorũ oriri volunt) nam qualitates sibi similes qualitates generant, neque alias, ut calor calorem tantum per se producit; item diversæ species figurarum connexæ vel disjunctæ diversas figuras producunt, præterea autem nihil. Licet in istis absurdi superlative sint, tamen dicunt se melius aliis Philosophis explicare naturæ phænomena. At si interrogentur, unde procedat sensatio in brutis, dicunt à varia connexione & concursu atomorum subtilissimorum inter se. Si autem interrogentur, qualis vel qualium sit sit concursus, vel quare à concursu horum potius quam aliorum, δηλοι, ipsis fatentibus in obscuro latet. Neque similitudo desumpta à connexione, ordine, & transpositione literarum Alphabeti aliquid evincit præter hoc, ut ex istis literis variæ apparitiones fiant à diversis positionibus, & variæ syllabæ & verba fere innumera, à diversis connexionibus, sic dato quod sint atomi, & quod habeant tales proprietates generales & speciales per connexionem, congregationem & segregationem, diversæ erunt & pene innumeræ species figurarum, sed quid aliud nobis adhuc incognitum?

Quinto, ut probent atomos mirabiles posse producere effectus, hoc utuntur argumento satis fragili. In inanimatis relucent stupenda effecta, quæ à solo temperamento proveniunt. Ergò in brutis, judicare, meminisse, appetere, fugere, atque ejusmodi provenire possunt ab eorum temperamentis, id est à materia & qualitatibus vivacissimis, i.e. à materiâ & materia: & supponit actionem fieri ab inopinato, cujus contrarium probabitur, & dari temperamentum, cujus contrarium in præcedentibus elucet.

Sexto, dicunt species visibiles & odores fiere ex aporrhœa atomorum, & ut vitent hoc absurdum, corpora ista continuo minorari dicunt ex aliis corporibus alios in locum eorum substitui, obliti quod omne corpus constet tali & non alia connexione talium atomorum, ideoque atomi ex aliis corporibus vel non possunt apponi, vel si fit, mutabunt formam & colorem eorum quibus apponuntur, & sic nihil esset idem hodie cum seipso cras: videmus autem magnetem per multos annos emittere, nihil autem de pondere amittere, licet senio virtus ejus, nisi bene præservetur, labefactetur. Item videmus argentum vivum & antimonium millies aquam aut vinum imprægnare sine aliquo ponderis sensibili dispendio.

Quæ-

Quæro, cum in uno horto ſexaginta forſitan plantæ creſcant, utrum quælibet earum attrahat ſuccum ex tali atomorum commiſtione, quæ ſibi ſit conveniens, vel ſi ſibi conficiant ex uno ſucco materiam, alimoniæ. Si prius dixerint, omnia ſunt in omnibus cum Anaxagora, vel diverſæ plantæ ſucceſſive non creſcerent in uno numero loco, ſibi attrahendo ſuccos diverſos, v.gr. Bugloſſum & Aconitum, Fraga, & Abſynthium, ergo neceſſe eſt dicant poſterius, nempe ex uno ſucco conficere alimenta; & ſi hoc, tunc principium transmutativum plantis ineſſe fatendum eſt. Hoc principium igitur erunt Atomi, vel quid ab iis diverſum: non atomi, quia ſi omnes eorum qualitates tum generales, ut ſunt identitas ſubſtantiæ, gravitas. &c. tum ſpeciales, ut ſunt ſpecies figurarum diverſæ, tum accidentia communia, ut ſunt connexio, numerus, ordo, &c. nihil producere poſſunt per varias mutationes ſomniatas, ut dictum, præter accidentia ejuſdem ſpeciei, ut videri poteſt, ſi omnes complicationes poſſibiles qualitatum iſtarum percurras, ergo fatendum eſt, aliquid diverſum ab atomis eſſe in plantis, &c. transmutationis principium. Item ſupponendo viginti animalia ſpecie & proprietatibus diverſa uno cibo veſci, cum quædam ex eo faciunt venenum, quædam antidota venenorum, quæro utrum tot proprietates cibo, vel num rectius in ſingulis iſtis animalibus inerat fermentum transmutativum cibi in tot diverſas ſpecies, & multa alia iſtius furfuris, quæ brevitatis cauſa omitto.

Neque concipi poteſt, quomodo materia ſit ex ſe activa, & ſi hoc fieret, quomodo ex atomorum concurſu fortuito (etiamſi animati eſſent) eſſentiæ rerum, quas fixas eſſe conſtat, unde differentiæ ſpecificæ oriuntur, coaleſcere poſſunt?

Alia ſententia eſt *Helmontii* aſſerentis, in omni compoſito dari formam, & eam diſtingui pro gradibus rerum diverſis. Primus gradus eſt eorum quæ formam eſſentialem habent, ut in lapidibus, marchaſitis, metallis, vegetabilibus effætis, & eorum partibus, oſſibus aridis, &c. Secundus gradus eſt eorum, quæ formam vitalem poſſident, ut in plantis creſcentibus. Tertius gradus eſt eorum, quæ formam ſubſtantialem habent, ut in ſenſitivis. Quartus gradus denique eorum, quæ ſubſtantiam formalem habent æternæ durationis, ut in creaturis rationalibus. Illâ forma ſemper exceptâ, dicit reliquas eſſe medias inter ſubſtantiam & accidens, & creaturas neutras, & eſſe de proſapia luminis & ſpecie diſtingui, eas autem non generari, aut ex materia per ejus diſpoſitiones produci ac fabricari (generationes rerum omnes cauſæ efficienti aſſcribens) ſed ex nihilo à Deo creari, qui pater eſt luminum, & in inſtanti creationis in materiam à fermento prius diſpoſitam infundi, & ex materia & forma per fermentum compoſitum fieri, vid. vel animal vel vegetabile vel minerale, quæ vocat producta ſeminalia, & dicit corrupto compoſito formas ſponte annihilari, & hæc ſententia licet veritati magis conſona ſit, tamen multis haud levibus ſcatet erroribus. Et primo, hæc diſtinctio (omiſſa ſubſtantia formali) in formam eſſentialem, vitalem, & ſubſtantialem inepta eſt, quia omnia formam habentia vivunt & ſentiunt, licet alia obſcurius, alia luculentius, gradus autem rei non infert

 diffe-

differentiam specificam, ideoque si unum habeat formam substantialem, alia habere necesse est. Nam inferendo animalia, quia vivunt & sentiunt, habere formam substantialem, tunc, si omnia sentiant, ut infra probabitur, omnia habebunt formam substantialem. Secundo, dicere formas omnes specie diversas de novo semper creari, præter quod contradicit sacræ Scripturæ, dicenti Deum sex dierum spatio totum opus creationis finivisse: vult Deum immediate præsentem esse in productione cujusvis muscæ, apis, crabronis, sine concursu causæ secundæ, confundens modum productionis animæ humanæ, cum productione talium vilissimorum ex sterquiliniis productorum. Præterea dicit formas annihilari per se aut per accidentia, cum tamen neget accidentia posse eas producere, & tamen requiritur eadem potentia pro annihilatione, quæ requisita erat pro creatione.

In tanta rerum caligine liceat mihi (candide lector) libertate philosophica uti, ut inter alios sententiam meam liberè proferam, ad quam stabiliendam primo repetenda sunt quædam de fermentis, nempe inesse aliquid locis omnibus iis coævum & concreatum subjectatum in odoribus vel fracedine, quod præparat materiam ad suam ultimam perfectionem recipiendam ex unione cum forma, quam dari contra Atomistas probavimus, nec educi ex materiæ potentia aut dispositionibus contra Peripateticos, nec de novo creari, & rursus annihilari sua sponte contra Helmontium. Ne asymbolos videar repetenda primum sunt quædam exempla 1. Saliva canis rabidi ex morsu carni impressa, hominem, boves, oves, canes, equos, corvos, gallos gallinaceos, &c. rabidos reddit, & mores & gesticulationes canis, latrando, ringendo, aquam timendo, &c. habent.

Item comedentes cerebrum Cati ejus mores induunt.

Tarantulæ ictus reddit homines & bruta Tarantulis similes, inquietos, & in motu perpetuo saltantes.

Ferino sanguine epoto ferini mores induuntur.

Carnes animalium rapacium, ut lupi, corvi, aquilæ, accipitris, vulpis, leonis, si sæpe comedantur, mores proinde eorum in aliis generant: ut carnes leporis sæpe comestæ, qui timidum & melancholicum est animal, eadem producunt in homine symptomata.

Aspidis morsus præter alia prava symptomata gesticulationes ipsius serpentis inducit, ut sunt cerebri hiatus, volutatio corporis & membrorum, &c.

Lascivientium animalium carnes, ut sunt passeres, schinci, &c. lascivos reddunt omnes comedentes, ut missas faciamus mutationes factas in hominibus & brutis per vegetabilia & mineralia.

Hisce igitur positis, dico 1. Quando anima sensitiva hominis (nam animam immortalem & rationalem ista venena non attingunt, saltem immediatè) & brutorum demorsorum, punctorum, & pastorum supra dictis, easdem operationes habent, quas canis rabidus, tarantula, catus, aspis, lupus, &c. & non solum operationes vitales, sed & naturales mutantur, ut videre est in hydrophoborum urinis scaten-

tibus

tibus vermibus, capitibus caninis, & tarantismo affecti, aliquid simile telis aranearum in urinis & excrementis habent. Fatendum igitur est, vel duas in illis esse formas, nempe formam, canis, bovis, corvi, &c. vel esse animam canis rabidi, &c. à qua proveniunt tales operationes, & sic de cæteris judicium esto. Fatendum est aliter operationes canis rabidi non ab ejus forma fieri, sed æque bene à forma galli, bovis, ovis, &c. fieri posse. 2. Fatendum est, formam canis rabidi non esse in saliva ejus, nec sic posse transplantari. 3. Fatendum est, quod boves, oves, galli gallinacei, &c. demorsi non careant propriâ forma, & ut anima canis non est in saliva ejus, sic neque anima tarantulæ est in veneno ejus, neque in carne animalium rapacium aut ferarum sanguine, &c. aliter ad generationem non opus esset semine, nec sexuum diversitate, quod absurdum, etiamsi animæ fierent ex traduce.

Consequens igitur erit, (cum operationes quæ fiunt in bove, corvo, &c. demorsis à cane, sint prorsus eædem cum operationibus canis rabidi. (& sic de cæteris exemplis) nec anima canis, tarantulæ, &c. possit transplantari per morsum aut puncturam, aut si possibile esset, eam transplantari, tamen illic essent duæ animæ simul & semel in qualibet parte corporis, & reliqua absurda) animas brutorum prorsus easdem esse nec distingui specie ex se & sua natura, omnem autem distinctionem fieri à diversis fermentis supervenientibus. Animam autem vegetativam non distingui à sensitiva, demonstrant animalia quæ fiunt in arboribus, ut sunt Buprestis in pino, cantharides in fraxino, erucæ, papiliones, nam materia & forma arboris pini à fermento buprestis superveniente, mutatur in Buprestim, remanentibus forma & materia arboris, sed aliter operante in bupresti quam in arbore.

In vegetativis id palam videtur, nam herbæ cordiales apud cavernas serpentum veneni serpentini dotes explicant, item vinum laxativam vim accipit à Mercuriali remanentibus eorum formis non mutatis, cujus rei innumera fere exempla proposuimus in fermentorum distinctionibus. Fermenta igitur formas rerum reddunt sequaces, & pro diversitate fermentorum diversificantur operationes, & consequenter formæ actionum authrices. Haud aliter sol durat lutum, & liquefacit ceram, & per fenestram vitream splendens variis caloribus depictam, vid. rubro, cæruleo, flavo, viridi, nigro, &c. pro diversitate colorum diversificatur sol ipse immutatus in sua essentia.

His positis demonstrationibus, ut videtur, satis sensu perceptibilibus, cum dari formas substantiales nullus (Atomistis solum exceptis) dubitet, neque aliquo ex prædictis modis fiant aut producantur, ut probatum, nec specie differant magis quam materia unius rei & alterius, consequens formam dari universalem (animâ hominis immortali & rationali semel & semper exceptâ) sicut datur materia talis, in principio creatam, immaterialem, neque dimensionum vinculis astrictam, per totum mundum extensam entitativè (hic obscure vivens in vegetabilibus effætis, illic clarius in vegetabilibus crescentibus, illic sentit in animalibus, illic minerascit, & sic de cæteris) licet non quantitative, rebus quibuscunq; divisibilibus indivisibiliter præ-

 sentem,

ſentem, & in omni generatione & corruptione, quæ potius mutationes dici debent, nulla eſt productio novæ entitatis aut deſtructio propriè ſic dicta, & licet variæ ſint transmutationes, tum quoad qualitates, remanentibus quibusdam qualitatibus: tum quoad formam & figuram, remanentibus quibusdam qualitatibus: tum quoad figuram & formam & omnes proprietates, tamen id ſolum à fermentis varie materiam diſponentibus provenit, quod forma ſit ſuſceptiva tot diverſarum mutationum, in ſe tamen non mutatur. Nam ſi dentur operationes & qualitates omnium rerum quibus ab aliis diſtinguuntur, neque aliter diſcerni queunt, ut ſunt ſapores, odores, colores, &c. & ſi mutatis iſtis ſemper mutaretur forma: vel ſi quando plures diverſæ qualitates inſunt uni rei, tot eſſent diverſæ formæ, ut quando vinum laxativam facultatem accipit à mercuriali, quando caro porcina piſces redolet, &c. tunc formæ rerum, quas ſtabiles eſſe & permanentes conſtat, eſſent in perpetuo fluxu, & ſemper differrent à ſeipſis, & diverſæ formæ imo contrariæ unum compoſitum informarent, quod ſuperlative abſurdum. Neque hinc tollitur diſtinctio animæ humanæ immortalis ab animabus brutorum: nam anima hominis ex ſubſtantia cœleſti creatur, & in inſtanti generationis à Deo Patre luminum infunditur: animæ autem reliquorum, vegetabilium, brutorum, mineralium, ſimul cum materia creatæ ſunt, & cum materia ſit incorruptibilis, quod à forma accipit, ut ſit hoc aliquid, quid abſurdi etiam eſt, ſi dicatur formas eſſe incorruptibiles? Præterea de fide credimus, in die extremi judicii mundum non annihilatum iri, ſed tantum renovari ſecundum Apoſtolum, *Heb. 1. v. 11. 12. Rom. 8. v. 19. 20. 21.* at animæ ſeu formæ brutorum, &c. ſunt mundi pars integrans, ideoque contra Apoſtolum aut annihilabitur mundus, aut formæ iſtæ non peribunt.

Igitur in animalibus, vegetabilibus, mineralibus, iisque effætis, & in oſſibus aridis, & omnibus rebus & locis mundi, ubi fermenta gliſcunt, adeſt forma. Nam nulla eſt res tam mortua, quæ ſenſus aliqualis vitæ & conſequenter formæ non ſit particeps, neque ullus eſt locus mundi, ubi operationes animæ non ſentiuntur per vegetationem, nutritionem, ſenſum evidentiorem aut obſcuriorem, ut probabitur inductione ſingularium. Cum igitur res quæ mortua prorſus videtur agit, actio non eſt ſolius fermenti, ſed eſt formæ per fermentum in materia, ideoque ſequitur tot eſſe gradus formæ participandæ, quot ſunt gradus rerum quas informat, non quod forma in ſe habeat gradus (nam accidens non eſt) ſed quòd pro majori aut minori perfectione rerum per fermenta diſpoſitarum luculentius aut obſcurius percipiatur in ſuis operationibus, nam omnia quamdiu ſuis fermentis non omnimode deſtituuntur, aliqualiter ſaltem formæ capacia ſunt, ut videre eſt in quibusdam rebus quæ mortuæ prorſus videntur, tamen certò vivunt, & ſibi ſimile in ſpecie producunt, ut Conchylia exſiccata, contrita, & in arena ſeminata alia producunt, ſerpens mortuus ſeminarium aliis ſerpentibus, *Raphani* minutim conciſi, & terræ commiſſi, *Raphanos* producunt, & ſic de cæteris ejusmodi. Senſu etiam atque imaginatione pollere ea quæ maxime mortua videntur, experientia irrefragabili conſtat.

Nam

Nam cum quatuor ſint gradus rerum in natura, uti prius dictum, (de ſenſitivis & rationalibus nullum eſt dubium) igitur de duobus aliis, nempe de vegetabilibus vivis & de effætis, atque animalium partibus & mineralibus. 1. In partibus animalium demortuis, ut *Phyſa* piſcis, & *hirundo marina* retinent etiam exſiccatæ poſt mortem, virtutem ſe convertendi ad eam plagam cœli ex qua ſpirant venti, qua qualitate pollebant piſces viventes. Concepta inimicitia *ovi* cum *lupo* remanet in pellibus & inteſtinis, ut ſuperius dictum. Item inimicitia remanet in pennis à morte, ut videre eſt in aquilarum pennis & cæterarum avium, ſic ſtragulum ex pelle voracis Gulonis efficit ſomnia de epularum voracitate. 2. In metallis, ut videre eſt in magnetiſmo inter *aurum & mercurium*, inter *magnetem & ferrum*, inter *polum & magnetem*, item in antipathia inter *lapidem Theamedem & ferrum*, & cætera ejusmodi multa in exemplis. 3. In vegetabilibus effætis, ut armilla ex corallo rubro, ſi carnem mulieris hyſtericæ aut fluxu menſtruo laborantis tetigerit, palleſcit & obſcuratur; attactu autem carnis bene valentis priſtinum recuperat ſplendorem, fraxini ſuccus retinet qualitatem reſiſtendi morſibus ſerpentum, quæ inerat arbori dum vegeta erat, in ſuccis Braſſicæ & Vitis remanet Antipathia eadem quæ inerat frutici & herbæ creſcentibus. 4. In vegetabilibus creſcentibus, ut in filice & arundine, &c. in exemplis prædictis. His poſitis ad demonſtrandum procedo. In quibuscunq; effecta ſenſus clariſſime elucent, illa revera ſentiunt. At in animalium partibus, metallis, lignis aridis, vegetabilibus vivis & effætis, effecta ſenſus clariſſime patent, ut ex exemplis clariſſime conſtat. Ergo; &c. Minoris ratio eſt, amor, complacentia, hoſtilitas, repugnantia, ſunt effecta ſenſus, & hæc in iis reperiuntur: Ergo, &c. Probatur, ubicunque ſunt motus, inclinatio, tractio, fuga, expulſio, declinatio, averſio, ibi eſt amor, hoſtilitas, &c. At iſtis rebus talia effecta cernuntur, Ergo omnibus rebus ineſt ſenſus. Cum nihil ſit in toto naturæ amplexu quod non ſui conſervationi ſtudeat, nam philautia cubat in gremio naturæ, ideoque omnia ſenſu pollere neceſſe eſt, ut adjuvantem à lædente diſtinguant, & non ſolum ut ſenſu polleant, ſed etiam electionis quadam ſpecie, ut magnes præſentibus duobus objectis, nempe alio magnete & ferro, ad unum neglecto altero ſe convertit, iſtud voca inſtinctum vel ut libet, modo res ſit, non erimus ſoliciti de nominibus, nam nomina ſunt propter res, non contra.

His igitur poſitis, nempe dari formam univerſalem, & proinde formas rerum (forma hominis ſemper excepta) non differre ſpecie; & omnia, imo ea quæ videntur mortua, habere formas, & proinde ſenſum & vitam, & per ſenſum & vitam ſui conſervationi ſtudere, percipiendo hoſtem, quia ab eo timet ſuam deſtructionem vel partialem aut totalem transmutationem, ab eo declinat, & in adverſum flectitur, percipiendo autem amicum, cujus ſodalitio quaſi roboratur & confortatur cum intuitu lucri & voluptatis, quaſi ad eum inclinat, ut mutuis amplexibus conſortio mutuo fruantur, ut videre eſt in *Vite & Braſſica, Nymphaâ & Ranunculo, Aſparago & Arundine, &c.* Conſequens igitur erit omnem omnino conſenſum aut diſſenſum rerum, utrum ſit in diſtans immediatione virtutis, aut per contactum immediatum

ſuppo-

suppositi, per motum localem trahendo vel pellendo, aut per simplicem (ut loquuntur) alterationem, à sensu rerum mediante fermento dependere, & ab hoc fonte unice originari. Nam omnes res intra spæras sensationis (quæ variæ sunt) positæ, per fermenta in se invicem agunt, adjuvando, transmutando, vel destruendo, ut prius dictum.

Sicuti philtra seu potiones amatoriæ, quæ fiunt ex spermate, menstruo sanguine, radicibus aut seminibus herbarum, aut animalium partibus, qualia sunt *Orchis* species, *Eringium*, *Erucæ*, *passeres*, *Schinci*, testiculi animalium salacium, sudore hominis irrigata, & sic exhibita, conciliant amorem, ita ut comedentes sequi cogantur eum cujus sudore imbuta sunt. Sic caseus detentus sub axilla hominis, donec madescat, si canibus exhibeatur, eos sequaces reddit. Sic avis *Cacavora India* sequitur continuo aves, quarum stercore pascitur, & ratio est, quia in sudore, stercore, aut spermate restat tinctura saltem fermenti ejus, ex quo decidua sunt, quo fermentantur humores, partes, spiritus, &c. recipientium, & consequenter formæ redduntur sequaces istius fermenti, uti dictum. Et cum quisque seipsum amat, & pars suo toti conjungi gaudet, pars ista fermenti in philtro, &c. recepti gaudet conjungi cum homine, ex quo venit, & animam recipientis quasi secum rapit, ideoque amborum animæ eodem modo operantur in duobus corporibus ratione unius fermenti symbolizantis, & sic compatiuntur. Sic spiritus sanguinis alicujus viventis, vitro hermetice clauso, impositus monstrat sanitatem & morbos ejus, cujus est sanguis, licet longe absentis, mutatione coloris in turbidum, lividum, clarum, rubrum in *Febribus*, *Ictero*, *Melancholia*, *&c.* Sic vegetabilia & mineralia intra suas sphæras posita, quorum fermenta symbolizant, neque se mutuo transmutant aut destruunt, &c. sed se amice amplectuntur, ut *caprificus ficum*, *Palma mas fœmellam*, *magnes ferrum*, & mutuo sodalitio gaudent, ut *Nymphæa & aqua*, *lilia & rosæ*, *&c.* vel contactu radicum seu suppositi, aut contactu virtutis ex iis effluentis fermentum unius conjungitur cum alterius: & sic unum alterius redditur sequax, aut ambo ad seinvicem inclinant, aut mutuo consortio gaudent, ut prius dictum de philtris.

Antipathia, seu odium, fit contra inter ea, quæ fermenta habent asymbolica & mutuo se ligant, transmutant aut destruunt & discordant ratione locorum, in quibus fiunt aut dissimiles effectus producunt. Et, licet ea, quæ mutuo se destruunt, &c. non possint compati per symphatiam aut se invicem amare in tota specie, tamen particularia individua, quæ maximam antipathiam exercent, possunt longa consuetudine consentire, ut patet in purgantibus crebro exhibitis alicui: nam non solum non deturbant humores, sed sunt quasi cibus ordinarius. Sic quidam usu continuo veneni eodem utuntur sine noxa, ut in Mithridate, sic tigres, ursi, leones, lactantes lactis mulieris continuo usu cicurantur: at hæc sympathia perit cum individuo, nec ulterius ad totam speciem extenditur, sed verisimile est sympathias & antipathias quæ omnem speciem & singula ejus individua complectuntur, provenisse ex fermentis locorum se mutuo penetrantibus & afficientibus ante productionem alicujus individui.

Atque

Atque hæc dicta sufficient de causis amoris & odii, inter ea quæ agunt per contactum molis & per contactum virtutis, intra certam sphæram; de iis autem, quæ *in distans* agunt ulterius inquirendum, quorum scrutinium multorum clarissimorum virorum hactenus tot sit ingenia, magneticam virtutem appellantes, similitudine sumpta à virtute magnetis. Quidam dicentes fieri per modum soni adæquate clausa corpora in momento penetrantis. Quidam per expirationem effluviorum vel Actionobolismum, ceu qualitas odorifera herbarum. Alii dicentes, esse facultatem influentiis similem, agentem per irradiationem in objectum sibi appropriatum: alii per phantasiam ecstatice suscitatam, alii denique ab atomis. Quarum sententiarum celebriores, ut veritas magis elucescat, hîc exanimare statui: sed quia sympathiæ ab amore & odio, & amborum à magnetismo nulla adhuc posita est distinctio, ideo breviter de iis agemus.

Ex omnibus exemplis prius descriptis, in diversis complicationibus sympathiæ & antipathiæ, liquet, ea quæ in se invicem agunt, sive id sit adjuvando, corroborando, trahendo pellendo, inclinando, aversando, destruendo, & transmutando diversimode, vel certas suarum virium & actionum spæras agnoscunt, vel nullum intra mundi polos terminum sibi positum habent. Quæ sphæram agnoscunt, vel operam in distantia certa (ut *magnes* attrahit *ferrum*, *succinum Gagates*, *Mastiche* paleas & festucas, & ea quæ consortio mutuo delectantur, ut *nymphæa & ranunculus*, *lacerti & homines*; vel consortium mutuum aversantur, ut *Brassica & Vitis*, *Cervus & Aries*, & sic de cæteris ejusmodi) vel operantur per contactum molis tantum, & ea vel exterius tangunt, ut *caprificus & ficus, palma mas & fæmella*: vel internè exhibita, ut venena & alexiteria. Ea quæ nullum terminum suarum actionum agnoscunt, vel uno affecto afficitur alterum, ut in exemplis de spiritu vel sale sanguinis cum sanguine, & de vino florente cum vino in cadis, &c. vel uno affecto non afficitur, ut *magnes & polus*, *heliotropia & Selenitropia* varia cum sole & luna, nam affecto polo non afficitur magnes, & econtra, &c.

Helmontius dum distinguit Magnetismum à Sympathia & Antipathia, dicit omnem magnetismum esse Sympatheticum vel Antipatheticum, sed non è contra omnem Sympathiam & Antipathiam esse magnetismum, sed verbi gratia, cum *quercus oleæ* adversatur, *Vitex Satyrio*, *Nymphæa hyperico*, & *Asparagus arunines* amat, *rura ficum*, & sic de cæteris. Quando uno affecto ab aliqua re lædente aut juvante non afficitur alterum, non proprie Sympathia dici potest, sed amor aut odium, discordia aut concordia; Sympathia autem proprie sic dicta est, quando aliqua duo amoris vinculo ita conjuncta sunt, ut affecto uno per compassionem afficiatur alterum, sive id sit in distans (ut sevum ursinum repositum in vase clauso augmentatur eò tempore quo ursi in latibulis suis pinguescunt, terra ex Nilo sumpta fit gravior eo tempore quo fit Nili inundatio mense Julio, pilorum pellis phocæ erectio eo tempore, quo fluit mare, item spiritus sanguinis humani morbos ejus, ex quo extractus fuit sanguis monstrans mutatione coloris, item testacea omnia longe à mari eo fluente

aperiuntur, refluente clauduntur, & infinita fere similia) sive contactu mutuo ut *palma mas & faemella, caprificus & ficus, &c.* Exemplo res erit manifestior, v.gr. Spiritus sanguinis, in quavis distantia servatus in vitro hermetice clauso, & sanguinis reliquus in venis ejus, de quo desumptus erat per Sympathiam compatiuntur: nam si exhibeatur aliquid homini quod male eum afficiat, mutant spiritus in vitro suum colorem; si verò exhibito antidoto homo à morbo liberatur, liberantur & spiritus sanguinis in vitro recuperando pristinum splendorem, illic Sympathia est inter spiritus sanguinis in vitro & in venis, discordia autem inter hominem & venenum, vel venenum & antidotum, concordia seu amor inter hominem & antidotum. Omnia igitur quæ concordant aut discordant, non exercent Sympathiam vel Antipathiam proprie sic dictam, neque Sympathia magnetismus dici potest, nam licet magnes agat in distans, & quoad sphæram attractionis & virtutis ut Sympathetica; tamen neque magnes neque polus afficiuntur ab alterutrius affectione, ut dictum, sicuti Sympathetica. Igitur cum amores & odia rerum, nominibus Sympathiæ & Antipathiæ appellantur in principio hujus tractatus, id tantum abusive, non stricte & philosophice loquendo. Hoc serio etiam notandum quod Sympathia illa quæ ad distantissima terminatur, semper est inter partem & totum, amores & odia non semper sic. Deniq; ut summatim repetam convenientiam & disconventiam inter magnetismum, Electricismum, amorem & odium, fascinum & ligationem, sympathiam, & antipathiam, sic habe; Magnetismus in hoc concordat cum Electricismo, amore & odio, quod agat intra certam sphæram attrahendo & repellendo, & discordat cum electricis, quod ea quæ attrahit aut repellit participa reddit suæ virtutis: Electrica autem non sic, sed ea quæ se amant aut oderunt inter vegetabilia &c. vel se amplectendo, ad se invicem inclinando, aversando, &c. mutuo communicant sibi virtutes; Virtus magnetis ad ferrum & ferrea ad alium magnetem tantum se extendit, virtus electrica attractiva ad omnia se extendit. Electrica corpora indigent, ut plurimum, frictione ut bene trahant; Magnes vero & ea quæ exercent odium vel amorem, non, virtus magnetis penetrat omnia, etiam compactissima & durissima corpora: Electrica vero interposito aliquo corpore non trahunt neque ea, quæ odium aut amorem exercent. Denique magnes non solum habet orbem attractionis, quo intra certam sphæram agit, sed etiam habet orbem virtutis convertendo se semper ad polum in quavis distantia, qua concordat cum heliotropiis & Selenitropiis, quæ semper se convertunt ad solem & lunam, vel singulis diebus, vel annuum eorum cursum sequentia. Sympathetica vero cum amore & odio specialiter sic dictis concordant, quod se invicem alterent: cum magnete vero Heliotropiis, & Selenitropiis, quod agant in distans & penetrent adæquate clausa corpora, neque dimensionem legibus astricta. Et præterea hoc habent sibi peculiare, ut uno affecto bene aut male ab eo cum quo concordat aut discordat, eodem modo efficiatur aliud in distans: ligatio autem & fascinum fit inter ea quæ se mutuo amant vel oderunt. Atquæ hæc de distinctione Sympathiæ, amoris & odii & magnetismi dicta pro præsenti sufficient. Nunc veniunt

niunt istæ opiniones examinandæ de actione in distans. Et primo, *Van. Helmont.* ut inveniat causam ejus, dicit in homine exteriori, id est, sanguine & spiritibus esse potentiam quandam ecstaticam, & non solum in homine, sed in brutis, vegetabilibus, & eorum partibus etiam à morte, quæ cum somnolenta sit, excitatione indiget ab imaginatione accensa à vehementi desiderio, aut arte aliqua pari, ut in unguento aut pulvere sympathetico virtus ecstatica in sanguine extravenato in paxillo, excitatur ab unguento, & exugit noxam ex labris vulneris ejus, cujus erat sanguis, & ut ista actio vehatur in distans, dicit latere in universo spiritum quendam, quem magnale magnum appellat, qui sympathiæ & dyspathiæ leno, confabulator, & actionum promotor existit, & ratione cujus magnetismus (ut dicit) ad distans objectum tanquam vehiculo extenditur, quod probat magnetismo chordarum duarum testudinum in unisono concordantium, quod pulsata una in distans subsilit altera cæteris immotis, &c.

Sed contra hanc opinionem dico primo, eum ponere entia sine necessitate, nam ut tales operationes fiant, non est opus fingere istum spiritum diversum à formis, quem magnale magnum appellat, & proinde non probat dari, neque cum principiis ejus consonat; nam animam mundi seu formam universalem dare negat, cum dicit omnem distinctionem specificam à formis immediate oriri, dicendo formas esse lumina & specie differre, & à patre luminum in instanti generationis de novo creati, & rursus annihilari ab accidentibus vel sponte, & quid sit istud magnale, nisi animam mundi vocitet, vel cui usui inserviat ex principiis ejus, etsi daretur, certe confiteor me non capere. Secundo, etsi daretur quod talis spiritus existeret, & leno esset istarum actionum, impossibile esset vegetabilia, animalia irrationalia & eorum partes emittere suas phantasias ad tantam distantiam, licet concedamus omnia vivere, & consequenter sensus aliqualis & phantasiæ participa esse, tamen cum ea quæ vivunt magis manifeste ut animalia, & quæ ratione utuntur ad tantam distantiam suâ phantasiâ non pertingant, neque operantur, quomodo possunt talia sic operari, nam quibus nobilior phantasia obtigit, ea est magis operativa; quod adfert exemplum de chordis instrumentorum in unisono concordantium, si à phantasia vecta magnali, ut vult, fieret, in quavis distantia perciperetur, & ubicunque una pulsaretur in quavis mundi plaga chorda, illi unisona moveretur, quod absurdum est, & experientiâ constat, quod in certa tantum distantia concordant, ut extra eam non percipiatur motus, quod verò dicit de phantasia venenatorum animalium, & vegetabilium transmutante nostram in suam, ut phantasia canis rabidi, Tarantulæ, & phantasia aconiti assumpti transmutante nostram in *anates, anseres, & mergos*, etsi concederetur verum esse, nihil infert de magnetismo phantasiæ ad loca distantissima, nam in omnibus istis requiritur vel contactus molis vel virtutis intra certam sphæram, at interim non negandum est, phantasiam hominis circa rem unice desideratam vehementer occupatam, licet longe distet, eam aliqualiter adumbrare coram sistere, & in rem cupitam quasi transformari, sed quod phantasia ecstatice susci-

ce suscitata mille leucas ad rem desideratam vehatur non facile inducar ut credam, cum exempla ab ipso allata nihil tale convincant. Exemplum quod adfert de puero quodam in civitate Juliensi ex Martino Delrio, qui vehementi desiderio flagrans videndi parentem in exstasin raptus, vidit eum multis miliaribus distantem. Dico, ut supra, quod parens repræsentatus fuit ei sub aliquali adumbratione, non vero, quod ejus phantasia, relictis organis corporeis, per quæ agit, & sine quibus non potest operari, ad tantam distantiam veheretur: exemplum autem quod adfert de acu notante polos sine contactu magnetis nihil infert, nam virtutem eam provenire ab ipsis polis, & à virtute telluris magnetica pulchre demonstrat *Kircherus*, non vero ab imaginatione facientis, aliter non opus esset, dum adhuc candet ferrum, ut una extremitate ad Austrum, altera ad Boream directe locaretur; Et non solum acus, sed & omne ferrum hoc præstaret: & præterea videtur ista vis conversiva ad polos in lateribus, qui diu ~~in~~ pavimento fuerunt sic locati, ut uno extremo Boream, alio Austrum respicerent: & tandem etsi concederetur, quod phantasia ecstatica ad distans veheretur, tamen non operaretur per se in amicum vel inimicum, inferendo tot diversas compassiones, ut fit in Sympatheticis, cum omnes actiones (præter ea quæ sunt animæ propria) fiunt à fermentis.

Nisi fere omnibus in ore esset, phantasiam ex se omnium rerum transmutatricem esse, plura nunc non adderem: idcirco ob hanc solam rationem pauca de ejus actione, per transennam breviter attingere, opere pretium duxi; quod ut melius fiat quædam ejus exempla describam. Sic autem se habent:

Panni diversorum colorum avibus aut aliis animalibus tempore vel coitus, conceptus, vel incubationis, antepositi, pullos & fœtus diversi colores reddit, ut Jacobo contigisse legitur, *Genes. 24.*

Cervi, lepores, conturnices, perdices, vaccæ, oves, à colore nivis in septentrione & in Alpibus dum coeunt, pullos & fœtus generant albicantes. Sic *Æthiops* sæpe à muliere tempore conceptus visus nigrum fœtum causat, &c. ejusmodi.

Ex diuturna corporis circumgyratione, item rotarum vel aquarum & similium celeri motu, fit vertigo.

Asari folia, item *Ebuli & Sambuci* extremitates, servant sibi impressum characterem à carptionis sensu, nam sursum evulsa vomitum causant, deorsum excerpta per secessum purgant.

Sanguinis fluentis aspectus pusillanimis lipothymiam causat, cum oscitantibus oscitamus, affligimur cum afflictis, ad cantantes canturimus, cum mœstis mœsti, cum lætis læti sumus, &c. ejusmodi.

Medicamentum Narcoticum contrariis motibus in mortario pistillo circumactum, imprimit easdem species cerebro accipientis, & inquietum somnum adfert.

Sanguis occisi ad præsentiam occisoris è venis exilit, à sigillo vindictæ spiritibus impresso, ut fit in asari foliis, &c.

Figura

Figura cerasi quo percussa erat mulier prægnans, imprimitur fœtui.

Transformatur fœtus in glirem, murem, anatem, anserem, piscem, suem, canem, &c. vel totaliter vel partialiter, si mulier ab iis inopinato perterrita sit tempore conceptus.

Quodcunque edulii genus abhorrebat mulier tempore gestationis, aut conceptionis, abhorret ut plurimum fœtus toto vitæ tempore.

Quosdam purgativa solum visa vel odorata purgant.

Lippitudo alteri lippitudinem causat solo intuitu.

Aspectus vel odor maris quibusdam vomitum provocant, præcipue iis qui navigantes in eo vomitu tentantur.

Intuitus felis, carnis porcinæ, casei, aut nauseativæ cujusdam rei, &c. iis qui cum talibus assumptis odium exercent, lipothymiam causant.

Quando aliquid intense appetitur à prægnante, fœtus ejus figura pingitur.

Quando prægnantes non accipiunt id quod intense appetebant mancus vel mutilus fit embryo, &c. ejusmodi.

Hypochondriaci à specierum varietate phantasiæ impressarum varie delirant, nam quidam se putant esse reges, alii vates, alii vitreos, testas fragiles grana tritici à gallinis devoranda, alii ceram igne liquabilem, canes, feles, lupos, cuculos, luscinias, horumque aut aliorum animalium voces imitantur, alii se mortuos credunt nec edunt nec bibunt, alii mingere non audent, ne diluvium inde oriatur, alii se capite truncatos, alii ingentem se habere nasum, serpentes, ranas, catos, glires, mures, & alia animalia in ventre habere, & infinita insulsa similia.

Injuriæ illatæ species phantasiæ impressa causat rabiem.

Metus & horror subitaneus, gravidis abortum, aliis fluxum, aliis uteri suffocationem, hemicraniam, epilepsiam, & mortem sæpe attulit.

Quartana, tertiana, podagra, paralysis repente à terrore abiguntur, &c.

Ut ergo modum inveniamus quomodo hæc omnia fieri possint:

Notandum est omnia prædicta vel fieri à rerum præsentium & sensu perceptibilium motu, figura, defectibus, colore, odore, & aliis signaturis, fermentorum ἐνεργείᾳ dotatis: vel ex rerum absentium valida & forti cogitatione, memoria per species sibi prius inustas prædictas signaturas motum, calorem, odorem, &c. repræsentante vel à prolatione nuda, quæ omnia primo fiunt à charactere & sigillo odii vel amoris indelebili, spiritibus matris tempore conceptus violenter impresso, & in fœtum transplantato, quod sigillum non solum resuscitatur à visu, gustu, aut odoratu talis rei, sed si forte sit sigillum odii, & pars cum qua discordat debilis, vel nuda denominatio rei exosæ sigillum prius impressum somnolentum excitat, verb. grat. si mulier conceptus tempore vomituriebat à conspectu alicujus rei nauseativæ ab impresso spiritibus ejus, humoribus & consequenter fœtui, (dum humores ei in alimentum cedunt) sigillo odii spiritus stomachici fœtus, vel à sola denominatione istius rei figuram ejus pingunt, & ab ista figura præsenti excitatur sigillum odii prius

 impres-

impressum, à quo sic excitato conturbantur spiritus stomachici, & subsequitur vomitus: sic etiam de iis quæ lipothymiam vel tremorem faciunt vel sudorem, ut prolatio carnis porcinæ & similium, dicendum.

Secundo quædam fiunt ab excellenti & vehementi passione, aut spirituum conturbatione, à tali re prius læsorum, uti continget, dum vulnerati plagæ, non solum ad præsentiam vulnerantis, sed ad ejus nominis prolationem (specie depicta in spiritibus, qua excitatur sigillum vindictæ prius impressum) sanguinem plorant & recrudescunt; sic de sanguine occisi fluentis ad præsentiam occisoris dicendum.

Sic recordatio rei periculosæ vel abominabilis, tremorem facit & horripilationem.

Tertio quædam fiunt à vehementi assidua & fixa cogitatione rei amatæ aut exosæ, qua imprimitur species talis rei phantasiæ, spiritibus, &c. quæ species seu imago eodem modo operatur, ac si res ipsa præsens esset, unde pollutio nocturna à specie mulieris prius cupitæ, impressa spiritibus, sanguini, vasis spermaticis, &c. sic spectrorum apparitiones contingunt pusillanimis & perterritis pro specie aut figura imaginis, ab iis intense cogitantibus, in spiritibus impressæ, ita ut ab ipsis solum videantur, non vero ab adstantibus, nisi etiam illi cogitabundi & perterriti, eandem sibi imaginem in spiritibus depingant. Haud absimili modo, ab assidua & fixa cogitatione, hypochondriaci imaginem ejus rei sigillant in phantasia & spiritibus adeo firmiter, ut spiritus & consequenter ipsa anima operetur pro modulo istius imaginis, ut dum se putant esse reges, vates, canes, lupos, anseres, cuculos, luscinias, &c. gestus & voces eorum præ se ferunt, ac si essent tales, huc referendæ sunt noctambulonum actiones, adeo firmiter fixa est phantasia, circa imaginem sibi impressam rei desideratæ in somno, ut cogantur reliqua membra phantasiæ, sic in objectum propensæ prompte mandata exequi; huc etiam referenda sunt terrifica insomnia, & ephialtes seu incubus sub diversis figuris hominis, canis, cati, diaboli, &c. similia. Species seu imagines omnibus prædictis modis phantasiæ & spiritibus impressæ operantur, sicuti fermenta, rerum assumptarum aut exterius admotarum, nam si fortes sint spiritus nostros & consequenter animam sequaces reddunt.

Igitur cum motus motum imprimit, ut in exemplis de Medicamento Narcotico, de oscitatione, de Carptionis sensu in asaro, de sanguine occisi ad præsentiam homicidæ, &c. & color colorem generat, ut in exemplis de Æthiope, cervis, leporibus, perdicibus, ovis mutantibus colores suos à rebus præsentibus coloratis, &c. similia.

Et figura figuram sigillat, ut in cerasi specie in embryonem inusta, macula luniformi, item quando transmutatur fœtus in glirem, murem, piscem, &c.

Et defectus defectum imprimit, & redundantia redundantiam, ut cum prægnans appetit id cujus non fit particeps, & quando mutili à conceptu, mutilos generant, aut quando qui duplicia habent membra, tales generant, &c.

Et aliæ qualitates & signaturæ quæcunque tales producunt, ut in exemplo de virtute purgativa medicamenti aspecti vel odorati, de lippitudine, &c. omnia similia,

&cum

&cum præfata omnia non solum in conspectu & præsentia, sed & vehementer exosa & desiderata dum absunt, per recordationem, & nudam denominationem, memoria (ex suis speciebus prius impressis, in conceptione, vel à vehementia passionum, puta iræ, odii, terroris, amoris, &c,) ea repræsentante, ut fit in iis qui à nuda prolatione carnis suillæ syncopizant, aut à recordatione rei nauseativæ, puta mucilaginis, puris, Chymi, Chyli, & similium, vomunt vel nausea tentantur: & quando à vulnerantis non solum præsentia, sed denominatione vulnerati plagæ cruorem effundunt, & non solum quando characteres prius impressi erant in conceptione à specie, spiritibus & sanguini mulieris sigillata, aut à vehementia præteritarum passionum, sed etiam ab assidua super objectum aliquod cogitatione, imago seu species in spiritibus sigillata transformat hypochondriacos in canes, catos, vitrea vasa, grana tritici, saltem ut ipsi putant. Sequitur phantasiam per se non esse transmutatricem omnium rerum, sed quod species seu imagines rerum præfatis modis impressæ phantasiæ (quæ lucida cum sit, & diaphani ad instar speculi) similes species in ea producunt, istæ vero sic productæ similes in spiritibus sigillant, istæ similes in humoribus, & illæ similes in fœtu, stomacho, corde, capite, &c. producunt, & sic omnia producunt sibi simile; istæ autem omnes species sic impressæ retinent rei sensibilis fermenti tincturam, adeoque ab eo fiunt vel proximè (ut species rei coloratæ, figuratæ, moventis, purgativæ, deleteriæ,) vel remote, ut quando imago rei, vel denominatio, producit tales effectus, sicuti res ipsa præsens, virtute sigilli prius impressi. His adde ut supra sæpius dictum, per animam seu formam res tantum sentit & vivit, &c. non autem alterat, multo adhuc minus transformat; Ergo neque ejus unica potentia, phantasia, Præterea si phantasia talia per se faceret, poterit novam entitatem producere, quod soli creatori infinito optimo maximo competit, vel omnia rerum seminaria in se contineret, quod æque absurdum.

Ex his clarissime patebit, quomodo tum semen fiat, tum ex eo in utero generetur embryo, tum quomodo ab aliena specie impressa phantasiæ mulieris, transformetur in utero, quomodo autem impressiones omnes sigillantur in semine prius dictum, in discursu de generatione, igitur tempore coitus, fermenta in semine continet membra singula cum suis proportionibus, lineamentis & connexionibus, item colores, odores, sapores, dispositiones, inclinationes, gestus, nævos, maculas, defectus, redundantias, & seminaria morborum hæreditariorum, puta epilepsiæ, podagræ, apoplexiæ, &c. illabentem autem materiam ex matre in uteri cavitatem, omnes & singulæ istæ signaturæ sigillant suis characteribus, impermistis virtutibus, uti dictum prius de motu, defectu, coloribus, figura, &c. impressis imaginaitoni. Si autem mulier terretur inopinatò à glire, cane, vel pisce, sigillantur figura proportio & cæteræ omnes signaturæ gliris, &c. in imaginatione mulieris, quæ imprimuntur spiritibus, istæ humoribus, hi autem sic sigillati illabentes in uterum ad nutricationem embryonis, fermenta duo cum diversis figuris sigillatricibus in se invicem agunt & debilius fortiori vel ligatur & transmutatur, ut in charactere gliris, muris, sanguinis,

nis, ceraſi, &c. impreſſis membro alicui embryonis, remanente adhuc forma & figura ejus: vel deſtruitur debilius totaliter, ut quando ex ſemine humano à peregrina impreſſione ſuperveniente fit glis, mus, anas, impreſſione belluina deſtruente & obliterante humanam totaliter. Neque mirum eſt tales impreſſiones recipi in ſemine, & tenello embryone, cum homines toto vitæ ſpatio, ab impreſſionibus ſimilibus fermentorum extraneorum haud ſint immunes, uti videre eſt in tarantiſmo, hydrophobia, & omnibus morbis contagioſis, quæ licet formam externam hominis non immutent (cum organa corporea magis ſolida ſint, quam ut tales recipiant) tamen mutando ſpiritus, qui facile peregrinis impreſſionibus auſcultant, operationes formæ totaliter vel partialiter immutant.

Cum autem morbi dicuntur produci à phantaſia, quæ fiunt à paſſionibus modum excedentibus, eſt error inconſiderantiæ; nam fiunt à terroris, pavoris, triſtitiæ, ſigillis impreſſis ſpiritibus, ſicuti, ut dictum, motus motum producit, color colorem, figura figuram, ſic terror terrorem, metus metus ſigillum, & ira iram, per ſe tantum producunt, per accidens autem morbos, quia ſi per ſe producerent morbos, unus & idem morbus à diverſis paſſionibus non oriretur, neque diverſi morbi ab una paſſionum, non ſolum in diverſis conſtitutionibus, ſed & in eadem penderet, rabies vero, abortus, diarrhæa, uteri ſuffocatio, & reliqua ſimilia; ſequuntur igitur tantum per accidens ad commotionem paſſionum, non vero à fermento, contagio aut veneno à ſpiritibus ſic turbatis confecto aut profluente, ſed quia iſtorum morborum ſemina prius impreſſa erant, in ſemine avito, materno, paterno, (ſic de aliis à talibus paſſionibus ortis judicandum) vel quia iis laborarunt prius, & ex levi occaſione recidivant, & ſic irrumpunt in ſpiritus noſtros jam à valida & ſubitanea perturbationum procella debilitatos & ligatos, & pro modulo ſigilli ex ſemine impreſſi, utrum id ſit epilepticum, apoplecticum, vertiginoſum, captivi trahuntur ſpiritus, ob imbecillitatem nimium ſequaces redditi, cuivis impreſſioni cedunt: ut in uno epilepſiam, in alio diarrhæam, in alio cephalalgiam, uteri ſuffocationem, rabiem, &c. producant.

Quartana, tertiana, podagra, paralyſis, à terroris vel timoris ſpecie fortiter ſpiritibus impreſſa, curantur etiam per accidens, quatenus nimirum impreſſio terroris ſubitanea & fortis, expellit iſtas debiliores, & etiam quod ſpiritus concentrati à terroris ſpecie, fortiores redduntur: ita ut erumpentes ad loca affecta pares fiant ad extinguendum hoſtile morbi fermentum, quomodo autem per ſe ab una & eadem ſpecie terroris ſic impreſſa, quartana, podagra, & paralyſis curari poſſunt, cum à diverſiſſimis cauſis oriantur, vix ac ne vix concipi poteſt.

Alii, ut probent dari operationem in diſtans, dicunt primò, ab omnibus corporibus radios emitti, in quibus anima operatur præſentiâ ſuâ, & dat iis ἐνέργειαν operandi, & corporeos eſſe iſtos radios, & habere in ſe ſpiritum vitalem, & non ſolum tales radios, ſed & excrementa retinere ſpirituum vitalium portionem, ideoque vivere, & vitam eorum eſſe eandem cum vita animalis, cujus ſunt effluvia & excre-

menta,

menta. Secundò dicunt inter corpus & excrementa esse quandam concatenationem radiorum istorum in omni distantia, licet maxima, & similem etiam fieri inter sanguinem & aliquam aliam corporis partem separatam ab eo in quavis distantia.

Sed contra primo, dato quod sint effluvia ex sanguine venoso, & in excrementis, impossibile est, si sint corporea, dari concatenationem eorum in quavis distantia, nam si corpus etiam maximum rarefieret ad vel invisibiles atomos, non sufficeret ad effluvia suppeditanda pro mille leucis, & etiamsi hoc daretur quod sufficerent, cum tamen nullum aliud certum vehiculum iis assignent, in via certò deficerent. At si dixerint concatenationem istam ab anima fieri, si hoc daretur, sequeretur quamlibet animam replere totum mundum à polo ad polum, & etiamsi hoc absurdum daretur, quod anima se extenderet ad omnem locum, effluvia ista corporalia non poterunt illam concomitari ob rationem modo allatam, præterea videmus sanguinem & excrementum extravenatum in pyxide non minorari, quod fieret, si effluvia continuò emitterent corporea ad tantam distantiam.

Deinde cum dicunt excrementa vivere, hoc verum fateor: sed eandem esse cum vita animalis, nempe hominis anima rationali informati, Atheum non Philosophum Christianum decet asserere. Ut demonstrent effluvia sua dicunt cæpe & allium è longinquo lachymas ex oculis eliciunt ex pipere, iride, ptarmica fit sternutatio, à croco, hyoscyamo, Solano, opio conciliatur somnus, etiam è longinquo, homo per effluvia unius noctis multo levior evadit, & innumera hujusmodi, attamen hoc universaliter non tenet, nam ista effluvia fiunt tantum violenter ex corporibus calorem actualem habentibus, & in iis quæ aqueis humiditatibus scatent à calore solis aut ignis, &c. quod evincunt mercurius & antimonium per infusionem semper menstrua sua imprægnantia, & nihil per multos annos ponderis amittentia, item moschus, zibethum, asa, magnes, & alia, effluvia & odores emittunt, nihil autem de pondere perdunt: at si hoc esset emissione corpusculorum, leviora sanè essent, quod experientiæ repugnat, nam advenientibus aliis fermentis labefactatur eorum virtus, aut senio contabescit: sed de quantitate & pondere pristinis nihil amittunt; ideoque sequitur ista effluvia non esse corporea, nisi violenter à calore interno aut externo fiant. Sed quod fermenta in suis locis vel in rebus, in quocunque sunt loco, *per suos* radios spirituales certam sphæram constituunt, quæ sphæra tam late patet quam ut aliqua eorum virtus sentiri queat. Qui radii vestiuntur amictu aut vaporum violenter excitatorum ex ipsis à calore interno in animalibus, & externo in cæteris quæ non actu calent, aut aliis ex terra ipsa elevatis: cum vero radii isti exeunt de aliis quæ nullo ex præfatis modis emittunt effluvia corporea, ut magnes, succinum, cæpe, allium, &c. dum è longinquo operantur, crediderim sane non esse emissione corpusculorum, quia non minorantur, &c. sed tantum fermentatione vaporum aqueorum in aëre suscitatorum, & sic de aliis ejusmodi: cum autem emissio vaporum sit actio violenta præcipue in iis, quæ actu non calent, non possunt talia effecta constantia, ut videntur ab iis quæ sympathiam aut antipathiam exercent, ab ea oriri. Præ-

I terea

terea ex excrementis viventium jam à corpore ſeparatis, niſi ſit à calore externo, non poſſunt talia effluvia ſuſcitari. Igitur talis concatenatio ſaltem non erit hyeme, atqui hyems non impedit quo minus ſympathetica agant. Ergo non valet eorum argumentum, affecto excremento afficiuntur cacantis nates vel in teſtina in quavis diſtantia, quia datur concatenatio effluviorum corporeorum continuo ex ambobus emanantium.

Tertio venit Atomiſtarum opinio examinanda, ſed cum fuſe ſatis, dum deformis ſermo eſſet, eorum principia ventilavimus, non opus erit hîc ea repetere, ut vero ex eorum principiis actionem ad diſtans inveniant, magiſterialiter quaſdam poſitiones violenter in Philoſophiam intrudunt, dicentes eos rationis expertes, qui non credunt. 1. Quod omnes actiones fiant ab atomis diſcrepanti modo motis, figuris ſuis proportionato. 2. Quod conſtans detur effluvium talium atomorum ab omnibus corporibus compreſſione corporum circumjacentium, &c. & quod poſſunt effluvia ex magnete & cæteris videri ope microſcopii. 3. Quod atomi iſti ſint diverſarum figurarum. & quidem ſint adeo exiles & ſubtiles, ut omnia media pervadant ſine aliqua oppoſitione, ut in peſte. Alii ſunt majores qui alios præterire facile non poſſunt. 4. Quod omnia quietem ament permanendo in ſuis locis. 5. Quod quædam ſint loca magis apta ut recipiant tales atomos quam alia, ut atomi morborum animalium brutorum, bruta aggrediuntur non hominem & è contra, & concordantia hæc inter poros & atomos dicitur cognatio. 6. Quod atomi nullibi quieſcant niſi in cognatis poris. 7. Quod nulla diſtantia impediat motum atomorum ad propria loca, nam nulli alii pori poſſunt eos retinere ob appulſum propriorum atomorum, quibus expelluntur, donec ad proprium corpus pervenerint. 8. Quod quo magis appropinquant atomi ſuis domiciliis, minor fit reſiſtentia ex parte objecti, ad quod tendunt, & preſſura fit major, ideoque motus eſt velocior & contra. 9. Datur conjunctio atomorum, qui in peregrinatione volant in dorſo aliorum & operantur ſimul. Atque his præmiſſis & conſideratis dicunt contactum in diſtans eſſe tam realem, quam ſolis emittendo ſuos radios ad tot mille leucas, & cum medicamentum ſit corpus conſtitutum ex multis particulis (nam de unguenti armarii vi & energia loquuntur) ſequetur, quod conſtans effluvium atomorum ex eo expiret per aſſertionem ſecundam, & per aſſertionem nonam oportet ut conjungantur cum atomis extravenati ſanguinis in paxillo & comitentur eos in fuga, & ſic à conſtante calore atomos ſemper emittunt, & per ſextam & ſeptimam aſſertionem neceſſario pelluntur ad partem affectam ſeu vulneratam quamvis longe diſtantem. Ad ea quæ ſuperius dicta contra atomorum exiſtentiam ſolum unico argumento agam. Omnes atomiſtæ in principiis ſuis conſtituendis vel confugiunt ad partes homœomeras Anaxagoræ, vel cum Lucretio dicunt omnes atomos eſſe ſimiles, diverſas autem operationes fieri ab ordine, connexione, figuris, &c. diverſis. Sed contra primos ſic arguo: Cum leo, vulpes, lupus, urſus, accipiter, corvus, canis, ſus, & centum animalia carnivora unumquodque eorum unâ librâ carnis bovinæ veſcitur, & ſuppone hominem & reliqua

qua omnia uncias quatuor alimenti habuisse ex una ista libra, errantne in una libra carnis tot diversi atomi quot comedentes, certe hoc non dixerint, cum in una libra ponderante duodecim uncias hoc computo erunt quadraginta unciæ: si vero refugiant cum Lucretio ad diversas positiones atomorum, assignent rationem quæso cur omnia non pascuntur omnibus, & cur quod uni alimentum, alteri venenum. Ni fallor, responsio erit ob diversitatem atomorum, vel si dicant provenire à diversa connexione, cur fit cum dicunt species visibiles, audibiles, odorabiles, &c. fieri ab aporhæa atomorum, ut vitent hoc absurdum, corpora sic continuo minorari volunt ex aliis corporibus alia in locum eorum substitui. Ponamus v. g. hominem, & venenatas plantas, puta aconitum, hyoscyamum, &c. in uno loco perpetuo esse ut effluvia ab herbis deperdita suppeditentur ab aporhæa ex hominibus & contra, & tamen non mutantur secundum eos, quia mutatur situs atomorum advenientium, cur igitur pari modo dum homines vescuntur talibus plantis, non possunt diversas connexiones atomorum eorum mutare in suam substantiam, cum major vis transmutativa in stomacho residet, quam in externa superficie corporis, ubi fit necessario appositio atomorum deperditorum. Apage cum talibus nugis, inventum sane puerile homine philosopho indignum, de cognatione atomorum & pororum nihil dicam: nam datis semel atomis, cum levissima sunt corpuscula vel minimo oris spiritu à terra ad solem, à polo ad polũ penetrando saxa, montes, marmora, ferrum, & quid non: dicto citius meant & remeant obsequiosi ut mandata à suis patronis accipiant ad omnes possibiles actiones obeundas, non solum ut extraneas peregrinationes subeant magis activi & veloces, sed ut pigriores, hebetiores & desides premant, atque eos in itinere fatiscentes & claudicantes dorsa & humeris portent & sublevent, proculdubio omnibus aliis philosophis palmam præripitis, qui naturam adeo obsequiosam vobis nolit velit redditis, sed de his satis quæ vel fidem Peripateticam transcendent.

Ultimo, auctor Pilosophiæ Mosaicæ dicit omnes actiones naturales fieri immediate à spiritu DEI incumbente aquis, & quia Spiritus iste incorruptibilis, æternus, infinitus, &c. ideo suæ actionis nullum habet terminum, & hinc concludit nullum esse rebus naturalibus in agendo virtutis orbem positum, quia hoc spiritu animantur, qui agit in quavis distantia.

Contra eum sic arguo. Si res non per se sed per istum spiritum infinitum, &c. operarentur, nullæ essent rebus virtutes propriæ, & vires rerum naturalium non essent iis concreatæ, & frustraneá esset omnis philosophia, & v. gr. cum ignis comburit, non erit ignis actio, sed Dei aut spiritus in igne, & cum aliquod medicamentum purgans exhibetur, purgatio non erit actio naturalis medicamenti, sic de attractione magnetis, &c. & sic omnes actiones erunt supernaturales, & proinde nulla dabuntur accidentia, sed cum hæc sint magna absurda, refutatione non egent. Dum hæc scribo, non possum silentio pertransire argumenta quædam Kircheri eum refutantis in arte sua magnetica, tanquam patronum unicum unguenti armarii, nam primo licet ex principiis ejus inferre liceat, unguentum agere in distantia infinita, nempe quia fit à

ſpiritu iſto infinito virtus ejus ſanativa, tamen alii qui id defendunt, dicunt virtutem ejus extendi ad certam diſtantiam tantum intra mundi polos, ideoque non eſſe ſimpliciter infinitam. 2. Dicit, ſi ſphæra rerum eſſet infinita in agendo, tunc nemo Romæ eſſet tutus à baſiliſcis Libycis, à dipſadibus Ægyptiacis, draconibus Africanis, eorumque virulento flatu, nemo à contagione peſtis Germanicæ, aut ab effluvio Napelli Alpini, &c. in aliis regionibus eſſet tutus à vertigine. Neuter eorum ſe intelligit, unus quid defendat, alter quid refutet. Nam primo, ſi hoc eſſet verum quod actiones omnium rerum eſſent indeterminatæ, & in quavis diſtantia agerent, tunc contra auctorem Philoſophiæ Moſaicæ habet intentum Kircherus, ſed ideone illicitum eſt iſtud unguentum, quia inſulſus ille non bene defendit? Non dicendum eſt res omnes habere tam amplam ſphæram operationum, ſed tantum determinatam, & ſphæras rerum diſtingui, & ea quæ agunt per odium vel amorem non habere tales, ſed ea quæ ſympathiam exercent, quæ non fit inter omnia prædicta, ſed tantum inter totum & partem. Quod dicit inter omnes res creatas, hoc ſolum indulgendum huic unguento quod in tanta diſtantia curet; omnino falſum & contrarium in plurimis exemplis conſtat prius deſcriptis, nempe Sympathia Conchylium in quavis diſtantia cum mare fluente & refluo; oſtreorum & pupilli oculi cati cum luna, vini & cereviſiæ in cadis cum vino & hordeo florentibus in campis, cerafi ſpecies impreſſa in embryonem per imaginationem internam mutat colores cum aliis in arboribus, &c. Et cum dicis à pacto aut explicito aut implicito fieri cum diabolo, an & iſta etiam ut ſentiant amicum aut inimicum in diſtans pepigerunt cum eo fœdus? Ut probet nullam dari actionem in diſtans, negat Sympathiam inter polum & magnetem, & dicit magnetem eſſe partem terræ homogeneam & genuinum ejus filium, & è ſemine terræ & naturali fieri, & habere totam ſuam vim à terra, & ſicuti tellus ad polos mundi ita magnetem ad polos terræ dirigi. Si ſit pars terræ homogenea, cur igitur reliquæ partes non æque participant vim attractivam repulſivam & converſivam. Cur contra Gilbertum negat terram eſſe magnetem? Et ſi tellus, ut vult, ſit totius virtutis magneticæ fons, certe ipſa terra erit magis magnetica, quomodo quis dabit quod non habet in ſe? Proinde magnetem fieri ex ſemine terræ & ſuo & eſſe partem terræ, neſcio quomodo hoc fieri poteſt, nam terra cum ex ejus principiis ſit elementum, nullum ſemen habet. Si vero dicat ſemen habere in terra, cur reliqua ſemina non idem faciunt quæ ſunt in terra? Ignorat magnetem ſicuti reliquos lapides fieri ex aqua ſemine lapidifico imprægnata, ut & ipſa terra ex ſuo ſemine, uti in principio hujus tractatus probatum. Ideoque dico ſi bene diſtinxiſſent inter ſympathiam & concordiam & diſcordiam, & concordias & diſcordias, in eas quæ contactu & in diſtans operantur, neque magneti interea uni tantum tribuiſſent, neque omnia magnetice agere dixiſſent promiſcue, neque Kircherus librum ſuum mundum magneticum appellans eos reprehendiſſet, nam non video qua ratione mundum magneticum magis appellaret quam mundum Catheticum.

Eos

Eos qui à stellis & sole virtutem istam sympatheticam deducunt, jam refutavimus *in principio tractatus*, ubi ostendimus res nullo modo dependere ab iis ut tales vel tales sortiantur virtutes, nam terra habebat in se ante productum solem fermenta omnium vegetabilium, & consequenter omnes virtutes.

Cum igitur sympathia non fiat in distantissimis locis à phantasia rerum ecstatice suscitata, ut vult Helmontius, neque ab atomis, neque per concatenationem effluviorum corporeorum, vel ab anima extra proprium corpus operante, neque à spiritu illo infinito aquis incubante, &c. Ut modum igitur inveniamus quomodo fiat illa compassio, cum ex innumeris exemplis constet talem dari. Primo ex præcedentibus liquet omne compositum constare ex materia, forma & fermento: à materia habet suam quantitatem & consistentiam, à forma habet quod vivat & sentiat luculentius aut obscurius, uti prius probatum, & à fermento omnes aliæ actiones quæcunq; dependent, ut & mutationes ad bonum vel malum. Hinc igitur patet, quomodo affecto sanguine & spiritibus intra venas hominis, fermento icterico vel melancholico afficiatur spiritus sanguinis in vitro hermetice clauso etiam, mutatione coloris in lividum & flavum (& sic de cæteris ejusmodi exemplis judicium esto) quod simili modo ab eodem fermento iste spiritus afficiatur, quo afficitur sanguis in venis licet in maxima distantia: & cum istud fermentum non possit produci per se intra vitri parietes, oportet illud advehi, unde etiam patet fermentum penetrans vitrum hermetice clausum, dimensionum legibus non esse astrictum, quod etiam patet in magnete penetrante marmora, saxa, montes, &c. Secundo, cum constet ex prædictis formas rerum in se non differre specie, sed numero (omnem autem differentiam provenire à fermentis) & esse quasi radios formæ universalis quam demonstravimus dari, radii autem isti in centro universalis formæ conveniunt & uniuntur. Hinc patet primo, radios formarum totius & partis compatientium simul convenire & cum affecto uno eodem modo afficitur alterum (sive id sit totum sive pars) neque forma unius per se alterius radios sic permutare potest (cum res non alterent se per animam sed tantum vivant & sentiant.) Restat cum radiis unius formæ fermentum (cum sit spirituale) alterius affecti in distans ferri, ut reciproce colloquia privata habeant: ut unum aliud bene aut male afficiat totum attrahendo ad se ægritudinem partis, pars etiam ægritudinem totius, vel illi communicando robur & sanitatem sibi ab alio amico præsenti communicatam: licet non sit utrique præsens, sufficit ut vel toti vel parti adhibeatur, & sic de morbis ab inimico uni vel alteri implantatis dicendum. Prioris exemplum erit, quod testacea fere omnia procul etiam à mari, fluente eo, aperiantur & contra. Alterius exemplum erit, quod nasus insititius mortuo eo de cujus carne desumptus erat, de facie ejus ubi vegetaverat gangrænâ affectus decidat, atque innumera alia ejusmodi superius descripta. Vel sic quia sigillatur forma rei ab inimico affectæ, fermenti specie & imagine: & istud sigillum sic formæ inustum, retinet fermenti & rei sensibilis vim & efficaciam: & penetrando radios formæ amici sigillum in ea simile producit, (uti fit in colore, sapore, figura,

motu, & cæteris signaturis prope conspectis producentibus in subjectis appropriatis & dispositis signaturas sibi similes) sigillatur primo in rei compatientis phantasia & spiritibus, & successive reliquis partibus imprimitur, v. gr. suppone brachium hominis gangræna affectum esse, vel ipsum hominem moribundum, de cujus brachio nasus insititius desumptus erat, fermentum gangrænosum & mortiferum, sigillum suum inurit humoribus, phantasiæ, & spiritibus, hominis moribundi, aut gangræna affecti: qui spiritus (cum sint uti formæ reliquorum ex forma universali) sic sigillati in centro obviant radiis spiritus partis, nempe nasi, & pro modulo sigilli iis prius impressi, sigillant istos spiritus nasi, & cum totum moritur, moritur etiam pars, & sic de aliis exemplis ejusmodi.

Hinc igitur clare sequitur, eos qui tot simplicia selecta in compositione unguenti Armarii, aut pulveris Sympathetici congerunt, penitus errare, credentes istis solum simplicibus in tali quantitate commistis inesse talem virtutem: nam quod pulvis vel unguentum agat in distans, non fit ratione ingredientium, nam non requiritur medicamentum quod ex se vel sua virtute, agat in distans, sed satis est, si habeat in se virtutem curativam, cum non vehatur suis alis: nam adhibitum uni vel alteri quæ compatiuntur, vis curativa vel destructiva fertur radiis formæ spiritualis (uti dictum) ad amicum ut eum participem reddat gaudii aut terroris & tristitiæ: quod vero in distans fiat talis perceptio amici vel inimici, cum gaudio & tristitia solum à forma provenit, quæ dat omnibus ut sentiant, uti probatum, curatio autem destructio, ligatio, aut transmutatio provenit à fermentis cum forma advectis.

Quando in ictero, scorbuto, &c. exhibetur tantillum sanguinis aut urinæ patientis cibis commixtum canibus, canes non trahunt ægritudinem, neque transfertur ad eos (ut falso putant nonnulli) nam non sunt capaces istius morbi, sed si sanetur morbus, (quod sæpissime continget) est quia in sanguine & excrementis, pars fermenti morbifici à canibus, &c. commesti, destruitur à fermentis eorum fortioribus vel ligatur, & sic affecta ista portiuncula fermenti morbifici à cane commesti, afficitur totum quod erat in homine, & perit ægritudo. Sic etiam quando vegetabile aliquod aut ejus semen homini vel particulari membro amicum, & morbo ejus contrarium irrigatur mumia morbi & terræ committitur ut crescat, v. g. in ictero chelidonia grana juniperi, &c. in hydrope absynthium, ebulus, in pleuritide papaver Rheas, hypericon, in peste scordium, scorzonera in ulceribus & vulneribus persicaria maculata, panax: illic pars fermenti ligatur vel destruitur à fermentis istarum eam vincentibus, & sic debellatur reliquum ægritudinis in homine: quod vero perhibetur istam herbam tali modo à fermento morbifico irrigatam homini aut alteri animali exhibitam communicare iis morbum, nullo modo verum est, nisi fermentum morbificum quo irrigata erat planta transmutaverit virtutem herbæ sanativam, totaliter aut partialiter in suam naturam deleteriam, ut continget in salvia ab halitu bufonis infecta, & in herbis prope serpentum cavernas, sed si hoc fiat, morbi vis intenditur, quod alias abigeretur, Si autem herba aut eorum semina irrigantur

mumia

mumia morbi, quæ habent virtutem producendi talem morbum (ſic de animalibus, mineralibus & eorum partibus judicandum) intenditur tunc ægritudo: ut v.g. ſi urina aut ſanguine & ſudore, &c. febricitantis irrigetur anacardis aut ejus ſemen, intenditur febris; ſic lolium eodem modo uſurpatum intendit vertiginem, ſic aſarum intendit vomitum, ea autem Vegetabilia, Animalia, Mineralia, & eorum partes quæ intus exhibita venena homini ſunt, pura hyoſcyamus, cicuta, aconitum, arſenicum, &c. ſi mumia hominis alioquin bene valentis irrigentur corrumpendo & deſtruendo portiunculam fermenti in mumia ratione compaſſionis, reliquum in homine deſtruunt aut transmutant diverſimode pro diverſa uniuscujusque natura: & multa alia ejusmodi mirabilia per transplantationem reſultantia inveniet curioſus lector. Debuiſſem huic tractatui ſubnectere curationis methodum, clariorem per Sympathiam, ſed de ea alias cum DEO dabitur occaſio diſſerendi. Atquæ hæc ſunt benevole lector, quæ ex prima inſpectione naturæ in ſpeculo animalium, vegetabilium & mineralium nitentis delineare poteram, viſu disgregato deficientibus coloribus vivacibus, & ex intenſa nimis cogitatione ſpiritibus pene exhauſtis non abs re erit cæptis paulisper deſiſtere, refocillatis autem ſpiritibus languentibus, oculis ablutis, & coloribus novis probe inſtructus, propediem ut ſpero, ſecundo opus aggrediar. Si autem ex prædictis facilior pateat aditus ad naturæ occulta myſteria, DEO Opt. Max. à quo deſcendit omne donum bonum, gratias age. Vale.

ILLI.

ILLUSTRISSIMI COMITIS KENELMI DIGBÆI Equitis & Reg. Angliæ Cancell.

ORATIO De PULVERE SYMPATHETICO.

MONSPELII

In consessu Magnorum Virorum sermone Gallico habita.

SERENISSIMÆ PRINCIPISSÆ
DOMINÆ

SOPHIÆ ELEONORÆ

Natæ Duciſſæ Saxoniæ Electoral. Haſſiæ Landgrafiæ, Hirsfeldiæ Principiſſæ, Comitiſſæ in Cattimeliboco, Diez, Ziegenhein, Nidda, Schaumburg, Iſenburg, & Budingen.

Dominæ meæ Clementiſſimæ.

CRationem hanc de Pulvere Sympathetico, Sereniſſima Domina, Tuo cum primis patrocinio & judicio ſubmitto; & jure quidem meritoque. Præterquam enim, quod medicinam exactè calleas, & cottidiè ægris, egenis maximè, opem feras, ipſa medicamentorum præparatione delectaris. Loquitur id abundè *Spiritus* Tuus *Catholicus* (Glieder Brandtewein/) apoplexia, epilepſia, paralyſi, pareſi, aliisque malis ſimilibus averruncandis aptiſſimus.

Nec minoris eſt efficaciæ *Balſamus*, quem propria quoque manu componis, *Apoplecticus*, *pulvisque* Tuus *Antepilepticus*, quo, Te manuducente, hiſce diebus Miniſtro Tuo, gravi catarrho ſuffocativo & convulſionibus correpto ſuccurri. Taceo reliqua, ne in immenſum creſcat hæc Dedicatio. Ipſum quoq; *pulverem ſympatheticum*, ut unicum hoc addam, concinnare non detrectas, ut proinde confidam Te æqui boniq; hanc oblationem conſulturam, & contra malevolorum morſus defenſuram, quod non parum huic pulveri, *Lignoque* Tuo *ſympathetico* (Heilholtz) aliisque naturæ myſteriis tribuas.

Vale cum *Marito*, Patriæ Patre Auguſto, Opt. Max. *Liberis* & *Nepotibus*, ut *Vivendo attingas vivacis tempora Cervi, Vale, & favere perge*

Darmſtat. 1. Maij An. 1660.

Tuo
Subjectiſſimo Auliatro, ſervorum addictiſſimo,

Laurentio Strauſio.

IN ORATIONEM DE PULVERE SYMPATHETICO

Quam ex idiomate Gallicano in Sermonem Latinum feliciter construxit

Nobilis, Clarissimus, atq; Experientissimus Vir,

D. LAURENTIUS Strauß/

Medicinæ Licentiatus, & Auliater Hasso-Darmstadinus.

STRAUSSIUS ausoniis dudum cui pectus APOLLO
lymphis rigavit undiquaque largiter,
Affectus (quos DIGBÆUS descripsit amæno,
sed Gallico Sermone.) *Sympatheticos*
explicat, illustrans Latiæ melligine lingvæ:
Conamen arduum, ac inæstimabile
quo Vires animi præstantes STRAUSSIUS orbi
ostendit, indolisque claritudinem;
STRAUSSI, perge tuis tibi conciliare favorem
doctis subinde lucubrationibus!
Inde tuum poteris super æthera tollere famam
Socero tuo fiesque compar HORSTIO.

f.

DAVID Guther/ U. J. D.
Reipub. Ulmens. Consiliarius & Advocatus Ordinarius, nec non Consistorii Matrimonialis Assessor.

DUm Latio donas Dygbejum, de grege tractus
Diceris Aonidum; pulvere Sympathico.

Amoris & benevolentiæ causa P.

ANTONIUS BOXBARTERUS,
Coll. Med. Ulm. Senior.

HOc opus, hic labor est, ignotum reddere notum,
Tradere Romano Gallica verba stylo.
Hoc opus, hic labor est; proprium quia Gallica Lingua
Agnoscit Genium, Lingua Latina quoque.

Hoc

Hoc laudabiliter, STRAUSSI præsente libello
Præstas, per Gallos plurima mira docens.
De vi naturæ quædam mysteria prodis,
Ingenii Genium prodis & ipse Tui.

Honoris & Amoris E. f.
GREGORIUS HORSTIUS,
Phil. & Med. D. ac in Gymnas. Ulm. Phys. P.P.

Miranda nobis plurima protulit
Natura: causas quærere plurimi
Tentâre frustra, non benignâ,
Qua nihil efficitur, Minervâ.
Multi latentes se citò conferunt
Ad qualitates, effugium petunt,
Quærunt asylum; verùm, asylum
Ambiguum, atque socordiarum.
Qui lumen autem novit in aëre,
Qui lucis hujus lucida tela scit,
Refractiones quique novit,
Nescius haudque modi attrahendi.
Hoc mente qui non in dubium vocat,
Quod omne Corpus sit resolubile,
Quod dividatur, distrahatur,
In tenues atomos secetur.
Queîs plenus aër, quàq; iterum trahant,
Ac trahantur, si modo non neget
Æqualitas, conformitasque in
Pondere, Corpore, & in Figurâ.
Hos qui recessus novit & approbat,
Huic deteguntur multa latentia;
Et adjuvatur, perlegendo,
Gallia quem dedit, hunc libellum.
Hunc transferendo, dulcis Amice mi,
Linguam in Latinam, nomen ad exteros
Authoris effers: sed perenne
Nomen & ipse, feres in orbe.

Honoris E. l. mq;. scripsit
M. JACOBUS HONOLDUS,
Junior in Gymnas. Ulmens. Mathes. Prof. Publ. & V. Class. Præceptor.

DIGBÆI

DIGBÆI
ORATIO DE PULVERE SYMPATHETICO.

NOn difficili negotio, Auditores, adducor, ut credam, eandem mecum Vos omnes in ſententiam manibus pedibusque ituros, ad ſolidam alicujus rei cognitionem acquirendam, ſumme neceſſarium esſe, ut primò omnium demonſtremus, utrum reverâ ita ſeſe res habeat, quemadmodum ſupponitur, & nobis eam imaginamur? Nonne enim & oleum & operam is omninò perderet, qui in cauſſis alicujus Chimeræ, hoc eſt, rei ab omni veritatis fundamento alienæ, indagandis occupatior ætatem terere animum induceret? Memini me legiſſe in quodam Plutarchi loco, hanc ab ipſo proponi Quæſtionem: Cur equi, qui cùm adhuc pulli eſſent, à lupis perſecuti fuerunt & fugâ ſaluti ſuæ conſuluerunt, reliquis pedum celeritate & curſu præſtent? Ad quod reſpondet, fieri poſſe, ut terror & metus, quem torvus lupi aſpectus parvo adhuc animali incutit, efficiant, ut omnibus viribus contendat, quo imminens cervici periculum effugiat, atque ita timor artuum juncturas laxet, nervos intendat, & ligamenta, aliasque partes ad curſum imprimis facientes promtas reddat, adeò ut per totum vitæ curriculum illud animadvertat, ſentiatque ac exinde optumum in curſorem evadat. Aut fortaſſis, inquit, accidit hoc propterea, quod equorum pulli, qui naturâ curſu valent, fugiendo mortem evitant, dum alii, qui non tantâ pedum celeritate gaudent, à lupis arripiuntur, & in caſſes, prædą petita, incidunt. Ac proinde non eam ob cauſam ad curſum promtiores ſunt, quoniam adjuti fugæ auxilio è faucibus lupi ſeſe eripuêre ſed quia naturalis ad currendum aptitudo; quâ præditi ſunt, illos luporum inſidiis ſubduxit, atque ab interitu vindicavit. Plures inſuper adducit rationes, & tandem concludit, forſitan hanc rem non usque adeò veram eſſe. Equidem, Auditores, non poſſum improbare iſtiusmodi diſſerendi modum, quando res non niſi inter pocula proponitur, ubi omnis conſervatio eum ſaltem in finem tendit, ut jucunda & hilari confabulatione nos recreemus potiùs quàm ſeverum Catonem agentem argutas jocis ſubtilitates, vimque argumentorum, quæ acumen judicii, ingeniique nervos requirunt, immiſceamus: Verùm enim verò in Conſeſſu tàm celebri, qualem hîc eſſe video, ubi homines emunctæ naris, & qui judicio imprimis valent, ſolidâque ſapientiæ doctrinâ non imbuti, ſed tincti ſunt, Viri convenerê; quique inſuper eam de me ſpem & opinionem concipiunt, fore, ut non ficulneis, ſed ſolidis argumentis ipſorum expectationi ſatisfaciam: Næ! mirum in modum dolerem, ſi, poſtquam pro virili oſtendere conatus ſum, quâ ratione Pulvis, qui vulgò ſympatheticus dicitur, naturaliter & ſine ullo magiæ adjuvamine vulnera ſanet, licet ea nec digito tangamus, neque etiam læſum vel altero oculo adſpiciamus, nihilominus tamen inveniretur, qui, an talis ſanatio in rerum natura detur, nec ne, in dubium vocare, nullus erubeſceret.

Quotiescunque ſermonem de facto inſtituimus, exiſtentiæ, & veritatis determinatio ab eo dependet, quod noſtri ſenſus nobis perſuaſum eunt. Materia, quam pertractare conſtituimus, ejusdem naturæ eſt. Nam qui in rem præſentem ducti, & ab ipsâ experientiâ edocti & confirmati fuêre, eamque inſuper in curam unicè incubuêre, ut omnes ad hoc negotium requiſitas circumſtantias rationis trutinâ perpenderent, ſibique ipſis, poſtquam tàm luculenter, ac ea, quæ oculis cernuntur, cognoverunt, omnem hîc longè abeſſe fraudem, ex aſſe ſatis fecerunt, amplius haud dubitant, quin hæc res vero quàm maximè conſentanea ſit. At verò illi, qui ſimiles effectus nondum oculis uſurpârunt, oportet, ut authoritati eorum, qui ſuis rem ſe vidiſſe oculis affirmant, fidem quoque adhibeant. Equidem plura in medium producere experimenta poſſem, quæ tanquam teſtis ocularis novi, & quorum pars magna fui: verùm ſicuti exemplum quoddam certum, ac unanimi conſenſu adprobatum, ſufficit ad determinandam rei veritatem, & exſiſtendi aptitudinem ſeu potentiam, quæ in dubium vocatur: ne vobis faſtidium pariam, unicum ſaltem hac de re in ſcenam produxiſſe, ſatis ſuperque mihi erit: ſed, mehercle! erit non infimi ſubſellii, ſed ex præclariſſimis ac probatiſſimis, quæ unquam extiterunt, aut exiſtere poſſunt, idque non ſolùm ob circumſtantias ibi concurrentes, notatuque digniſſimas, verùm etiam ob manus ſtrenuas, & præ reliquis inſignes, quarum mutuâ operâ totum negotium peractum fuit. Etenim vulnus ſatis periculoſum pulvere hoc ſympathetico ſanatum fuit in quodam Viro, quem elegantior litteratura æquè ac res benè & laudabiliter geſtæ ad ſummum honoris faſtigium evexerunt: omnes præterea circumſtantiæ diligenter inveſtigatæ, & ad Lydium quaſi lapidem examinatæ ſunt à Jacobo, Angliæ Rege, ætate ſuâ & maximo, & ſapientiſſimo, & qui rariſſimis ingenii dotibus quibus naturâ exornatus fuerat, induſtriam poſteà in rebus naturalibus ingenioſè diſcutiendis, & penitius perſcrutandis, verè admirandam conjunxerat. Ponderata inſuper hæc res fuit ab Ejusdem Filio, defuncto Rege Carolo, ut & Duce Bouquainganiæ, ὤν ἐν ἁγίοις, primario utriusque Status Miniſtro, ac deniq; totum hoc negotium inſertum fuit libellis memorialibus Magni illius Cancellarii, Baconii, ut inſtar appendicis naturalis ſuæ hiſtoriæ monumentis annecteretur. Et ſanè fore, credo, Auditores, ut ſi omnem rem probè intellexeritis, minimè quidem gentium ambitioſæ temeritatis me accuſetis, quando mihi hanc gloriolam attribuo, quod ſcil. hunc ſanandi modum primus in noſtras regiones introduxerim. En! igitur paucis, totius hiſtoriæ narrationem.

Dominus Jacobus Howel, Duci in Bouquaingainiæ à Secretis (ſatis alioquin in Galliâ ob accurata, quæ orbi communicavit, ſcripta, & imprimis Dendrologiam, à Dn. Baudovino, nî fallor, in linguam Gallicam traductam cognitus) opportunè admodum die quodam ſupervenit, cùm duo ex intimis ſuis amicis manus invicem conſererent, prœliumque ſingulare committerent; ille ſtatim functus amici officio, omnem dat operam, ut eos ſeparet; quare illicò in medium ſeſe conjicit ſiniſtrâq; manu alteri pugnantium enſis capulum occupat, dum dextrâ denudatâ aciem alterius

 arripit.

arripit. Illi à furore arma miniſtrante in transverſum rapti, omnes intendunt nervos, ut ex communis amici, qui, ne quis eorum imminens vitæ periculum incurreret, ſeriò prohibere conabatur, amplexibus ſeſe extricent: Alter itaque ferociter gladium, qui ob aciem manu commodè teneri haud poterat, retrahens, omnes in volâ Dn. Howel incidit & nervos & muſculos, tendinesque, eôdemque momentô alter enſis ſui manubrium extorquet, & inimici capiti ſublatum gladium intentat, cujus ictum inclinato corpore evitans hoſtis, facit, ut in amici caput irruat, quem amoliri contendens amicus manum jam vulneratam opponit, unde factum ut non minus averſa quoque manus ac vola ejus antea conſauciata gravi vulnere afficeretur. Videtur, ædepol, peculiarem tunc temporis, ipſique maximè adverſam aſtri poſituram & conſtellationem in cælo regnaſſe, quippe quæ voluerat, ut per intimorum amicorum arma ſanguis ejus effunderetur, amicorum inquam, qui ad ſe redeuntes omni procul dubio ſanguinem proprium vitamque ipſam pro amici ſalute profundere minimè dubitaſſent. Quicquid ſit; hoc certè emolumenti involuntaria hæc ſanguinis profuſio attulit, ut amoliretur & averteret illam, quam alter alteri modò pro virili intentaverat: Etenim advertentes faciem Dn. Howel ſanguine ex elevatâ manu deſtillante penitùs obductam, uterq; in amici ſubſidiũ accurrit, inſpectisq; ejus vulneribus, periscelidum alterâ illa deligant, ut clauſas retineant venas, ex quibus omnino inciſis ſanguis in magnâ copiâ promanabat. Dein domum ſuam deducere, arceſſere chirurgum, ubi qui prior aderat, primum quoque curationis apparatum faciebat: Ad ſecundum quod attinet, cùm jam vulnus poſtridiè detegendũ veniret, unà chirurgus aderat Regius, miſſus à ſuâ Majeſtate, quæ multo favore ſuprâ dictum Dn. Howel proſequebatur. Habitabam, eô tempore propè ſuas ædes; & quodam manè (quatuor jam vel quinq; abierant dies, ex quibus hoc malum ipſi acciderat) dum veſtes induebam, in cubiculum meum intrat, obnixè rogitans, quoddam ipſi remedium ad ſanandũ vulnus præſcriberem, præſertim quòd acceperit, (inquiebat ille) me præſentiſſima in iſtiusmodi caſibus remedia ad manum habere atque inſuper eò res cum vulnere ſuô nunc redierit, ut Chirurgi valde timerent, ne gangræna accederet, quo eveniente, manus tandem ipſa abſcindenda eſſet. Et reverâ ſatis ex ejus vultu dolor quem patiebatur, quemque accedente inflammatione ſummâ adfirmabat intolerabilem, divinari poterat. Ipſi reſpondebam, equidem lubenter me petitioni ſuæ ſatisfacturum: ſed accidere poſſe, ut ſi modum, quo vulneratos ſanare ſoleam, intactâ ſcilicet & nec viſâ quidem affectâ parte, reſciret, fortaſſis haut amplius operam meam deſideret, firmiter credens, hanc curandi methodum vel inefficacem fore, vel in eâdem neſcio quid ſuperſtitionis latitare.

Quod, inquit ille, medicaminis vires & efficaciam concernit, ſucceſſus ſummè admirandi, quos multi hactenus mihi enarrarunt, haut permittunt, ut eam amplius in dubitationem rapiam: ad alterum verò nihil eſt, quod dicam, niſi illud quod apud Hiſpanos in proverbii conſuetudinem abiit: *Haga ſe el milagro, y hagalo Mahoma.* His igitur ita conſtitutis, linteum quoddam ſanguine ſuo maculatum

abeo

ab eo petii, tunc illicò periscelidem, quâ prius locô fasciæ utebatur, adferri curabat: hæc dum aguntur, pollubrum aquâ plenum veluti manus lavaturo apportent, jubeo, unaq; pugillum pulveris Vitrioli, quem in Musæo in promptu habebam arripio eumq; actutùm in aqua dissolvo. Dein periscelidem, ut primum allata fuerat, in pollubrum injicio, semper studiosè observans, quomodo interea Dn. Howel. se gerat. Colloquebatur cuidam Nobili in quodam cubiculi angulo stanti, parùm advertens, quid rei ego agerem, vel quid molirer. Et ecce! subitò præ lætitiâ exiliebat, edebatque actionem, ac si magnam persentiret commotionem. Causam hujus rei inquirenti, respondet; se quidem nescire, quid ipsi acciderit, nihilo tamē minus sentire, quod nullo amplius dolore afficiatur. Videtur mihi, pergebat ille, ac si frigidior aura, instar lintei seu mappellæ frigidæ ac humidæ supra manum meam sese expandat, omnem tollens inflammationem, quæ antea mirum quantum me excruciaverat. Quoniam ergo, ipsi dicebam, jam nunc tàm felici cum successu meam medicinam sentis, tibi quidem autor sum, ut omnia emplastra tua illicò tollas; curam saltem & diligentiam adhibeas velim, quo vulnus nullam impuritatem contrahat, atq; in statu naturali & temperato conservetur. Actutùm hæc nova pervenêre ad aures Dn. Bouquainganiæ, & paullò pòst ad ipsum Regem, quorum uterq; magno flagrabat desiderio sciendi hujus negotii exitum, qui quidem talis fuit, quod nimirum à prandio periscelidem ex aqua extraxerim, eamque ad luculentum ignem exsiccaverim. Eâ vix probè exsiccatâ (ad quod perficiendum, oportebat, ut benè calefieret) en! famulus Dn. Howel adest, mihique narrat, non diu esse, quod Dominus tàm acerbo afficiatur dolore, quàm unquam hactenus senserit; idque cum tanto caloris excessu ac si manus ejus ardentibus prunis obtegerentur. Ipsi respondebam, licet hoc ipsi malum jam nunc acciderit, tamen nihil prohibiturum, quo minùs brevi temporis spacio optumâ valetudine uteretur; me insuper haud ignorare novi hujus mali causam, ejusque curam & rationem habiturum, foreq; ut Dn. ab omni prorsus dolore & inflammatione citius liberetur, quàm ille hanc rem eidem confirmaturus domum redux esse possit, quod si verò res præter opinionem ceciderit, me certiorem eius faceret, sin minus, haut esse, ut laborem hunc insumat. His probè intellectis, famulus domum repetit; eôdemque temporis momento periscelidem denuò in aquam immergo, quo facto, etiamsi vix duos abhinc passus ædes distabant, dominum & sine dolore & bellè habentem invenerat; quin immo priusquam domum pervenerat, omnis jam cruciatus penitus cessârat. Et ut paucis perstringam: dolor omninò evanuerat, ac intra quinque vel sex dies vulnus ad cicatricem perductum & perfectè sanatum fuerat. Rex Jacobus de singulis hujus curationis circumstantiis certior fieri voluit: atque eâ ad umbilicum perductâ ex me scire desideravit (initiô me veneficum & magum joco appellans, id quod sæpius facere, & festive admodum consueverat) qua ratione & modo ea peracta fuerit. Ipsi respondebam: me quidem ad mandata S. Majestat. exsequenda semper fore paratissimum: verùm submissè rogare, ut antequam ulterius progrederer, mihi per eam liceat recensere, quod Autor, qui secretum hoc mecum communicârat,

municârat, super simili negotio, Magno Duci Florentiæ aliquando responderat. Erat hic monachus ordinis Carmelitarum, qui nuper ex India & Persiâ Florentiam redierat; Imo etiam regnum Chinæ peragraverat, qui cùm à reditu suo in Toscaniam plurimos, non sine magnâ hominum admiratione sanâsset, Dux ipsi significârat, maximo se discendi ab illo hoc arcanum desiderio flagrare. Erat autem Pater Magni Ducis, qui hodiè imperium possidet. Monachus ipsi respondebat, se hoc Secretum, in Oriente didicisse, ac firmiter proinde credere, neminem adhuc præter eum, in Europa degere, qui illud nôrit: quare etiam tanquam silentii fide dignissimum, minimè divulgandum esse: id tamen fieri haut posse, si Illustrissimus Princeps huic se negotio immiscere vellet, cùm procul dubio ipsemet manum operi admovere dedignaretur: atque ita, si suum substitueret vel chirurgum, vel alium servorum quempiam, tandem fore, ut paucis diebus quàm plurimi reperiantur, quibus res hæc æquè ac sibimet ipsi optimè cognita fuerit. Quare etiam Dux prudentissimus non amplius illum urgere, sollicitareque voluit. Verùm paulò post optima mihi se offerebat occasio præstandi homini huic Religioso rem longè gratissimam, & momenti maximi: id quod etiam in causa fuit, ut secretum mihi suum denegare noluerit: atque eò ipsô annô denuò in Persiam profectus erat; adeo ut me solum nunc in Europa tota esse arbitrer, qui hoc secretum sciat. Rex mihi respondebat, planè non esse quod timeam, ne scil. illud divulget: siquidem nulli se, quando ad hujus rei faciendum periculum accingeretur, confisurum, sed semper manu suâ propriâ negotium peracturum, quamobrem pulveris aliquid mei ipsi dare haud dubitarem. Feci, rem omnem aperui, omnes ipsi narravi circumstantias, atque Majestas sua plurima posthæc experimenta fecit, quæ omnia expectationi conceptæ ex asse responderunt. Interea temporis, Dominus de Majerne, Archiater Regius unicè in hanc curam incumbebat, ut quid monstri hoc secretum aleret, expiscaretur, & tandem rescivit, Regem ad istiusmodi curationem perficiendam Vitriolo uti. Tum demum me compellare, & dicere, se hactenus erubuisse eò pervenire audaciæ, ut à me hoc secretum peteret, præsertim cùm non ignorârit, quod ipsimet Regi illud communicare gravatus fuerim. Jam vero postquam didicisset, qua nam materia in hoc negotio uti deberemus, nullum se dubitare, quin quicquid hîc circumstantiarum requiratur, ipsi apertè dicturus sim. Ad quod ipsi respondebam, me non solùm jam paratum esse, qui suæ petitioni morem geram, sed etiam, si statim in principio hac de re mentionem fecisset, nihil ipsum celaturum fuisse: nullum enim esse periculum, ut ne istiusmodi secretum eliminetur, atque in vulgus efferatur, quamdiu suas intra manus versaretur. Quid multis? omnem ipsi denique rem à capite ad calcem narravi: Paucis post diebus in Galliam abiit, visum aliquod prædium, quod nuper haud procul à Genevâ emerat, Alboniæ scil. Baronatum. Cùm adhuc esset in itinere, invisebat Ducem de Mayenne, qui singularis ipsi erat amicus, & magno favore hominem prosequebatur, eumque hoc secretum docebat. Dux posteà multa fecerat experimenta, quæ nisi à manibus tàm boni ac religiosi Principis

cipis promanassent, & incantamenti suspicionem effugere vix ac ne vix quidem potuissent. Defuncto autem Principe (qui in obsidione urbis Montalbani periit) ejusdem Chirurgus, qui in hoc negotio manuariam ipsi operam præstiterat, multis primariis ac nobilioribus, Viris hoc secretum vendidit, qui magnam pro eô pecuniæ vim ipsi solverant, adeò ut intra breve tempus opes & divitias ingentes exinde corraserit. Res itaque in multorum delapsa manus non amplius intra secreti cancellos sese continebat, sed pedetentim foràs eliminabatur, ut vix hodiè invenias in in pago barbitonsorem, qui de illo non aliquid sciat, somniet, glorietur,

Nulla quies intus, nullâq; silentia parte,
Crescit: & auditis aliquid novus adjicit autor.

Vidistis, Auditores, pulveris Sympathetici in nostris regionibus genealogiam, unà cum historia sanationis pulvere hoc peractæ admodum notabili: Tempus nunc est, ut veniamus ad ipsam discussionem, quæ in eô consistit, ut sciamus, quomodo res fiat. Et certè, fateamur oportet, rem esse maximâ admiratione dignam, quod læsi cujusdam hominis vulnus pristinæ sanitati restitui; vel inflammatio ejus ac dolor augeri queat, adhibito cuidam saltem linteolo vel ensi remedio idque magna etiam locorum intercapedine interveniente: Nec est, ut, quando institutâ longâ ac profundâ totius causarum naturalium (quas ad producendum istiusmodi effectum ingenii nostri acumen aptas natas judicare potest:) encyclopædiæ contemplatione, denique in veras incidimus, necessariò vires & media agendi admodum subtilia tenuiaque possidere, ullo modo dubitemus.

In hunc usque diem spissa caligine obductæ fuerunt, credebaturque, aditus ad illas tam difficilis, ut illi, (quos ego quidem vidi) qui exinde dicendi vel scribendi argumentum desumere animum induxerant, tantum abest ut nervum rei tetigerint, & quod dicitur, à capite ad calcem pertractarint, ut potiùs circa nassam ludentes, quasdam argutias, atque otiosas subtilitates super hoc proposito dixisse contenti fuerint, idq; magis ut ingenii acumen, atque eloquentiæ suæ vim & efficaciam ostentarent, quàm ut docentes quomodo res fiat, avidæ lectorum sive auditorum expectationi satisfacerent. Volunt, ut in terminis, quos nec intelligimus, neque quid significent, scimus, æquè ac numeratâ pecuniâ acquiescamus. Nobis obtrudunt nescio quas cohærentias, similitudines Sympathiam, virtutes magneticas, & id genus vocabula, ne verbum quidem dicentes, quid isti termini sibi velint, quisve sit eorum sensus. Rem magnam se præstitisse credunt, si cuidam obiter persuadeant, rem posse perfici per viam naturalem, nec opus esse, ut ad interventorem quendam dæmonem confugiamus; atque ita nullo modo nullaque ratione prætendunt inventionem solidorum argumentorum, quibus quomodo res fiat, demonstrent. Nisi me spes bona aleret, Auditores, fieri posse ut aliquid aliud ab ingenio vestro impertem, hoc est, si in re vobis persuadenda non nisi in verborum lenociniis confidere deberem, hānc quidem in me provinciam minimè suscepturus fuissem. Optumè enim novi, *quid*

ferre recuſent, quid valeant humeri. Tale propoſitum magnum ingenii acumen poſtulat, & fervorem; requirit cogitationes ſublimes ſubtileſque: perfectam linguæ cognitionem cum facundiâ exigit, atque verborum, quibus rem expreſſam volumus, proprietatem, ut quaſi ex improviſo in animum inopinantem inſinuemus ea, quæ aliàs multo conatu, atque argumentis remiſſioribus, quamvis ſolidis, obtinere quis minimè valeret. Talis oratio haud debet expectari ab extraneo, quid animi ſui ſenſa ea in linguâ quâ ne quidem cogitationes aliàs familiares, absq; difficultate exprimit, proferre cogitur. Nihilominus tamen, Auditores, omnis iſta conſideratio non obſtabit, quo minus moliar aliquid, quod quibuſdam poterit videri longè difficilius, quam eſt inſtitutum, quo de nunc mentionem feci, & quod ſcil. eo reſpicit, ut probē, atq; convincam ſanationem, quæ à Sympathia nomen habet, poſſe fieri naturaliter: utque vobis ad oculum demonſtrem, efficaciamq; ut quaſi manu palpare poſſitis, quâ ratione totum opus perficiatur. Nôſtis, Auditores, nihil æquè ad animos hominum perſuadendos facere, ac ingenioſam excogitationem argumentorum, quæ quando cum eleganti facundiâ proponuntur, imaginationem demulcent potius quam ut intellectui ſatisfaciant. At verò demonſtrationes quæ firmis ac ſolidis fundamentis ſuperſtructæ ſunt, licet omni exornatæ enunciationis ſplendore deſtituantur, nihilominus tamen convincunt, nec poteſt quin eas concluſio neceſſariò ſequatur. Illæ ipſæ veluti prelum ſeu ergata portę revellendæ adhibita, vel tanquam monetariorum machina laminæ, ut ea ſignetur, admota, procedunt, quavis factâ contorſione non niſi pedetentim, & quaſi inſenſibiliter ipſi adpropinquant, nec magnum edunt ſtrepitū, nec etiam, ut contorqueantur, validos nervos, magnaſque vires exigunt, ſed illorum vis & efficacia, quamvis lento & ſuſpenſo gradu progrediatur, usq; adeò inſuperabilis eſt, ut illa tandem portam effringat, hæc verò in auri vel argenti bracteâ veſtigia muniſmatis impreſſi admodum profunda poſt ſe relinquat; Contra verò malleorum percuſſiones (cum quibus ingenioſorum hominum variis elegantiæ floribus exornati ſermones optimè quidem comparantur) Gigantéa brachia requirunt, quæ dum magnâ vi invicem tolluntur, ingentem ſonitum reddunt,

Ut ſolet æthereô miſſus ab axe fragor;

Sed quando ad rem ipſam ventum eſt, fulgura è pelvi fuêre. Ut igitur opus aggrediar, primò omnium (jx. methodum demonſtrationum Geometricarum) ſex vel ſeptem principia, ceu lapides fundamentarios, ponam, quibus ædificium meum ſuperſtruam. At, me herclè, tàm firmiter ea locabo atque conſtituam, ut nemo tàm ſit futurus difficilis, qui eadem quoque approbare grave ducat. Hæc principia ſimilia erunt rotis machinæ Archimedis, cujus beneficiô parvulus etiam infans ingens Hieronis Regis navigium ſubducere poterat, quod aliàs centum boum paria, unà cum omnibus ex regio armamentario depromtis funibus ac rudentibus vix movere, ne dicam promovere valebant. Atque adeò operâ horum principiorum fore ſpero, ut concluſionem inde formatam, in opportunam ſtationem denique deducam.

Pri-

Primum itaque principium erit. Quod omnis orbis seu sphæra aëris luce repleta fiet. Si necessitas efflagitaret, ut hoc locô probarem, lucem esse substantiam materialem atque corporalem, non autem imaginariam & incomprehensibilem qualitatem, quemadmodum multi in Scholis persuadere conantur, illud quidem satis evidenter effectum darem. Imò abundè in alio quodam Tractatu, qui paucis abhinc annis in lucem prodiit, idipsum præstiti neque hæc nova est opinio; plurimi enim veterum Philosophorum, quorum maximo olim

In pretio ruga senilis erat,

eam jam dum confirmarunt, quin imò ipsemet S. Augustinus, Epistol. 3. ad Volusinum, eadem se esse in sententiâ apertè testatur. Verùm quantum ad præsens nostrum negotium attinet, quod scilicet lux sive hujus, sive illius naturæ sit, sufficit, ut cursum quem tenet, & quæ facit itinera explicemus, quâ de re sensus nostri nobis testimonium perhibent. Luce insuper meridianâ clarius est, quod dum continuô fluxu ex perennanti suo fonte, qui sol est, promanat, atque admirandâ celeritate ad lineas rectas quoquo versum se diffundit, ubi ab obstaculo corporis alicujus duri & opaci in viâ interrumpitur, ejusdemque cursus sufflaminatur, eadem repercutiatur, atque dehinc ad angulos æquales resiliat, aliâque viâ per aliam lineam rectam ingrediatur, donec iterum ab obvio corpore solido propulsa aliud in latus revolet, atque ita novos subinde resultus hincque & illinc perficere pergat, dum per omnes angulos à corporibus cursui ejus sese opponentibus agitata, tandem defatigetur, atque penitus extinguatur. Nimirum eò plane res recidit, uti videmus cum pilâ palmariâ comparatum esse: hæc à robusto ludentium brachio contra parietes missa, dehinc ad oppositum latus repellitur, ita ut non rarò totum sphæristerium circumvolet, cursumque suum propè locum, in quo inchoaverat, absolvat. Imò ipsimet nostri oculi hunc lucis progressum nobis contestantur, quoties illa locum, ad quem rectâ procedere nequit, reflexis radiis illuminat; vel quando eâ immediatè à sole proficiscente ac feriente lunam, vel aliorum planetarum quendam, radii, qui penitùs hæc subire corpora non valent, in terram usque nostram resultant (nisi enim hoc esset, videre eos haud possemus) atque illa dehinc repercutitur, frangitur, communiterve per tot corpora, quot diversis ipsius reflexionibus obviam eunt.

Secundum principium erit: Quod, luce dictô jam modo in corpus aliquod incidente, illudque percutiente, radii, qui non ulteriori progressu penetrant, sed in ejus superficie repercutiuntur, particulas quasdam seu atomos inde tollant, secumque auferant, non aliter ac pila lusoria, cujus modo mentionem fecimus, quandam ex muro vel pariete, contra quem propellitur, humiditatem tolleret, unaque secum auferret, si gypsum quô incrustatur paries, adhuc humidum esset, sicuti reverâ etiam aliquid coloris nigri, quò murus tingitur inficiturque, secum auferre consuevit. Ratio hujus rei est, quòd lux, ignis hic adeò rarus & subtilis, tàm admirabili sese diffūdens celeritate (namq; ejus jacula statim ac Sol caput suum supra nostrū Horizontē, tot millia milliarium tàm brevi & quasi imperceptibili temporis spatio emetiens, attollit

oculos nostros feriunt) & oppositum corpus perpendiculariter feriens non possit quin parva ibi vulnera, raritati suæ ac subtilitati respondentia, imprimat, atque cùm parvæ istæ & à suo trunco dissectæ ac separatæ atomi, sicuti omnia, quæ ordinata hæc mundi series complectitur corpora, ex quatuor elementis compositæ sint, pars lucis calida humidis, viscosis, ac glutinosis prædictarum atomorum particulis adhæret, easque secum per longinqua spacia deducit. Rerum magistra experientia æquè ac ratio veritatem hujus rei demonstrat.

Quando linetum quoddam aut pannus humidus ad ignem exsiccatur, radiique igniti in ea incidunt, tunc illi qui quod penetrent, non inveniunt, sed exinde repercutiuntur, corpuscula quædam humida unà secum auferunt, quæ inter linteum & focum quandam nebulæ speciem repræsentant. Sic etiam quando sol oriens terram à pluvia vel rore nocturno humectatam illuminat, tunc ejus radii nebulam levant, quæ pedetentim usque ad collium vertices ascendit, atque hæc nebula rarefit, & attenuatur, prout sol majorem sursum eam trahendi vim & efficaciam obtinet, usque dum tandem è conspectu nostro aufugiat, inque partem aëris abeat, quæ ob summam suã tenuitatem à nobis videri nequit. Hæ ergò atomi similes sunt equitibus, in equis alatis sedentibus, qui magnis itineribus progrediuntur, donec sol occidens pegasos, quibus vehebantur, retrahit, abducitque & denique omnes sine jumento relinquit: & tunc turmatim in terram, unde prius attracti fuerant, præcipitantur: pars eorum maxima & quæ pondere deprimunt, effunduntur statim ac sol in vesperam vergit, atque hæc diei pars crepusculum vocatur, quod licet ob raritatem oculorum aciem effugiat, non tamen obstat quò minus sentiatur instar innumerabilium malleolorum, qui & capita & corpora nostra percutiunt, imprimis ætate provectiorum; juvenes enim ob sanguinis ebullitionem, & temperamentum calidum magnam spirituum copiam è corpore propellunt, qui cùm eorum, quos lux crepera excutit, vires longè superent, illos repellunt impediuntque, ut non tantâ efficaciâ in corpora, ex quibus spiritus isti profluunt, agere possint, quàm solent in illos, qui annorum progressu frigidiorem nacti temperiem nihil tale à tam forti spirituum emanatione, quippe quâ parùm gaudent, sibi promittere possunt. Ventus qui flat, & qui longè lateque fertur, nihil est aliud, quàm fluvius ingens similium atomorum attractarum à quibusdam corporibus supra terram, postmodumque hinc inde jactatarum, prout causas effectui huic idoneas offendunt. Recordor, me aliquando evidenter vidisse, quomodo ventus generetur: Transibam sub initium æstatis montem Cenisium, profecturus in Italiam, atque jam medium montis superaveram, cum sol pulcherrimo splendore coruscans surgeret. Verum antequam ipsum solis corpus, cujus aspectum ingens montium altitudo oculis adhuc invidebat, conspicerem, diligenter observabam ejus radios, qui deaurabant cacumen montis Vesuli, qui est rupes instar pyramidis acuminata, altitudine suâ montem Cenisium, ac omnes qui illum circumdant, multùm superans: Imò plurimi ea sunt in opinione, si excipias montem Picum, qui in Insula Teneriffa, inter Fortunatas, conspicitur, cum ex altissimis

ſimis orbis totius montibus eſſe; præterea perpetuis mons hic nivibus obtegitur: Ibi, inquam, obſervavi, eô in locô qui radiis ſolaribus illuminabatur, nebulam quandam formari, quæ in initio non majore extenſione prædita, ac pila ſeu globus magnus eſſe ſolet, apparebat, brevi tamen tempore tantum incrementum ſumſerat, ut tandem non ſolummodò hujus, verum etiam circumjacentium montium vertices nube quadam penitùs obtegerentur.

Jamque ſummum montis Ceniſii apicem conſcenderam, ac animadvertens, me in lineâ rectâ, quæ ex ſole verſus montem Veſulum procedebat, poſitum eſſe, pedem ibi fixeram, ut dum mei, quod aſcendendi montis ipſis reliquum erat, totum conficere ſudabant, interea eum intuerer: etenim ego, cùm plus cæteris mecum haberem hominum, qui ſellam meam portarent, progreſſu velociori montem conſcendi.

Nec multum temporis ibi fueram commoratus, quando nebula ſeſe demittens videbatur leviter ad locum, ubi eram, inclinare, incipiebamque ſentire auram frigidiuſculam, quâ cùm eò reſpicerem, facies mea excipiebatur. Cumque omnis meus comitatus ad me conveniſſet, per alteram montis Ceniſii partem verſus Suzam, deſcendere aggrediebamur, & prout deſcendebamus, manifeſtè percipiebamus, ventum majori impetu in dorſum noſtrum ferri; via enim noſtra per locum apricum nos ducebat. Obviam autem nobis veniebant nonnulli viatores, qui per eum locum ubi nos deſcendebamus, adſcendebant, dicebantque, ventum plus infra maximo cum impetu ſpirare, ipſisque magnam moleſtiam creâſſe, faciem, oculosque perflando: verùm quo magis ad verticem montis accederent, eô minus vehementem deprehendere. Nos vero, quando eò loci perveneramus, ubi ventum tanto cum impetu erumpere dixerant, veluti procellæ ſpeciem incidiſſe nobis videbamur, quæ magis magisque in deſcenſu augebatur, donec ſol jam dum exortus per hanc lineam rectam eum haud amplius attrahebat, ſed alia in orâ ventum excitabat. Incolæ hujus regionis aſſeverabant hoc ſemper ita evenire, quotiescunque accidens quoddam violentum & peculiare conſvetum ejus curſum non averteret, qui quidem in eô conſiſtit, quod ſcilicet certâ diei horâ certo quodam in angulo levari ſoleat, & quando Sol ad aliud punctum pervenit, alius ventus exoriatur, atque ſic quaſi de manu in manũ angulos ſeu puncta commutet, usque ad Solis occaſum, qui ſemper tranquillam tempeſtatem affert, ſi tempus ſerenum fuerit: & quod etiam ventus ſemper circa montem Veſulum ſoli oppoſitum, levetur. Dicebant inſuper nobis, ventum hiſce locis familiarem ſemper vehementiorem eſſe ſolere propè montis radices, quàm propè ejus verticem: cujus rei cauſa ſatis eſt evidens; namque motus naturalis uniuscujusque corporis æquè ac rerum gravium, ſemper quoad celeritatem augetur, prout centro ſuo appropinquat, idque numero impari (veluti Galilæus ingenioſè hanc rem demonſtrat, quam & ego alio quidem in tractatu enucleavi) hoc eſt, ſi primo momento progreſſus ejus ulnam æquat, in ſecundo æquabit tres ulnas, in tertio quinque, in quarto ſeptem, atque ſic ſemper eodem modo motus hic incrementum capere pergit, quæ res ex denſitate atque figurâ corporis deſcendentis & agentis inceſſibili-

cessibilitatem Medii provenit. Atque hæc corpuscula, quæ ventum ex monte Vesulo venientem causant excitantque, densa & terrestria sunt: cùm enim nix ex partibus aquosis atq; terrestribus à frigore invicem unitis constet; radiorum solarium calore easdem separante, viscosæ partes unà cum illis avolant, dum terrestres, quæ ob grave pondus altiùs ascendere nequeunt, statim in terram decidunt. Hoc mihi rem notatu satis dignam in memoriam revocat, quæ mihi acciderat, quando cum meâ classe in portu Allexandrettæ, ad extremum maris Mediterranei angulum, versabar. Eò descendere solent, qui Alepum, vel Babyloniam petunt. Absolveram jam omne quod in hisce maribus peragendum mihi proposueram, & felici cum successu extremam negotio manum admoveram, valdeque mea intererat, ut tàm brevi quidem ac fieri posset, tempore, in Angliam reverterer, idque eò magis, quòd omnes meæ naves disc ussæ adhuc fractæq; fuerant ob acre prælium quod paucis antè diebus commiseram cum classe maximâ & formidabili, quæ, licet victoria in nostram denique partem inclinaverit, in tam strenuâ dimicatione, illud sanè detrimenti attulit, ut classem meam mirum in modum dissiparet, atque mea navigia militibus vulneratis prorsus adimpleret. Igitur, ut viam maximè compendiariam, quæ in locum securum, & reparationi nostræ idoneum duceret, dispiceremus, omnes classis meæ navarchos, ducesque & nautas longo rerum usu edoctos convocavi, qui intellectâ animi mei sententiâ, uno omnes ore, concluserunt, iter omnium tutissimum esse ut descendamus versus Meridiem, totamque Syriam, Judæam, Ægyptum & Africam præterlegamus, atque hoc modo ostia Freti Herculis intremus: nosque insuper, terram ita legentes, singulis noctibus regulariter parvum aliquem ventum ex terrâ, in mare delatum habituros fore, quo à puppi adjuti brevi temporis spacio iter nostrum perficere valeamus neque periculum tàm magnum nobis metuendum, ut ne in Classem Gallicam vel Hispanicam incidamus. Etenim Anglia tunc temporis contra hæc duo regna bellum gerebat, nosque certiores facti fueramus, hàs classes optumè instructas propè sua littora nos expectare, ut vindictam de nobis sumant, damnumque & jacturam, quam per 16. menses, quibus omnia in hisce maribus in nostram potestatem vertebantur, utraque Natio à nobis perpessa fuerat, probè ulciscantur. Quod periculum ut effugiamus, satis quidem causæ (ajebant illi) nobis esse, quippe quorum res eô in statu positæ sint, ut solliciti potius esse debeamus, quod virium superest, ad commodum portum omni cura omnique studio quærendum impendamus, in quo securi classem quassatam reparare queamus, quam ut denuo novi certaminis aleam subire animum inducamus: quam satis superque jam dum nos expertam esse, jure meritoque quis affirmare posset. Mea autem opinio illorum sententiæ planè contraria fuerat. Credebam optimè nos facturos, si versus Septentrionem cursum nostrum dirigeremus, & Ciliciæ, Pamphiliæ, Lydiæ, Natoliæque seu Asiæ minoris littora rectâ viâ legeremus, trajiceremus, fauces Archipelagi, relictoque à dextrâ parte Adriatico mari Siciliam, Italiam, Sardiniam, Corsicam, Sinumque Legionensem pernavigaremus, totiusque Hispaniæ terram legeremus: ipsis simul ob oculos ponebam, quàm

magno

magno nobis futurum esset dedecori, si metuentes hostium occursum, ejus evitandi gratiâ ab optimâ viâ deflecteremus, cùm tamen nullam aliam ob causam in has oras venerimus, quam ut illos ubique locorum quæreremus: addebam præterea divinum auxilium, quo DEUS Opt. Max. pro immensâ suâ bonitate tot tantisque in præliis nobis assistere & incolumes conservare dignatus fuit, bona nos alere spe debere, fore, ut etiam ex periculis, quæ revertentium cervicibus imminere, & accidere possent, voto compotes eripiamur: neq; ullum esse dubium viam, quam illis proponerem, si simpliciter saltem & in sese consideretur, nulla sine comparatione longè meliorem expeditioremq; esse, qua ex Mari Mediterraneô in Oceanum exeamus: idq; eo magis (dicebam illis) quod etiamsi habeamus ventum ex terra, quamdiu Syriæ Ægyptique ripam præternavigabimus, omni tamen penitus destituemur vento Lydiæ littus legentes, ubi Syrtes sabulosæ in conspectum veniunt, & per immensa spacia se extendunt, hâc terræ parte omni prorsus humiditate destitutâ; (neque enim herbæ, nec arbores ibi crescunt, nihilque ibi nisi sabulum, & arena inveniuntur, quibus olim ingens Magni Regis Cambysis exercitus simul contectus, sepultusque fuit) Jam verò ubi nulla est humiditas, Sol nihil potest attrahere, ex quo postea ventum producat: adeò ut nunquam (imprimis verò æstate) alium ibi ventum simus habituri quam consuetum & regularem, qui tenet cursum ab Occidente ad Orientem, secundum cursum Solis (qui ventorum Pater est) nisi præter solitum vel ex Italica terrâ, quæ versus Septentrionem sita est, vel ex imo Æthiopiæ angulô, ubi montes Lunæ domesticantur, & catarractæ Nili sese exonerant, Æolus quâ data porta ruit, ventos emittat: Tunc verò temporis, pergebam, quando propè Syrtibus abessemus, ventus ex Italia delatus certò certius efficeret, ut omnes naufragio periremus: Atque hunc in modum ratiocinabar, causas naturales examinans, cum senatus meus bellicus experientiâ suâ tanquam firmo talo niteretur. Hæc fuit causa, ut nihil contra unanimem omnium consensum moliri voluerim: etsi enim summam imperii unicus tenebam, mihi tamen videbar jure meritò contumaciæ & temeritatis accusari posse, si meam unius sententiam communi reliquorum calculo, unanimique subscriptioni præferre nullus dubitarem. Quare, hanc viam aggressi fuimus, bonisque avibus usque ad æstuosas Libyæ Syrtes pervenimus: at vero hic loci venti exoptati flare cessabant, ita quidem, ut integro triginta septem dierum spacio, nil nisi Zephiri quidam, ab occidente, quo nos tendebamus, venientes, aliorum loco, nos afflarent. Hinc etiam per totum illud tempus in anchoris stare cogebamur, maximo timore perculsi, ut ne ventus in septentrionali regione exortus vehementi impetu in nos rueret, quo quidem facto, res conclamata, deq; nobis actũ fuisset: eoq; certiùs quod nostræ anchoræ in mobili illo sabulo pedem figere minimè potuissent, etenim sub aquâ arena hæc ejusdem, ac in locis siccis, est naturæ, atque ita in illam oram ejecti fuissemus, ibiq; naufragium fecissemus. Verùm enim vero DEUS, qui, ut hodiè vestro mactatus honore ad vos verba facerem, voluit, illi me periculo subduxit. Finitis ergo triginta septem diebus observavimus nubes in summo aëre cogi, quarum cursus à Vulturno procedebat, qui

in prin-

in principio lento gradu progrediebatur, singulis tamen horis magis, magisque invaluerat, ita ut biduo elapso ventus, qui in Æthiopia plurimum hinc distante natus fuerat, veluti maxima tempestas apud nos eruperit, navimque rectà prosequens brevi ad præfixam metam tulerit, & profectò nisi tanto impetu ingruisset, vires ejus fractæ & dissipatæ fuissent, priusquam tanta locorum intervalla emensus ad nos pervenisset. Ex jam dictis colligere possumus, quod ubicunque reperitur ventus, corpuscula quoque seu atomi reperiantur, quæ attractæ fuerunt à corporibus illis in locis existentibus, ex quibus vi & efficaciâ Solis ac luminis ventus productus est: quodque hic ventus reverâ nihil aliud sit, quàm istiusmodi atomorum facta impetu quodam huc illuc agitatio. Atque sic venti semper redolent loca, ex quibus proficiscuntur, nempè, si à Meridie spirant, calidi sunt; Septentrionales verò frigidi; si è terra solum deferuntur, sicci; sin verò ex mari erumpant, humidi esse consueverunt: sic etiam è locis suavi odore fragrantibus venti odorati, sani, & admodum jucundi exoriuntur, uti ferunt esse eos, qui ex Arabia felici veniunt, quæ omnis generis aromata, suffimenta, & benè olentia gummi producit; nec non etiam ille, qui tempore, quo rosæ florere solent, procedit ex pagis Fontenay & Vaurigard, & Lutetiam Parisiorum fertur, qui totus quasi fumigatus & mirâ odoris suavitate delibutus naribus offertur: contra verò qui ex locis tetris & fœtidis, ut e. g. Sulphureis Puteolis (vulgò Pozzolo dictis) erumpunt, gravissimum fætorem redolent: illi verò ex locis infectis atque pestilentibus qui veniunt, μίασμα secum adferunt, unde postea

Omnia languor habet; sylvæ, agriq́, viæq́,
Corpora fœda jacent, vitiantur odoribus auræ.

Tertium meum principium erit: Aërem undiquaque hisce corpusculis sive atomis plenum esse; vel potius id, quod nos aërem appellamus, nil nisi mixtionem & confusionem talium atomorum esse, ubi quidem partes aëreæ prædominentur. Luce suâ, quod dicitur, radiat, nullum in rerum universitate elementum omninò purum, ac planè homogeneum reperiri: ignis enim externus & lumen agens ex unâ parte, tumque internus calor uniuscujusque corporis agens ex alterâ parte miram, omnium rerum in singulis commistionem faciunt. In maxima hac regione, ubi aërem locamus, satis profectò spatii residuum est, nihilque planè obstat, quo minus istiusmodi mixtio produci possit. Experientia æquè ac ipsa ratio hanc rem confirmat.

Vidi viperarum catulos nuper exclusos, qui pollicis longitudinem haud superabant: hi, postquam in magna cucurbitâ papyro optimè quidem circum circa ligatâ, sed perforata, ut liberè aër ingredi posset, omnis tamen illis exitus prohiberetur, asservarentur, sex, octo, vel decem mensium spatio in tàm prodigosam magnitudinem excreverunt, ut res fidem superet, idque factum est longè evidentius tempore æquinoctiorum, quo aër atomis istis ætheris atque balsamicis quasi redundat, quæ potenter ab his viperis attractæ, communicando suam illis virtutem balsamicam, anguinam in ipsis causabant vernationem.

Unde

Unde non injuria dixit Cosmopolita: *Esse in aëre occultum vitæ cibum.* Parvæ hæ viperæ etsi nil nisi solum aerem pro nutrimento habebant, nihilominus tamen subtilissimi hujus cibi beneficio, priusquam annus præter lapsus fuerat, tantum incrementum sumserant, ut unius pedis longitudinem exæquarent; cæterùm satis crassæ & ponderosæ fuerant. Vitriolum, Salpetra, aliæque nonnullæ substantiæ eodem modo augentur; beneficio scilicet solius aeris attractionis. Recordor jam, quod aliquando (septendecim, vel octodecim ferè sunt anni) libra una vel alterâ olei Tartari opus mihi fuerit: eram autem Parisiis, ubi nec laboratorium, neque qui operariam negotio huic Chymico manum admoveret, mecum habebam.

Quare Dn. Ferrier, virum omnibus doctis satis cognitum, adii, eumque rogavi, ut hujus olei copiam mihi faceret; cum vero nihil præparati olei in promtu haberet, & tamen, viginti libræ Tartari æquè facili negotio ac duæ saltem calcinentur, nec sumptus propterea majores requirantur, majori in quantitate oleum jam dictum unâ eâdemque operâ conficere, constituit, ut & proprio usui aliquid reservare posset. Quando verò prædictum mihi oleum apportaverat, odore rosaceo adeò flagrabat, ut de ejus fide conquererer, propterea quod aquam rosarum huic oleo immiscuerit, cùm tamen illum rogassem, solummodò per deliquium, aut aeris humidi expositionem illud conficeret. Ille verò jurabat, se nullum planè liquorem admiscuisse, sed calcinatum Tartarum in cella reposuisse ut suâ sponte dissolveretur. Tum temporis roseta in florem se induebant, unde etiam videtur, quod, aere atomis ex rosis attractis pleno existente, seque ob fortem Salis Tartari attractionem in aquam mutante, eôdem odor naribus se obtulerit in loco, in quem unà coactæ fuerant; quemadmodum radii Solares, quando in speculo ardenti congregantur, ignem producere consueverunt. Præter hanc, alia adhuc res satis mirabilis, oleum hoc Tartari concernens, accidit, quæ ad probandam propositionem, quam nondum attigimus, facere apta nata erit: Verùm ut ne inceptæ telæ filum abrumpamus, eam hîc præliminari sermone perstringam. Cùm itaq; ea anni pars, quâ rosæ florescunt, ad finem tenderet, oleum hoc aquam rosarum redolere cessârat, ita quidem, ut odor ille inter tres vel quatuor menses penitùs evanuerit. Verum enim verò magna animum admiratio subiit, cùm sequenti anno, eâdem anni tempestate recurrente, recurreret etiam rosaceus odor iste æquè ac olim fragrantissimus, atque per hyemem denuò deflueret, quem posteà ordinem singulis annis observavit, quam ob causam Dn. Ferrier oleum illud, quod ipsemet ultimâ æstate apud illum odoratus fui, tanquam rem oppidò raram asservat. Londini experientia hanc doctrinam non sine maximo nostro incommodo confirmat; ibi enim aer istiusmodi atomis penitùs abundat. Materia, qua in vasta illa urbe focum extruunt, constat imprimis ex carbonibus fossilibus, qui ex Neufcastell, & Scotia apportantur. Hæc carbonum species plurimum salis volatilis acerrimi in se continet, qui unà cum fumo in auras delatus, totum in aerem se diffundit, eumque penitus replet. Et sanè aer dictâ jam salis volatilis acredine adeò refertus est, ut licet oculis haud videatur, nihilominus tamen ejusdem effectus & in-

M commo-

commoda satis maturè sentiantur: etenim non solum lectos, aulæa, velaque Regia perdit, sed etiam alias res mobiles & utensilia pulchra, siquando splendido colore coruscant, brevi tempore aer hic fuliginosus obscurat, atque livore obducit. Sic etiam si quis conclave claudat, nec per aliquot menses illud ingrediatur, tandem verò his præterlapsis, illud & quicquid in eô asservatur, expurgare velit, omnem supellectilem farinâ fatuâ nigrâ obductam reperiet, pariter ac in molâ seu pristino istiusmodi farina alba conspieitur: quin imo in arcas quoque se insinuat, & manifestè in linteo vel papyro, ut & aliis in rebus candidis ibi reclusis, deprehenditur: etenim collaria & alia lintea alba plus ibi conspurcantur uno die, quam aliàs per decem, si in campo extra hunc umum, & fuliginem sito expandantur: hac etiam in urbe tempore vernali, quando arbores florent, omnes flores albos fuligine obsitas cernere est. Cum autem hunc ipsum aerem omnes urbis incolæ, ad refrigerandos pulmones attrahant, accidit, ut phlegma quod respuendo expectoratur, nigrum planè & fuliginosum sit: præterea acris & salsæ hujus fuliginis effectus, planè funestus esse solet: quandoquidem omnes hanc urbem inhabitantes inflammationi, & exulcerationi pulmonum maximè obnoxios reddit. Nec mirum, cùm sit adeò mordax & corrodens, ut carnes bubulas vel alias ut fumo indurentur, in fumario appensas, tam valdè & velociter exsiccet, ut penitus eas corrumpat. Qui itaq; pulmones habent debiles & minus firmos, hoc incommodum illicò animadvertunt, unde etiam fit, ut dimidia ferè hominum pars, qui Londini diem supremum obeunt, peripneumoniaci vel phthisici moriantur, atque continuò sanguinem exulceratis pulmonibus expuentes vitam cum morte commutent. In principio morbus hic Curatu est facillimus: etenim nil aliud facto hîc opus est, quam ut ægri aerem commutent. Maxima pars Parisios proficiscuntur, imprimis quibus sumptus ad iter necessarii suppetunt, atq; brevi pristinam sanitatem recuperant. Idem quoq; licet minus validè, accidit Leodii, ubi vulgus, æquè ac Londini, nil nisi carbones bituminosos comburit. Quin immo ipsa Lutetia Parisiorum, licet aer istius regionis purissimus sit, non omninò ab istusmodi incommodis libera est: namq; cœnum illud putidum, quo vici magnæ hujus urbis omnimodè conspurcantur, aeris hujus puritatem manifestè corrumpit, dum eum atomis cœni, ex quo prodeunt, fætorem redolentibus replet, quæ nihilominus tamẽ non sunt tam perniciosæ, quam quibus Londinum infestatur; ubi quotidiè observare est vasa argentea, optimè facta, & hinc mirum in modum nitida, dum aeri exponuntur, perexiguo tempore sordibus ac livore coinquinari, quæ res non nisi ab atomis istis nigris (qui genuinus putredinis color est) argento fabrefacto adhærentibus provenit, præterea quo metallum est splendidius, eo manifestius in illo apparent. Novi virum quẽdam primarium imprimis mihi amicum, ille habitat quodam in loco, ubi ex alterâ domus parte angiportus est, quem homines, quibus res angusta domi, ut poeta canit, inhabitant, nec nisi rarò admodum currus seu currucæ, nunquam verò carpenta transeunt. Vicini quorum domunculæ ultimas ejus ædes respiciunt, cùm munditiei parum studeant, sordes suas in medium vicum projiciunt, qui exinde totus cœnosus con-

conſpicitur. Longo temporis ſpatio præterlapſo plauſtra, quæ amovendis ſordibus dicata ſunt, eò quoque veniunt: quando verò eluviem iſtam peragitabant, vix credi poteſt, quantus inde fętor totum aerem infecerit, ac ſeſe naribus obtulerit. Eodem quo hæc fiunt momento, Amici mei ſupra dicti famulitiũ accurrit, ut lanâ, aut goſſypio vel alia quadam veſtiariâ materia ſpongioſâ, pannôq; criſpato vaſa ejus argentea ſubicesq; focarios, quos ancillæ illius ſedulo defricant, optumèq; curant, obvolvat: etenim hoc neglecto, omnia nigro colore tingerentur, haud aliter ac ſi levi atramenti cuticulâ obducta eſſent: nihil tamen horum in aere videre eſt; verùm hæc experimenta ſatis evidenter oſtendunt, convincuntque aerem iſtiusmodi atomis undique refertum eſſe. Non poſſum quin aliam huic experientiam hoc loco adjungam, quæ quidem in eo fundatur effectu, quô radios lunares frigidos humidosve eſſe perſuademur. Certum eſt, hos radios quidquid luminis obtinent, id omne Soli acceptum ferre, cùm Luna in ſe & ſuâ naturâ omni luce deſtituatur, quâ de re nobis eclipſis ejus fidem facit, quæ fit quoties terra ipſi Solique interpoſita prohibet, quominus ille lunare corpus ſuo ſplendore illuminet, tumque etiam accidit ut luna planè ſileat.

Atq; tegat mœſtam nigrâ ferrugine frontem.

Igitur radii ex Lunâ promanantes, illi ipſi ſunt, qui ſolem patrem agnoſcunt, & lunam percutientes usque ad nos reflectuntur: advehuntque ex ſidere hoc frigido & humido, fontem unde fluunt, apertè redolentes. Quodſi itaque in ſpeculo concavo, vel ſplendidâ pelvi colligantur & in conum deſinant, illico videbitis, loco quo radii ſolares ita congregati urere verumque ignem producere ſolent, hoſce contrario planè modo valdè frigefacere & humectare: imo etiam ſupra ſpeculum ſubſtantiam quandam aquoſam, viſcoſam, glutinoſamq; relinquere. Res vana & ridicula videri poſſet, lavare manus in pollubro argenteo ſplendido, in quo neq; aquam, neq; quicquam aliud præter reflexos lunæ radios conſpicere liceret: & nihilominus tamen, ſi per aliquod tempus actio hæc continuetur, manus planè humectatæ deprehendentur: quin imò inſigne hoc præſensvè remedium eſt ad verrucas manuum, eradicandas, ut ut in maximo numero exiſtant, modo ſæpius hæc cura reiteretur. Agedum, concludamus ex his experimentis jam in medium allatis, aerem atomis plenum eſſe, quæ beneficio luminis exinde reſultantis à corporibus attrahuntur, aut quæ ex illis promanant mediante calore naturali & inſito ipſorummet corporum, qui eas propellit. Impoſſibile forſitan videbitur, dari emanationem adeò magnam corpuſculorum, hoc modo per aerem expanſorum & tam longinquè ſublatorum per fluxum, ut ita dicam, continuum, nec tamen corpus, unde exeunt, ut plurimùm, ullam perceptibilem diminutionem perpeti: ut plurimum dixi, etenim interdum ea valdè viſibilis eſt, veluti in evaporatione ſpiritûs vini, moſchi, aliarumque iſtiusmodi ſubſtantiarum volatilium. Verum enimverò hæc objectio facilè corruet, principiaq; duo præcedentia plus fidei acquirent, ſi quartum poſuerimus, quod erit: Omne corpus, etiamſi minimæ ſit quantitatis, in infinitum dividi poſſe: non quidem quod actu infinitas partes habeat, (etenim contrarium demonſtrari poteſt) verùm

 quod

quod possit semper in novam partem dividi ac subdividi, nec tamen ad divisionis finem perveniatur. Atque in hoc sensu Præceptores nostri, quantitatem in infinitum divisibilem esse asserunt, & docent: idq; facili negotio patebit ei, qui essentiam & formalem quantitatis rationem accuratè considerabit, quippe quæ non nisi in ipsamet divisibilitate consistit. Quoniam verò hæc speculatio admodum subtilis & Metaphysica est, ad eam probandam demonstrationibus quibusdam Geometricis utar: hæc enim imaginationi facilius imprimuntur. Euclides Proposit. 10. libr. 6. nos docet, quod si sumatur linea brevis, & linea longa, atq; longa in plures invicem æquales dividatur, minorem æquè posse dividi in æquales atq; etiam unamquamq; harum iterum in tot dividi: atque ita semper procedi, nec tamen ad indivisibile quid perveniri posse. Verùm sit ita (licet impossibile sit) ut linea in tantum dividi & subdividi queat, ut tandem ad indivisibiles perveniamus, & quid de hoc futurum sit, videamus. Dico itaque, cum linea in indivisibiles resolvatur, ut ex illis quoque composita sit, oportere. Videamus quomodo hoc sequatur. Ut hoc perficiam, tres sumo indivisibiles, quæ, ut ritè distinguantur, notentur Lit. A B. & C. (etenim si tres myriades invisibilium lineam longam constituunt, tres indivisibiles brevem component) Has itaque hoc ordine dispono: primùm pono A. deinde huic adjungo B. ita quidem ut unum alterius latus premat; & jam dico: B. necessariò idem occupat spacium quod A. aut non occupat. Si occupat idem spacium: hæc duo simul nullam extensionem parient, atque eandem ob rationem neque 3. neque 3000. aliquam extensionem producent. sed omnia hæc indivisibilia in unum coibunt, cogenturq;, & quod inde resultat non nisi unicum indivisibile existet. Necessario igitur oportet, ut cùm ambo idem spacium non occupent, nihilominus tamen unum alterum attingat, altera pars lit. B. attingat partem lit. A. altera verò pars eam haud attingat. Igitur his adjungo indivisibile C. cujus una pars tanget partem B. quæ non attingit A. atq; hâc ratione B. est copula seu Medium inter A. & C. ad producendam istam extensionem. Ut hoc effectum detur, ipsemet videtis, necessarium esse, ut admittantur partes in B. nec non etiam in reliquis duobus, quæ ex vestra suppositione pariter indivisibilia sunt. Quod cùm sit absurdum, suppositio impossibilis existit. Verum ut res adhuc clarior reddatur, ponamus, tria hæc indivisibilia parere extensionem, lineamque constituere: propositio jam allegata ex Euclide demonstrat, quod hæc linea in triginta, vel tot quot vobismet ipsis placuerit, æquales partes dividi possit. Ita ut necessariò concedatur, unumquodque trium horum indivisibilium in decem partes dividi posse, quod tamen contra indivisibilis naturam & definitionem est. Verùm citra divisionem in tot partes, Euclides proposit. 10. Element. 1. demonstrat, omnem lineam in duas partes æquales dividi posse. Jam verò hæc cùm ex indivisibilibus numeri imparis composita sit, necessariò sequitur, dum illam in duas partes dividimus, in horum alterâ indivisibile quoddam superesse; aut illud quod in medio reperitur, in dimidias partes divisum esse. Atq; ita qui quantitatem in infinitum dividi posse negat, incomprehensibilibus absurditatibus, rebusq;

planè

planè impossibilibus, sese involvit; contrà verò qui hoc concedit, nullam impossibilitatem aut absonum in hoc inveniet principio, quo asseritur, atomos omnium corporum in aere existentium, ad maximam usq;, & admirabilem distantiam dividi, extendi & deferri posse, Sensus nostri aliquo modo rei hujus fidem faciunt. Nullum in universo terrarum orbe corpus est, (quod sciam) æquè compactum, ponderosum, & solidum, ac aurum esse videmus: nihilominus tamen, ad quam, quæso, admirabilem extensionem & divisionem reduci potest? Sumamus unicam unciam metalli hujus solidi, quæ vix unius digitorum meorum extremitatem excedet. Bractearius unicam hanc unciam in mille folia auri, immò longè plura, attenuabit. Dimidium verò tale folium, seu auri bractea ad deaurandam superficiem massæ argenti trium vel quatuor unciarum sufficiet, quod si postea massam hanc deauratam afferamus illis qui aurum & argentum nere solent, ut exinde vestium segmenta limbique conficiantur: ducant dein fila aurea tam longa & subtilia quantum quidem fieri potest, ad capilli tenuitatem reducent, atque ita hoc filum, longitudine sua octavam leucæ unius partem, & quod excedit, adæquabit, atque in omni hac longitudine nullum reperietur vel unius atomi spacium in sua superficie, quod non sit planè deauratum. En! igitur admirandam dimidiæ hujus auri bracteæ dilatationem! Procedamus nunc eodem modo cum hoc auro laminato residuo, nullum dubium est, quin parva ista auri massa eô usque extendi queat, ut ex hac urbe Monspelii egrediens usque Lutetiam Parisiorum, immo etiam plus ultra pervenire possit. Jam autem in quot, quæso, myriades atomorum inaurata hæc linea discindi forficulâ posset? Sed verò unusquisque haud difficulter comprehendit, extensionem atque divisibilitatem quæ fit beneficio rudiorum organorum, putà marculorum, aurinetrinarum, forficum, &c. minimè posse comparari cum illa quam lux ipsa, radiique Solares producunt. Certum enim est, quod si aurum hoc ad tam magnam longitudinem per rotas dentatas & reticulum ferreum diduci aptum natum est, facilè etiam possit, ut nonnullæ ejus partes à Pegasis illis alatis, quorum supra mentionem fecimus, auferantur; Radios Solis hîc intelligo, qui momento temporis à Sole usque in terram advolant. Nisi timerem, nę vobis longiori sermonis protractione fastidium parerem, de mira subtilitate atomorum, quæ ex corpore vivente prodeunt, verba ad vos facere animus esset, quorum atomorum beneficio canes nostri Britannici ad multorum milliarium distantiam odoratu indagabunt, prementque vestigia hominis vel bestiæ alicujus ante aliquot horas per eundem locum delatorum, atque ita investigando hominem vel bestiam desideratam haud dubiè invenient: Quin immo etiam lapidem, quem quis manu tetigerit, maximo ex lapillorum acervo illicò eruent.

Nonnullæ itaque partes materiales corporis lapidem antea contrectantis terræ lapidique adhæreant, oportet; at verò corpus illud quoad sensum haud magis diminuitur, ac ambra grysea, & pelles Hispanicæ, quibus etiamsi per centum annos odorem suum exhalant, tamen ne minimum quidem tàm quoad quantitatem, quàm

odorem, decedere experientia testatur. In mea patria mos obtinuit, ut singulis annis unicum saltem seminis genus omnibus agris mandetur, nimirum hoc anno hordeum, sequenti verò frumentum, tertio fabas seminare solent, quarto autem anno agrum incultum quiescere sinunt, ut postea stercoretur, atque attractione spiritûs vitalis per aerem dispersi in integrum restituatur: hæc ubi peracta sunt, eodē denuò ordine labores repetuntur. Anno autem quo terra fabis consita est, viatores qui tempore, quo fabæ florem aperiunt, iter faciunt, ad magnam eas locorum distantiam, si scilicet ventus eò feratur, odorantur. Odor autem iste suavis quidem est, sed quasi fatuus, qui progressu temporis, in ingratum planè desinit, caputvé tentat. Verùm enimverò odor rorismarini, qui ex orâ maritimâ Hispaniæ efflatur, longè majora intervalla penetrat, ac emetitur. Ter vel quatuor has oras præternavigavi, semperque observavi, nautas ad unguem quasi tenere, quando triginta vel quadraginta milliaribus (non amplius distantiæ exactè recordor) ab hac regione absunt, idque ex fragrantissimo rorismarini odore illinc efflato cognoscunt; imo ego etiam ipsemet odorem hunc æquè validè percepi, acsi avulsum rorismarini ramum manibus tenerem: accidit autem hæc nobis res duobus vel tribus antè diebus quàm in conspectum terræ proveheremur, sed ut verum fatear, adverso tum temporis vento utebamur. Monumentis historiarum proditum est, vultures quandoque per ducenta vel trecenta milliaria advolasse, sectatos odorem acervi cadaverum, quæ post cruentam cladem inhumata jacebant; præterea pro certo cognitum habebatur, vultures hosce ex tàm longinquis locis advenisse, quòd id genus avium in viciniâ planè infrequens fuerit. Vultures autem sagacissimè odorantur; & sanè putridas putidasque cadaverum atomos per spacia æquè longinqua in aere perlatas fuisse, oportet, avesque istas, cum semel odorem hunc persenserint, illius vestigiis inhæsisse, usque dum ad ipsam morticiniam pervenerint, credendum est, idque eò magis quod odor seu potius fætor istiusmodi, quo propiùs abest, eò apertiùs naribus offerri solet. Imponemus hîc finem sermoni, qui habendus venerat de insigni extensione corpusculorum, quæ Solis lucisq; beneficio ab omnibus corporibus ex quatuor elementis compositis exeuntia, aeris regionem adimplent, nec non ad stupendam loci & corporis, unde originem suam trahunt, distantiam deportantur: ad cujus rei probationem explicationemq; omnis meus sermo hactenus collineavit.

Nunc autem oportet, Auditores, ut vobis ostendam, corpuscula illa, quæ aerem cumulatè explent, componuntque, interdum per viam planè ab illâ, quam causæ eorum universales ipsis præscribere deberent, differentem attrahi; quæ assertio quintum nobis principium constituet. Plures attractionis modi in naturæ cursu & œconomiâ observari queunt, ut e. g. ille, qui suctione perficitur, cujus beneficio vidi pilam plumbeam in fundo bombardæ oblongæ optime fabrefactæ, aeris ductum sequi; quam quidam tanto impetu ex foramine siphonis, seu ostio sugebat, ut ipsi dentes fregerit. Attractio vini vel aquæ quæ Siphonis operâ peragitur, cum præcedenti planè convenit: interveniente hujus attractionis auxilio liquor unius vasis in

ſis in aliud ita quidem transferri poteſt, ut nec perturbetur neque fæces ejus aſcendant. *Alia* inſuper attractionis ſpecies eſt, quæ magnetica appellatur: per hanc magnes ferrum attrahit: alia Electrica, quando ſcilicet ſuccinum paleam attrahit.

Et iterum alia flammæ attractio datur, quâ fumum candelæ extinctæ flammam lucentis attrahere conſpicimus, ita ut flammam deſcendere cogat, ut extinctam candelam denuò accendat. Alia adhuc eſt quæ per Filtrationem fieri conſvevit, ubi corpus humidum per aliud ſiccum adſcendit, aut contrarium evenit. Ac denique quando ignis, vel res quædam calida aerem & quicquid cum eo commixtum deprehenditur, unà attrahit.

Hoc loco non niſi de duobus ultimis Attractionis modis dicemus, ad reliquos quod attinet, eos alibi ſatis ſuperque enucleavimus. Filtratio miraculum naturæ valdè obſtruſum videri poterit ei, qui ipſam non ſatis accuratè conſiderat, omnesq; ejus circumſtantias rigido examini ſubjicit: & ſanè homo parùm ingenio valens, & qui ut dicitur, vacui capitis eſt, eam neſcio cui virtuti & qualitati occultæ adſcribet, ſibiq; perſuadebit, occultũ ibi quendam conſenſum latitare, qui ut aqua contra ſuam naturam adſcendat, altiusq; in aerem protrudatur, in cauſa ſit: verum qui rem à capite ad calcem perveſtigabit, ita ut ne unicam quidem ejus circumſtantiam negligentior omittat, luce clarius videbit, nihil æque naturæ conſentaneum, imo verò impoſſibile eſſe, ut aliter eveniat. Idem quoq; eſto judicium de abſconditiſſimis naturæ myſteriis, ſi eâ, quâ docet, ſollicitudine & ſtudio perpendantur. En igitur paucis qua ratione Filtratio procedat. Immittitur lingula oblonga ex panno ſeu goſſypio vel alia materiâ ſpongioſâ confecta in vas quoddam aquâ vel alio liquore plenum, ita quidem ut magna lingulæ pars vaſis labia tranſiliens dependeat, quo facto ſtatim videas aquam per panni fibras adſcendere, vaſisq; in marginem effuſam, deniq; per lingulæ extremum in terram aut ſuppoſitum vaſculum deſtillare. Hortulani tempore æſtatis flores herbulasq; virentes leviter irrigaturi eâdem utuntur methodo: ſicuti etiam pharmacopæi & chymici, quando liquores à fæcibus ſeparare animum adducunt. Ut autem comprehendamus, quamobrem aqua hoc modo adſcendat, propius, quæſo accedamus, & ſingulatim omnia, quæ ad hoc negotium concurrunt, perſpiciamus. Panni particula in aquam propendens, humectatur, hoc eſt, recipit imbibitq; aquam intra partes ſuas primò ſiccas, atque ſpongioſas: poſtea pannus iſte aquam imbibens inflatur, ac intumeſcit: etenim duo corpora ſimul juncta longè amplius ſpacium, quàm unicum corpus, expetunt. Jam vero, conſideremus quæſo inflationem ſeu extenſionem iſtam auctam in ultimo filorum aquam tangentium, ſcilicet in illo quod adhuc in ſuperficie verſatur & hæret, quod ut ab aliis diſtinguatur, utrumque ejus terminum veluti lineam, notabimus, ſitq; A.B. ac filum quod immediate hoc ſequitur & ipſi ſuperjacet, notetur lit. C. D. ſequens verò ſit, E. F. poſtea G. H. atq; in hunc modum usque ad extremum lingulæ procedamus. Dico itaq; filum A. B. beneficio aquæ fibras ejus influentis incrementum ſumendo, ſeſeque dilatando, pedetentim filo C, D, appropinquare, quod etiamnunc ſiccum eſt, cum nondum

humi-

humiditatis aquæ particeps factum fuerit. Verum enim vero quando A.B. ab aqua in fibras sese insinuante adeò inflatur, ut omne vacuum, seu distantiam, quæ intra ipsummet, atque C.D. intercedebat, repleat, quin imo etiam ob extensionem suam intercapedine occupatâ longe majorem, contra C.D. impingat, tunc temporis humectari incipit C.D. quoniam filo A.B. jam dum compresso, pars exterior aquæ, quæ in illo morabatur, propelli inchoans in C.D. ibi spacium sibi quærit, ejusque fibras influit, & humectat, pariter ac initio pars ejus externa atque eminens madefacta fuerat, atque C.D. ita madefactum, eôdem modo, ut antea A.B. fecerat, sese dilatabit, cumque per consequens necessario urgens E.F. non potest non producere eundem planè in illo effectum, quem prius in se ipso propter inflationem atque dilatationem A.B. experiebatur, atq; ita quasi de manu ad manum unumquodque horum filorum vicinum suum, donec ad extremum lingulæ perventum fuerit, humectat. Neque est ut metuamus, ne, dum aqua per hasce scalas adscendit, ejus continuitas disrumpatur, aut ipsamet retrocedat: etenim gradus earum perreptu facillimi mirum quantum ascensum istius promovent, tùm etiam laneæ uniuscujusque fili fibræ singulis ipsi passibus quasi dextram porrigere videntur, ut faciliori negotio adscendat. Atq; ita facilitas sursum eundi conjuncta cum aquæ fluiditate, & natura quantitatis eò sempet tendentis, ut substantias & corpora, quæ circumscribit vestitque, in unum cogat, nullâ aliâ causâ fortiore & ad divisionem aquæ promovendam efficaciore interveniente, efficiunt, ut aqua nunquam nō suam continuitatem servet, vasisque fictilis marginem seu labia perfluat; quo facto iter ejus adhuc factu facilius redditur; aqua enim naturaliter deorsum tendens non potest, quin subinde in terram delabatur. Si vero lingulæ extremitas ex vase longiùs propendeat quàm est superficies aquæ in vase contentæ, âqua in terram vel vasculum aliquod suppositum decidit: sic etiam, funis gravis ductarii circum suculam, seu trochleam circumvoluti partem longiorem, & ponderosiorem in terram cadere, leviorem q; & breviorem unà secum abducere videmus. Quodsi autem exterior lingulæ apex cum superficie aquæ horizontali lineâ concurreret, aqua sanè immobilis permaneret, sicuti in æquilibrio fieri consvevit. Quodsi deinde tantum aquæ in vase contentæ effunderetur, ut ejus superficies apice lingulæ propendentis inferior existeret, tunc aqua ascendens descendente ponderosior facta, casui jam proximam retraheret aquam, ut cum eâ quæ in vase continetur, iterum commisceretur. Videtis ergo totum hoc mysterium, quod in principio nescio quid monstri alere videbatur, penitus evolutum, ita ut æquè naturale nobis jam videatur, ac lapidem ex alto decidentem conspicere. Verum quidem est, ad exactam ejus demonstrationem alias adhuc circumstantias adjungendas esse, (quod aliâ in dissertatione, ubi hanc materiam expresse tractavi, feci, verum enim verò quæ jam in medium attuli, ad adumbrandam quodammodo rationem & modum, quibus attractio hæc tam celebris perficitur, hoc loco sufficient. Altera Attractio quæ fit per ignem, attrahentem cum corpusculis in aere contentis aerem ambientem, hoc modo procedit. Ignis agens secundùm natu-

naturam, (quæ in eô consistit, ut continuo fluxu particulas suas à centro ad circumferentiam & extra originem suam exhalet,) unà secum aerem ipsi collateraliter adhærentem deportat, æquè ac aqua rivuli una secum ex ripulâ, quam lambit, aliquid deducit. Cùm enim aer humidus sit, ignis verò siccus, fieri haud potest, quin unum alteri adhæreat, invicemque conglutinentur. His autem ita constitutis, necessarium est, ut novus ex viciniâ aer ad replendum ejus, qui ablatus per ignem fuerat, spatium accedat, vicemque subeat: alias enim vacuum intra utrumque daretur, à quo tamen natura maximè abhorret. Novus iste aer haud diu durat in loco quem modo replevit; nam ignis qui nihil aliud quàm continua propriarum partium emanatio est, statim eum secum in auras fert, novumque denuò aerem attrahit: atque hoc modo quamdiu ignis actionem suam continuat, constans & continuus aeris cursus producitur. Singulis diebus hujus rei experientiam intuemur.

Quotiescunque enim magnus in cubiculo seu conclavi focus accenditur, illicò per fenestras & januam aerem attrahit, quibus ita clausis, ut per rimulas adhuc intrare aer possit, si quis appropinquet, sibilum quendam, quem aer se ingerere gestiens producit, animadvertet; (atque hæc eadem ratio & causa sonum in organis fistulisque producit,) & si quis intra has rimas & ignem pedem figeret, næ! ille quendam artificialis hujus venti impetum sentiret, qui, dum ex adversâ parte nimis quàm calefieret ab igne, frigore eum prægelido affligeret. Præterea etiam candela cerea vento huic interposita, ob flammam ab eô in ceram agitatam, quadrantis horæ spatico funderetur, quæ alias in loco tranquillo posita, ubi rectà ascendere queat, quatuor horas luceret. Sed verò viis omnibus aeris ingressui denegatis, pars vaporum in flammam aliàs abeunda, perque caminum elevanda, contra suæ naturæ cursum descendit, (ut aeris defectum suppleat,) in conclave, illudque fumo adimplet, ac denique aeris defectu ignis suffocatur & extinguitur. Unde Chymici audiendi sunt, quando aerem ignis ac animantium vitam esse perhibent. Quodsi autem pollubrum aquâ plenum igni adponatur, nullus in conclavi fumus deprehendetur, etiamsi omnis in id aeri ingressus prohibeatur: etenim ignis attrahit partes istius aquæ (substantiæ scilicet liquidæ aptissimæque quæ loco moveatur,) in aere rarefiunt, atque hac ratione aeris officio funguntur. Totum negotium hoc longè evidentius apparet in conclavi non adeò magno: tunc enim aer ibi contentus citiùs sursum fertur, & deportatur. Nullam aliam ob causam magni quandoque accenduntur ignes in cubiculis ubi homines vel supellectilia peste infecta fuêre, quàm ut ita à contagio purgentur. Nam illa aeris inundatio per ignem attracta parietes tabulatos, omnesque cubiculo angulos quasi scopis verrit; atque corpuscula acria, putrida, corrodentia & venenata, quæ ipsamet causa infectionis ibi latitantis existunt, aufert, & in ignem attrahit, à quo partim comburuntur, partim verò unà cum atomis ipsius ignis atque fumi ex eodem adscendentis per fumarium in auras deportantur. Hoc ipso remedio Hippocrates (qui tàm altè naturæ occulta penetraverat) totam regionem seu provinciam à lue pestiferâ liberavit, curando scilicet ut ubique locorum maximus & luculentus ignis accenderetur.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Modus autem hîc attractionis non solummodo simplicis ignis beneficio peragitur, sed etiam fit per omne id quod ignis substantiam participat, hoc est, per corpora calida: quorum eadem cum igne est ratio & causa. Nam spiritus seu partes igneæ ex istiusmodi substantia seu còrpore calido exhalantes, una secum adjacentem aerem deferunt, qui necessario ab alio aere, vel similis naturæ, & quod vicem aeris subeat, corpore nutriri debet, sicuti de pollubro seu urnâ fumi prohibendi gratia ad ignem positâ diximus. Hoc ipsi fundamento nituntur Medici, quando columbas, vel catellos aut alia animantia calida plantis pedum, seu pulsui manuum, stomacho, vel umbilico ægrotantium applicari curant: ut vapores flatusque maligni ex illorum corpore educantur. Tempore pestis, ubi universus aer contagio inficitur, columbæ, feles, carnes aliaque istiusmodi animalia calidiora, ex quibus maxima spirituum copia continuo exhalat, occiduntur: etenim aere, ob attractionem, quæ ibi accidit, spacium spirituum qui ista evaporatione excludebantur, occupante, atomi pestilentiales & infectæ, quæ per aerem disperguntur, & cum eodem adveniunt, horum animalium plumis, pilis, pellibusque insident & inhærent. Hinc etiam videmus panem recenter ex furno allatum attrahere insensum vino mucorem vasis vinariis adhærentem, si adhuc calidus operculo imponatur: videmus, etiam cepas aliaque corpora maximè calida, quæ continuè partes suas igneas exhalant (cujus rei indicium fortissimus illorum odor præbet) contagio aeris infici, si eidem exponantur, atque hoc illorum signorum unum est, quibus an tota aeris massa infecta sit, cognoscimus. Huc quoque reduci potest magna illa aeris attractio, quæ per corpora calcinata fieri consvevit, præsertim per Tartarum extremo ignis gradu in igneam planè substantiam translatum, qui intra suum salem colligitur, inque corpuscula abit: Etenim observavi plus novies aeris ad se attrahere, quam ipsemet ponderat. Quod si enim libram unicam salis Tartari benè calcinati & combusti aeri exponatis, decem olei Tartari optimi libras vobis suppeditabit, attrahendo ita & in corpus redigendo aerem ambientem & quicquid in eô involvitur; sicut factum est cum oleo Tartari Dn. Ferrier, de quo supra mentionem feci. Verùm enimverò hoc adhuc parum mihi videtur esse, si comparetur cum attractione aeris, quæ per corpus feminæ alicujus Religiosæ, Romæ viventis, fiebat, quâ de Petrus Servius Papæ Urbani VIII. Medicus in libro quodam, quem de Miraculosis rebus sui temporis conscripsit, mentionem facit. Nisi tanti viri autoritate niteret, historiam sanè hanc in medium producere non auderem, licet ipsamet virgo monialis illud mihi enarrârit, multiq; alii Medicæ facultatis Doctores Romæ fidem hujus rei mihi confirmârint. Virgo autem hæc sacra perpetuis vigiliis atque jejuniis, assiduoque orationis mentalis cultu tantum corpori suo calorem conciliaverat, ut tota quasi in igne esse videretur, ejusdemque ossa planè desiccata atque calcinata existerent. Hoc itaque calore, & igne interno aerem potenter attrahente aer iste in virginis hujus corpore, æquè ac in sale Tartari facere consvevit, omnis in corpus coalescebat, cumque omnes ibi aditus maximè paterent, undiquaque ad serosæ cor-

[library stamp]

corporis humiditatis receptaculum, veſicam ſcilicet, delabebatur, ex qua deinceps in forma liquoris per urinas eum reddebat: quas incredibili copiâ profundebat: namque aliquot hebdomadum ſpacio plus quàm ducentas aquæ libras ſingulis viginti quatuor horis mingebat. Inſigne hoc & ſingulare exemplum experimentis, quæ ad probandam & explicandam attractionem, quâ aer per corpora calida, quæque naturam ignis redolent, attrahitur, in præcedentibus recenſui, faſtigium atque coronidem imponat.

Saxtum meum principium erit, quodſi igne, vel aliquo corpore calido, aerem & quicquid huic permiſcetur, attrahente, accidat, ut in illo aere atomi, ejusdem cum corpore eas attrahente naturæ, diſperſæ reperiantur, attractionem iſtiusmodi atomorum longè potentius fieri, ac ſi non niſi diverſæ naturæ corpora ibi continerentur, hasque inſuper atomos lubenter & ſpontaneo quaſi impetu in amplexum corporis hujus ruere, firmiterque eidem adhærere: cujus rei ratio in ſimilitudine, quæ inter utrumque intercedit, ſita eſt. Jam autem, niſi in quo ſimilitudo hæc & convenientia conſiſtat, & quid ea ſit, vobis explicarem, eidem reprehenſionis & cenſuræ periculo me expoſitum irem, quod, qui vulgari modo & ſaltem ſuperfunctoriè de Pulvere Sympathetico, ac ſimilibus naturę miraculis garriunt, in ſermonis mei principio ſubiêre. Ut primum autem, quid per illam ſimilitudinem ac convenientiã intellectum velim, indica vero, vos omnes in eo prorſus acquieturos ſpero. Equidem vobis oſtendere poſſem, plures dari ſimilitudinũ ſpecies, quæ, ut corpora invicem uniantur, efficiunt: ſed de tribus ſaltem, iisq; celebrioribus hîc dixiſſe mihi ſufficiet. Ex his autem agmen ducet ſimilitudo ea, quæ pondera concernit, cujus beneficio corpora, quæ in eodem planè ponderis gradu conveniunt, unà congregantur. Ratio hujus rei ſatis patet: quod ſi enim aliquod corpus levius exiſteret, minusque ponderaret, altiorem ſanè locum, quam corpus majoris ponderis, occuparet: ſicut etiam contrà corpus quoddam gravius magis deorſum tenderet, quàm levioris corpus momenti. Verùm, cùm in eodem ponderis gradu concurrant, optimè etiam, & facili quidem negotio in æquilibriô continentur, quemadmodum ad oculum patet in admodum eleganti illo experimento, quo ingenioſi quidam rerum indagatores, qua ratione quatuor elementa, pro diverſis ponderum momentis, unum altero ſuperiori aut inferiori in loco collocetur, declarare ſatagunt. In hunc finem in Phialam vini ſpiritum colore rubro tinctum, ut ſcilicet ignis per eum repræſentetur, infundunt: aerem verò per ſpiritum terebinthinæ cæruleo colore imbutum oculis contemplandum exhibent; hunc excipit aquæ communis portio viridi colore perfuſa aquæ elementum referens; terræ denique loco encauſtum pulveratum, ſeu ſcobem delimatam alicujus metalli, adjungunt: quibus ita conſtitutis, unum ſupra aliud poſitum, ſine ulla tamen confuſione ſeu commixtione videre eſt: quodſi verò violento ea motu agitetis, en! —— —— *rudis indigeſtaq; moles,*
quam dixêre chaos.
apparebit, talemque videbitis confuſionem, ut ne ullas quidem corporum horum atomos, quæ ordinis alicujus leges obſervent, & ſummam non redoleant permiſtionem,

nem, ibi deprehendi vobis videatur: Cessante verò istâ agitatione, unamquamlibet quatuor harum substantiarum locum suum naturalem mox repetere cóspicetis; colligendo scilicet, omnes suas atomos atque eos revocando in massam adeò distincti ordinis, ut ne minima quidem permistio possibilis ibi amplius deprehendatur, Secunda corporum sese invicem attrahentium & coeuntium similitudo ea complectitur corpora, quæ æquali raritatis ac densitatis gradu concurrunt. Natura & effectus quantitatis est, ut omnes res quas circumscribit, & in quibus reperitur, in unum cogat, modo major quædam potentia, & vis (veluti e. g. concursus discrepantium formarum substantialium illas multiplicans) istud haud impediat. Ratio hujus manifesta est; Essentia enim quantitatis est divisibilitas, seu aptitudo, ut quid possit dividi, quod idem sonat, ac si quis diceret, plures fieri partes; ex quo sequitur, eam suâ naturâ non esse plures, ex seipsâ igitur & ex suâ naturâ mera & continua extensio existit. Cùm itaque natura quantitatis in genere ad unitatem & continuitatem introducendam tendat, primas ejus differentias, quæ sunt raritas ac densitas, similem in corporibus in eodem cum illis gradu convenientibus effectum producere necessum est. Exemplum hujus rei videmus in aquâ quæ facilè & fortiter cum aqua commiscetur, & in unum corpus abit: sic etiam oleum oleo, spiritus vini spiritui vini, argentum vivum argento vivo amicè cohæret: verùm non nisi difficillimo negotio oleum & aqua, Mercurius & spiritus vini, aliaque diversæ tenuitatis & densitatis corpora uniri queunt. Tertia similitudo, quæ corpora arctissimo amicitiæ vinculo connectere apta nata est, in figura æquali consistit. Non utar hîc ingeniosâ cogitatione Magni illius Viri, qui corporum continuitatem à quibusdam quasi uncinulis, aut istiusmodi catenatione, quæ corpora constringat, & pro eorum diversitate differat, provenire arbitratur. Ne enim singulis nimis diu insistam (id quod jam dum plus justo me fecisse vereor) in genere hoc solummodò, veluti rem manifestissimam, pronunciabo, quod scilicet, unaquæque corporum species propriam sibique convenientem figuram affectet. Videmus id clarè in diversis salibus; hi enim, licet separatim in mortario conteratis, dissolvatis, coaguletis, atque quamdiu placuerit, eos permutetis, singulis tamen solutionibus, & coagulationibus peractis, semper ad pristinam, naturalemque suam figuram redeunt; & unaquæque atomorum ejusdem salis semper eandem propriamque sibi figuram repetit: Sal nempè communis in cubos quandrangulares: Sal Nitri in columnas sexangulares: Sal armoniacus in sexagonos, æquè ac nix quæ itidem sexangularis est, formatur: Sal verò urinæ in pentagonos abit; quare etiam Dn. Davisson singulis calculis, quorum plus quàm octoginta in vesicâ Dn. Peletier inveniebantur, figuram quinquangularem attribuit; etenim una eademque caussa efficiens immediata, videlicet vesica; tàm in illos calculos quàm salem urinæ vim & actionem suam transtulerat. Atque ita cùm cæteris salibus sese res habet. Artistæ seu Destillatores observarunt, quod si super caput mortuum alicujus destillationis, aqua inde destillata, effundatur, eam à capite mortuo, oppidò imbibi, statimque cum eodem uniri: contra, verò si alia super infun-

fundatur aqua, eam ſupernatare, magnumque, ut in unum corpus coaleſcat, faceſſere negotium: cujus ratio hæc eſt; quod ſcilicet aqua deſtillata, licet corpus homogeneum eſſe videatur, ex multis tamen diverſæ naturæ & conſequenter diverſæ etiam figuræ (id quod Chymici ad oculum demonſtrant) corpuſculis compoſita ſit: atomi vero hæ actione ignis ex cubilibus ſuis & quaſi lectis exactiſſime earum extenſioni adaptatis propulſæ, quando antiquos lares & domicilia, hoc eſt, poros illos capitis mortui quos vacuos reliquêre, repetunt, amico admodum nexu iterum conjungantur, & quaſi commenſurentur. Idem quoque accidit, quotiescunque magnâ prægreſsâ ſiccitate pluvia ingruit; ſtatim enim terra eam denuo aquam imbibit, quæ antea à ſole attracta fuerat; cùm tamen contra liquor quilibet extraneus, alteriusve naturæ non niſi difficillimè in eam ſeſe inſinuaret. Dari autem differentis figuræ poros in corporibus, quæ homogenea eſſe videntur, Gaſſendus affirmat illudque per ſolutionem ſalium figuræ diverſæ in aqua communi factam, probare conatur. Quando, inquit ille, tantum ſalis communis; quantum aqua capere poteſt, e. g. libram unam, in eâ ſolveritis, & tantum unicum ejusdem ſcrupulum libræ jam dictæ addatis, cum integrum in fundo, inſtar ſabuli ſeu gypſi relinquet: nihilominus tamen multum adhuc ſalis nitri diſſolvet: Et quando aqua non amplius in ſalem Nitri agit, tantum adhuc ſalis armoniaci ſolvet; & ita cum reliquis diverſæ figuræ ſalibus comparatum eſt, Quicquid autem ſit de hujus rei veritate (quam alio in loco examinavi) videmus ſanè, eam naturæ œconomiam eſſe, ut corpora ejusdem figuræ multò faciliùs commiſceantur, potentiusque coaleſcant. Atque hanc ob rem etiam illi, qui gluten, quo vaſa ex cryſtallo, porcellanis, aliave materiâ compoſita conglutinantur, conficiunt, ſuo ſemper glutini, pulveratam ejusdem corporis, quod reficere in animo habent, portionem immiſcent. Sic etiam aurifabri ipſi aurum vel argentum conjuncturi & glutinaturi, ſimilia ſemper eademque metalla ſuæ chryſocollæ admiſcere conſveverunt.

Perveſtigatis ita cauſis & rationibus, ob quas ejusdem naturæ corpora longè validius, quàm heterogenea, unum alterum attrahit, celeriusque etiam & exactiùs ſibi aſſimilat, videamus quæſo nunc (methodi noſtri tramitem ſequentes,) quomodo magiſtra rerum experientia ratiocinationis meæ calculo ſubſcribat; in rebus enim naturalibus poſtremo omnium ad experientiam; tanquam ad ſupremum judicem appellandum, atque confugiendum eſt; omnisque oratio hujus deſtituta ſuffragiis merito repudianda, aut ſaltem pro illegitimâ habenda eſt. Quotidiè adhuc fieri videmus, ut, ſi quis e. g. manum combuſſerit, igni eam aliquandiu admoveat, eâdemque operâ, dum corpuſcula ſeu atomi flammæ ac manus igneæ ſeſe invicem attrahunt, atque validiores (quales hîc ſunt atomi ignis) reliquas ſuperant, multum manus aduſta levaminis perſentiat. Præterea etiam tritum conſuetudine remedium eſt, (licet maximè tædioſum, at quod malo non minus faſtidioſo adhibetur) ut qui oris graveolentia laborant, os apertum ſupra latrinæ orificium, quàm poſſunt diutiſſimè, teneant, quo ſæpius in uſum revocato denique in integrum reſtituuntur;

gravissimo scilicet cloacæ fætore halitum oris minus fætidum ad se trahente, tandemque penitus tollente. Quos vipera momordit, aut hamatum scorpionis in cauda spiculum feriit, illi ictui morsuique scorpionem aut caput viperæ contusum admovent: quo fit, ut venenum, quod aliàs, veluti per speciem filtrationis, ad cor ut ejus solio potiatur, procedebat, retrò eat, recensque facta vestigia repetens ad primam originem, ubi venenum, majori in copia residet, revertatur, atque ita læsa prius pars à veneni vi & malignitate liberata servetur. Tempore pestis bufo in pulverem redactus, quin imo ipsemet, (sicut & araneus vivus,) thecæ commodè inclusius, tum etiam arsenicum, aut similis substantia venenosa circumferri, gestarique solent, quæ infectum aerem, aliis hominem talia gestantem contagio perimere aptū natum, in se derivant. Atque ille ipse bufonum pulvis omnem carbunculi pestilentialis vim elicit, attrahitque. Elephantia contagiosus quidem & venenatus humor est, equi corpus usq; ad ossa depascens: hujus de collo si bufonem sacculo inclusum suspendatis, infallibiliter equus pristinam valetudinem recuperabit: bufo enim, cùm præsentius dirumq; magis venenum in se contineat, virus equū m affligens, utpote imbecillius, attrahit. Quodsi porrò evaporetis aquam in conclavi benè clauso, ubi nihil quod vaporem attrahat, deprehenditur, tunc illa per totum conclave parietibus adhærebit, atque prout congelascit, ibi iterum in aquam condensatur: si vero quodam in conclavis angulo plenum aquâ pollubrum collocetis, omnem illicò vaporem conclave replentem in se derivabit, ita ut postea nihil ibi amplius humectatum deprehendatur. Quando destillatis Mercurium, (qui se in fumum resolvendo vas recipiens ingreditur:) particulam ejus cucurbitæ capitello illinite, quô facto omnis in alembico Mercurius congregabitur, & ne minimum quidem Mercurii in vos objectum seu recipiens destillabit. Quodsi spiritum salis aut vitrioli, vel balsamum sulphuris destilletis, & spacium inter spiritum & caput mortuum, ex quo iste provenerat, intercedens librum omninò relinquatis, tunc spiritus ad caput mortuum revertentur, quod cùm sit fixum, & ascendere nequeat, illos ad se attrahit. In patria mea (idem & hîc fieri credo) cellam penuariam pro toto anno copiâ carnis cervinæ & damarum adornant, idque eo tempore, quo carnes hæ succi & saporis bonitate excellunt, quod quidem mense Julio & Augusto accidit, facere solent; modus autem parandi hîc est: postquam optimè conditæ, saleque conspersæ fuerunt, in olla fictili, aut crusta secalina dura coquuntur, & quando refriguêre, butyro recenti cocto ad sex digitorum eminentiam, ne scilicet aer illas perdat, conteguntur. Nihilominus tamen, ut ut maxima adhibita fuerit digentia, tempore quo ejusdē naturæ & speciei animalia libidinantur, carnes in illis ollis asservatas rancere, magnamque subiisse alterationem animadvertitur, ob spiritus hosce hircosos, qui eâ tempestate ex brutis viventibus erumpunt, atque à carne mortua ejusdem naturæ attrahuntur: & tum quidem, quin caro illa corrumpatur, vix prohiberi potest. Præterlapsâ autem eâ anni tempestate, nihil istiusmodi toto reliquo anno timendum venit. Mercatores vinarii in hac, æque ac aliis regionibus vino abundantibus,

tibus.

tibus, notant, tempore, quo vineæ florescunt, vinum in cellâ fervere ac despumare quasi, fæcemque quandam albam spumando excernere, quam, opinor, vini florem appellant, inque vini superficie seponere, qui vini fervor eo usque durat, donec ex vitibus flores deciderint, atque tum demum vinum deferbuit, positoque fervoris æstu ad ingenium redit. Neque demum hodie hujus rei observatio nata est, (nam, ut taceam multos alios, qui de ea tractant) S. Ephrem Syrus in ultimo suo testamento (ferè jam mille trecenti anni sunt) eandem vini circumstantiam recenset, quod scilicet eodem tempore, quo vites spiritus suos in campum exhalant, vinum in doliis ita ferveat spumetque; atque etiam utitur simili exemplo à cepis siccis desumpto, quæ repositæ in granario denuo germinant, quando quæ in hortis satæ sunt ex terra prodire, atque erumpere spiritibusque suis balsamicis aerem perfundere incipiunt. Quibus exemplis, utpote in naturâ obviis, quâ ratione homines vivi & animæ mortuorum inter se participent, indicare gestit. Spiritus autem illi vinosi, è floribus efflati, dum aerem undiquaque implent, (veluti spiritus rorismarini ex Hispaniâ promanantes, quorum modò mentionem fecimus) à vino, (quod cùm istiusmodi spiritibus abundet, quasi originem ipsis præbet, in dolia attrahuntur: ubi, recentes quippe & plurimùm volatiles, adventu suo spiritus vini vel maximè fixos levant, excitantque, unde talis ibi fermentatio exoritur, ac si quis vinum dulce, aut novum infunderet. In omni enim fermentatione partes terrestres ac oleosæ ab essentialibus separantur, levioresque ad superficiem adscendunt, graviores verò in fæcem tartaream degenerant, fundumque petunt. Quodsi igitur hoc tempore vinum negligentius curetur, nec in loco convenienti & temperato asservetur, vasaque vinaria plena & benè operculata custodiantur, omnisque præterea alia diligentia & cura, quam Vietores hac in re gerere consveverunt, adhibeatur, periculum est, ne vinum paucarum virium & infirmi saporis expectationem nostram fallat: quando enim spiritus volatiles evaporant, unà secum spiritus vini, quos antea excitârunt, & quibus se permiscuêre, auferunt; Eodem planè modo ac oleum Dn. Ferrier volatiles rosarum spiritûs per aerem dispersos cum rosæ florerent, attrahens, novam experiebatur fermentationem & singulis annis similes attrahebat spiritus ob affinitatem, quam modo dictum oleum cum hisce spiritibus à prima origine contraxerat: postmodum verò eâ anni tempestate præterlapsâ eâ privata fuerat. Eadem quoque de causâ mantile rubro mori vel vini colore maculatum, facili operâ expurgatur, si eâ tempestate, quâ hæ plantæ in florem se aperiunt, laventur; alio verò tempore & opera & lixivium in his maculis eliminandis perditur. Neque verò solummodô in Gallia, aliisque locis, ubi vineæ parum à vino distant, istiusmodi fermentatio accidit. In Anglia enim, quæ tot non gaudet vineis, ut inde vini copiam comparare queamus, idem observatur, imo aliquid suprà. Nam licet apud nos vinum haud conficiatur, nihilominus illud maximâ quidem in abundantiâ advehitur: & præcipuè tribus ex locis nobis adest: ex insulis scilicet Canariis, Hispania, & Aquitania. Cum autem hæ regiones sub diversis climatibus, latitudinisque

gra-

gradibus sitæ sint, atque consequenter una alterâ calidior existat, eædemque arbores & plantæ in hâc citius, in alia verò tardius florescant; accidit quoque, ut varia nostra vina citius tardiusvè ferveant, prout unaquæque vinearum, ex quibus proveniunt, in solo natali citius vel tardius florere incipit: etenim rationi consentaneum est, vinum quodlibet multò lubentius ejus vineti spiritus, unde primùm producebatur, quàm alios attrahere. Non possum hîc, quin paulum digrediar ad evolvendum alium naturæ effectum, quem sæpissimè oculis usurpamus & qui non minus, ac præcipuum de quo tractamus argumentum, scitu est dignissimus. Forsitan causæ ejus ac vires adhuc profundius latitare, ac densiori obscuritatis velo obductæ videbuntur; conveniunt tamen multis in circumstantiis quoad principia; ut ut in aliis maximè etiam discrepent. Sermo hîc nobis est de nævis maternis, qui vulgo vocantur stigmata, atque infantibus accidunt, quoties matres illos utero gerentes, gestationis tempore, rei alicujus appetitu torquentur. Sed ut hac in re ordine consveto procedam, primo quædam exempla in medium proferam. Mulier quædam nobilissima, quam multi in hac spectatissimâ congregatione, si non à facie, saltem ob celebrem famæ & nominis existimationem nôrunt, figuram mori in collo ita exactam gerit, ut ne pictor quidem seu sculptor illud accuratius depingere & repræsentare sciret: neque enim tantummodo eundem planè refert colorem, sed etiam eandem magnitudinem, ita quidem extra carnem prominens, ac si dimidium ejus exsculptum foret. Mater feminæ hujus nobilissimæ cum utero illam gereret mora comedendi appetentiâ corripiebatur; atque imaginatione ejus hoc circa objectum versante, & in id unicè attentâ, nescio quo fato morum, (cùm prima vice fructum hunc oculis adspiceret,) in collum ipsi cecidit; cujus succum rubicundum statim omni industria eluere & abstergere conabantur, nec eo tempore quicquam amplius animadvertebat: Natô autem infante, collo ejus mori figura impressa deprehensa fuerat, eodem quidem in loco, quem fructus in collum matris delapsus occupaverat; & jam singulis annis, quando mora crescunt, impressio hæc, vel ut melius rem exprimam, excrescentia intumescit, augetur, prurit, ac inflammatur. Alia quædam Virgo, quæ simili macula ingenita notata erat, sed quæ fragum repræsentabat, longè majori ab eâ incommodo afficiebatur: etenim tempore fragorum non solum pruriebat, sed veluti abscessus disrumpebatur, ex quo humor acris & corrosivus profluebat: quæ molestia tam diu illam excruciarat, donec chirurgus quidam peritus quicquid mali aderat, cauterio eradicaverit, ex quo tempore nullam amplius hac in corporis parte mutationem, quæ tamen anteà mirum quantum ipsi incommodum attulerat, persensit, & solummodo cicatrix quædam ibi permansit. Jam igitur, quæso, faciamus periculum, omnemque quam quidem possumus operam demus, ut admirabilis hujus effectûs causas perscrutemur. Ut itaque initium faciam, dico, omnes sensuum nostrorum actiones cum quâdam materiali & corporea substantiâ participare, hoc est, nonnullas atomos corporis in sensus agentes, illorum organa ingredi, per quæ veluti per tubos seu canales ad cerebrum & imaginationem dedu-

deducuntur. Res in odoribus atque ſaporibus ſatis patet. Quod vero ad auditûs ſenſum attinet, aër externus agitatus membranulam illam in auris penetralibus, ſitam (tympanum aliàs vocatur,) agitat movetque, ex qua deinde ſimilis motus in malleum ibi annexum derivatur, malleus verò incudem feriens motum aëris in aure incluſi reciprocum producit, quem aëris motum ſonum nos appellare ſolemus. Viſum autem quod concernit, manifeſtum eſt, radios lucis in objecto reflexos oculos intrare; nec fieri poteſt, quin lux effluvium quoddam corporis illam reflectentis unà ſecum adducat, prout in ſecundo principio aſſeruimus. Reſtat igitur ſolummodo, ut monſtremus, idem quoque in ſenſu omnium maxime craſſô, tactu videlicet, fieri. Quodſi enim verum eſt, ſicuti ſupra oſtendimus, omne corpus continua emanatione atomos foràs propellere, nulla amplius difficultas hic occurrit. Verum enim verò ut fidem hujus rei magis adhuc confirmemus, omnemque dubitationis anſam penitus tollamus, illam ad oculum demonſtrabo; unusquisque quadrantis horæ ſpatio imo breviori, ſi modo rei raritas ipſi ſalivam moveat, eam experiri, periculumque facere poterit. Non dubito, quin cognitum vobis ſiet, quàm arcto affinitatis vinculo aurum & argentum vivum connectantur; nam, ſtatim ac aurum vel leviter argentum vivum tangit, mercurius illi adhæret, coloremque candidum conciliat, adeò ut non amplius aurum, ſed ſolummodo argentum eſſe videatur. Si poſtmodum aurum hoc dealbatum in ignem projiciatis, ſtatim, mercurio ignis fervore profligato, aurum ad primam coloris elegantiam redit; repetito autem ſæpius hoc labore, & procedendi modo, illud calcinatur, atque tunc aurum terere, & in pulverem redigere poteſtis. Nullum enim, præter mercurium, in rerum univerſitate diſſolvens datur, quod ſolidum auri corpus æque probè calcinare, & comburere aptum natum ſit. Loquor autem de illo, qui jam à natura conflatus atque formatus eſt, nolens ſermoni meo immiſcere illum, cujus in Secretis Philoſophorum mentio facta fuit. Mittatis itaque mercurium in vaſculum ex porcellanis confectum, aut etiam aliud vas proprium, illumque unius manûs digitis agitetis; quod ſi jam in alterâ manu annulum aureum geſtetis, tunc ſtatim colore albo tingetur, mercurioque obducetur, etiamſi nullo modo unum alteri admoveatis. Adhæc, ſi laminam auri, vel ducatum aureum clauſo ore comprimatis, & dein digitum ſaltem pedis in mercurium ingeratis, ibique paululum retineatis, tunc aurum in ore veſtro albedine, & mercurio undiquaque obtectum deprehendetur: quodſi inſuper aurum hoc ad evaporandum omnem mercurium, in ignem mittatis, hancque operam ſæpius iteretis, aurum veſtrum æque calcinatum apparebit, ac ſi illud reverâ hydrargyro per amalgama junctum fuiſſet. Totum hoc negotium longè celerius, & efficacius perficietur, ſi loco mercurii communis mercurio antimonii utamini: quippe qui calidior multò eſt, magisque penetrat, quin imo vi ignis profligatus multum ex auri ſubſtantiâ ſecum aufert, ita ut reiterato ſæpè hoc labore, nihil auri vobis amplius reſtet, quo ulterius hujus rei periculum facere poſſitis. Cùm itaque Mercurius frigidum totum corpus ita penetrat, non eſt, ut mirum

nobis videatur, ſubtiles fructûs ex plurimis particulis igneis conflati atomos longè celeriùs faciliùsque ibi ſe inſinuare. Adhuc in ſequentibus vobis oſtendam, quomodo iſtiusmodi ſpiritus & ut ita dicam emanationes æquè ſubito chalybem ipſum corpus maximè frigidum durumque, penetrando ſubeant, ibique per plures menſes, imò aliquot annos deliteſcant. In corpore vivente, quale eſt corpus humanum, ſpiritus interni externos (quales hîc ſunt ſpiritus fructus) plurimum adjuvant, aditumque ad cerebrum illis maximè facilem reddunt. Magnus naturæ Architectus, humanum corpus, admirandum naturæ corporeæ ſpecimen, fabricans, in eo ſpiritus internos, veluti excubias diſpoſuit, ut quicquid deprehenderent, oppido deferrent ſuo imperatori, hoc eſt, imaginationi, quæ tanquam magiſtra univerſam hanc familiam dirigit, & gubernat: ut ſcilicet homo, quæ extra regni ſui limites, in magno terrarum orbe, gererentur, reſcire, ac cognoſcere, & quod noxam ipſi afferre aptum natum eſt, fugere, utile vero ſectari poſſet. Etenim excubiæ ſeu ſpiritus hi interni, omnesque organorum ſenſuum incolæ hæc dijudicare ſoli, minimè quidem valerent. Quare etiam Cogitatione ſeu Imaginatione ab aliis objectis diſtractâ, ſpiritus interni ne quidem, utrum homo vinum, modò exhauſtum, biberit, nec ne; vel utrum viderit hominem, qui modò ſalutabat, eò ipſo momento quo fixis illum oculis intueretur; vel etiam utrum audiverit modos muſicos, quos quis voce vel fidibus modo coram ipſo cecinerit, ſcirent, vel cognoſcerent. Nam ſpiritus interni quicquid acquiſivêre, imaginationi regerunt; quæ, niſi in contemplandis aliis objectis magis ſeriò occupetur, varias inde ideas atque imagines efformat; hæ enim atomi, quando ab internis ſpiritibus ad imaginationem è loco extraneo, deferuntur, in eadem ſimile quoddam ædificium conſtruunt, ſeu potius ichnographiam & exemplum, corpori majori, ex quo prodeunt, ex aſſe, & perfectè reſpondens, deſignant. Quando verò noſtra imaginatio inpræſentiarum illis haud amplius opus habet, in loco quodam proprio horrei ſui collocat & recondit, unde eas pro lubitu reſumere atque repetere poſſit. Quod ſi autem objectum quoddam imaginationem maximè commoveat, eamque plus reliquis, utpote communiter obvenientibus, premat & perturbet: ſuos ſatellites, ſpiritus ſcilicet internos, ad confinia remittit, ut omnia explorent, ſingulaque ad amuſſim referant: atque hinc eſt, ut quoties homo inopinato alterius vel hominis, vel etiam objecti alius, quod jamdum amplum vel averſionis vel deſiderii in eâ locum occupavit, conſpectu opprimitur, ſtatim colorem immutet, jamque erubeſcat, modò palleat, mox iterum rubore ſuffundatur, idque diverſis vicibus, prout hi miniſtri, ſpiritus nempe interni, celeri curſu aut gradu ſuſpenſo ad objectum feruntur; poſtea perceptis novis revertuntur, eaque ad imaginationem, quæ, ut dixi, earum magiſtra eſt, deferunt. Verum præter aditus, de quibus loquimur, qui à cerebro ad partes corporis externas nervorum beneficio, patent, regia adhuc via datur à cerebro ad Cor: per quam ſpiritus vitales, ut in animales permutentur, ex corde in cerebrum adſcendunt, & per hanc ipſam viam imaginatio cordi partem atomorum ab objecto quodam externo acceptarum tranſmittit; quæ

ibidem

ibidem maximam in ſpiritibus vitalibus ebullitionem procreant, & prout atomorum ex improviſo advolantium fert genius & natura, vel cordis dilationem & quaſi hiatum cauſantur, vel illud, conſtringendo, triſtitiâ afficiunt; atque hæ duæ diverſæ ac contrariæ actiones primi effectus generales exiſtunt, ex quibus poſtea omnes animi affectus particulares promanant, quos non eſt ut hoc loco plenius percurram, cùm alibi id â me factum fuerit, ubi hac de re datâ operâ egi. Præter has autem vias, quas viri cum fœminis communes habent, alia adhuc datur, quæ mulieribus propria eſt, & à cerebro ad uterum procedit, quâ viâ ſæpenumero accidit, ut vapores adeo violenti & copioſi cerebrum petant, ut tum hujus, tum imaginationis actiones impediant & perturbent, variasque convulſiones, deliria, aliaque mira ſymptomata producant: per quem etiam canalem, quoties id neceſſitas efflagitat, ſpiritus ſeu atomi celerrimo & inoffenſo pede ad uterum feruntur.

Nùnc, age, conſideremus; quomodo fortis hominis alicujus imaginatio in imaginationem alterius debiliorem & magis paſſivam mirè quidem agat. Singulis fermè horis videmus, quod oſcitante uno oſcitet & alter. Quando fortè fortuna in homines effuſiſſimè ridentes incidimus, vix ac ne vix quidem riſum continere poſſumus, licet cauſam, ob quam alii rident, ignoremus. Si intramus domum, ubi omnes contriſtantur, melancholici evadimus: nam ſicuti dicebat ille:

- - - - Si vis me flere, dolendum eſt
primùm ipſi tibi.

Fæminæ & pueri, quippe qui multa humiditate ſcatent, & flexilis admodum animi ſunt, omnium maximè faſtidioſo huic imaginationis contagio ſubjecti ſunt. Novi mulierem, complexionis admodum melancholicæ, & uterinis affectibus plurimùm obnoxiam, quæ ſe à dæmone obſeſſam credebat, & admirandas actiones, quæ ab hominibus parùm circumſpectis pro ſupernaturalibus, & dæmoniacis propriis habebantur, edebat. Erat autem femina nobilis, & in hæc mala ſolummodò ob acerbiſſimum dolorem, qnem ex morte mariti ſuſceperat, inciderat. Hæc ipſa ſecum habebat quatuor vel quinque virgines, quarum aliæ ipſi cognatione conjunctæ erant, aliæ verò ut pediſſequæ famulabantur, hæ ſimul omnes æquè ac ea obſeſſæ videbantur, atque non minus prodigioſas operationes exercebant. Separabantur itaque ab eâ hæ puellæ; ejusdemque conſpectui ac convictui ſubductis (malum enim apud eas nondum tàm altas radices egerat) ſola dominæ abſentia in præſens remedium ceſſerat: quin imò illa ipſamet, atrâ bile è corpore ſuo, opem ferentis Medici interventu, eductâ, reſtitutoque in integrum utero, priſtinam valetudinem recuperavit. Nullus autem ibi latitabat dolus, nulla diſſimulatio. Poſſem adhuc iſtiusmodi res quam plurimas, & notatu ſatis dignas, quæ aliquando Virginibus monialibus in urbe Lovioduni acciderunt, recenſere, verùm cum olim ex illis oris redux factus, in peculiari oratione, ubi ſingula exactiſſimè diſcuſſi, hoc præſtiterim, inpræſentiarum hac de re

——— ——— *Verbum non amplius addam,*

ubi primus vos rogatum ivero, in mentem revocetis, quod quando duæ cheles ſeu citharæ, fidibus utriusque ad harmoniam intenſis, parum inter ſe diſtantes quodam in loco reponuntur, atque unius chorda pulſatur, tunc chorda alterius teſtudinis ſeu citharæ huic conſona eodem temporis momento commoveatur, licet ne muſca quidem eam tetigerit, cujus rei Galilæus admodum ingenioſè rationem reddidit. Ut igitur, quæ ſuper hac re in medium attuli, applicem, dico, impoſſibile eſſe, ut duo homines invicem ſeparati, unus alteri æque proximus, ac eſt infans matri, quando eum utero gerit, exiſtat: ex quo concludere licet, omnes affectus vehementis imaginationis, dum in aliam debilem, paſſivam & teneram agit, longè majoris efficaciæ eſſe debere in matre in infantem agente, quàm ſi aliorum hominum imaginatio in eorum imaginationem, cum quibus ipſis nihil eſt negotii, agat. Et quemadmodum planè impoſſibile eſt, ut vel ullus reperiatur citharœdus, qui, licet peritiſſimus ſuâ ſit in arte, tàm artificioſè duas citharas intendat, ut ad æque perfectam harmoniam cadant, ac ſummus orbis Arbiter in corporibus matris ac embryonis produxit; ita etiam conſequenter ſequitur, nullo modo, nullaque ratione fieri poſſe, quin chordæ principalis matris, (quæ eſt ejus imaginatio) percuſſione, motus & agitatio in chorda conſonante infantis, (ejus itidem imaginatione) neceſſario exoriatur longè major, quàm motus à pulſatâ unius teſtudinis chordâ in alterius chelis chordâ conſonante productus, unquam eſſe poterit. Et quando mater ſpiritus quosdam in certam aliquam partem ſui corporis emittit, oportet, ut alii ejusdem naturæ ſpiritus eundem in corpore embryonis locum occupent. Jam, age, in memoriam revocemus, quomodo matris imaginatione atomis corporeis ex morô ſeu frago in collum ejus aut ſinum delapſâ profluentibus refertâ, tumque temporis ab hoc accidente maximè perturbatâ, eveniat, ut magna harum atomorum pars ab hac commotione ad infantis cerebrum, nec non poſteà ad ſimilem eandemque corporis partem, utpote quæ omnium prima ictum ſubiit, ac inter quam & cerebrum ſuum tàm celeres & frequentes nuncii ambulant, uti antea depinximus, non poſſit non transmitti. Infans quoque (cujus partes ad eundem cum partibus matris conſenſum cadunt) non poteſt quin inter imaginationem & collum vel ſinum proprium eundem ſpirituum motum & agitationem, quam mater inter ſuas corporis partes perducit, ad amuſſim obſervet: cumque infantis ſpiritus comites habeant atomos mori, quas mater imaginationi embryonis transmiſerat, quid poſſunt aliter, quàm ut in tenerrima ejus cuticula profundam poſt ſe, ac permanentem relinquant impreſſionem, cui tamen matris cutis ob duritiem, quâ valet, reſiſtit. Veluti ſi tormentum manuarium pulvere nitrato ſolùm farctum, contra marmor explodatur, pulvis tormentarius nullum aliud producit effectum quàm ut marmor parumper conſpurcet; ex quo tamen ſtatim, ſi vel leviter fricetur, ſordes iterum eluuntur; contra verò, ſi ſclopetum in faciem hominis exoneretur, pulveris tormentarii granula cutem ejus penetrant, ipſique inhærent, atque ibi veſtigiis firmiter impreſſis

pressis per totum vitæ curriculum durant, cæruleoque suo ac nigricante colore, quem perpetuo retinent, sese instar soricis produnt. Sic quoque eodem planè modô fructûs atomi, seu granula quæ à collo matris profecta ad ejusdem imaginationem; abeaque dimissa similem in cute infantis locum petiêre, ibi resident, firmumque figunt pedem suntque instar radicis, à qua similis fructûs atomi per aërem dispersæ, tempore equo florere solnet, attrahuntur, (sicuti vinum in dolio, & maculæ in linteis volatiles vini spiritus ex floribus vitium consuetâ anni parte attrahunt) quod dum fit, pars cutis, in quâ resident, fermentatur, intumescit, prurit, inflammatur, imo verò nonnunquam disrumpitur. Sed ut huic nævorum maternorum miraculo majorem adhuc admirationem conciliemus, atque id consideratione dignius reddamus (quandoquidem hac in re versamur) intermittere non possum quin aliam adhuc circumstantiam attingam, quæ primò aspectu hoc naturæ miraculum causarum, quas modò recensui, legibus eximere velle videri posset: sed reverâ, ubi prius eam probè examinaverimus, ab iisdem principiis absolutè dependere videbimus. Nimirum sæpenumerò accidit, ut vestigia rei desideratæ infanti imprimantur, etiamsi illa corpus matris ne extremo quidem digito tetigerit, vel in illud inciderit: sufficit, si quædam res alia corpus mulieris gravidæ feriat, vel in partem ejus aliquam; dum istiusmodi appetitus in imaginatione illius dominatur, inopinatò delabatur: & statim rei ita desideratæ figura postmodum in eadem corporis infantis parte, qualis, quæ primum ictum in matre receperat, fuit, amussatim expressa apparebit. Ratio hujus est, quod scilicet desideratæ rei atomi à luce elevatæ, vadunt ad cerebrum gravidæ mulieris per canalem oculorum, æque ac aliæ atomi magis adhuc materiales, provenientes à tactu corporali, eò loci nervorum ductui insistentes tenderent. Atque ex hisce corpusculis mater in suâ imaginatione typum quendam, seu exemplum, totum, unde emanant, perfectè referens, efformat. Quodsi jam femina non nisi intrinsecùs petatur, atomi quæ in sua imaginatione versantur, solummodò cor invadunt, atque dehinc imaginationem & cor embryonis occupant, atque ita in utroque affectum & passionem animi adaugent & confirmant, quæ ad tam violentum ferri potest impetum, ut nisi mater re desideratâ fruatur, hæ animi turbæ ultimam utrique ruinam afferre, aut saltem magnam in corpore alterationem causari & valetudini inprimis nocere queant. Interim, si inopinatus quidam impetus in partem corporis matris aliquam fiat, spiritus in cerebri solio residentes illico ab ejusdem imaginatione eò transmittuntur (sicuti non solum in rebus appetitum concernentibus, sed in aliis omnibus quæ præter opinionem obveniunt, idque tàm inter viros quàm feminas, accidit,) atque hi spiritus majori vel minori impetu in transversum rapiuntur, prout animi affectio cum majori vel minori violentia conjungitur: æque ac qui singulari aliquem amore prosequitur, illicò accurrit, quoties fores pulsantur, aut

Hylax in limine latrat;

eâ semper spe & expectatione lactatus, illum ipsum esse, de quo unè cogitat, (*nam*

qui amant, ipsi sibi somnia fingunt)

atque eum invisere. Spiritus hi inopinato hoc impetu commoti, cùm eo temporis momento cum corpusculis vel atomis rei desideratæ, quæ omnem ejus phantasiam tantâ vi occupant, commisceantur, eas unà secum ad partem corporis invasam, tum etiam ad eandem in corpore infantis particulam, pariter ac ejusdem imaginationem deducunt. Quibus ita constitutis, quicquid postmodum accidit, eodem modo tum in matre tum in infante sese habet, veluti si morum vel fragum in sinum aut collum Nobilium fæminarum incidit, quâ de re jam nunc sermonem ad vos habui. Concedite mihi quæso, Auditores, digressionem meam in tantum adhuc extendam, quo vobis ad confirmandam impressionem, & activitatem, quâ imaginatio matris in corpus infantis, quem utero gerit, agere solet, rem admiratione valde dignam, & toti *Aulæ Anglicæ* optumè notam, enarrare possim.

Matrona quædam, mea cognata, (erat mea neptis de Fortescu, filia Comitis Arondel,) Londini interdum me invisebat. Formæ venustate inprimis & decorâ membrorum compositione præstabat, neque id ignorabat, quin potius in sinu gaudebat, in id sedulò incumbens, ut hanc gratiosi vultûs speciem non solum integram conservaret, sed etiam omni quâ posset quidem curâ, eam adjuvaret. Hæc fæmina sibi ipsi persuadebat, multum quidem ornamenti ex illis emplastris (Galli muscas vocant, quas hodiernæ mulieres ad decoris lenocinium figurâ variè excogitatâ diversis faciei partibus illinunt) vultui suo accedere, quare etiam maximam operam dabat, ut præ reliquis, in exquisito horum apparatu curiositatem singularem ostenderet. Verùm sicuti difficile est, in rebus quæ ab opinione nostra potius quàm à natura dependent, mediocritatem servare; ita etiam illa, in portandis istiusmodi emplastris planè modum excedebat, totamque illis faciem onerabat. Licet autem hoc mihi parum placeret, atque insuper ipsi super hac vanitate mentem meam liberè aperire potuissem, ipsaque bonam in partem interpretata fuisset: nihilominus tamen mihi haud videbatur tum tempus esse, ut dum, tantâ me suavitate, & quâ erat bonitate singulari invisere dignabatur, vel minimum, quod ipsam contristari, aut leviter saltem urere posset, dicerem; Tandem verò, ut quodam die, per jocum, ita quidem ut ne ægrè ferret, hoc ipsi insinuarem, animum induxi, recordatus, quod

-- -- ridentem dicere verum
Quid vetat?

quare cum prægnans esset, eò sermonis nostri filum transtuli, sollicitè inculcans, ut valetudinem optumè curaret, quam more fæminarum, ætatis flore vigentium, & quid sit morbis obnoxium esse, adhuc ignorantium, tantum non negligere videbatur. Gratias mihi agebat maximas, quod de illius salute tam sollicitus essem, cæterum significans, se quidem non arbitrari, quod contra sanitatis suæ, quippe quâ, etiamsi utero gereret, optimâ uteretur, commodum faceret. Deberes saltem, ajebam, infantis tui curam gerere. Ah! quantum ad hunc attinet, dicebat illa, nihil est, quod

quod ad commodum ejus promovendum intermittam. Interim tamen, pergebam ego, vide quæso, quot emplastris totam faciem oneraveris? An non metuis, ne infans tibi nascatur, qui similes in vultu nævos habeat? At illa: quid inde periculi imminet? quæ comparatio, infantem mihi natum iri facie notis ingenitis infectâ, propterea quod ego portandis hisce emplastris delecter? Nondum igitur, ipsi respondebam, audivisti, quàm admirabiles effectus ab imaginationibus matrum, dum gravidæ sunt, producantur, & tenerrimis embryonum corpusculis imprimantur? Quin age, ad nonnullorum narrationem me accingam. Hæc fatus, varias ipsi super hac re historias recensui, veluti illam, quæ narratur de Regina Æthiopiæ, quæ infantem candidum pepererat, cujus rei causam B. Mariæ Virginis imagini, quam inferiori lecti parti affixerat, & devoto cultu venerabatur, adscribebant; aliam, de quadam muliere, quæ infantem pepererat hirsutum, simili de causâ, scilicet ob imaginem S. Johannis Baptistæ in deserto, cilicinam ex camelorum pilis vestem induti. Narravi insuper admirabilem illam antipathiam, qua defunctus Rex Jacobus gladium vaginâ vacuum aversabatur, cujus rei caussa adsignabatur hæc, quod nempè quodam tempore Magnates nonnulli Scotiæ vi irruerint in conclave Reginæ matris, cum gravida esset, atque cum primario suo Ministro, qui Italus natione fuerat, nescio quid rei deproperaret, quem illicò gladio transfoderûnt, ac reginæ pedibus objecerunt; imò verò, tantâ in eum crudelitate sævierant, ut parùm abfuerit, quin ipsammet Reginam, quæ ut Ministrum incolumem servaret, in medium se conjecerat, consauciârint; cutis certè diversis in locis levia quædam vulnera acceperat: de qua Tragœdia Buchananus in sua historia mentionem facit. Quidquid sit, Rex quidem Jacobus, filius, per totos vitæ dies strictum ensem eò usque aversabatur, ut ejusdem adspectu tantum non obstupesceret: & licet aliâ quavis occasione, nulli animi magnitudine cesserit, in hoc tamen seipsum vincere nunquam potuerat. Adhuc recordor, cùm equestri Torquatorum dignitate me exornaret, jamque ceremoniarum ordo requireret, ut gladii mucrone humerum meum contingeret, à seipso, ut ensem intueretur, impetrare minimè potuisse, sed aliorsum respexisse ita quidem, ut cùm humerum tangere deberet, fermè mucronem in oculos fixisset meos, nisi Dux Bouquainganiæ, qui hoc futurum esse pernoverat, manu suâ gladium quò inclinare se debebat, deduxisset. Similes historias ipsi plures citabam, ut intelligeret, comprehenderetque imaginationem matris vehementem impressionem consideratione dignam in corpus infantis, idque magno ejus detrimento, facere posse. Adhæc quæso consideres, ajebam, quàm attenta sis in hæc emplastra; nunquam non imaginationi obvia continuâ cogitatione sequeris, & ex quo in hoc conclavi versaris, plus decies parvum tuum speculum inspiciens ea contemplata fuisti. An non est, ut timeas, ne tuus infans facie maculis hisce emplastris similibus refertâ nascatur, aut potius, ne quidquid nigri in plurimas divisum particulas in

te conspicimus, in unum coalescat, mediamque infantis frontem, locum totius vultûs maxime conspicuum, occupet? Næ! macula ducatum aureum magnitudine adæquans singularem huic loco gratiam conciliaret? Ah! bone DEUS! inquiebat illa, toto gestationis tempore ne unicum quidem emplastrum faciei imponam potius, quàm ut tale quid mihi accidat! Dictum factum! Omnia statim emplastra à facie sustulit, & abjecit. Amici postea cum eam facie ita denudatâ viderent, ex eâ percontabantur, cur illa quæ alias inter omnes aulæ feminas, quod hoc decoris lenocinium, (emplastra intelligo,) attinet, maximè curiosa fuerat, simul omnia rejecerit, illisque ultimum vale dixerit? Patruum suum, respondebat, in quo magnam poneret fiduciam, ipsi asseverasse, fore, ut si gestationis tempore istiusmodi emplastris faciem oneraret, infans in lucem edatur, cui nævus niger ad ducati aurei magnitudinem accedens mediam frontem incesserit; hoc præsagium adeò profundè in imaginationem suam insculptum esse, ut de eò unice & semper cogitet. Atque ita misera hæc, quæ adeò metuerat, ut ne infantis frons notâ quadam ingenitâ inficeretur, prohibere minime potuit, quin natus fuerit in medio frontis maculam nigram gerens, eadem prorsus magnitudine & figurâ, prout in animo suo & imaginatione mater eam conceperat. Filia erat, alioquin valdè pulcra; pauci sunt menses, ex quibus illam vidi; sicque perpetuò hanc vehementis maternæ imaginationis notam circumfert. Nolo, Auditores, verba ad vos facere de femina illa in vestra viciniâ Carcassona degente, quæ non multis abhinc mensibus prodigiosum monstrum, simiam quandam singularem, quam, uterum gestans, subinde videre gestiebat, exactè referens, enixa fuit: etenim hujus rei historia vobis quam mihi notior esse det: neque de ista dicam muliere, ex oppido S. Maxent. quæ cùm licet gravida, prohiberi haud posset, quo minus miserum infantem feminæ, alicujus peregrinæ qui sine brachiis natus fuerat, visum iret: expleto ad pariendum tempore simile monstrum peperit, in quo ne quidem minima excrescentia prominebat, ut locum brachiis prodeundis destinatum ostenderet; nullam quoque mentionem faciam feminæ illius, quæ quendam maleficum decollare videre gestiens, maximum inde in terrorem conjecta fuit, cujus vestigia tàm profundè imaginationi suæ imprimebantur, ut eò temporis momentô è dolore partûs laborare cœperit, atque vix quidem domum deportari potuerit, cùm infantem septimanas aliquot antè gestationis terminum in lucem ederet, capite à collo detruncato, & utroque adhuc sanguine stillante, præter eum qui jam abundè in uterum matris profluxerat; non aliter ac si miserum infantis corpus jam nunc gladio à carnifice percussum fuisset. Tria hæc exempla, aliaque plurima satis certa & comprobata, quæ allegare possem, licet admirabilem imaginationis vim & impetum luculenter probent ac ac contestentur, in nimis amplum me dicendi campum provocarent, si eorum causas explicare, & complicatam in illis difficultatem, quæ longè major hîc, quàm in præcedentibus exemplis, modò in medium allatis, sese offert, evolvere animum adducerem; idq; eò magis, quod tanta horum spirituum vis fuerit, ut

ut ipsam essentiam immutare, & res planè horrendas in corporibus omnibus jam numeris absolutis causari valuerint, tumque etiam haud videatur incredibile, in nonnullis ipsammet speciem in aliam immutatam, novamque formam informantem in subjectam materiam, à primâ omnimodè diversam, introductam esse si modò id, quod autores de animatione embryonis in utero scribunt, firmo stet talo, & vero consentaneum sit. Sed jam nunc oratione longius digressus sum:

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum:

Ut itaque de viâ in semitam regrediamur, & inceptam propositi telam pertexamus; experimenta ac exempla, ad rationes à me allegatas confirmandas longâ serie recensita, satis superque nobis ostendunt, corpora, quæ dispersas in aëre atomos attrahunt, longè potentiùs eas, quæ eâdem naturâ præditæ, quàm quæ alterius, ut dicitur farinæ, & heterogeneæ sunt, attrahere; sicut e. g. vinum spiritus vinosos, oleum Tartari fermento rosarum fermentatum spiritus rosarum volatiles, caro cervina in artocreate asservata spiritus similium bestiarum venationem redolentes ad se trahunt; sicque cum cæteris, quę omnia jamjam fusiùs deduxi, comparatum est. Historia de phalangiis Tarentinis in Regno Neapolitano, satis celebris est, & famosa. Nostis venenum hujus animalculi, quando per inflictum hominibus ab eo læsis vulnus usque ad cerebrum & cor adscendit ac penetrat, in illorum imaginatione, flagrans certos quosdam, dulcissimosque modos musicos, (omnes enim fere diversis cantilenis delectantur) audiendi desiderium excitare. Quodsi ergo cantiunculam illorum aures mirè demulcentem cantare audierint, saltare vix desinunt, atque ita continuâ saltatione copiosissimum provocant sudorem, qui magnam veneni partem in vapores resolvit, præterquam quod sonus musicus intra spiritus aereos & vaporosos, qui in cerebro & corde resident, illudque ambiunt, & per partes omnes eorum, qui istiusmodi cantilenas percipiunt, diffunduntur; proportionalem naturæ, modoq; seu percussioni musicæ motum atque agitationem causatur: perinde ac quando Timotheus Alexandrum M. ad hos vel illos animi motus pro lubitu vehementissimè rapiebas: aut dum sonus pulsatæ testudinis chordas alterius commovet, licet nec extremis quidem digitis tangantur, ob solum scilicet modum ac quasi tremorem, quem in aere producit. Videmus etiam, sonos, qui nihil nisi aeris motus sunt, similem in aqua motum causari. Veluti, v. g. quando sonus acutus, qui, dum digito vitrei vasis aquâ pleni labra fricanrur, efficitur, gyrum quendam, & tripudium quarundam aquæ guttularum excitat, æquè ac in numerum saltarent. Sic etiam svavis campanarum concentus, in locis ubi æra ad numerum concrepantia certas cantilenas sonant, in tranquillâ fluminum vicinorum superficie idem prorsus efficit, & præsertim noctu, quando nullus intervenit motus alius, qui in hunc impetum faciat eumque disrumpat. Cum enim aer aquæ contiguus seu potius continuus sit, aqua etiam facillimè motum suscipiat, similis in aquâ motus ei, qui in aere inceperat,

ceperat, excitatur: Idemq; contactus, qui intra aerem agitatum, & aquam eo ipso similiter motam, deprehenditur, fit quoque in aere agitato, & spiritibus vaporosis, qui in corpore hominum à Tarentinis phalangiis morsorum inveniuntur; qui spiritus consequenter motum suum aeri agitato, hoc est, sono illi musico acceptum referunt, idque eo efficacius, quoniam hujus agitationis vel soni ad naturam & temperamentum vulneratorum maxima est proportio. Hæc insuper agitatio seu motus horum spirituum & vaporum internus, plurimum quidem confert ad expellendum illud vaporosum phalangiorum venenum, quod humoribus vulneratorum permiscetur, perinde ac aquæ vitium capientes, aerque ob nimium quietem, tùm etiam aliarum substantiarum putridarum admixtionem, corruptus, motu & agitatione à sordibus purgantur, & quasi renovantur. Appropinquante vero hyeme, ubi hæc animalia frigore torpescunt, morbus eos invadere cessat; redeunte autem tempestate, quâ olim morsus seu ictus phalangii venenum ipsis intulerat, malo hoc iterum corripiuntur, utque ceu anno præcedenti saltent, oportet. Causa est, quod nempe calor æstivus venenum hujus bestiæ acuit, & adauget, ipsique majorum ardorem conciliat, unde, sicuti anteà, maligna evadit, & in furorem agitur: venenum hoc fervens, dum evaporat, & per aerem diffunditur, ab ejusdem fermento in corporibus læsis adhuc residuo attrahitur; unde fermentatione exortâ, reliqui etiam humores inficiuntur, ex quibus dum fumus ad cerebrum horum ægrotantium adscendit, tam admirabiles in illis effectus produci consveverunt. Nec minus notum est, in regionibus, ubi magni canes seu molossi (veluti in Anglia) aluntur, statim ac quidam ab istiusmodi cane valde morsus fuerit, operam dari, ut occidatur canis, quamvis non sit rabiosus, ne scilicet illo rabie correpto, iratæ salivæ fermentum, quod adhuc in corpore vulnerato residuum delitescit, spiritus canis hujus rabiosos ad se trahat, quo facto, homo similiter in rabiem ageretur. Neq; hoc saltem in Anglia, ubi canes Anglici valdè crudeles & periculosi sunt, verùm etiam in Gallia fieri consvevit, (prout Pater Cheron, Carmelitarum hujus regni Provincialis in suo Examine Theologiæ Mysticæ, nuper impresso, & in cujus lectione modo occupatus fui, refert.) Nihil hîc dicam de naribus illis artificialibus, qui ex alterius carne formantur, ad tollendam deformitatem eorum, qui ob extremum quoddam frigus proprium nasum perdiderunt: qui recens facti nares statim ac homines, ex quorum substantia confecti erant, mortem obeunt, putredine corripiuntur; perinde ac si hoc frustulum carnis alterius faciei insitum, spiritibus, quos ex prima origine ac radice attrahit, exsugitque, vitam acceptam referret. Nam, etiamsi hoc ab authoribus fide dignissimis, uno ore approbetur, nihilominus tamen orationis meæ cursum hoc ipso sufflaminare nolo, quippe ubi nihil profero, nisi quod vel oculis meis vidi, vel tam solidâ confirmatione munitum est, ut ingenii parum ingeniosi argumentum foret, de illo dubitare.

Sed tempus est, ut ad septimum meum, adeoque ultimum principium veniam. Hîc ultima machinæ cochleatæ contorsio se obfert, quæ, uti spero, fores, qui aditu

quo

quo ad myſterii hujus admirabilis cognitionem pervenimus, nos prohibebant, omninò effringet, & quæ inſuper doctrinam, cujus progreſſus & incrementum molior, adeò legitimâ notâ ſignabit, ut pro moneta probâ habeatur. Hoc autem principium ita habet: Originem horum ſpirituum, ſeu corpus illos attrahens, una ſecum illorum comites & quicquid ipſis adhæret, & agglutinatur, auferre. Hæc concluſio, cùm ex ſe ſatis pateat, nulla indiget probatione. Quodſi clavi, aviculæ, & vincula ſerica, vel etiam gummi, cera, aut viſcus uni catenæ, ſeu funis extremitati alligentur, funemque ego ſeu catenam tàm diu retraham, donec & alteram funis extremitatem manu arripiam, fieri haud poteſt, quin eodem tempore clavi, aviculæ, ſerica vincula, & quicquid ibi affixum deprehenditur, in manum meam deveniat. Quare aliquot ſaltem experimenta ſatis comprobata ad conſequentiam hujus principi ſtabiliendam, in medium proferam, quæ non minus præcedentia etiam maximè confirmabunt. Magna fertilitas, opesque Angliæ in paſcuis paſtum pecori ſuppeditantibus conſiſtit: & quidem apud nos omnium lætiſſima & maximè pinguia reperiuntur, præterquam quod etiam animantibus, bobus præſertim & vaccis, abundamus. Vix tam anguſtam invenias familiam, quæ vaccam non alat, unde lac ipſi ſuppetat; quo ferè unico vilioris ſortis homines, æque in Helvetia victitant. Hanc ob rem etiam de ſalute vaccarum maximè anxii ſunt, & ſolliciti: & ſi quando accidit, ut dum lac coquunt, illud nimium ebulliens ex pultario in ignem effundatur, femina aut ancilla ſtatim omne opus relinquit, accurritque, ut pultarium ab igne removeat, eodemque tempore manipulum ſalis (quem ſempor angulo quodam fumarii, ut ſiccus aſſervetur, condunt,) arripit, illoque prunam, in quam lac effundebatur, conſpergit. Si, cur iſtud faciat, ex illâ perconteris; dicet, fieri hoc, ad prohibendum, ne vacca, ex qua lac effuſum emulgebat antea, ex uberum dolore laboret: niſi enim hæc agerentur, illa duritiem contrahere, & exulcerari, imo etiam vaccam ſanguinem mingere, periculumque eſſe, ne ex malo moriatur. Non quidem quod prima ſtatim vice vacca eò extremitatis deducatur; nihilominus tamen admodum malè haberet, & ſi ſæpius hoc accideret, tandem certò moreretur. Videri poſſet hîc aliquid ſuperſtitionis, vel ſtultitiæ ſubeſſe: ſed certitudo eventus rem ab hac ultima vendicat, primam verò quod attinet, multi credunt, morbum, quo vacca urgetur, eſſe ſupernaturalem, & neſcio cui veneficio originem debere, adeoque ipſum quoque remedium, quod modo retuli, ſuperſtitionem aliquam redolere. Verum hac illos opinione levare, res non eſt magni negotii, ſi modo quomodo res fundamentis, à me poſitis, nitatur, ipſis declaretur. Lac nempe in prunas effuſum, in vaporem convertitur, qui in aerem diſpergitur, ac quaſi filtratur, ibidemque luci & radiis ſolaribus fit obvium, qui illud longinquius adhuc deportant, ſphæramque ejus activitatis mirum in modum augent, atque extendunt. Vapor hic lacteus neque ſimplex eſt, neque ſolus: verum etiam ex atomis igneis fumum ſeu vaporem hunc lactis concomitantibus componitur, quæ cum illo quoque permiſcentur, & in unum coaleſcunt. Jam

verò Sphæra vaporis hujus ad locum usque, in quo degit vacca, quæ lac ſubminiſtravit, ſeſe extendente, ubera vaccæ, quæ inſtar fontis & originis ſunt, ex quo lac illud promanavit, vaporem hunc ad ſe trahunt, qui firmiter ibi hæret, unaque cum illo atomi ignis, quæ huic ſe vapori comites præbuêre. Ubera verò pars ſunt glandulosa, & tenera; ac conſequenter inflammationi maximè obnoxia: hic igitur ignis ea calefacit, inflammat, atque ut cutis diſtendatur, efficit, unde poſteà durities illis conciliatur, quæ in abſceſſum degenerat. Ubera inflammata & ulcerata cùm parùm à veſica diſtent, adeòque proximus ardeat Ucalegon, non poteſt, quin & ipſa in veſica incendium exoriatur, cujus calore poſtmodum anaſtomoſes venarum veſicâ intextarum apertæ ſanguinem in eam evomunt, unde, ductu urinæ ordinario, ſanguis iſte egreditur. Jam verò ſanguinem mingere, in vaccis malum valdè funeſtum, & incurabile. Sed unde quæſo eſt, quod ſal in præſens hujus mali remedium cedat? Nimirum, cum ſalis natura igni maximè contrarietur, quippe quæ fixa eſt & frigida, hic vero calidus & volatilis ſit, ut, dum unum alteri obviam procedit, ſal ignem proſternat, præcipitet, & omnes vires frangat. Id quod, in re, quæ cottidiè accidit, obſervari poteſt. Fumaria plurimâ fuligine obducta flammam facillimè concipiunt; contra quod malum præſentiſſimum remedium eſt, ut ſclopetum in caminum exoneretur, quo facto, urens fuligo illicò abſtergitur, & decidit, turbæque motæ ceſſant: quodſi verò ſclopetum in promtu non eſt, magna ſalis copia in ignem inferius extructum conjicit; quæ vincit & prohibet atomos ignis, quæ aliàs continuò adſcenderent, ſeque conjungerent cum ſuperioribus camino inhærentibus, quæ ſubducto ita alimento conſumuntur, atque in nihilum rediguntur. Idem prorſus accidit in atomis, quæ quaſi in limine hærent, & ad comitandum lactis vaporem accinguntur: etenim ſal eas ſimiliter præcipitat, ipſoq; in loco interimit: & ſi qui ſunt, qui collectis viribus periculum effugiunt, atque una cum illo vapore in auras evolant, hoſtem continuò à tergo habent; namque ſpiritus & atomi ſalis eas fervidè perſequuntur, neque prius palæſtram deſerunt, quàm inſtar robuſti luctatoris hoſtem in terram dejecerint. Obiter etiam notabitis, contra exuſtionem nullum eſſe balſamum adeò excellens, cui ſpiritus ſalis modicâ quantitate adhibitus palmam haud præripiat. Conſtat igitur, impoſſibile eſſe, ut ad prohibendum periculum, quod vaccæ uberibus ab igne imminet, præſtantius inveniatur remedium, quàm ut ſufficiens ſalis quantitas in lac in prunas effuſum, projiciatur. Effectus hic conſervationem vaccæ uberum, ob aduſtum lac morbo affectorum, concernens; memoriam mihi refricat alicujus rei, quam multi in Gallia & Anglia oculis ſuis vidiſſe omni veritate affirmârunt. Quando Medici lac alicujus nutricis, cui feminæ nobiles filium delegare in animo habent, examinant, illud diverſis quidem modis antè, quàm de ejus bonitate ſententiam ferant, probare ſolent; neque in eo ſaltem guſtum, ſed etiam colorem, odorem, conſiſtentiam &c. conſiderant: Nonnulli curant, ut usque ad evaporationem coquatur lac, quo ejus ſedimentum, aliaque accidentia & circumſtantias, quæ longe melius hoc modo cognoſcuntur & diſcernuntur,

nuntur, accuratius perſpicere queant. Illæ verò mulieres, quarum lac ultimo modo Medici probatum iverunt, in mammâ, & papillâ, imprimis eo tempore, quo lac illarum coquebatur, acerbo dolore excruciatæ ſunt: quare etiam, ſemel hoc malum perpeſſæ; amplius concedere nolebant, ut vel gutta lactis proprii ex illarum conſpectu auferetur; cùm tamen aliis probandi modis omnibus (illo qui per ignem fit, exceptô) haud difficulter ſe ſubmiſerint. Ut autem attractionem, quâ ubera vaccæ igneas lactis aduſti atomos una cum vapore attrahunt, magis adhuc confirmem; aliud de attractione ſimilis naturæ experimentum, quod ipſemet ſæpius vidi, & cujus periculum facere, nulla operâ, poteſtis, recenſebo. Colligantur excrementa canis quoties alvum exonerat, atque in ignem ſemper projiciantur; hoc facto, primum quidem videbitis eum parumper calefactum leviſſimæ alterationis argumentum exhibere: ſed brevi elapſô tempore illum ipſum, quaſi totum ejus corpus ureretur, lingâ propenſâ, ac ſi longum perfeciſſet iter, anhelantem conſpicietis. Malum autem hoc eum invadit, propterea quod inteſtina, dum excrementorum aduſtorum vaporem, cumque vapore ignis atomos iſtum comitantes, attrahunt, alterentur atque inflammentur, ita ut miſer continuâ febre laborare, & ſtrenuè eſurire coactus, iliis magis, magisque coarctatis, denique eat

— — — *per iter tenebricoſum*
illuc, unde negant, redire quenquam.

Næ! intempeſtivè admodum experimentum hoc in lucem proferretur apud homines & nationes, quæ inſito malignitatis impetu à recto & honeſto iſtiusmodi rerum uſu ad malas artes abſtrahuntur: eadem enim res, quam beſtiis exinde evenire videmus, hominibus quoque accideret, ſi cum illorum excrementis eodem modo ageretur. Res notatu digna, & huc imprimis ſpectans, cuidam meorum vicinorum, cùm ultimum in Anglia commorarer, accidit. Hic infantem perelegantem, & tenerrimum ex uxore ſuſceperat; cujus curam ut melius gerere, eumque ſemper in conſpectu habere poſſet, nutricem domi ſuæ aluit. Sæpiſſime illum conveniebam: erat enim vir perpetuâ graviſſimorum munerum procuratione diſtrictus, ego vero tali homine maximè quidem tunc temporis opus habebam. Die quodam illum valdè triſtem offenderam, & uxorem ejus fletu lacrymisque ferè confectam; cauſam percontantanti reſpondebant, chariſſimum infantulum ad modum malè habere, laborare febre, unde corpus quaſi totum inflammetur, id quod vel ex facie ejus rubicundâ ſatis pateret; cæterum ſubinde irrito alvum dejicere conatu, nec niſi pauca interdum excrementa excernere, quæ tamen multo ſanguine perfunderentur; adhæc accedere, quod etiam admotas nutricis mammas recuſaret. Omnium autem maximè eos ſollicitos tenere, quod, unde malum hoc provenerit, nullam veroſimilem facere conjecturam poſſent; nutricem enim belliſſimè valere, ejusdemque lac omnium votis ex aſſe reſpondere, tumque etiam in reliquis nihil planè intermiſſum fuiſſe, quod ad conſervandam infantis valetudinem pertinere viſum fuerit. Ego verò ſtatim illis dicebam, me, cùm omnium nuperrimè eos inviſerem, remquan-

dam peculiarem obſervaſſe, qua de certiores facere tum quidem animo conſtituerim; verum neſcio quid negotii interveniſſe, atque in cauſâ fuiſſe ut hac de re haud amplius cogitaverim. Res autem ita habebat: Infans, cùm ſignum præberet, ſe in terram demitti velle, vix in ea poſitus ventrem exoneravit; nutrix autem illicò batillum cineribus plenum arripuit, atq; excrementa contexit, poſtmodum verò ſimul omnia in ignem projecit. Mater interim ſe excuſare, quod in corrigendâ infantis malâ hâc conſuetudine major non fuerit adhibita diligentia; & dicere: cùm quotidiè ætate proveheretur, fore, ut ſponte illam emendet. Non propterea me hæc ad eam dixiſſe, reſpondebam, ſed potius ut cauſam mali, tumque etiam conveniens huic remedium invenirem. In hunc finem ipſis alicujus rei hiſtoriam narravi, quæ tribus aut quatuor antè annis infanti Viri cujusdam Primarii in Parlamento Pariſienſi, in Medici celeberrimi urbis Lutetiæ ædibus educato acciderat; cui etiam, ea quæ modo de excrementis canum vobis, Auditores, retuli, adjunxeram. Præterea, ut in memoriam revocarent, juſſi, ea quæ ſæpius narrare audierant, & quod in mea patria non rarò fieri ſolet. In pagis, ubi totâ hyeme viæ lutulento craſſoque fœdantur cœno, ſi quis eſt villicus, qui munditiei reliquis magis ſtudeat, aditusque ſuæ domûs majori induſtria, quàm vicini, expurget, caculæ & alii hujus farinæ homines, nocte, aut quando cœlum inſerenum eſt, adveniunt, ibique ventrem exonerant; quandoquidem in hiſce pagis nullæ reperiuntur cloacæ, præterquam quod in tali loco hi nequam extra periculum, ne in luto, quod aliàs ultra calceos aſcenderet, hæreant, verſantur: interìm mulieres hæ frugi, cùm manè domum aperiunt, ante januam donum maximè graveolens offendunt, quod omnem illis bilem movet, ut poſtea plumbeas iras gerant. Illæ itaque, quæ hujus artis minimè ignaræ ſunt, ſtatim veru vel batillum ferreum, ut igneſcat in ignem immittunt, ac dein ferrum illud candens, in excrementa infigunt, & frigefactum denuo calefaciunt, eandemque operam ſæpius repetunt. Interim nequam ille, qui locum iſtum tam fædum reddidit, ex inteſtinis acerbiſſimè laborat, inflammatur anus, urget inſuper teneſmus moleſtiſſimus, vixq; his malis liberatur miſer, quin graviſſimâ febre toto illo die laboret; unde poſtmodum ne amplius ad hunc hoſpitem divertat ſtudioſè cavet. Sed mulieres, quæ hoc artificii genere homines nequam ædibus ſuis prohibuêre, pro ſagis & veneficis immeritò habentur, ac ſi fœdus cum diabolo iniiſſent, quoniam homines, ne unquam viſos quidem tantis cruciatibus afficiunt. Non diſplicuit Nobili illi Viro hæc mea narratio, imo verò adhuc magis fidem dictis adhibuit, cùm, ut anũ infantis, dubio procùl rubicundam & inflammatam, inſpiceret, juberem, eoq; facto, plurimæ quæ cuti inſurrexerant, puſtulæ, & podex quaſi excoriatus deprehenderetur. Vix leviſſimum temporis dabatur intervallum, quin miſer infantulus dolorifica cum torſione flens quâm miſerabiliter alvum dejiceret, pauca admodum egerens excrementa, quæ tantum abeſt ut in ignem projici permiſerim, ut potius in pollubrum aquâ frigidâ plenum immitti, & locum frigidum deportari curaverim; id quod, quoties neceſſitas efflagitaverat, facere perſeverabant, unde ſtatim malum remittebar,

bat, ita ut intra tres vel quatuor dies infans optimè habuerit. Sed vereor, ne nimium vobis *fastidium* creem ; quapropter non nisi unicum adhuc experimentum patriæ meæ maximè familiare proponam ; dein omnia quæ hactenus dixi, in compendium referam, ut cui bono hæc à me dicta fuerint, probè intelligatis : visque & efficacia conclusionis ex tota oratione deductæ animis vestris citiùs infigantur. Lætissimis igitur ut anteà dixi, pascuis gaudemus, quæ optimum pecori pabulum præbent, unde boves interdum adeo pinguefiunt, ut pinguedo distensâ mole depressa in crura, imo pedes usque propendeat : id quod in causa est, ut apostemata in plantis pedum ipsis oriantur, ex quibus multum puris & vitiosi humoris profluit, quæ gressum animalis manifestè impediunt. Proprietarii hoc valdè ægrè ferunt : licet enim propterea boves non minus valeant, qui ad cultrum emantur, nihilominus tamen lucrum ipsorum calculo malè respondet, parumque constat ratio, quoniam cùm eos *Londinum* (ubi boves opimi pro tota Anglia ; æquè ac Parisiis pro Normanniâ, Arverniâ, aliisque Galliæ regionibus venduntur) ducere haud possint, ut in ipso loco eosdem mactent, oportet, ubi caro illa vix dimidio imo minori quoque pretio, quam Londini venditur. En igitur præstans ad hoc malum remedium! Observare oportet locum, ubi bos, aut vacca aut junix, pedem malè affectum figit, statim primo gressu quem ex stramine surgens facit, in eodemque loco terræ glebam vel cespitem extensioni infixi pedis respondentem exscindere, eundemque in arbore aut sepe Aquiloni exposita collocare, qui statim ac terræ glebam afflare cœperit, bos intra tres aut quatuor dies perfectè sanabitur : quodsi veru exponatur vento Meridionali, & quando Africus spirat, (Tolosæ vocatur d'Autant, Monspelii le Marin, in Italia verò le Scirocco) malum augebitur. Hæ circumstantiæ minimè vobis superstitiosæ videbuntur, si consideraveritis, nocturnâ quiete vitiosum hunc humorem sive pus copiosè in pede bovino malè habente colligi, qui deinde primum summo manè gressum facturus, mox pedem ulceratum terræ impingit, cui materia purulenta effluxa firmiter affatimque imprimitur, ac adhæret. Hac terræ gleba, seu cespite in loco convenienti & aquiloniis ventis obvio positis, atomi frigidæ & siccæ hujus venti cum pure commiscentur, quod dum spiritus suos per totum diffundit aerem, pes ulceratus, qui istis originem præbet, eos denuò attrahit, & unà etiam cum illis atomos hasce frigidas & siccas, quæ cùm hoc malum nihil nisi exsiccationem & refrigerationem requirat, pedem pristinæ sanitati restituunt. Quodsi verò cespes hic vento calido & humido exponatur, non potest quin effectum priori omninò contrarium producat. Atque ita (Auditores) omnes meas rotas absolutas cernitis. Equidem fateor, illas parum politas esse, & elaboratas : Videamus tamen, utrum hæ rotæ congregatæ, & legitimæ machinæ hujus progressum promoturæ sint : Quodsi rotæ jam dictæ justo ordine directæ conclusionem, machinam istam immobilem, in portum exoptatum deducant, spero, fore ut rudi stilo, & ineleganti enunciationi ignoscatis, atque neglecto accuratiori verborum scrutinio,

in

in nudâ rei veritate conquiescatis. Age igitur, conferamus ea, quæ hactenus dicendo prosequuti sumus, cum circumstantiis omnibus quæ in curatione hominis vulnerati pulvere Sympathico peractâ concurrunt. Ob oculos nobis ponamus Dominum Hovel manu sauciatâ conspicuum, atque inflammationem, quæ vulneri supervenerat, unà consideremus. Arripitur periscelis ejusdem sanguine perfusa, in pollubrum frigidâ aquâ plenum immergitur, ubi parum dissolvitur Vitrioli; de die pollubrum in conclavi Vernali Solis calore temperato, de noctu autem in quodam fumarii angulo collocatur, ita ut sanguis periscelidi adhærens nunquam non in loco naturali, corporisque sani temperamento convenienti asservetur. Agedum, quid accidet de his omnibus? (secundum doctrinam, quam modo stabilitum ivimus) quid facto opus est? Primò, Sol & lux per longinqua locorum intervalla spiritus sanguinis periscelidi inhærentes ad se trahent: Temperatus vero foci calor, qui leviter in compositionem agit, (quæ res eo planè recidit, ac si quis totum hoc siccum in loculo portaret, ut à moderato corporis calore calefiat) harum atomorum expulsionem promovet, (sicuti aqua in filtratione in guttulas rotundas sese contrahens, id quod ascendit, propellit, ut eo celerius faciliusque progrediatur,) efficitque ut atomi dilatentur, & filtrentur, atque illæ ipsæ magnum aeris spatium emetiantur, sicque attractio Solis & lucis, manifestè adjuvetur. Secundò, spiritus Vitrioli cum sanguine uniti non possunt, non idem cum atomis sanguinis iter perficere. Tertio, manus interim vulnerata continuò exhalat ac expirat magnam calidorum & igneorum spirituum copiam, qui instar fluminis ex inflammato vulnere profluunt, id quod fieri nullo modo potest, quin vulnus aerem ambientem & proximum consequenter attrahat. Quartò, hic aer alium maximèq; vicinum aerem ad se trahit; atque ita cursus quasi, seu fluxus attracti aeris circa vulnus producitur. Quintò, Unà cum hoc aere tandem atomi spiritusq; sanguinis & vitrioli, qui operâ attractionis, à Sole luceq; profectæ, procul per aerem dispersi fuerant, adveniunt. Quin imo fortassis etiam statim in initio, orbis seu sphæra harum atomorum & spirituum ad tam insignem distantiam extendebatur, neque ullâ aeris aut lucis interveniente attractione opus habebat. Sextò, hæ atomi sanguinis, in primam originem ac radicem, ex quâ prodierant, incidentes, ibi morantur, atq; ita, primitivum repetentes cubile, proprium lectum denuò ingrediuntur: reliquus verò aer, ceu peregrinus, præterit, statimq; ac venit, evaporat, sicuti etiam vix à portâ in conclave attractus per fumarium in auras fertur. Septimò, atomi sanguinis ubi inseparabili nexu se se spiritibus Vitriolicis junxêre, ambo omnibus simul fibris & venarum orificiis, quæ in vulnere ægrotantis patent, sese insinuant, vulnus confortant, idque tandem insensibili successu restituunt. Ut autem, cur istiusmodi curatio tàm feliciter succedat, cognoscamus, naturam Vitrioli diligenter examinemus, necesse est. Componitur illud ex duabus partibus; unâ fixa, alterâ volatili. Fixa, quæ est sal Vitrioli, acris est, & mordax, nec non aliquo modo caustica: contra verò, Volatilis anodyna est, & dulcis, & præterquam quod virtute balsamicâ pollet, etiam adstringit, unde collyriis oculo,

oculorum inflammationibus inſervientibus, admiſcetur; adhibetur etiam, quoties defluentiũ humorum acrimonia oculos eroſit, & in injectionibus uſurpatũ brevi excoriationibus medetur;inſuper optima queq; emplaſtra,quibus ad ſiſtendum ſanguinem,carnemq; generandã utimur,ingreditur.Qui oleum Vitrioli dulce,quod pars ejus purè volatilis eſt, extrahere nôrunt, optimè ſciunt, nullum in rerum naturâ balſamum reperiri, quod cum hoc oleo comparari queat. Etenim dulce hoc oleum breviſſimo temporis ſpatio omnis generis vulnera, modo lethalia non ſint, perſanat; præterea ruptas pectoris venas conſolidat, & reſtituit, quin imò etiam pulmonũ ulceribus,absq; hoc balſamo incurabili morbo ſuccurrit. At verò hæc ipſa pars volatilis à Sole(magno illo Naturæ deſtillatore) aufertur,illiusq; operâ in aëre diffunditur; hanc ipſam vulnus ſeu pars læſa attrahit, ſuoq; ſanguini, humoribus ac ſpiritibus adſimilat:Quibus ita comparatis,non poſſumus non egregiè de hoc Vitriolo volatili ſperare,quod nimirum venarum ſubſtantiam confirmet, ſanguinem ſiſtat,vulnusq; brevi tempore in integrum reſtituat. Modus hoc utendi remedio Sympathetico omnium antiquiſſimus erat hic:Sumebatur ſolummodò Vitriolum,(idq; vel maximè commune) uti vulgò venditur, omnis præparationis & additionis expers, atq; in aquæ fontanæ, vel potius pluvialis eâ quantitate ſolvebatur,ut immerſum ibi ferrum delimatum & politum, v.g.culter,tali imprægnatum colore, ac ſi in cuprum transmutatum fuiſſet, educeretur. Atq; in aquam linteum quoddam à vulnere adhuc cruentum immergebatur, ſi jam exſiccatum fuerat, ſin verò recenti adhuc madebat ſanguine,nihil aliud facto erat opus, quàm ut pulvis hujus Vitrioli ſubtiliſſimus ipſi inſpergeretur, pulvisq; à ſanguine imbiberetur adhuc recenti;hæc duo in loco temperato aſſervabantur, pulvis nempe in loculo arculæ incluſus, aqua verò, quippe quæ huic commoditati minus apta, in quodam conclavi moderatè calido.Quotiescunq; autem linteo cruento recenti aqua recens vitriolica affundebatur, vel recens pulvis adſpergebatur, homo ſauciatus levamen percipiebat, non aliter ac ſi tum temporis reipsâ ſummum vulneri remedium adhibitum fuiſſet. Quare etiam vulneris deligationem manè & veſperi hoc modo repetebant. Jam verò maxima eorum pars, qui hoc remedium ſympathicum in uſum revocant, operam dant,ut Vitriolum Romanum,vel ex Inſula Cypro allatum ſibi comparent, quod poſtmodum ad ſolem, dum albiſſimum fiat,calcinant.Præterea quoq; nonnulli Tragacanthum admiſcent;nimirum facilè eſt inventis addere. Ad me quod attinet, effectus vidi æquè admirabiles, à vitriolo cujus libra una octodecim denariis venditur, produci,ac pulvis, qui magnis ſumptibus hodie præparatur, edere ſolet;attamen modernam hujus rei praxin haud improbo:quin potius,quandoquidẽ ratione eâdem nititur,plurimũ approbo.1.enim videtur, puriſſimum ac optimum Vitriolum optimos quoq; debere producere effectus:2.Moderatam calcinationem,qualis eſt, quæ à radiis ſolaribus perficitur, omnẽ ſuperfluam Vitrioli humiditatẽ, quæ aliàs vires ejusdem valdè obtundit, abſorbere, quin imò etiam tantũ abeſſe puto,ut hac calcinatione bonitati vitrioli aliquid decedat;ut potius eâ perficiatur, perinde ac ſi quis jus clarum & tenue eousq; coqui cura-

ret, ut deniq; congelatum aut consummatum fieret, nonnisi ad nutritionem partium illud aptius multò redderet. Videtur insuper 3. quando vitriolum soli, ut ab ejusdem radiis calcinetur, exponitur, spiritus vitriolicos magis adhuc volatiles reddi, ut postea faciliùs à Sole, quoties opus illis habet, in aërem diffundantur. Neq; enim est, ut dubitemus, quin ætherei solarium radiorum ignis particula cum vitriolo in unum coalescat (sicut ad oculum patet, quando antimonium per speculum ardens calcinatur; nam quasi ad dimidium pondus ejus augetur.) Atq; in hoc casu luminosæ hujus substantiæ pars, quæ in vitriolo ita calcinato remanet, maximè erit disposita, quæ à simili luce ac radiis solaribus in aërem elevetur: sicuti videmus, quod quando, ut antlia melius aquam ex puteo exantlet, efficere animus est, prius parùm aquæ sursum injiciatur: Lux itaq; cum substantiā sibi connaturalem, facilè auferat, longè adhuc faciliùs id quod huic adsimilatū est, secū unà abripit, & deportat. 4. Hi radii solares unum cum Vitriolo corpus constituentes, majorem, & præstantiorē adhuc ipsi virtutem, quàm antea obtinuerat, communicare conciliareq; possunt; æquè ac oculis cernimus, antimoniū in sole calcinatum, vim venenatam, quâ prius constiterat, in summuū medicamentum, & balsamum egregium transmutare, & præstantissimi corroborantis naturā induere. 5. Gummi deniq; Tragaganthum, cùm facultate conglutinante præditū sit, ac cæteroquin nihil noxii in se cōtineat, ad cōsolidanda vulnera plurimùm quidē facere potest. Possem, Auditores, iis, in quibus recensendis jam jā occupatus fui, plurima quæ formam & essentiā vitrioli (cujus substantia tàm nobilis atq; admirabilis origo est, ut jure dici possit, ex corporibus excellentissimis esse, quæ unquam natura produxerit) concernunt, eaq; consideratione omni dignissima adjungere. Chymici nobis confirmant, vitriolū nihil aliud esse, quàm (ut ita dicam) corporificationem spiritûs universalis, qui omnibus rebus sublunaribus animā dat, summumq; ad perfectionis gradum eas evehit, qui spiritus copiosè à Magnete quodam appropriato attrahitur: hujus beneficio ipsemet brevi tempore, solâ vitrioli ad aërē expositione factâ, Vitrioli alicujus Cœlestis, mirâ puritate & virtute insigni pollentis (quo naturæ privilegio præter hoc ipsum, non nisi Salpetræ purissimus gaudet,) copiam, plus decies expositi vitrioli pondus superantem, attraxi. Verum enimvero ad naturā Individui hujus Transcendentis (quod nihilominus quodam modo universale, corporibusq; cunctis tanquam fundamentale dicere possumus) penitiùs explorandam, sermo longè amplior prolixiorq; eō, quem hactenus ad vos habui, requireretur: cùm autem jam nunc nimis longâ oratione vos detinuerim, hominis esset parum modesti, novam materiam aggrediendo, aut novas quæstiones proferendo, vestrâ omnium bonitate, (quippe qui tam benignas mihi & vacivas aureis præbuistis,) patientiâq; abuti. Quare hæc in aliud tempus, (quod vestræ voluntati significandum relinquo) differens, atq; in præsentiarum ad generalem hujus Sanationis considerationem rediens, quicquid dicendum restat, absolvam, si prius ad eorum, quæ supra proposui, confirmationem pauca quædam verba, eaque non parvi ponderis & momenti, interseruero. Admirabiles insignium effectuum, quos Pulvis hic Sympathicus

edit.


edit,causas à prima illarum origine deduxi. Hæ ipsæ causæ fundamentales tam arctè invicem concatenantur,ut nullum ibi planè defectum deprehendi posse,continuamque earum seriem omnis interruptionis expertem esse videatur:sed magis adhuc confirmabimur in conceptâ de illarum virtute & efficaciâ opinione; easq; ipsas esse, à quibus tam frequens, & jucundissimus curationis effectus reverâ dependet, prorsus persuadebimur,si diligentius paulò consideraverimus,quod quotiescunq; in unâ vel omnibus simul circumstantiis aliquid mutatum itur,illicò effectus à priori toto cœlo differens animadvertatur. Si nunquam horologium contemplatus essem, magnam certè in admirationem raperer, ubi manum seu aciculam in horologii superficie horas regulariter monstrare cernerem, deprehenderemq; singulis duodecim horis eam circulum absolvere, nec tamen quid acum urgeat propellatq; à me videri posse.

Dum verò ex alterâ parte illud inspicio, video rotas, pelvim, malleum & libramina, quæ continuo agitantur motu; quibus consideratis, statim suspicor, rotas hasce in causa esset, ut acus circumagatur, etiamsi lamina intermedia prohibeat,quo minus qua ratione rotarum motu gnomon horologii moveatur,cognoscere possim. Quare mecum ita ratiocinor, dicens: nihil fit sine causa, & omne quod movetur, necessariò ab alio ipsum cõtingente,movetur. Jam verò nulla alia intueor corpora, horologii gnomonem in orbem agitantia,præter hasce rotas: persuasum itaq; omninò habeo, illas ipsas esse, quarum impulsu gnomon indesinenter circumcirca rotetur. Ubi verò rotæ alicujus motum inhibuero, aut libramen aliquod sustulero, videroq; aciculam seu indicem eo ipso gradum derepentè sistere; ac suspenso iterum libramine,motuq; rotæ existente libero, eam ipsam consueto more cursum illicò repetere; vel si, dum admoto digito rotæ alicujus gyrum urgeo, aut libramen appensum plus onero, index celerius quàm antea progrediatur, tunc penitus in concepta opinione conquiesco, & absolutè concludo, rotas vel libramina verissimam, unicamque causam esse, à qua gnomonis motus dependeat. Sic etiam, quando actione causæ alicujus, quibus singulis tanquam fundamentis pulveris Sympathetici inventum superstruxi, impeditâ, alteratio sequitur, vulnerisque sanatio retardatur, vel planè haud procedit; audacter concludere possum, supradictas causas omnium verissimas, & penitus legitimas, neq; opus esse, ut in aliis excogitandis ingenii nervos defatigemus. Examinemus itaq; hoc modo nostrum negotium. Dixi, vulnus atomos Vitrioli & sanguinis, statim ac à luce sublatæ, & per longinqua aëris spatia dispersæ fuerint, attrahere, magnamq; à spiritibus vitrioli, quippe quod virtute balsamicâ præditum est, levamen accipere, illorumq; beneficio tandem omninò sanari. At verò, si pollubrum, vel pulverem unà cum linteo cruento in quodam risco conclavis frigidi, vel etiã in cella, quã radii solares nunquã illuminant, & ex qua aër nullus efflatur, (& consequenter corrumpitur situmq; redolet,) reponatis, tunc, inquâ, vulnus ne minimum quidem hujus pulveris effectum, solamenque percipiet; Idem quoq; accidet, si collocatã in quodã angulo pelvim, seu pulverẽ multis crassis, & spongiosis operiatis iutegumentis, quæ atomos aliàs inde exituras imbibunt, lumenq; &

radios intrãtes impediũt,ſufflaminãtq; ita ut fractis viribus evaneſcant. Quin etiã, ſi permittatis, ut aqua vitriolata, in quã linteũ cruentũ immerſũ eſt, gelu cõcreſcat: ſauciatus primò ſtatim acre in vulnere frigus ſentiet; ſi verò omnia glacie conſtricta fuerint, nullo vel incommodo vel commodo pòſt afficietur, quãdoquidẽ frigus hoc adſtringẽs poros aquæ cõſtipat, & ſpirituũ trãſpirationi ex ipſa, aut effluxui omnimodè obſtat. Si lavetur linteũ maculatũ in aceto aut lixivio, (quę ob acrimoniã ſuã maximè penetrãntẽ omnes ſanguinis ſpiritus auferũt) priusquã vitriolũ ipſi applicetur, nullũ planè effectũ producet: ſin verò in ſimplici tantũ aqua lavetur, (hæc enim nõ tantũ aufert) aliquid tamẽ præſtabit, verũ effectus nõ erit æquè inſignis, ac ſi linteũ minimè lotũ fuiſſet; tũ enim ſpiritibus ſanguinis omnibus refertũ eſt. Hic ſanãdi modus optimè etiã ſuccedit, ſi ſaltem gladio, qui hominẽ ſauciavit; medicina paretur, modo gladius ad ignẽ nõ nimis calefactus fuerit, aliàs enim omẽs ſanguinis ſpiritus exhalarẽt: quo facto enſis ad hãc ſanationẽ perficiendã prorſus ineptus redderetur. Ecce autẽ cauſã, cur gladius, inſtar vulneris, deligari quoq; & curari poſſit? Nimirũ hoc propterea fieri poteſt, quoniã ſubtiles ſãguinis ſpiritus laminæ gladii ſubſtatiã penetrãt, ad eã usq; extẽſionẽ, ad quã gladius vulnerati corpus trãsfodit; ibiq; ita reſidẽt, ut nihil niſi ignis, ut jã dixi, illos expellere valeat. Rẽ hãc experturi laminã igniario moderato imponite; & illicò videbitis levẽ quãdã humiditatẽ, quæ maculæ in ſpeculo, vel ipſa polita laminâ cõtractæ ſimilis erit, ex oppoſita igni laminæ parte profluẽtẽ: ſicq; utamini ſpecillis majorẽ objectis quãtitatẽ cõciliãtibus, micro aut ſmicroſcopiis, dictis, animadvertetis rorẽ illũ ſpirituũ in bullulis inflatisq; veſiculis cõſiſtere: quæ ſi ſemel prorſus evaporârint, evanuerintq;, nihil tale in laminâ, niſi denuò in corpore vivẽte figatur, amplius conſpicietis. Quin imò etiam neq; in principio in aliquâ, quàm hâc præcisè laminæ parte, quæ vulnus penetraverat, quicquam videbitis.

Subtilis hæc ſpitituum penetratio, qua duræ chalybis ſubſtantiæ ſeſe inſinuant, ſimilium ſpirituum in cute gravidæ mulieris impreſſionem magis adhuc credibilem reddet; ſicuti (de ſexto principio agens) ſuo loco me annotaturum dixi. Quamdiu ergo Spiritus ſanguinis in gladio deliteſcent, ille ad reſtituendnm vulneratum aptus erit: verum, ubi ſemel ignis calor ſpiritus hoſce fugârit, remediũ enſi adhibitum nullarũ virium erit. Adhæc, ſi calor quidam intenſior & violentus atomos has concomitetur, vulnus inflammat; cui malo ſal communis mederi ſolet: humiditas aquæ vulnus humectat, frigus verò horrore vulneratum, rigoreq; affligit. Plurimas quidem in hujus rei fidem adducere poſſem hiſtorias; ſed jam dũ nimis quàm par eſt, patientiã veſtrã exercui, quare in præſentiarũ ſicco eas pede præteribo, nihilominus tamen ſi quis ex cœtu hoc digniſſimo illas ſcire deſideraret, ad privatam earundem narrationẽ ipſi me paratiſſimum offero. Quod totum hoc myſteriũ per vias, & circumſtantias naturales procedat, licet ſpiritibus res agatur ſubtiliſſimis. Videor mihi oratione mea ſatis evidenter vobis monſtraſſe, nõ opus eſſe, ut hac in ſanatione actionẽ Agentis diſtantis in Patiens admittamus. Realẽ vobis utriusq; communicationẽ delineavi, per quã ſcilicet, balſamica quædã ſubſtãtia corporaliter cũ vulnere permiſcetur. Animi abjecti ſignũ eſt, & craſſa intellectûs ignorantia, effectũ Magiæ quendã, & incantamenta prætendere, omnesq; naturæ actiones anguſtis obtuſorũ ſenſuũ limitibus includere, ubi cauſas & principia, quibus judiciũ noſtrũ inniti par eſt, nondum ſatis examinavimus: neq; oportet, ut ad ſolvendum difficultatis hujus nodum dæmonis alicujus, aut angeli oraculum conſulamus:

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit.



EXPLICATIO TITULI ÆNEI.

De
PULVERE SYMPATHETICO.

EN, *mira quædam vulneris ſanatio!*
quam Celſus ipſe neſciebat artifex,
& quicquid orbis foverat medentium
antiquior, vel, hercle! non notaverat.
Cum Pamphilo, aureis arrige, horum neſcius,
oculisq; cerne lynceis frontem Libri.
Aquâ lavatur linteum, quod ſanguine 2.
conſauciati vulneris rubet recens;
ſed in liquore pulvis ante ſolvitur:
ſiccatur inde linteum. Quid amplius?
Dolere vulnus ceſſat atq; tollitur.
Calore gaudent temperato ſingula;
nam ſi calore & igne fiant fervido,
ardore vulnus flammeo peruritur.
Magnale *multis hîc videtur autor, &*
Aſtralis *ille* Spiritus, *ſunt inſuper*
opemq; vimq; qui latentis pharmaci
in qualitatem occultiorem *transferunt,*
Animamq; mundi *dictitant quamplurimi:*
Digbæus *autem* Sphingis *alter* Oedipus,
diverſa præſupponit hîc à cæteris,
ſolvitq; paſſim nodulos ænigmatum, *Na-*

Natura queis abundat intricatior.
Vult nempe totum Luce plenum esse Aërem,
Lucemq; rebus præsidere singulis,
atomosq; secum ferre per longissimam
intercapedinem locorum, postmodum
referre, ceu repulsa vi muro pila 2.
nonnulla secum ductitat corpuscula:
nec non velut liquore fuso consitum,
propiore dum calescit igne, linteum
nebulam solet, vel tale quid, producere:
Et sic videmus lampadem repercuti,
illuminat dum manè Phœbeum jubar
terram liquore inebriatam roscido:
hinc surgit aër crassior, cœlum petens,
nebulamq; format, quæ subinde attollitur
à Solis orbe, donec ex oculis fugit:
Nihilque, pergit Autor, esse hoc aëris
inane: quàm notata jam corpuscula;
hinc & catellos viperinos, comprobat, 3.
vitri reclusos victitare carcere,
atomisq; vesci maximo cum fœnore
namq; in dies augmentum habere grandius.
Et hic latere cernis, Arge nodulum,
verruca cur, visis Selenæ cornibus,
non amplius manum premat præsentiâ?
Sed perge, Musa, paginas evolvere!
Adhuc recenset autor; hæc corpuscula,
quousque dividantur, ullum terminum 4.
haud invenire quare de corpusculis
atomisq;, queis canis sagax prædam invenit,
& malleato Sole narrat plurima
quævis ut exempli coruscent lumine.
Tamen modo non unico, (post adjicit),
has attrahi, sed æmulare sæpius
filtrationem, quâ liquor polum petit 5.
vel ignis attrahentis uda legibus
sæpe obsequi; sed glutinari fortiùs
natura quorum maximè est consentiens,
cùm pondus *atq;* Libra *calculum suum* 6.
addant, ut hæc respondeant in omnibus.
Quorum tamen natura valde discrepat,
ut contrahas, laboris esse maximi.
Ostendit hos udi Chaos, quod vitreo
servare quosdam in vasculo, paucis refert,
ut indicent, quis ordo naturalium
situsque rerum quattuor, Magnum Sophos
elementa prima quas subinde nominat,
Figura, Quantitas, Imaginatio,
creduntur Ipsi *ponderis vel maxumi.*
Næ! magna vis Imaginationis est,
Figura, Quantitasq; plurimum valent!
Hinc oscitante quodam, & alter oscitat,
concentus hinc æquabilis testudinum;
hinc morsus à Tarantulâ pede saltitas.
His addit Autor *ultimum, quod sic habet:*
quod nempe corpus attrahens hos spiritus
& quicquid ipsis adjacet, secum attrahat.
Hinc quando lac ebulliens effunditur,
vimq; ignis experitur in carbonibus,
laborat è dolore vacca maximo,
& igneo torquentur ejus ubera
calore; sicque exulceratus pes bovis
sentit levamen, aut dolore affligitur,
prout benignioris aurâ spiritûs
hunc mitigat, vel aggravat malignitas.
Sic fulminantis ictibus Martis quoque
decumbit ardens in camino Mulciber, 7.
atraque decidente mox fuligine
furentis evanescit ira incendii.
Et multa, non capit quæ metri angustia
Digbæus *omni laude dignus inserit.*
Concludit hinc, quod in medela vulneris
Sol attrahant & lux cruoris spiritus,
ex fascia, cum pulveris corpusculis:
sed vulnus expirare, dicit, interim
calore plenos igneosq; spiritus,
ad se novum qui semper aërem trahant:
cumque hoc, cruoris atque pulveris simul
tandem advenire spiritus, qui dum sibi
redduntur ac origini, figunt pedem;
horumq; quisq; sede gaudet propriâ.
Ergoque dum corpusculorum pulveris
caterva se permiscet arctè cæteris,
omnesque vulneris meatus invicem
pertranseunt, resurgit en! Sanatio;
Chirurgus & vocatus est ludibrio,
clamante Momo: Abscede, post festum venis!

L. S. M. D.

Illustrissimo & Excellentissimo Comiti, Domino

DYGBÆO,

Reg. Magnæ Britanniæ Cancellario

Laurent. Strauss. S. P. D.

MAgnas Orbis *Tibi* debet gratias, quod politam Tuam Orationem de *Pulvere Sympathico* in publicum prodire passus sis, nec minores ego Generoso Dn. DIDE, Serenissimi Principis mei Consiliario & p. t. ad Imperatorem Legato, quod scripti hujus rarissimi, & edecumati per Ipsum compos factus fuerim. Utinam darentur multi tales Comites, in quibus eluceant clarissimæ togæ sagæque virtutes uti in TE coruscant penitùs. Tanto enim fervore studiis incubuisti, publicis statûs laboribus illaqueatus, utileq; dulci, seria negotia jucundissimis Musarum sacris, tam tempestivâ moderatione miscuisti, ut nunc vel Phœbo judice, tantum emineas,

quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Tu verò ægrè non feres, quod in Latium sermonem Tua transtulerim, cùm non tantum Te haud renuente, sed etiam hortante, atque ut Magnorum Virorum, Gallicam linguam non callentium, petitioni morem gererem, versionis periculum hujus fecerim. Ego autem ægrè fero, me non tam appositè id præstitisse, ut Tu quidem executus es κατὰ ςαθμὴν, ad plausum & admirationem.

Quod verò statim primo limine *Pulveris Sympathici* essentiam & existentiam inculcas, benè facis. Inculcavit idem *Erici Mohy* libellus, *Gilbertus Bodry*, Venetus Aurifaber, Venetiis cottidiè similem pulverem monstrat & vendit. In Galliæ quoq; aliquot locis vidi, & locutus sum quibusdam cum gravissimis Viris, qui non minorem experientiam allegant, quam nominatus *Gilbertus Bodry*, qui ab Anglo se habere narrat, hac quidem lege, ne ulli præparationem revelet. *Helmontius* bonitati divinæ attribuit, quod inventus sit Pulvis Sympathicus ad sananda ulcera & vulnera, absque medentium operâ, qui instar pediculorum alienis duntaxat saginentur ærumnis. *Calcantum* enim absens naturaliter vulnera & ulcera sanare profitetur: Doctor tamen quidam Theologiæ non posse fieri naturaliter putavit, nec credidit, donec ipse experimentum faceret. Inspersit nempe pulverem optimi Calcanti linteo cruento cum protestatione expressa, se nolle quicquam experiri, aut sanatum iri, si vel minima esset pacti, aut cacodæmonis cooperatio: se vidisse tamen vulnus solito citiùs curatum, cruorem quoque statim sedatum, adeoque deinde se credidisse, causas naturales, quamquam nobis ignotas, operari in sympathetica illa sanatione. Pensiculatius hanc rem persequutus est à bello Cretensi redux *Papinius* eleganti libello, libello inquam tàm polito, bisque in Gallia excusô, ut operæ pretium duxerim, cum coronidis instar adjungere.

Quod

Quod verò Tibi, Illustrissime Dn. Comes, accidit in sanatione Dn. *Hovvelli*, idem ferè, à contraria tamen causa, expertus est S. *Nic. Gilbourne* Nobilis & Eques Auratus Anglus in sanatione fabri lignarii, per *unguentum Sympatheticum*. Is enim Unguento Sympathetico pyxidem plenam secum retinens, fabrum quendam lignarium, ad naves reficiendas (apparatus autem navalis tum curæ erat prædicto Equiti Gilbourne) conductum, graviter securi esse vulneratum audivit, quo annunciato, securim cujus acies sanguine vulnerati erat perlita, protinus ad se adferri jussit: & unguento suo securis aciem cruentam perfricans, eamque pannis linteis à frigore muniens, in conclavis sui quendam clavum suspendebat, clausoque ostio discessit, & subitò vulneratus ille se solatium sensisse fassus est, & indies magis magisque convalescere perrexit: At verò quodam die, de vulnere suo atque de dolore, & intemperie ejusdem conquestus est admodum, adstantesque omnes sunt admirati, quod nulla occasione evidenti datâ, tam repentinâ inquietudine esset afflictus, ad *Dn. Gilbourne* statim defugiunt, ipseque ad suum conclave festino gradu properat, invenitque securim fortè fortuna humi prostratam, linteis amiculis destitutam, atque partem unctam aëris inclementiæ obnoxiam; quare vice secundâ instrumenti aciem unguento illinivit, eamque linteis tegumentis investiit, & immediatè vulneris dolor est mitigatus, illudque ad pristinam temperiem redactum, atque ita mox convaluit: Tu verò, *Illustrissime Dn. Comes*, non recurris hic ad *animam Mundi*, non ad *Magnum Magnale*, nec ad *spiritum astralem* aut *occultas qualitates*, sed causas manifestas promittis, easque eleganter exponere, & nervosè probare per varia præsupposita fundamenta & naturæ mysteria satagis. Ut ut tamen multi concedant, sanationes post usum pulveris sympathici, aut unguenti armarii (cujus sex descriptiones passim ostenduntur) factas, quærunt nihilominus *an pulvis iste aut emplastrum illud sanationis causa esse possit*; imò potius putant *soli Naturæ* adscribendam illam sanationem, cum vulnera sæpissimè à Natura, nullo concurrente medicamento, ad intentionem *Cæsaris Magati*, sanentur, quodque talia sympathetica remedia, nec calorem nativum & temperiem partis naturalem conservare, nec impedimenta, quæ naturæ in suo opere obstent, removere possint. Videndum itaque quid afferas. Et primùm quidem quod attinet tuum præsuppositum de *Luce*, quod nempe aër plenus & repletus sit Luce, multis hodiè ad palatum est & salivam. Quod autem substantia sit materialis & corporea, ut *Telesius* præsupponere videtur, capere non omnes possunt, qui potius arbitrantur esse substantiam spiritualem & *formalem*, quæ ad officium formæ in rebus exercendum ordinata sit, unde etiam Lucem (*formale principium*) post primum (*materiale*) principium creatam esse, tenebras enim potentiæ & materiæ vices gessisse, Lucem verò formam & actum dedisse; Lucem namque, ut formam decet, illustrasse, actiones in rebus promovisse, compositum constituisse, & vivicasse, adeò quidem, ut absente luce totus Mundus repetere cogeretur antiquum & primum chaos. Hinc per lucem omnia moveri, sine luce cuncta emori. Hinc *ignis* ille *invisibilis* Zoroastri & Heracliti, de quo Calcidius & alii. Hinc *spiritus igneus* Mercurii

Tris-

Trismegisti & aliorum Veterum. Hinc Platonis *Boni ipsius filius*, quod juxta Homerum omnia videat & audiat. Augustinus quidem à Te allegatus, inter corporea subtiliora recenset Lucem, sed forsan intelligit materiam substratam. Lux enim per se non potest videri, utut materiam à luce habeat, ut possit videri. Lux enim etiam in tenebris habitat, habitat, inquam, ubique, videri tamen non potest, nisi in materia substratâ radiis solaribus illuminata. Che la luce non sia corpo, ait *Tassonus*, si prova con l'autorità d'*Aristotele*, e colla ragione, conciosiache s'ella fossa corpo, due corpi penetrandosi l'un l'altro sarebbono nell'istesso luogo, ilche non può essere. Exemplo tuo allato pilæ, addi forsitan posset Echo, quando

Saxa sonant, vocisq; offensa resultat imago.

De pilâ aliàs in parietem planum percussâ inferunt Mathematici quidam, repulsum æqualem futurum, cum motus in seipsum reflectat, atque centrum gravitatis & contactus in eâdem linea motûs sint. Sed fallunt & falluntur: uti pulcrè indigitat meus Cognatus ingeniosissimus *Joseph. Furtembach* in Halinitropyrobolià part. 2. pag. 54. exemplo desumto à globo ex mortario sursum exploso, quod is nempe non descendat perpendiculariter in ipsum mortarium, uti communia principia Geometrica inculcare videntur.

Sed ut ad lucem adhuc semel recurram, an forsan *ovum* illud *amoris antiquorum* Lucem formale principium involvit, de quô Orpheus?

Æthere labentem geminum, magnumq; vocamus,
Qui prior est natus, qui ex ovo, qui nitet aureis
Alis lætatus, per quem superumq; virumq;
Est genus exortum, tenues in luminis auras.

Et Aristophanes:

Chaos erat & nox, Erebusq; niger primum & Tartarus altus,
Terra, nec aër, nec cœlum erat, Erebique in finibus amplis.
Parit Prius Zephyrum Nox alis ingrescentibus ovum-
Ex hac labentibus horis pullulavit deinde Cupido,
Splendens tergum aureis alis.

Ast hæc mystica superant captum meum. Hederæ, humile plantarum genus, arboribus innituntur, ut frondescant, & vireant: Ita & ego quoad hæc explicanda mihi non sufficiens, Tuâ informatione, *Excellent. Dn.* consequi nitor, ut vivam, ut floream, ut, inquam, harum rerum notitiâ animum imbuam.

De *Luce* autem in *Secundo Præsuppostito* non incongruè infers, quod *lux per aërem atomos* vehat, revehatque. Primi *Atomorum* doctores *Leucippus* hujusque discipulus *Democritus* & *Epicurus* fuêre, Elementa quidem non negantes, sed ea ipsa quoque ex atomis constare pronunciantes, non attentâ primâ illâ materiâ ab *Aristotele* usurpatâ. Utut sit, per atomos multa difficilia feliciùs & promptiùs enodari perhibetur,

tur, adeò ut exinde & medicinæ multum accedere videatur lucis & commodi quoties penitiùs volumus inquirere, quomodo aeris ambiëtis à ventis aliisque meteoris, ab exhalationibus è mari, lacubus, fodinis metallicis, alterationes & impressiones fiant; quâ ratione cibi alii aliis concoctu difficiliores, vel quâ succum deteriores; qua ratione cruditates ingruant, vel caveantur; quare justus ciborum ordo sanitatis amantibus ex usu sit; unde tot aquarum, cerevisiarum & vinorum differentiæ, idque genus alia: Quomodo differant inter se medicamenta actu & potentiâ talia: quomodo intus aut foris adhibita vires suas in corpus diffundant; quomodo aperientia, incidentia, calculum frangentia, antiscorbutica per diacrisin: alia, ut repellentia adstringentia, obstruentia, præcipitantia per σύγκρισιν operentur: quomodo purgantia etiam foris admota, quod sui muneris est, peragant: quomodo causa morbi à medicamento contrariâ vel simili qualitate prædito exterminetur; quâ ratione ambusta vel frigore læsa membra ab admoto simili solatia petant, frigida sæpè calefaciant, calida refrigerent: quomodo medicamentorum præparationes probè & accuratè dijudicandæ sint. Quid verò sentis de atomis animatis *Kircheri*, à quibus is pestem in suo *scrutinio pestis* derivat? Experimentis illius consectariis addi posset aquæ & aceti confusio, qua vermiculi ad oculum patent! Ex allato exemplo *Solis orientis* & *occidentis*, ratio elucere videtur, cur Arabes priventur *Aurora*, & Hispani ad oceani oram *crepusculo*? Imò ipsum tempus quoque crepusculorum determinare inde licebit aliquo modo, ut cognoscamus, *cur* Solis refractio manè fortior quàm vesperi, *cur* horæ ab ortu Solis ad meridiem longiores, quàm à meridie ad Solis occasum?

Ut autem ad Tuas *Atomos*, per aerem lucis subsidio meantes, allegatas recurram, *ventum* benè ex *Hippocratis* mente describis. Non aquæ, non terræ is adscribit ventum, sed aeri; est enim ipsi ventus aeris fluxus & fusio, dicit namque ventum ἠερὸς ῥεῦμα καὶ χεῦμα, ut benè ante ipsum saniores Philosophi Veterum vocarunt ῥύσιν ἀέρος, quam pulchrè satis Tu ab atomis oriundam αὐτοψίᾳ teste probas,

Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aër.

Agitatio autem illa aeris per atomos fit à Sole & Luce, mirorque valdè cur *Aristoteles* hanc opinionem exsibilet, tùm quod ex motu ipso exhalationis (ab exhalationibus autem terreis ventum is derivat) motus aeris sic sequatur, ut illa quidem venti caussa, sed hic natura dici debeat; tùm quod aeris agitatio excitetur follium flabellorumve compulsu. Dubito verò an satisfacias omnibus quoad ventorum generationem, si dicas nihil aliud ventum esse quam *atomos à Sole & Luce agitatos & repulsos aliquando cum impetu*: Videtur enim hîc latere necessarius quidem halitus, & quidem aqueus agitationem impellens, qua de causâ benè colligebas in navali consultatione circa Libyam ventos non esse posse. Illa enim regio, quæ aut aquâ infernè caret, aut exhalationi non patet, venti expers est. Et hinc etiam diversitatis ventorum à Te adjectæ causa reddi potest. Halitus enim ille est instar corporis balsamorum, quod indifferens est ad omnem odorem, ut exinde fieri possit balsamus svavis aut

gra-

graveolens, calefaciens, aut refrigerans, pro conditione eorum, quibus commiſcetur. Ita halitus ille aqueus ad varium ventum indifferens eſt, & prout miſcetur aliis, atque aliis atomis; fit calidus, frigidus, humidus, ſiccus, fœtidus, ſvaveolens &c.

Viperillas, ſolo aere enutritas, non miror, cùm idem æque ac in ſerpentulis aliis expertus fuerim, ubi hoc ſimul notavi in grandiori ſerpente noſtrate, illum planè cæcum factum, poſtquam (hanc ſuſpicor cauſam) in ſcatula, quâ detentus erat, non habuit anſam exuvias deponendi. Sine cibo & potu ultra ſeptem dies hominem non poſſe videre, olim quidem credidit *Hippocrates*. Sed alia ratio hominis, alia ratio inſectorum. Imò inediæ morboſæ multas quoque pariunt ipſi inſtantias: non tamen auſim credere *Aſtomorum* gentem *Plinii* ſolo halitu aeris & odore: *Chamaleontem* vento nutriri: *Olympiodori* hominem ſole & aere victitâſſe: *Manucodiatem* & *Hay* ſolo aere vivere: ut multi fabulantur.

Oleum Tartari apud Dom. Ferrier, Amicum meum honoratiſſimum, odorem roſarum contraxiſſe, miror, cum alias extractæ aquæ ex floribus roſarum arantii & ſimilium minus odoræ appareant florum tempore; præterlapſo verò florum tempore odor illis reſtituatur quaſi. Notavi, oleum Saphirium florum camomillæ, colorem amittere florum tempore redeunte.

Lunam ψευδοφανεῖ lumine lucentem falſo, non ſuo infers *Solis* nempè, *Eclipſium* teſtimonio. Fuêre tamen, qui præter illud, lunæ quoque tribuerunt lumen proprium ex *1. Cor. 15.* ut ut ἀμαυροφανὲς, ἀερῶδες γὰρ eâdem ferè ratione, qua ferrum candens inſito ſibi lumine fulget, ſed quod ab igne accenſum ſit; maximè ſi ad *Chartefii* mentem ipſa luna non circumgyretur, ſed ſemper eandem faciem terræ obvertat. Multi etiam diſputant, an Lunæ illuſtratio reflexione fiat, aut accenſione? Id verò falſum eſt, quod quidam putant, Lunam ſe habere inſtar convexi ſphæriciq; ſpeculi terſi & politi; ſic enim reflexio lucis ad nos ex certo tantum hæmiſphærii puncto fieret, Luxq; Lunæ non tàm hebes eſſet & debilis, uti eſt; quâ ex re, radios Lunares frigidos & humidos probare tecũ, facile videtur. Ad eradicationem *verrucarum, meliceridum & nattarum* per Lunares radios felicius perficiendam, notant quidam, quod collecto in conum Lunæ Lumine per vitrum illæ excreſcentiæ ſuperradiendæ ſint, donec frigus intrò ſentiatur; unde forſitan veteres putarunt maculas Lunæ eſſe ſordes è terrâ attractas, id quod innuit *Plinius*, tenendo, ut infert *Taſſonus*, congli Stoici, che le ſtelle di terreo umore ſi paſcano, come le rape, e gli tartifi. Ob lunarium tamen radiorum actionem Chirurgi ſeriò prohibent, ne læſi & vulnerati Lunam patiantur ſplendere ſuper vulnus, aut ulcus, ne, inquam, livor ſuccedat, & ſanatio procraſtinetur. Licita autem illa verrucarum ſublatio, uti planè illicita & impia, quam ſagæ & aliæ vetulæ fatidicæ uſurpare ſolent, dum obiter ſaltem ter ad radios Lunæ verrucas manu leniter fricant, & verba quædam admurmurant, aliasque ceremonias ſuperſtitioſas adjungunt. Anus quædam non abſimili modo gibboſos curare ſe poſſe gloriatur. Decerpit radiante Lunâ folium hederæ

arborescentis, ærique penitùs denudati, & in genua provoluti, gibbum ter folio illo hederæ fricat, atque inter fricandum precatiunculam quandam admurmurat. Eodem modo equos, boves, sues quoque se sanare gloriatur. Sed superstitiosa hæc sunt, Medicoque Christiano indigna planè. Problema de *divisione corporis in partes infinitas* non incongruè illustrabit ♁ vinum vicies & sæpiùs emeticâ vi enormi impraegnans, ♁ nihil decedat ponderis. Sic granum thuris combustum fumo ita dispergitur, ut locum repleat septingentis & ampliùs millionibus se majorem, granumq; thuris pisi magnitudinē æquans atomos adminimū 7776000000000000, exhibeat.

Quæ de *vulturibus* affers, applicari quoque possunt *Aquilis*. Putat tamen *Helmont*, aquilas trahi ad Cadaver non ab odore corporis putrescentis, sed à spiritu insito & mumiali cadaveris. Magnetismum adesse! Non enim volatilia tàm acuto sunt odoratu, ut ab Italia in Africam ad cadavera concedant. Nec enim odor tàm latè largeque spargitur; obstat enim maris ampla latitudo interjecta, & quædam consumtionis proprietas elementaris: nec est quod visu, arbitreris, has aves percipere cadavera tàm eminus, maximè si ponè montem ad meridiem ea jacuerint. Sed non opus avium Magnetismum inculcare pluribus, Deus ipse, Philosophiæ initium & finis, eundem processum Cordis & thesauri, cum avibus & cadavere, atque vicissim, expressè statuit. Si enim aquilæ ad escam cadaverum ducerentur, eô appetitu, quo quadrupedes ad pascua feruntur, certò dixisset, unô verbô, quod animalia ad escam confluant, sicuti hominis cor ad suum thesaurum, quod falsum contineret. Neque enim cor hominis ad thesaurum pergit, ut saturetur eo, sicut animalia ad escam. Itaque non est comparatio cordis humani & aquilæ in fine, propter quem ad desiderium tendunt: sed intentionis modò, nempè quod allicianitur & ferantur per magnetismum realiter & localiter. Igitur spiritus & voluntas sanguinis è vulnere habiti, & in unguentum paxillo intrusi, tendunt ad thesaurum suum, id est, reliquum sanguinem, adhuc vitâ interioris hominis potientem. Ast aquilam peculiari elogio trahi dicit ad cadaver; quia â spiritu insito & mumiali cadaveris vocatur, non autem ab odore corporis putrescentis. Istud nempè animal solum spiritum mumialem, in assimulando sibi appropriat. Hinc nempè peculiariter de Aquilâ dicitur: *Juventus mea, ut aquila renovabitur.* Si quidem juventutis renovatio ab elixire spiritûs probè depurato, per quandam digestionem singularem, isti volucri propriam, & non ab esu carnium, prodit. Alioquin etiam canes & picæ renovarentur, quod falsum est. Hactenus Helmontius.

De *Magnetismo* verò, *tractatione Magneticâ*; *tractatione* item *electrica*, doleo quod nihil addas in quinto Tuo Fundamento, non enim vidi quæ eâ de re habeas in alio tractatu, nec enim rara talia scripta ad nos perveniunt, nec cuilibet contingit adire Corinthum, peto itaque ut benevolo affectu & gratiosâ manu illarum Tuarum Meditationum me facias compotem, qui omnia Tua magnifacio ad monitum

Bonelli

Bonelli Tui, Chymiatri & Mathematici præstantissimi, qui non semel sed sæpissimè Monspelii, cum in ejus ædibus ibi degerem, Tua mihi summè commendavit, Vir Tuâ amicitiâ atque omni laude dignissimus.

Puto ego, *Magnetismum esse in omnibus rebus.* Ut magnes solum ferrum è metallis attrahit, ita v. g. unaquæque planta è tot succis vel alimentis quæ in terra reperiuntur, illud solum elicit, quod sibi congeneum, adeò ut sterilescere potius, quàm alienum attrahere succum eligat.

Quoad *filtrationem*, non insulsè doces, aquam potius per panni fissuras rimulasque ascendere, quàm à panno attrahi. Scio quidem quosdam non infimi subsellii viros asserere pannos, spongias atq; etiam densiores mucilagines mari innantes se dilatare, amplexari, stringere, sugere, & rara præsentis sibi vitæ edere testimonia. Sed falluntur: *aqua* enim (*oleum* quoque id præstat, si per lanam separandum sit ab aqua instar cerebri, spiritus animales filtrantis) per spongiam, pannum, & universè omnem rem filamentosam aut scissam, ita ut interhiatio perexilis sit, sursum tendit & adscendit. Hinc hortulani non tantum gutturnio irrigant stirpes,

Cùm pater omnipotens, fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ,

non descendit, sed aliis quoque compendiis succurrunt. Ollam juxta cucurbitas, cucumeres &c. collocant, laneumque panniculum aquâ delibutum alterâ extremitate imponunt ollæ, altera radicibus plantarum dictarum. Hoc modo paulatim destillat liquor per panniculum ex ollâ in terram, & sufficientem suppeditat humectationem. Patet adscensus hic insuper in *calamo scriptorio*, cujus attractu aqua statim aut atramentum, rimulâ favente, sursum contendit, & quantum partium cohærentium sustentari potest, sursum devehit; cùm si cuspidem calami non fissi admoveas, nullus talis ascensus fiat, quasi non existente utrimque sustentaculo retinaculoque impediente effluxum.

Ita non omnia *sursum euntia levia*, uti non omnia *fluida*, humida, nec omnia ad *motum promta & agilia*, aut *urentia*, calida: Metalla & succi metallorum, Acetum corrodunt, & urunt, ut ut sint frigida. Spiritus multi acidi fermentationem concitant frigidi. Mercurius promtè movetur, utut sit frigidus & siccus. Alii quoque spiritus siccantes moventur & fluunt promptè. Imò *gravia* sæpè à levibus inclusis detruduntur, nec omnia etiam gravia omni motu perpendiculariter deorsum moventur, teste *lapilli ex aquâ resilientis.*

Attractio quæ fit *per ignem*, difficiliùs explicâtu videtur, maximè si de *vacuo* sit habendus sermo. Naturam enim à vacuo seu inani non abhorrere, multi credunt, & olim credidêre, ut & hæc res ad aures pervenerit Poëtarum. Putarunt nempè, si non esset vacuum, quod

nullâ ratione moveri
Res possent; namq; officium quod corporis extat
efficere, atq; obstare, id in omni tempore adesset omnibus.

R 3 Mogun

Moguntinæ *Valerianus Magnus* vacuum monstrare conatus est paucis abhinc annis in Tubo, beneficio aquæ & Mercurii. Ita *Auzolius Paschalii* experimentum proposuit Lutetiæ Parisiorum *Dn. Gassendo*. Imò ipse asseris vacuum tacitè, dum aerem nihil aliud esse profiteris; quàm mixtionem & confusionem atomorum, ubi partes aereæ teneant principatum, atomo sphæram, inquam, esse congeriem corpusculorum ex terrâ & aquâ mistisque corporibus extrusorum: dumque allegas Gassendianam salium solutionem in aquâ, ex quâ (ut & ex Tartari solutione ne facta in Tartar: sapienti satis!) ad oculum patere videtur *Inane* seu *Vacuum Interspersum*, uti *Coacervatum* apparere putant in acervo tritici.

Experimentum de canibus, columbis & felibus, ad mentem *Quercetani* & *Marsilii* allatum, non semper procedit tempore pestis, cùm hæc lues instar Chamæleontis nunc hunc, nunc illum, aliumque contagii colorem induat; nunc atrociùs grassetur in juvenes, nunc in senes: nunc in mares, nunc in femellas: nunc in homines, nunc in bruta, ut sæpè bruta moriantur, etiam pisces, hominibus illæsis. Nihil enim est, quod *Aristoteles* dicat, *pisces* non ægrotare pestilentiâ. Præter enim palustres & maritimos, fluviatiles, qui saxosa littora amant, sæpè contagioso morbo interire testantur Salmones. Sed & hoc verum est, exhalationes & spiritus animalium venenatorum pestem posse introducere, ut & animalia peste infecta, alios inficere. Ita *Serpens* in Tyberis ripâ latitans Romæ excitavit pestem tempore D. Greg. Justinus historiam quandam memorabilem contigisse narrat, tempore Philippi Macedoniæ Regis, nempè quod fuerit pestis excitata à duobus spirantibus draconibus, detegente id *Socrate*. Diversæ nempè caussæ pestis diversam reddunt pestilentiam, ut experientia testetur sæpè remedia cum successu in hac peste adhibita, in alia nociva esse, unde valde errare videntur, qui certæ definitionis cancellis pestem includere conantur. Innumeræ enim pestes oriuntur, quæ veteribus nec visæ nec cognitæ fuêre. Ita *sudor Anglicus*, Pestis illa *lacouqueluche* dicta, item alia *Trousse galaut* vocata, & aliæ atque aliæ Veteribus fuerunt incognitæ. Latet quid intus præter venenositates arsenicales, napellinas, & aconiticas, utut historiæ testentur à maleficis hominibus quasdam pestilentias productas fuisse, & fieri, dum

Lurida terribiles miscent aconita noverca.

ut Romæ *Fabius Maximus* Ædilis Curulis expertus, & in Galliâ *Philippus Longus*. Latet, inquam, aliquid altius in morbis pestilentibus, ita ut sæpè rideant alexipharmaca venenorum prædictorum, unde apud *Athenienses* nullus homo repertus fuit, quem vel morbus, vel luctus, vel mors non attigerit. Talis pestis fuit sub *Vespasiano* & *Commodo* Imperatoribus. Talis fuit *Nicephori*, *Procopii*. Talis *Leonis Isaurii*: Talis *Valerii Maximi*, ut ab Epidauro Æsculapius accersitus fuerit.

Funeribus fessi, postquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum,
Auxilium cœleste vocant.

Non tamen diffiteor per plumas columbarum & pilos felium pestem posse non

rarò propagari, cùm & à vestibus, in quibus nulla vita, nullus spiritus, contagium non rarò dimanare videamus. Extra omnem enim controversiæ aleam est, lectisternia, vestes, pannos, aliaq; supellectilia ad plures annos contagium recipere, servare, & in alia utensilia insuper effundere & homines interficere.

Ad id quod refers de *attractione aeris*, quæ fit à *calcinato Tartaro*, non possum quin addam majus pondus *Cornu Cervi* usti per crudeliorem reverberii ignis torturam amicum nuper accepisse non sine summâ admiratione: Ponderis augmentum autem nescit cui adscribat, nisi atomis igneis, à Sole communicatis, *Antimonii* exemplo-

Ita *spiritus aereus* tritici *Soli* expositus, à *Sole* paucarum horarum spacio tot *igneas atomos* furatur, ut *aureus* appareat.

Quoad *Diobeticam* Tuam *historiam*, *nota*, inquit. *Marcus Gattinaria*, quod *M. Franciscus de Busi* Mediolanes, in civitate Mediolano An. 1481. habuit in curâ quandam puellam, annorum 18. quæ passa est fluxum superfluum urinæ, adeò quod singulo die mingebat bocalia 16. urinæ & continuavit per 60. dies, & illud quod sumebat inter cibum & potum, non adscendebat ad bocalia 3. & patet manifestè, quod si totum corpus dissolutum fuisset, non ascendisset ad quantitatem tantam. Emisit autem hæc puella ultra cibi & potûs substantiam, si rectâ calculum instituit *Cardanus* libras 1740. in his diebus 60. *Johannes Marlianus* putavit aerem, qui in arteriis ubique contineretur, in substantiam aqueam conversum, eâque ejectâ succedentem aliam similiter conversam in aquam, atque ita multiplicatum. *Cardanus* accusat aeris frigidam & humidam intemperiem: *Rolfinccius* in Academia Jenensi Magister meus ætatem omni honoris cultu prosequendus, aeris in arteriis resolutionem non agnovit, sed me misit ad *Galenicam reelementationem*, & colliquationem humorum in vasis totius corporis, tàm quæ sanguinem quàm quæ succum à sanguine diversum vehunt, ut lacteis & lymphaticis ab insigni Cordis, Jecoris, & ἀγγειώδους generis caliditate ortam, unde *Segerus* opponit Lymphæ Bartholonianæ nimiam abundantiam. γίνεσθαι, ait Galenus, ἥτις, οἷον ἀναστοιχείωσις, ἢ σύντηξις ἢ ἀνάλυσις ἢ ὡς ἄν τις ὀνομάζειν ἐθέλοι, ποτὲ μὲν ἁπάντος τοῦ σώματος ἐστιν, ἐστὶ ὅτε δὲ, τῶν ἐν ταῖς φλεψὶ μόνων χυμῶν.

Situm elementorum pulchrius monstrabunt Oleum, Tinctura Tartari, Aqua & Tartari Cristalli. Ex spiritu vini quoque oleum extrahitur (ætheri respondens) spiritui (igni scilicet) innatans; ex fæcibus verò aliud oleum gravius fit pro aeris regione designandâ; phlegma rectificatur pro aquâ, fæcesque totius vini multis ablutionibus à lutosâ sorde mundificantur pro terrâ. Si enim hæc conjungantur, conspicietur Terra, (sal fæcum) Aqua (sub phlegmate) Aer (sub oleo fæcum) Ignis (sub spiritu) & (sub spiritûs oleo) Æther. Huc referri potest lucta inter aquam marinam & dulcem *Mussaphiæ*: Huc quoq; spectat *ascensus vini* per *aquam* in vitrũ vasi impositũ.

Similium autem *amicam unionem* & ad se tractionem satis pulcrè exponis. Ita Mercurius Vulgi regulo Antimonii martiali ter purificato & Lunæ juncto, amicè Mercurium Antimonii extrahit: Sed ut obiter interferã, non tàm magnifacio hunc Mercuriũ, quàm si Mercurius extrahitur ab Antimonio sine Mecurio Vulgi, si nempè Antimonium

niū cum sale Armoniaco sublimetur, solvatur, digeratur & per retortā inde Mercurius propellatur. Ita similium amica unio patet in extractione purgantiū; salina purgantium vis salibus, resinosa spiritibus nempè commodius extrahitur. *Antimonio* plus subtrahit Vinum, quàm Vini Spiritus. *Jalappæ* plus Spiritus Vini, quam vinum. *Tinctura Tartari*, probè calcinati, rubicundior fit à Spiritu Vini communi & vili, quàm à rectificato & alcolisato. De *Arsenico* contra pestis virulentiam gestando olim jam egit *Jacobus Carpensis*, qui, nisi fallor, primus inventor hujus inventi perhibetur. Secutus hunc *Fallopius*, *Ingrassias*, *Crato* & alii. Sed ante *Carpensem*, *Turcis* in hunc usque diem id valdè familiare esse & fuisse, expertus est *Episcopus Aquensis* cum Legatione Regis fungeretur Constantinopoli. Videamus rationes an prosit, an obsit Arsenicum pro amuleto usurpatum? Dicis quod Arsenicum venenum in se attrahat infectionem venenatam aeris, quæ aliàs hominem gerentem posset inficere; unde, me judice, suadent illi, qui commendant amuletum ex Mercurio Metallorum coagulato, ut sæpius purgetur in die. *Folleum* scribit, spiritus Arsenici trahere ad se vi magneticâ spiritus pestilentes, homogeneum, velut è propriô corpore errabundum. Nam sicuti flamma major ad se trahit minorem, aut lumen majus obscurat minus, ita quicquid in aere extat virulentiæ, tamquam ad sui simile confugit, nempè ad arsenicum, vel ab hoc virulentia pellicitur & illi mordicùs obversando spiratione minimè attrahit intra corpus; ut de olido hirco referunt, eapropter pestifero cœlo ali, ut quicquid est sordidorum odoramentorum, eo se recipiat. Alii tamen putant; cor sensim ab Arsenici amuleto veneno adsuefactum, sic minus facilè ab aere pestilenti offendi, instar *Anûs Avicennæ*, quæ Napello; & *Galeni vetulæ*, quæ cicutæ assueta erat: Talis fuit puella *Alexandro* dono missā, à quarum oculis ut caveret Præceptor *Aristoteles* monebat. Talis *Cambaia Rex* Ludovici Bertenæ, qui sputo interfecit, & spiritu, ut vix ulla ex concubinis, quæ illi commisceretur, in diem proximum effugeret. Unde *Rex Ponti* nullo veneno se potuit extricare à Pompeiano Carcere,

Profecit poto Mithridates sæpè veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.

Cùm verò pestilentia ab aeris vitio oriatur, quàm maximè vellem rescire, quomodo arsenicum aerem possit purgare citra odoram aliquam exhalationem, sine quâ ne *Hippocrates* quidem potuit succurrere, nec post ipsum *Acron* aut *Empedocles Agrigentini*? Deinde cur *Crato* in Crekovia, *Massarias* in Josepho Canato, *Alphanus* in Aromatario tàm sinistrum eventum arsenici experti sint? Et annon sæpè seminaria contagionis sint potentiora quàm Arsenicum & sic hoc attrahent ad Cor? Si verò arsenicum potentius seminario contagionis, annon ad se trahat, instar ferri candentis, æstum augeat, & ad cor venenositate penetret? Si enim unum contrarium destruit alterum, requiritur, ut illud sit pollentius altero, quia ab *æqualibus non provenit actio*, nisi fallat Philosophia.

Cum

Cum *carne cervinâ* quod in artocreationibus servata in ὀχείᾳ cervorum putrescat, non feci periculum, tentabo.

De *motu vini* tempore florentis vitis, res manifesta est: Sic & *Cerevisia* ex adulterio Cereris & Neptuni nata, vini æmula, hanc experitur metamorphosin, de qua non insulsè *Helmontius*. Cùm olim avi nostri vidissent ex hordeo quomodolibet ebullito, non nisi inanem ptisanam, vel pultem etiam coqui, meditati sunt hordeum prius germinari debere, (quod tùm Maltam vocant) unde demum cerevisiam suam tàm vinorum æmulam coxerunt, ut de se profiteatur:

Nomine sum vini non digna, vicem tamen hujus
Impleo, dum cerebri victrix percello cavernas.

Inebriat enim & miros, vini instar. prodit effectus ipsa cerevisia,

Seu tu querelas, sive geris jocos,
Seu rixam & insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum.

In cerevisiâ autem imprimis aliquot notabilia penitus consideranda. Nimirum, excitatur in hordeo germen vegetabile, quod siccato deinceps hordeo interit, spemque crescendi amittit, tantoque magis per concitationem in farinam, ac deinceps posteram ebullitionem, despondet à virtute crescitivâ: attamen his non obstantibus, retinet spiritum vinosum, aquæ vitæ, ac inebriantem, quem tamen nondum actu possidet: Sed tandem dierum numero fermenti vim acquirit. In unico scilicet unius grani gremio, unicus spiritus diversis potestatibus insignitur, castraturque una, relictâ alterâ. Quod sanè adhuc longè admirabilius elucescit, ubi cerevisia ex Malta sese, non secus atque aliàs vinum solitum est, turbat, dum hordeum floret. Adeoque hinc conspicua est potestas in absens longè dissitum. Si quidem sunt urbes, à quibus amæna prata arcent hordei sationem per multa milliaria, tantoque potentius probant cerevisiæ consonantiam sui cum absente hordeo florido: quantum castratio potentiæ germinandi crescendique spes abstulêre: ac demum aqua vitæ, detenta ac reclusa intra cerevisiam, cadum, carceremque cellarii, non potest, sospite cerevisiâ, divagari per aliquot leucas ad florentem hordei aristam, ut inde redux procellosa residuam cerevisiam multâ turbet confusione. Certè longè tranquillius est iter, pro consensu magnetico inter quædam agentia procul invicem distantia, quàm est somniare peregrinantem aquam vitæ è cerevisia cellarii ad florens hordeum indeque redire ad pristina cerevisiæ receptacula: Corpuscula vinigena, ait *Gassendus*, quoquo versum tunc diffusa, ubi in dolia penetrant, videntur esse congenea, quæ in vino sunt, ita commovere, ut subagitatione factâ fæces commoveantur, commisceanturque, donec floribus deficientibus, & diffusione, subingressione, subagitatione cessante, tùm fæces subsidant, vinumq; clarescat. Et hinc maculæ & notæ ab utero impressæ cerasorum, mororum, fragorum rubent eo tempore quo vigent fructus, hincq; mappas commodè à maculis florum tempore purgari scribis, non alio. Sed & æque feliciter liberantur à nævis, quando planetarum folia marcescunt & decidunt, quasi tùm nova corpuscula, quibus tempestas immutatur, suc-

cedentia in aerem, & illa ex plantis abigant, quæ vegetabant folia, & ex linteis, quæ continebant reliquias succi inhærentes.

De *sensibus externis* satis doctum discursum exhibes: Quoad *auditum*, atomorum certè doctrina præter alia feliciter edocet, cur non omnia corpora sonent, sed quædam sonent, quædam surda sint, prout nempè atomi æqualiter vel inæqualiter sitæ sunt. Quoad *visum* valde difficilis *colorum* materia; ut meritò optem Te mihi ductorem & doctorem. Tàm varii enim accidunt, maximè in Chemia, ut causam eruere non Davi sit, sed Oedipi, *Digbæi* inquam.

Acetum Saturni cristallis Martis affusum tincturam exhibet cruentam, in alvi fluxibus summè proficuam. Mercurius sublimatus scatulà ligneâ in chartâ tritus affusione modestà calcis vivæ cinnabarin exhibet, largâ tamen ochram, ad ulcera acoëtica insignium virtutum. Lapis cristalli candefactus urticæ minoris aquam tingit, ad calculum magnum remedium. Saphirinum oleum florum camomillæ non minoris pretii est. Liquor nitri vitriolo Martis affusus, vinum malvaticum repræsentat, Hypochondriacis utile. Folia senæ aquæ infusa liquorem rubrum faciunt, si instilles oleum Tartari. Cæruleo collyrio ex calce venere, & sale armeniaco parato, si instilles spiritum Vitrioli album fiet. Spiritus idem Vitrioli rubedinem promtè rosis aufert, oleum Tartari non; Liquor certus silicum vinum album reddit rubrum, ad obstructiones hypochondriacas verus rizotomus. Sed hæc ingenii mei tenuitatem superant, lubens ex Te rescirem colorationum illarum causas, cùm à Te, si ab ullo Philosopho, possim rescire.

Affinitas *Auri* & *Mercurii*, fateor, magna est, & tanta, ut non vereantur quidam scribere, *Mercurium vivum*, à Magnete aliquoties per destillationem attractum, ita imprægnari virtute magneticâ, ut cùm aliàs involet aurum, eique se applicet, ipsum etiam auri corpus, in mensâ certo spacio dissitum, motu locali cogat ad se transire, manente nihilominus appetitu naturali Mercurii ad aurum. Miranda sic magnetis vis esset, quæ Mercurium ita imprægnare posset, ut aurum quasi influentia quadam vincat, cùm alias magnes solo allii affrictu polum negligat; per vastam aeris regionem, per tecta, per muros transeat, solum verò allii succum aut Mercurii etiam fuliginem penetrare nesciat.

Affinitas, inquam, magna est *Auri* & *Mercurii*, sed non tanta, ut ex hoc illud constet: Hinc non insulsè *aurum* ait, referente Fab. Clissenti; *Essendo che se noi fossimo de te, Mercurio, e del tuo compadre, Arsenico, composti, si rissolveremmo finalmente in amendue, &c.*

De *vi Imaginatrice* pulcre disseris, maximè quoad mulierum accidentia. Olim jam *Plutarchus* recenset, *Milesias Virgines* quodam tempore atrocem animi & absurdam incessisse perturbationem, quâ de causâ incertum; nisi quod putabatur, *aeris temperiē* veneno infectam, & ad insaniam excitandam paratam, mutationem istam animorū atq; abalienationem effecisse. Subitò omnes mortis cupiditatem, & ad vitam suspendio finiendam furiosum impetū egisse, & multas clàm consecutas esse quod volebant. Verba & lacrymas Parentum, alloquia amicorum nihil profuisse, sed sese interficiendis

dis omnem ipsas custodientium industriam & calliditatẽ vicisse. Tandem hominem prudentem legem promulgasse, quæ juberet omnes, quæ sibi suspendio mortem consciviſſent, nudas per forum efferri. Hanc legem sancitam inhibuiſſe non modò, sed omnino aboliſſe illam, qua virgines laborabant, mortis cupiditatem. Ex quibus patet & olim jam credidiſſe Philosophos, ab *externis aeris halitibus & atomis*, spiritus *internos* Microcosmi facilè turbari poſſe, unde quidã quoq; fieri putant, ut si quis transeat per locum, in quo est homo interfectus, aut ubi mortui vel interfecti cadaver noviter occultatum, stupore atq; timore nonnunquam afficiatur. Hinc in *hæmoptoicâ* passione prohibetur *aspectus rerum rubrarum*; in *variolis* & *morbillis* commendatur. Uti enim color niger excitat timorem, color albus verò exhilarat, ita color rubeus spiritus commovet; unde elephantos, gallos Indicos, rerum rubrarum aspectu concitari ad *iram* videmus; taurum maximè,

Cùm sua terribili petit irritamina cornu,
Phœniceas vestes.

De *gravidarum* verò *phantasiâ* gravius licet decidere: Simile quod affers de cithara, valdè placet, satisque mirum est, quod si super testudinis chordam lenem paleam, ancipiti extremitate in aere, instar statera pendentem, posueris, & alterius testudinis similem fidem pulsaveris eminus, ubi toni in octavo consonant, videas paleam trementem, at ubi in unisono concordant, tunc alioquin quietæ testudinis fides, moræ impatiens, subsiliat, præ lætitia gestiat, & invisam paleam subsultu excutiat. Ipsa observatio de citharatum chordis (conferatur *saltatio pisorum* in tympanis, qua obsessi expiscari solent obsidentium subterraneos motus hostiles) causam videtur edocere, cur ex *stridore secantis serræ* stupor dentium excitetur, in quibusdam insuper tanta in corpore spirituum commotio, ut quidvis potius ferre poſſint, quàm hujusmodi stridorem. *Magis mirum* mihi videtur, quorsum caput, manus, pes veniant, si ob fortem imaginationem gravida privat fœtum sine capite, manu, pede. In vicino pago Grisheim Johannis Ochleas pistoris uxori gravidæ, paulò ante partum sues saginanti, à grandiori scropha, cùm in falisca dispersum frumentum colligeret, dextra manus ore prehenditur, unde factum, ut terrefacta mulier pareret filiam, sine manu dextrâ, cætera sanam. Cæterum nuspiam dextra manus reperiri potuit, neque vel oſſa, vel ulla, in lochiis apparuit putrilago, in quam manus computruiſſet. Quorsum ergò abiit? Attamen, ante terrorem à sue, fœtus habuit binas manus, nec potuit avulsa manus annihilari, nec clauso utero auferri; maximè, si facultas imaginatrix saltem humores actuet, ut fusiùs deducit *Kircherus* allegatus. Hæc res omnium hujus materiæ videtur mihi maximè obscura & difficillima explicatu, difficiliorq; quàm si à facultate imaginatrice [fœtui aliquid] apponitur. Commiseratione omninò dignæ sunt mulieres, quod tantis obnoxiæ morbis, tantis embryonũ deformationibus præter ipsam intentionem sæpè, ut optimæ tuæ Consanguineæ accidit, detestanda virorum negligentia, qui eas haud debitè curant, circa gravidationem & partum, imò & illorum *Tibarenorum* agrestium homuncionum, quorum præcipuus etiam cogit puerperam.

ut deside mitrâ

Fœta liget, partuque virum refovere soluto.

instituat. Quoad *similitudinem* secundum individuales proprietates & accidentia in fætu respectu Parentum, quæri solet aliàs, quid *præstet phantasia & imaginatio gravidarum?* Julia *Augusti* filia, Agrippæ conjux hæc non attendit, credens semini Parenti debere similitudinem, plena navi impudicos congressus sic sat tutò instituens. Unde *Evander* Æneam Anchisæ filium credidit,

ùt verba parentis

& vocem Anchisæ magni, & vultus

recordabatur. Sed imaginatio præstat sæpè semini, ut mulier sæpiùs pro intentione & imaginatione suâ fætum similem producat, etiamsi generanti sit dissimilis, quam ob causam patres, si fortè conjuges suspectæ fidei nanciscantur, non ita gloriari deceat ob similitudinem fætuum, cùm tales meretriciæ mulieres fætum edant, non adultero, sed marito simillimos, utut aliàs.

Non faciant similes stuprata cubilia natos.

Expertus tamen id est olim *Sabinus*, qui quatuor natos sui dissimiles suos non deputavit, spurium tamen sibi similem suum credidit. Errasti *Sabine*! Cum enim adultera tua uxor concumberet cum adultero,

Sollicita de Te plurimum,
Te tota cogitaverat,
dum pertimescit anxia,
ne Tu Sabine incommodus,
velutque lupus in fabulam,
supervenires interim.

Et hinc hic puellus *Sabino* fuit simillimus ob fortem matris imaginationem.

Non inconcinnè ille apud Homerum inquit:

Μήτηρ μὲν τ' ἐμὲ φησι τȣ ἔμμεναι. ἀυλὰς ἔγωγε
Οὐκ οἶδ'. ὀυ γὰρ πωλις ἔοτ γόνον ἀυλὸς ἀνέγνω.

Ex docto discursu Tuo de *Tarantulæ ictu*, non incommodè causas & curationem Medicam, *Saltus S. Viti* auderem eruere: Morbus is valdè familiaris est in finibus Patriæ meæ, adeò ut Antiquitas S. Vito Sacellum extruxerit, in Drefelhausen, non procul à Geislingen propè Weisenstein, ditionis Rechbergensis, quod hodienum quotannis verno tempore salutant, & ibi saltu cum perturbatione mentis eousque sese nocte dieque exercent, donec Exstaticorum instar corruant, quâ ratione sibi restitutæ videntur, ut parum vel nihil sentiant per annum integrum, usque ad Maij tempus subsequens, ubi iterum ad sacellum properant, & organum musicum audiunt, quo audito, mente magis magisque perturbatę saltare coguntur, ut jamjam dictum. Ita fertur famigeratus *Thebanus Hysmenias* citharâ & voce Ischiaticos sanasse: *Thales* vero *Cretensis* à pestilentiâ Lacedæmones liberâsse Musicâ.

De *naribus alienis agglutinatis putrescentibus* ratio dari solet, quod spiritus localiter etiam sejunctus, spiritualem suam tueatur unitatem. Egrediente enim è putrescente Rustici cadavere, spiritu, particulam ejus è naso Nobilis egredi, nasumque putrescere putant. Huc non incommodè trahi posset, quando narrant *cadaver hominis occisi ad homicidæ præsentiam etiam post dies vel menses, imò annos aliquot sanguinem stillare*, uti *Simeon Gaulantius* refert, Izenhofii occisi hominis amputatam atque in carcere detentam, suspensam, & arefactam manum, post totum decennium, sanguinem stillando, homicidam prodidisse. Tanta sympathia & antipathia spirituum? *Galeotus Martius* putat, hominis occisi spiritus redeuntes, sedemque suam repetentes; & occisoris recedentes, ut ad corpus redeant, facere motum ejus rei, quam habitant, sanguinis quippe. *Poetæ* libidinem allegant; perinde ac salax, ajunt, mentis libido affectat semen effundere in amicam, cujus amore irritata & saucia fuit mens: Ita

homines plerumque cadunt in vulnus, & illam
emicat in partem sanguis, unde icimur ictu:
Et si comminus est, hostem ruber occupat humor.

Et de amore quidem constat, quod ex ejus affectu vehementissimæ oriantur commotiones, atque magnæ humorum, spirituumque perturbationes, adeò ut si absit, quod ames,

præsto simulachra tamen sint
illius, & nomen dulce obversetur ad aureis.

Notavi *ipse* in puella demortua quadam, quod sarcophago imponenda, per os exhibuerit materiam ad accessum matris, quæ tempore morbi nullam vel levem curam ejus habuit, utut pater vel diligentissimè pro illa laborârit. Sed fortuitò forsan factum est, uti etiam alia caussa forsitan subest, quod sanguis *S. Januarii* annis abhinc 1354. interemti, *Neapoli* vitro inclusus, ebullire monstretur, si capiti jungitur.

Quoad *putrescentes nares* autem Ingeniosissimus *Conringius* id casu factum putat, quod aliis, quibus ex alienâ carne nasus est restitutus, idem non acciderit; nec contingat ulli arbori enatæ per insitionem rami alicujus avulsi.

Quod *vaccis* noceamus, si earum *lac* in ignem projiciamus, conqueritur quoque *Borellus*, qui putat, ob hæc in *lege Moysis* prohibitum esse, ne caro hæduli in lacte matris coqueretur, quodque à nullo Theologorum, ut opinari se scribit, observatum sit, dolores enim matri, & lactis penuriam seu defectum facere; ast, mi *Borelle*, sive *Exod. 23. v. 19.*

לא תבשל גדי בחלב אמו

sive *Deut. 14. v. 21.* in quo eadem planè verba repetuntur: quæ septuaginta ita explicuerunt: οὐχ ἑψήσεις ἄρνα ἐν γάλακτι μητρὸς αὐτοῦ, penitius inspicias, videbis nihil esse, quod à te visum putas. Uterque enim textus saltem innuit, lactentem non coquendum esse hædulum. Aliud autem est, lactentem hædulum coquere; aliud, hædulum in lacte coquere.

S 3 Rober-

Robertus Flodd narrat, *Lutetiæ* Chemicum quendam, La *Pierre* dictum, ab *Episcopo Noyensi* persuasum fuisse, in destillatione sanguinis humani à variis collecti, si quis tempore illius laboris moreretur, ejus spiritum compariturum; quod integer spiritus illius viri mortui sanguinis exigui in vita sua extracti spiritum relatione invisibili respiciat, ita ut igne cruciata sanguinis ipsius portione, unà etiam spiritus ejus turbetur. Hinc olim minabatur *Dido* Æneæ:

Omnibus umbra locis adero, dabis, improbe, pœnas. Sed ad rem!

Concludis tandem (1.) solem & lucem attrahere spiritus sanguinis ex periscelide, cum (2) spiritibus Vitrioli, vulnusque (3) interea expirare spiritus calidos & igneos, atque attrahere alium aerem, atque alium, (4) cum quo (5) accedant illi spiritus Vitrioli & sanguinis, qui (6) invenientes propriam originem ibi sistantur, & cum spiritibus Vitriolicis vulneri se insinuent, & sanent. Idem ferè *Helmontio* respondit *Gassendus* olim, sed non tàm clarè, non tàm dilucidè nec ita κατὰ σχέσιν ut *Tu* hæc protulisti. Dicebat *Helmontio*, curationis tales fieri eo modo quo apparet ignis advolare in naphtham distantem. Siquidem ut hæc involatio non fit, nisi quia ex naphtha funditur pinguis halitus, qui in sui extremo accensus, ad ipsam usque naphtham, ex quo prodit, continuatione inflammatur, ita medicamenti sympathetici vim involare in dissitum vulnus, quatenus concipiendum est, diffusum esse aliquid à vulnere usque ad remedium illud, quod in sui extremo remedio imbutum atq; immutatum, tota spaciorum interceptorum successione immutetur, ac ad ipsum vulnus cùm pervenerit immutatio, immutetur ipsum. Remedia *sympathetica* autem non semper agere posse per talia effluvia, multi nihilominus putant, quod effluvia illa nullum certum motum habeant, sed ad motum aeris inordinatè hinc inde moveantur, atque sic rectà ad vulneratum non possint tendere; utut enim corpuscula talia minima tandem sui generis se applicent, ut in tonitru & fulgore videre sit, tamen dum primum ex corpore exhalant, hinc inde inordinatè vagari: cumq; cura hæc in longinquum & per milliaria aliquot extendatur, portionem exiguam pulveris sympathetici, multoque minorem copiam balsami naturalis facilè in auras evolare & evanescere debere.

De ipso *pulvere & Vitriolo* egregiè disseris, Germanam puto parationem: ut $\frac{12}{22}$ Julii Vitriolum optimum pulverisatum in patella vitrea in loco sicco ad radios solis cum spatulâ lignea agitetur per dies 30. & posteà misceatur cum ejusdem ponderis Tragacantho, & ad usum in scatula servetur.

Sed quo audaciæ prorumpo, ut Lunares hos meos radios Tuo Phœbéo lumini objiciam, ut meas has nugas doctissimis commentis subjiciam, qui certò scio levidensia mea cogitata à Tuis doctissimis Meditationibus differre, in quantum distant æra lupinis; mea nempè nihil esse, nisi à Te illustrentur. Sed ægrè non feres. Qui nunquam malè, nunquam benè! Neq; errat, Antigono teste, qui errorem agnoscit.

Ἐπεὶ δ' ἁμάρτῃ, οὐκ ἔτ' ἔς ἀνὴρ
ἄβουλος οὐδ' ἄνολβος, ὅστις ἐς κακὸν
πεσὼν ἀκεῖται, μηδ' ἀκίνητος πέλει.

Unde hisce concludo & favori Tuæ me commendo. Scrib. Darmstadii, Kal. Octob. 1659.

NICO-

NICOLAI PAPINII BLÆSENSIS, M. D.

PRÆFATIO *in dissertationem sequentem, quam habuit, de* Pulvere Sympathico.

RErum natura sacra sua non simul tradit (inquit Seneca lib. 7. quæst. natur. cap. 31.) Illa arcana non promiscuè, nec omnibus patent, reducta, & inferiore sacrario clausa. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ post subibit, accipiet: *Hanc certè sententiam, si quid in Medicina nostris temporibus confirmat, mirandus ille modus corpus humanum ab inflictis exterius vulneribus vindicandi novissimè inventus per Sympathicam pulverulenti cujusdam remedii adhibitionem, raris imò frequentibus experimentis applausus primas mereri videtur. Hic enim non modo secretiora naturæ in actionibus plerisq; edendis opera detegit, quæ ne antiqui etiam scientiarum antistites subodorati sunt; verum etiam nec medicamentorum sumptu, nec temporis tarditate ægros fastidiens, ac deperditam sanitatem longè tutius, citiusq; resarciens, novas, & longè potentiores generi humano* τῶν θεῶν χεῖρες, *ut habet Medicinæ parens, quam antiquitas potita est, attulisse videtur.*

Hinc ut primum venditari percepi chimæricum quid, irridendumq; figmentum existimare non veritus sum. Verùm cum addita graviorum virorum testimonia noverim, mirari nonnihil cœpi: tandem αὐτοψία, *ut dicunt propria, & frequenti experimento edoctus ignotæ prius rei devinctissimum asseclam me profiteri coactus fui. Non amplius igitur an res, sed quid, & quo pacto fieret, sæpius percontabar. Verùm ingens difficultatum mare undiquaq; fluctuare videbatur, donec anno jam plusquam elapso in Cretam proficiscens, in Zacyntho temporis injuria, & jugibus maris procellis detentus frequenti urbis Medicorum consortio, & colloquio usus venit aliquando, ex occasione, mira pulveris Sympathici virtus discutienda. Frequens aderat non mediocris eruditionis virorũ cœtus, cujus potior pars solo ejusmodi pulveris nomine in cachinnos solvebatur: alii verò quibus, ea ipsa in Insula, eruditissimi cujusdã Chirurgi continuis experimentis, de rei veritate satis cõstabat: ipsius tamen effectis supra naturæ vires, illegitimumq; usum mordicus asserebant, nec verebantur quidẽ explicito, aut implicito saltem cum Cacodæmone fœdere eos damnare, qui ipso uteretur. Solus igitur restiti, qui tot hostium telis clypeum opponerem. Res ædepol ardua demonstratu videbatur, cùm hic meritò dici posset, quod olim Hippocrates de iis quæ in sublimiori aeris parte, ac intimis visceribus terræ extra oculorum perceptionẽ contingunt, libro de prisca Medicina:* Quod licet ea fieri posse sciat, qui de ipsis sermonem instituit, vix tamen audientibus manifestũ satis fieri, verane sint, an secus. Neq; enim est ad quod quis se conferat, vixq; cui innitatur, ut veritatem cognoscat. *Genio tamen non defui: Imo ipsa veritate aliquid forsitan extra solitũ suggerente, rem ita ex tempore pro tenuitate mea exposui (absit jactantia) ut omnes nõ mediocriter approbarent, mihiq; gratularentur. Ipsammet demũ dum conscribendã suscepissem, nova subministravit otiũ, quæ subjecto complementũ afferre visa sunt. Tandem ex Lyrici consilio:* Integrum pressa in annum; *ne illud ex Mythologo mihi exprobraretur, quod* Κύων σπεύδουσα τυφλὰ τίκτει; *& non mediocris famæ virorũ approbationẽ nacta, quippe ut consulit Poeta,* - - - Si quid tamen olim

Scripseris in Metii descendat judicis aures
Et Patris, & nostras.

Suo me suasu Amici, multorũq; desideriũ facilè adduxit, ut rem quam hominum invidia inter privatos, ut ita dicam, parietes, arcanã hactenus detinuit, oculis totius mundi primus apponerẽ; eoq; libentius assensi, ut ejus deinceps ad summæ lucis fastigium deducẽdæ, eximioris sortis ingeniis viã reserarẽ. Quod si non adeo facili negotio, sedulo tamen studio brevi absolutũ iri non desperandum, modò, ut enixè optat Scaliger libro primo de Plantis, Vicissim ac liberaliter unusquisq; in mediũ conferat quod ad generis humani utilitatem, ac rei literariæ incrementũ habet: *Nisi fortè eum ejusdẽ authoris verbis, qui nobis ex adyto fuit, concludendũ sit, quod* multũ egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt; multũ adhuc restat operis, multumq; restabit; nec ulli nato, post mille secula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. *Ignosce igitur, Lector, in re nova & meliora imperti.*

Perillustr. Excellent.q; D. JOH. VESLINGI, equitis, Anatom. & Pharm. Profess. primarii, hortique Medici Præfecti *Censura.*

TRactatum hunc de Pulvere Sympathico, viri doctissimi D. N. PAPINII, singulari cum voluptate perlegi, huncque luce publica ingeniorum optimorum bono, atque emolumento dignum censeo. Patavii die 22. Augusti 1646.

N. PAPINII.
DE PULVERE SYMPATHICO, *DISSERTATIO.*

ARdua perſequi difficultatis laborisve cauſa qui veretur, eadem aſſequi indignus eſt; nec nucleum deguſtare meretur, quem tædet perfringendæ nucis. Nil mirum idcirco, ſi perobſcuræ quæſtionis & mille obvolutæ tricis veritatem detegere exoptans, de pulvere illo ſcilicet, qui nullo partis affectæ contactu, inflicta quæcumque vulnera, ſola ejusdem ſuper effuſum ſanguinem inſperſione conſolidat, illud docere aggredior, cujus ab aliis addiſcendi fruſtrà dudum deſiderio geſtiebam. Rem enim aliis expoſituri, longè altius meditamur, & nova detegimus quæ nos antea latuerant, unde primi fructu potimur, quem aliis impertiri lubuit.

Ne cui autem longis digreſſionibus faſtidioſi ſimus, brevitate, quàm res permiſerit, præſentem disceptationem ſub titulis ſequentibus dilucidabimus.

An detur medicatio per ſympatheiam?
Quid ſit pulvis ſympathicus?
An detur actio in diſtans?
Quonam pacto conferat ipſe pulvis vulnerum curationi?

QUÆSTIO PRIMA.
An detur curatio per Sympathiam?

HOminis eſſet otio plusquam abutentis de cauſis rei cujuslibet tam intrinſecis quàm extrinſecis percontari, priusquam de ipſius reali ac vera exiſtentia in rerum natura conſtet: unde pro more recipitur doctis, ut de quavis diſciplina ſententiam prolaturi, antequam quænam, & propter quid ea ſit, ſigillatim explicent, in dubium revocent prius, an ipſa de facto vel poſſibili exiſtat, ut perceptæ exiſtentiæ, velut fundamento, futurum ſermonem ſuperſtruere poſſint. Cui quidem aſſentientes methodo aſſerimus primò, quod cùm ſympatheia ſit communis quædam affectio: qua diverſa ad eandem concurrunt actionem, & eundem aſſequi finem exquirunt; ſic ut agentis actionem libenter patiens admittat, agens verò proprio naturæ ſuæ impulſu patiens aptum actionem ſuam edat, nihil ſit dubii quin per modum ipſius ſympatheias quamplurima in rerum natura contingant.

Ut autem de primis, ſecundis, cæterisque elementorum qualitatibus nihil dicamus, quippe quæ intimam actionis ſuæ rationem oculis & intellectui noſtro offerunt, & manifeſto modo inter ſe agunt, reagunt, patiuntur, & repariuntur: apud

omnes ferè jam obtinuit usus, ut ea solum sympathicè agere dicantur, quæ occulta quadam ratione & qualitate ab elementaribus longè discrepante, inter se communicant; vel mutuò se perimunt: cujusmodi actionem idcirco à tota substantia prodire, & humanum intellectum eludere vulgo existimant.

Sic mutuò agentis & patientis concursu, vel renixu, succinum festucam, magnes ferrum, magnetem Cynosura allicit. Sic viventium corporibus viridi smaragdi colore visus oblectatur, offenditur rubro granati. Gemmæ quamplures mira præstant in nobis sine ulla manifesta causa, quæ possit ad primas hincque dependentes qualitates referri. Sic adamas cordi lætitiam, ut & granatus, smaragdus, &c. impertit. Sapphirus, Smaragdus, Uniones, &c. castitatem conciliant: & quod cæteris admiratione longe antecellit, Ætites fœtum humanum ad se prolicit, sive ipsum collo suspensum, vel cruri alligatum tulerit mulier utero gerens. Idem pariter circa appensos arboribus fructus præstat, ut propriis oculis in ficu expertus sum. Huic enim submisso lapide, omnes sponte grossuli minus horis decem deorsum ceciderunt. Nota autem hinc arborem sterilem redditam, sed frondibus solito viridioribus luxuriasse.

Secundò, ut ab ejusmodi generalioribus actionibus sympathicis, quæ in hac mundi scena, tam circa animata quàm inanimata contingunt, ad peculiares virtutes descendamus, quibus corpus humanum ab affectibus morbosis ipsum alioquin ad interitum deducturis, per modum sympatheias & antipatheias vindicatur, quis negarit viscum quernum, & radicem pæoniæ, amuleti instar gestata, epilepsiam si non solvere, à paroxysmorum saltem frequentia coërcere? Antirrhinum & pervinca ab incantamentis liberare creduntur? Phtiriasi gestato hydrargyro nihil efficacius: nec arsenicum, sublimatum, aut auripigmentum prophylactica sunt tantùm luis pestiferæ, sed & Therapevtica validissima adversus eandem, si concinnè præparata circa se portaverit æger. Lapidis hierei virtutem contra morbum caducum, nephritici adversus utrumque renum, & vesicæ calculum; Calcidonii adversus affectum melancholicum, Chelidonii, pro curandis lunaticis: pauci, me hercule, inficiantur: & ut ad rem deveniamus, pulveris sympathici miram in vulneribus sanandis, & ad perfectam incolumitatem deducendis, energiam soli evertere tentant, quos experientiæ defectus in errore pervicaces detinet.

Verùm prius allatis experimentis assentiunt multi, qui nulla ratione eo adduci queunt, ut dicti pulveris efficaciam admittant; quoniam impossibile ipsis videtur, sympathicam ejus virtutem adeo longè diffundi, ut in parte affecta & corpore, quod numquam attingit, imo & in patiente remotissimo efficax sit. Cæterorum enim sympathicorum effectuum, quorum exempla nonnulla retulimus, & longè plura apud authores fide dignos prostant, hanc reddunt rationem; quod cùm amuleta similiaque pensilia corporibus nostris apponantur, facilè fit, ut spiritus per corpus influentes (quorum perpetua fit ad peripheriam translatio, hincque jugis ad interna palindrome) & insitos per consequens alterent & salubri quadam dispositione afficiant-

ciant: undè cùm non leve toti naturę juvamentum cedat, si veram morborum debellatricem prodit. Perspicaciores pariter Philosophi norunt tenuiores æthereasq; substantias à quolibet animato, inanimato animali, vel minerali, & fossili extra corporis circumferentiam effundi; unde non mirum si eæ continua illa epirrhoia in nonnihil dissita, & vicina saltem corpora se diffundant, & in ipsa propriis sibi qualitatibus agant. Quocirca *tractio ferri per magnetem*, quæ ad determinatam quandam fit distantiam, ut & cætera superius allata, mentem nostram tanta admiratione non commovent, nec prorsus humanum captum superant. Verùm quonam pacto *sympathicus noster pulvis* potens adeo effectus prodat in corpore nunquam contacto, & sine ullo loci termino, Philosophorum ac Physicorum dogmata cuncta deludit, nec fidem mereri videtur.

Verùm enimverò rem, quę tot quotidie experimentis omniū oculis subjacet, & quę solis inexpertis occulta est, ac rationum momentis evertere velle, hominis plusquam socordis est. Præstat enim obscuræ rei, modo veræ, indagationi sedulæ incumbere, quàm pervicacia erronea inficias ire. Nec quoniam ejus capiendæ impotes, ac inhabiles sumus, ipsius possibilitas mentis nostræ tarditate metienda est. Atqui dari reapse ejuscemodi sympathicam vulnerum medicationem per dictum pulverem assentire qui recusat, solam consulat experientiam. Ipse enim proprio fultus experimento, & communi doctiorum assensu, qui per universam ferè Europam nihil aliud prædicant, mirantur, stupent, veritatem lubens amplector.

Hîc autem non *simplicia, leviaque modò vulnera* intellige, quæ sola ferè natura levi Chirurgi ope ad sanitatem reducit. Eà tantùm enim pulveris auxilio persanata miror, quæ Medicinæ proceres *lethalia* decreverunt.

Quis non enim illum deridebit, qui vulgari methodo pericardii, tenuiorum intestinorum, vesicæ, & similium partium vulnere affectarum redintegrationem polliceatur? verùm talia dicti pulveris opera sæpius patrata o,cularem testem *me* prodo; idemque ab indubiæ fidei viris accepisse testor. Testem te voco, oculatissime *Chassenae*, qui ejusmodi stupenda toties observasti; teque plurimum experte *Carmae*, à quo tota fermè Græcia reportatam in Chirurgicis palmam fatetur, condonat, gratulatur. Quoties namque observasti, quæ Galenica remedia non curant, ejusmodi pulverem sanitati restituere? Quæ verò ipse persanare nequit, incurabilia permanere.

Illi, quos tantis refragari experimentis pudet, aliquid tandem *magiæ* hîc subesse asseverant, quippe quod ne naturali quidem modo adeo miranda fieri capere possit animus, hincque ignarum vulgus, superstitionis metu, avocant & arcent; ac tale remedium, si fides ipsis habenda, à communi praxi exsulare debet: sicque odium suum in pulverem, vel rudem ignorantiam circa naturæ miranda detegunt.

Verùm quorsum inepta hæcce nænia ipsi etiam irridenda vulgo? Illicitam enim magiam quis nescit, vel futilem esse, vel à diabolo solo traditam, quem tot beneficiorum, quæ ab illo pulvere procedunt, authorem arbitrari non permittit infestissimum

ſimum ipſius odium in genus humanum, nec facilè adducetur ſagacioris animi compos, ut verum miſanthropum Satanam tantum gratis remedium hominibus impertitum eſſe crediderit. Si quosdam enim ejusmodi pollicitis deludat, animam profectò ſibi præmium quærit. Verùm quis adeò inconcinnæ mentis, ſolos, qui cum diabolo fœdus inierint, ſympathico pulvere optato fine uti poſſe crediderit?

Si verò divinum velut auxilium hominibus detectum, conceſſumque ſit, non negandum propterea quin cauſam in natura determinatam agnoſcat. Vix poſſum etiam, quin derideam craſſioris Minervæ homines, qui tantam diaboli arbitrantur poteſtatem, ut *ſupernaturalia ad libitum patrare poßit*; quaſi DEUS Optimus Maximus qui naturæ legibus ſæpiſſime ſe adſtringit, quoties circa naturalia aliquid agere libet, tantam creaturarum longè deterrimæ potentiam largiatur; nec quis niſi nimium credulus morbum ſua natura lethalem ope diabolica perſanari poſſe crediderit.

Conſtat igitur nullo irrefragante dubio, non modo de poſſibili, verùm & de facto, & de contingente, dari in rerum natura *curam morborum ſympathicam*, vulnerum verò potiſſimum per pulverem illum mirandum, cujus vera deſcriptio, præparandi videlicet, & utendi modus inferius proſtat. Ut nihil dicamus de mirandis, quæ *unguenti armarii* ope præſtita indubiæ fidei homines ſcriptis tradiderunt, inter quos noviſſimè doctiſſimus *Servius* peculiari libro.

QUÆSTIO II.

Quid ſit pulvis ſympathicus?

POſita ſympathica vulnerum medicatione ex parte contingentiæ, jam ſequitur, ut antequam ad cauſas penitiores ejusmodi actionis deſcendamus, ſubjectum ex quo, ſive materiam, cui talis ineſt virtus, exponamus. Ejusmodi autem remedii materiam à diverſis diverſam admitti certum eſt; ut conſtat apud authores, qui plures *armarii unguenti*, deſcriptiones tradiderunt.

Verùm cum unguenta illa ſympathica pluribus remediis conſtent, nec apud ipſosmet eorum inventores ſtatutum ſit, an totius compoſiti energia ab aliqua ſpecifica componentis cujusdam proprietate, an verò à forma ex ingredientium omnium miſtione exſurgenti procedat: vix poſſumus de vera ejusmodi remedii natura ullum ferrè judicium, ne toti compoſito, quod ex unico remedio promanat, vel contra unico tribuamus, quod totum ſibi jure vindicat. Elegimus idcirco *pulverem* illum omnium ore percelebrem, paucis abhinc annis inventum, & ſumma humani generis utilitate apud omnes ferè diſſeminatum; cujus pariter virtutem repetita experimenta nos docuêre: quippe qui cum unico præcipuè remedio

eoque simplici constet, veram ipsius energiæ causam, tum materiæ, tum præparandi ratione, perscrutari & investigare multo sit facilius. Unde forsan ingenia majori sciendi desiderio impulsa, aliquid colligere poterunt, quod opem non levem ferat ad armariorum ungventorum virtutem detegendam.

Constat autem ipse *Pulvis*, pro natura vulneris, cujus aggredienda est cura, vel *unico* simplici remedio; eoque præcipuo, & à quo potissima pendet virtus, vel *duobus* simul mistis. Simplici, inquam, cum inflictum vulnus, nulla ossis fractura vel fissura complicatum fuerit, sed partes solum molliores obsederit, sive sint carnosæ, sive nervosæ, membranosæ, &c. *Composito*, ubi fractura vel fissura ossis ingens molliorum partium solutioni accesserit.

Pulveris simplicis materia *Vitriolum* est *Romanum*, h. e. viride illud & purissimum: quod atramento sutorio *Galeni* adeo absimile non est; ipsum tamen omni puritatis genere superat. Hoc autem non ita simplex, & non præparatum sympathicam virtutem possidet, quamvis nullo præmisso apparatu ipsum, qualem nobis natura suppeditat, prospero successu usurpasse plures audierim. Ejus enim potentissimam virtutem à præparatione pendere norunt, qui nulla apparatum arte ipsum in usum traxere. Quale enim venale prostat, nullius ferè est virtutis ad medicationes sympathicas, ubi potissimum cum pervicaciori affectu nobis agendum est.

Talis autem est ejus præparandi modus. Arbitraria hujus vitrioli quantitas, mense Julio vel Augusto accipitur, & postquam repetitis dissolutionibus ex aqua limpida filtrationibus, per chartam emporeticam, evaporationibus ad ignem, ac coagulationibus in loco idoneo, prout ars pyrotechnica docet à fœculento magmate liberatum fuerit, summamque viriditatem puritate consequutum fuerit, contunditur crassiusculè, & ferventioribus solis radiis, dum versatur in Leone, per horas 360. exponitur, hoc est, diebus quindecim, vel ut alii malunt per 15. vel 18. dies, plus vel minus, prout ad perfectiorem vel minus perfectam calcinationem devenerit: quam quidem ut præcipuum moræ suæ terminum ad solis radios agnoscunt. Solis enim opera ad summam quam fieri potest, albedinem ipsum calcinari necessum est.

Hic verò notandum *primò*, aeri solum amovendum esse, cùm serenus ipse fuerit, atque admovendum tempore pluviæ & imbrium, roris & humidioris temperiei, ne nimia ambientis humiditate vel affluxu delabentis pluviæ, aut roris, in liquorem abeat.

Secundò, vetant aliqui, ne ullo ferro ipse pulvis tam dum fit, quam cùm factus est, tangatur, quod insitam ipsi facultatem adimat: hoc verò superstitiosum magis crediderim.

Tertiò circa tempus, quo ipsum Soli exponere necesse est, scire expedit solem ingredi solitum Leonem circa diem 25. Jul. Præstat autem quartum, vel quintum ab ingressu diem expectare, ut certiores simus de ipsius confirmatione in propria domo.

Quartò circa tempus, per quod ipsum pulverem soli exponi convenit, licet nonnulli, ut suprà monuimus, spacium hor. 360. non sine quadam mysterii specie, (propter eundem graduum numerum, quem sol quotannis peragrat) observari debere existiment; cùm tamen non eadem sit semper caloris Solis conditio, sed nunc hebetior nunc verò vegetior sit, & præcipua præparationis perfectio, calcinationis ratione metienda sit, non ita scrupulosè agendum arbitror. Quamvis enim minori temporis spacio, quàm quod determinatum est, dierum scilicet quindecim, solaribus radiis exponi non debeat, parum tamen me hercle interest, si paulò diutius in ipsis permaneat; te enim etiam invito sol actionem suam in objectum prius pulverem edere non desinet, quantumvis ipsum loci, & tegumentorum obstaculis amoveas, dum propriam domum peragrat. Fallitur nimirum, qui ita imbecillem corporum cœlestium virtutem arbitratur, ut non sine proximo radiorum suorum contactu in sublunaria influxus, & actiones suas producere possint, licet nonnihil imbecillius eas exserant.

Pulvis tandem diligenti naturæ, & artis ope apparatus, usui asservandus est in loco temperiei siccioris, ne excrementitia humiditate recuperata, pristinam formam assequatur, naturalisque color revirescat; unde non levis sequeretur ipsius virtutis diminutio, si non jactura omnimoda. Verùm quoties negligentius asservatus humiditate nimia recruduerit, vel in liquorem abierit; levi calore ad pristinum statum reduci debet, antequàm in usum veniat.

Nota demum pulveris ejusmodi virtutem adeò altè ipsi insitam esse, ut per plures annos inculpata asservari possit, ne annua renovatione indigeat. De *pulvere simplici* hactenus.

Pulvis verò *compositus*, quem vulneribus ossium fracturæ, vel fissuræ junctis competere diximus, constat pulvere simplici prius descripto, & *gummi tragacantha*; quod nullo præmisso apparatu, sub forma tenuioris pulveris, æqua ferè quantitate ipsi immiscetur. Ad id etiam, nec leviori efficacia, *sarcocollam, gummi Arabicum*, & alia quam plura gummi genera usurpari posse nonnulli arbitrantur; alii verò *symphyti majoris* in umbra siccati pulverem cæteris rebus anteponunt, quorum fides sit penes experimenta.

Cæterum potissima ejusmodi misturæ virtus basim fundamentumque suum sympathicum pulveri ex *Vitriolo* parato, acceptum refert. Quidquid enim *gummi* energiæ habet, solo dicti pulveris auxilio foras educitur.

QUÆSTIO III.

An detur actio in distans?

Expositis hactenus pulveris sympathici materiâ, & parandi ratione, sequi solum videtur ut ad modum deveniamus, quo vulneribus persanandis confert, tum ratione causæ internæ, tum externi apparatus; verùm cùm ad rem altius indagandam

parvi momenti non sit, nosse modum, quo agentia patientibus admoveri debent, ut in ipsa actiones suas prodeant, *an scilicet immediatè, an ad distans mediatum : an verò ad reale distans objecta sibi corpora afficere possint* : hanc priùs disceptationem explanare aggrediamur, ut facilius postea nullo obice, detectum rei nucleum degustemus.

Futilem, meo arbitrio, & penitus inutilem quæstionem, quæ nobis præ manibus versatur, arbitrari non verebitur primo intuitu nasutus quidam Philosophus, quoniam apud omnes ferè in confesso est, omne agens in objectum sibi corpus eo tantùm agere, quod ipsi applicetur; vel *mathematicè* & per contactum immediatum, seu contiguitatem agentis ad patiens, vel *physico*, ut dicunt, *contactu*, h.e. per medium utrisque intercedens, sive fuerit substantia ab agente promanans, & in patiens se diffundens, sive aliquid tertium, quod instar vehiculi qualitate necnon agentis facultate indutum, in patiens ipsa transfundit, & vice primi agentis subjectum afficit.

Verùm tot sunt agentia in rerum natura quæ *ad distans reale*, h. e. sine ullo intermedio, operationes suas producere videntur, & quorum instrumentum secundum sive intermedia in operatione substantia adeò perspectu difficilis est, ut nullam interesse ferè cogamur assentire.

Viden' ut *astra* intimiora terræ viscera penetrent, & ad fossilium metallorumque productionem ipsam disponant; vegetabilium germinationi & incremento faveant, & animalium, hominum præsertim corpora, & animos ad certas dispositiones conducant? Noris *Lunæ* incrementa, & decrementa maris reciprocis motibus totique generi humido cœlitus dominari; Cynosuram sibi allicere *magnetem*: nec minus digna miratu inter sublunaria peragi, exempla in prima quæstione allata testantur. Ejusmodi autem operationes nemo est ita stolidus, qui *mathematico contactu* fieri dicat, cùm locorum intercapedo oculis subjaceat. Atqui si *naturali* dixeris, & intermedia substantia, an nescis qualitates illas agentium proprias è subjecto in subjectum diversæ naturæ migrare non posse; nec aerem, qui cœlo terræque interjacet, idoneum esse cui cœlestes qualitates inhæreant, nec esse pariter credibilem tantam substantiæ corporum cœlestium diffusionem, & influxum deorsum sine manifesta eorum læsione, atque notabili decremento perennare potuisse?

His ferè persuaderet, actiones ad distans reale, & absque corporum contactu, intermediove vehiculo admittere; nisi semper mihi antiquum duxissem axiomatis nunquam refragandum, quæ nobis scientiarum proceres tradidêre; & si quid in communi ac ordinaria praxi ipsis refragari videtur, vel diligentioris perquisitionis, vel ignorantiæ fatendæ occasionem esse debere.

Mea igitur hæc est mens, cum *Philosophiæ penatibus, nullam dari naturalem actionem, quæ non edatur per contactum, vel mathematicum, vel intermedium*; & quod operæ pretium fuerit, huic axiomati nihil obsistere *pulveris sympathici* energiam, sequenti quæstione probabimus.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quonam pacto conferat sympathicus pulvis vulnerum curationi?

PARS PRIMA.

De causis extrinsecis, sive apparatu externo.

RESTAT jam ut modum aperiamus, quo *pulvis* noster vulneribus sanandis confert; hoc est quanam interna ratione, & quo apparatu externo. Hunc autem posteriorem primò exponemus, eo quod ad prioris investigationem aliquid etiam conferat. Sic itaque usurpatur pulvis.

Vulneribus recentibus, & è quibus adhuc emanat cruor, immergitur linteum mundum, idque vel è lino, vel è canabe confectum. Cujus loco suffecerit panni quodlibet genus, vel solida ferè quælibet substantia, donec fluente ex parte sangvine intingatur: huic inspergendus pulvis, & alio panno cuncta simul involuta asserventur, loco temperato, eoque vel vicino, vel quantumvis remoto à patiente. Præstat tamen moderata loci intercapedo. Sin vulnus jam inveteraverit, & degeneravit in ulcus, eodem prorsus modo materia ex effecta parte manans, sive pus, sive sanies fuerit, linteo committenda, aspergenda pulvere, & sedulo asservanda: tum vulnus, vino tepido prius ablutum, panno minimè sordido obtegendum est, & pannus novus, ac mundus alternis diebus, vel sæpius, prout manantis sorditiei copia exquirere videbitur, pro inquinato mutandus est. Sordidi autem panni simul coasservandi sunt in loco pariter mediæ temperaturæ. Non est tamen quod pulvere inspergantur, nec vulnus plusquam semel vino abluere necessum est: quin etiam hoc multi omittunt.

I. *Nota* autem, quod si vulnus *exterius* fuerit, sufficiet permittere, ut sangvis effluat in pannum; sin *interiores* etiam partes affecerit, ipsi penitius immittendus est pannus, ut læsam pariter attingat partem.

II. *Nota* secundò, quòd quocunque modo inflictum vulnus fuerit, eadem sit pulveris virtus. Non enim hîc locum obtinet quod *Sennertus lib. Practic. 5. par. 4. c. 10.* in ungventum armarium objicit, quod nullus qui de eo scripserit, ausus sit vim ejus ad illata à sclopetis vulnera extendere. Quin ejusmodi vulnerum ipsius pulveris ope persanatorum insignia mihi non desunt experimenta, quæ multorum fides confirmat.

III. *Nota* denique loco mutanda esse lintea, illud præsertim sanguine, & pulvere aspersum, prout pars intemperie tentatur. Si *calida* enim intemperies partem invaserit loco frigidiori, & humidiori asservari debent, velut sub terra, seu inclusa pixide ex

de ex electro, aqua aut nive mergantur, donec pars elapsam nacta sit temperaturam: si verò *frigida* dyscrasia partem occupaverit, locus temperie contrarius pannis asservandis deligendus est. Hæc de vulnere simplici.

Si vulnus *ossium fractura* complicatum sit, fragmenta foras educenda sunt quæcunque periosteo nudata fuerint. Sin verò fractura æqualis, ut in speciebus, quæ dicuntur cauledon, & raphanidon; vel contriti ossis particulæ periosteo adhuc cohæreant, vulnere prius sympatheticè curato, pars hypodesmidibus, epidesmidibus, & assulis, pro more deliganda & fulcienda est: admiscendo videlicet, in curando vulnere, pulverem gummi tragacanthæ, aliumve ejusdem naturæ, æqua vel media quantitate, ut superius dictum est.

PARS ALTERA.

De causis intrinsecis pulveris, & modo quo operatur.

NAturam morborum medicatricem benè dixit *Hippocratis*; Illam enim instrumentariam causam intelligit, qua immediatè utitur anima ad præcipuas facultates in corpore exercendas, tum in vitali, tum in naturali genere. Idque vel instaurandi vel conservandi causa. Hanc autem intellige non modò elementarem partium commistionem, primarumve qualitatum crasim, verum & inprimis substantiam illam ex humido radicali, calido primigenio, insitoque spiritu conflatam, animæ corporisque vinculum; cœlestium & elementarium hypostasim, quam docti *cœlum elementare*, vel elementum cœleste Microcosmi nuncuparunt. *Aristoteles* verò τ̃ ἄστρων στοιχείῳ assimilat.

Hæc è singulis corporis partibus decidua semen informat, fermentat, disponit, & subituræ animæ corpus ex subjecta sibi materia efformat, partibus consimilibus illis è quibus effluxit: sicque pars à capite excisa, novum caput, cujus ideam retinuit, conformat; quæ ex corde novum cor, sicque de cæteris. Hæc enim mens est divini *Hippocratis*. Quam autem sibi efformavit partem in nondum edito fœtu, ejusdem officium est, ipsammet in jam edito, omnibus numeris incolumem servare, vel ad salubritatem reducere, si ex ea fortè deciderit. Idque si ignota nobis, innata tamen sibi facultate, prout est verum corporis balsamum.

Licet igitur Natura illa innata concurrat totà ad totius corporis integritatem, conservationem, incolumitatem; specialiter tamen ejus diversæ particulæ, diversis corporis partibus quibus innatæ sunt, opem, adjumentumque ferunt. Hoc verò Medici vocare consueverunt *dispositionem partium à tota substantia procedentem*. Quamvis enim natura invicem minimè differant ejusmodi particulæ substantiæ innatæ, aliquam tamen habent propriam sympatheiam cum partibus corporis quibus insunt, qua ipsis & non aliis insunt, præsunt, medentur. Quod quidem expressisse videtur

decur *Hippocrates* 6. Epidem. Comment. 5. text. 1. cùm in plurali loquens νούσων, inquit, φύσιες ἰατροί, *Naturæ morborum medicatrices.*

Cùm igitur ipsa natura cunctis immediatè medeatur morbis, Medicus illius famulus, ut vocat idem *Hippocrates*, potissimum sollicitus esse debet de ipsa integra cunctis numeris conservanda; h. e. debet sedulò animadvertere, ut illa tria quæ naturam innatam constituunt, humidum radicale scilicet, spiritus insitus, & calor innatus convenienti nexu, & proportione inter se cohæreant; ne calori humidum pingve deficiat, neve ipse calor pabulum excessu devastet, eoque spiritum fraudet. Ratus nimirum, cunctis ad talem moderationem redactis, naturam propria indole ad perfectam integritatem corpus nostrum deducturam.

Hinc est quod *Ægyptii*, *Arabes* Philosophi, cunctaque *Cabalistarum* cohors *remedium* illud *universale*, quod naturæ robur servando omnes morbosos affectus depellit, ita sedulò exquisiverunt, tantisque laudibus extulere. Hinc *Azoth* mirabile *Paracelsi*, hinc *lapis vivificus Severini*, *Crollii*, cæterorumque philochymicorum. Adhæc etiam docta *Verulamii* præcepta libro de *vita & morte* tradita.

Verùm cùm talem medicinam plures quæsiverint, invenerint perpauci, & nullus posteritati tradiderit, quos difficultatis tæduit, ex universali, quæ toti corpori ad particularem, quæ singulis partibus confert, devenere. Hinc *cephalica*, *cardiaca*, *stomachica*, *splenetica*, *& similia*, tum experimento, tum characterismo, & signatura detecta, apud Medicos hodie usurpata; quæ, totius substantiæ similitudine, partium quibuscum consensum habent, nativam humiditatem, calorem, &c. augent, & inculpata servant: unde perfecta incolumitas, ac morborum expulsio subsequitur.

Porrò hæc remedia, quæ ex *inanimatis*, *vegetabilibus*, & perpaucis *animalibus* deprompta, substantiæ similitudine corporis nostri partes afficiunt, quò majorem affinitatem possident cum partibus quibus addicta sunt, eo potentius ipsas roborant, & nativæ substantiæ opitulantur. Haud dubium igitur, si ex emortuo corpore ejusdem speciei possit residuum congeniti humidi arte quadam educi, quin futurum sit alteri viventi corpori aptissima medicina. Hinc tot *pulveres*, *sales*, *tincturæ*, *magisteria*, *elixiria*, *& similia* ex humano cadavere & sanguine parata, hodie prostant apud authores. Si verò ex toto corpore adeò efficax singulis partibus medicina paratur, quanto plus auxilii è partibus ejusdem naturæ, conformationis & figuræ sperandum est?

Hinc, non immeritò, *cranii humani* pulvis, sal, cæteræque præparationes affectus capitis pervicacissimos solvunt. Ob id per totam ferè *Italiam* celeberrimum fuit nomen cujusdam *Medici*, qui solo pulvere è singulis corporis partibus, propria arte conflato, omnes affectus contra naturã radicitus evellebat: ut si afficeretur caput, pulvis è capitibus solis peteretur, si cor, è cordibus, & sic de cæteris. Idem etiam apud *Arabes* hodie in usu esse audivi, qui ex consimilibus corporum partibus, quorum aromatis insolatorum, (*Mumias* vocant) magna suppetit copia; pulveres singulis viventium morbis & partibus parant. Arte, inquam, ex emortuis corporibus re-

liquiæ humidi innati & radicalis educi possunt : secretis videlicet partibus, quibus potior ejus copia insidet, à fœculento & inutili magmate.

Quamvis enim ejusmodi substantia author sit vitæ, dum in corpore remanet, cæteraque ipsi respondent, calor vivificus ne momento quidem temporis, sine ipsa, in corpore permanere possit, tota tamen plerumque ante mortem evanida non fit. In illis enim qui violenta morte, sine ingenti excessu caloris obnecantur, integra ferè remanet, nec deficit penitus, præterquam illis, qui sensim longa senectute, ellychnii instar, ipsum depascunt, vel brevi spatio, per adauctum exsuperanter calorem, ceu ignis lecytum pyræ injectum, eam devastant. Hujus etiam in plantis & lignis tibi exemplum est. Ex ipsis enim violentius arte collectis ac exsiccatis, radicalis, maximèque vitalis substantia educitur : sin voluntaria vetustate marcescant, & carie obducantur, ne micam quidem ejusmodi extorseris.

Posito igitur, quod educta primigenia substantia ex enecatis ejusdem speciei corporibus, viventia corpora quibus adhibetur, mire sympatheia afficiat, roboret, tueatur : quanto majori ad id virtute profuturum est, existimabam, si ex eodem corpore, eademque parte sublata ipsi rursus affatim reaffundatur, vel secundùm totam substantiam, vel secundùm magis potentem & efficacem ipsius partem.

Agedum enim spiritales magisque æthereæ substantiæ ex aromatis, vino, ac plerisque plantis eductæ, vel solo etiam halitu torpentes deficientesque corporis nostri spiritus, pro naturæ affinitate, necnon deficientes vires momento temporis exsuscitant, reficiunt, instaurant. Nec idem potiori jure vi sympatheias fecerit *connata* illa *substantia*, individuali necessitudine corpori nostro, talique parti aliàs juncta, si denuo ipsi conjungatur.

Urgenti quidem demonstrationi hactenus cogeris assentire ; verùm hæc duo obstant: *Primò*, nondum constare an sanguini, &, quod minus fidem meretur, puri ac saniei ex recens inflicto vulnere, vel ulceris naturam vetustate adepto, affluentibus, aliquid *primigeniæ substantiæ* insit. *Secundò*, concessa prima hypothesi, quod ejusmodi substantia corporibus nostris iterum restitui possit, nihil obsistente locorum intercapedine, derides & pro næniis existimas.

Ad *primum* quod attinet, cùm ex superius allatis constet, corporibus violenta morte interfectis aliquid primigeniæ substantiæ inesse, quoniam, nulla intercessit causa, qua penitus à primis partium staminibus, quibus primariò insidet, avelli potuerit : multo magis mananti ex parte cruori necnon puri adhuc inerit; quippe quæ nihil passa ipsam valens à residuo sanguinis purisque magmate dissolvere. In ipsis verò prius fuisse talem substantiam, hoc sit pro argumento.

Manat non modo ex vulnere sanguis ille majoribus venis contentus, singularum partium alimentum adhuc remotum, seu aliturum, ut vocat *Hippocrates*, nullique membro specialiter affine ; sed & substantia illa capillaribus contenta vasculis, quæ jam naturam partis, quam mox subitura est, ob idque alimentum alens *Hippocrati* dicitur

dicitur, non leviter redolet; humores pariter ſecundarii quos *Arabes* roris, glutinis, & cambii nomine inſigniverunt; qui ſolo fortioris, leviorisve concretionis diſcrimine à partibus quarum naturæ apponuntur, diſſident, nec minorem ſubſtantiæ primigeniæ copiam, à ſolidioribus ſtaminibus communicatam, quam ipſamet ſtamina prima continent, eamque facilius communicabilem; ob nondum adeptam fortiorem concretionem, qua cuncta principia tenacius ſimul hærent.

Quod de *ſecundariis humoribus*, mananti è vulnere ſanguini admiſtis aſſeruimus; idem in pure, & ſanie fieri credendum eſt; conſtat enim pus potentiſſimum, ex congerie humorum ſecundariorum; unde ſtrictiori uſu, oſſium alimentum, alens ſcilicet, ab *Hippocrate* nuncupatur: ab uſu me judice, ex candidiori colore, & oſſibus magis aſſimili, ſumpto. Quod enim æquè cæterarum partium, ac oſſium ſit alimentum, apprimè teſtatur adaucta, diminutave ipſius copia, pro magis aut minus copioſa carnoſarum, cæterarumque partium regeneratione & redintegratione.

Quantum verò ad *ſecundum*, hoc eſt circa modum, quo ejuſmodi ſubſtantia primigenia panno, cum reliquo humorum magmate excepta, prout præcedenti particula expoſuimus, partem ex qua decidua eſt, longa etiam loci intercapedine appetit, afficit, juvat, ſequentia accipe.

Univerſam mundi hujusce harmoniam ex mutuo cœleſtium & elementarium conſenſu pendere, fuſiùs aliàs libro *de Salſed. flux. & reflux. maris, &c.* explicuimus. Præcipimus, videlicet, ſublunaribus corporibus igniculos cœleſtes ineſſe, ſive portiunculam ſubſtantiæ illius lucidæ, ſimplicis & homogeneæ, in prima rerum creatine ſibi admiſtam, cujus ſolius auxilio cœleſtium qualitatum influxus & dominatus participant: mediam pariter ſubſtantiam, cœli, ſubcœleſtiumque vinculum, & medium inſtrumentarium ſympathicæ corporum naturalium communicationis ibidem conſtituimus, æthercam ſcilicet ſubſtantiam per univerſum mundum diffuſam, excelſa cœli, infimaque terræ attingentem, ſimplicem, inviſibilem, & ſubjectum æquivocè appoſitum cunctis cœleſtium influxibus ad ſublunaria deferendis.

Quantumvis autem de cœleſti illo principio, quod corporum ſublunarium compoſitionem ingreditur, ut & de *univerſali illa anima totum diffuſa per orbem* fusè, ut diximus, alibi loquuti ſimus, & inſignes apud numeroſam antiquorum, & neotericorum cohortem proſtent alterationes vixque concilianda diſſidia, operæ tamen pretium arbitrati ſumus, ſi, paucis, aliorum ſententiæ propriam, levi contentione, ſuperſtrueremus, immotum velut fundamentum totius noſtræ diſſertationis jacientes; ab expoſitione primæ partis, quæ cœleſte principium compoſitum, à primis elementorum naturis longè diſſitum in miſtis admittit, auſpicati.

Cùm *Ariſtoteles* pluribus in locis arbitrari videatur, ex quinque ſimpliciſſimis naturis ſeu corporibus, *cœleſti* videlicet, & *elementaribus*, prius in propria ſphæra detentum ſublunarium miſtionem penitus abnuere, cuncta verò mixta & concreta

 corpo-

corpora, mutua quatuor primorum alteratorum unione solummodo constare; non pauci hinc commoti sunt, ut mordicus nil nisi elementare mista propriè attingere, ac subire, defenderent, cœlestem vero substantiam nullo, nisi forsan accidentario, commercio cum ipsis communicare; inter quos, ut cæteros taceam, *Avicenna, Zabarella, Erastus*, disput. contra Paracels. &c. primas tenere videntur, minimè advertentes se adversus præceptorem, quem defendere in animo fuit, ipsamque veritatem contendere. Licet enim, ut diximus, passim *Aristoteles* quatuor illas substantias, quas elementa nuncupant, præcipuam mistorum materiam agnoscat, ut *in libris de Cœlo, de ortu, &c.* Innumeris tamen victus rationibus *substantiam caloremque cœlestem* omnibus animalibus, homini verò præsertim, cæterisque deinde perfectè mistis corporibus tribuere cogitur. De animalibus, & animatis meridiana luce clarius est. *Cum enim illud*, ut ipse loquitur primo Phys. text. 81. *cujus ope aliquid bonum, & expetendum evadimus, formam* intelligit: *Quid ab elementari potentia longè altius & dignius agnoscat*, quodque divinum ibi nuncupat. *Puriori, ac sublimiori materia indiget, vel ut ex ipsius potentia educatur, vel ut quoquo modo educta, suas functiones perficere possit.* Hincque cum calor præcipuum sit animæ instrumentum; *Calorem animantium neque ignem esse, nec ab igne originem ducere*, pro statuto habet, de Generat. animal. lib. 2. cap. 3. De vi γεννητικῆ, quam πλαστικὴν Galenus appellat, quæ motionis principium est in semine, idem in eodem loco, censet; cujus substratam substantiam, ac famulantem qualitatem stellarum elemento respondere testatur.

Quòd autem æquè benè cæterarum animarum ergastulis, ac humano corpori, ejusmodi cœlestem substantiam & qualitatem largiri consultum habeat, testatur illud ejusdem, ibidem: *Omnis animæ potentia corpus aliud participare videtur, idque magis divinum, quàm quæ elementa appellantur.*

Hæc *Aristotelis* de substantia cœlesti opinio à *Platone* præceptore desumpta in Timæo scilicet, ingeniti spiritus nomine relata, ut rationi & veritati maximè consentanea, sectatores non paucos, nec vulgaris notæ nacta est. Huic assentit *Averroes*, dum collect. sectione 1. censet, *Partes corporis natura agere, & affici à calore sibi innato, qui alius sit ab eo, quem à temperamento adipiscuntur.* Ipsi subscribunt pariter *Scaliger* exer. 101. sect. 18. & exer. 280. sect. 1. *Fernel.* Physiolog. lib. 4. *Valeriol.* & alii plures. Eadem est latini Poëtæ sententia 6. Æneid.

Inde hominum, pecudumq; genus, vitæq; volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus,
Igneus est illis vigor, & cœlestis origo
Seminibus.

Idem pariter ante alios novisse *Hipp.* testatur id quod de proximo animæ in actionibus edendis instrumento sub nomine ipsiusmet animæ lib. 2. Carnibus refert *Videtur sanè mihi*, inquit, *id quod calidum vocamus, immortale esse, & cuncta intelliger.*

& au

& audire scire omnia, tum præsentia, tum futura. Non enim arbitrandum Medicinæ Parentem, hîc de calore elementari tot referre encomia; cum ipsum adeo in corpore imbecillem *lib. de prisc. Medicina* existimet. Et ab ipso revera calidi innati appellationem primamque notionem excepisse supra citatos Medicos & Philosophos probabile est. Sic enim ille sect. 1. Aphor. 14. τὰ αὐξανόμενα, πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν.

De *animantibus* hactenus, de *cæteris verò corporibus mistis*, an iisdem cœlestes, ut diximus, igniculi insint, non adeò constat apud *Aristotelem*, licet ubi formas, loco jam citato 1. Physic. text. 81. divinum quid & super elementare nuncupat, de formis in genere loqui videatur; unde possit quis facilè cætera mista perfecta deducere, ut super elementaris formæ ac substantiæ participia sunt. Et revera hanc tuetur sententiam *Scaliger* exerc. 307. sect. 20. *Omnis forma*, inquit, *cujuscumque perfectè mixti, etiamsi non est anima, natura, est quinta, à quatuor elementis, longè alia.* Verùm, ut hic auctoritatem rationes suppleant; arduum non est, si ea diligentius contemplemur, quæ corpora, extra animatorum species contenta peragere ac perpeti solent. Qualitates sive actiones occultas, quarum inter inanimata tot patent exempla, quis nescit à tota forma vulgò eductas censeri, quòd in elementares energias, quarum vim antecellunt, reduci nequeant? Verùm cùm substantialis forma subjecta ipsius potentia, ut volunt aliqui, educatur, seu ut aliunde adventans ea, tanquam instrumento actionibus suis necessario utatur, quis elementa formam toto genere à se differentem, multoque sublimiorem, nisi Philosophiæ inscius, producere posse crediderit, vel ultra sphæram activitatis propriæ agere posse, formæ naturæ admodum diversæ, famulantia, vel manifestis qualitatibus occultas, novo prodigio, educentia. Prout igitur inanimata corpora supra elementorum vires, actiones suas produnt, alia pariter ipsis materia concedenda est, quæ valeat pro natura sua ad id concurrere passivè, quòd forma activè perpetrat; quæ nulla alia esse potest præter illam, quam cœlestem superius diximus. Hæc de actionibus ad quas concurrit materia mistorum inanimatorum. Ex iis, quæ patiuntur, idem colligi potest. Ipsa enim inanimata corpora, ut lippis ferè & tonsoribus est notissimum, nec auctoritatibus aut experimentis hîc tempus conteri debet, si non adeò vehementer, sensibiliter tamen, à sublimioribus & cœlestibus corporibus, multas perpeti alterationes, in dies observamus. Sicut mente captus censeri debeat, quem tot tantasque mutationes inficiari non pudeat. Verùm cum ex Aristotelis mente, & cæterorum amplectendis melioris notæ Philosophorum sententiis, cœlum substantia, & qualitatibus, vel ut verbo dicam, natura penitus ab elementis, & elementaribus substantiis differat, qui fiet quòd inanimata mixta cœlesti virtute alterentur; nisi aliquam cœlestis substantiæ portionem, aut quid saltem ipsi analogum participent. Ut enim fiat actio, patiens capax esse debet recipiendæ actionis; quod fit, ut optimè docet Aristoteles lib. 1. de generat. & corrupt. cap. 7. text. 50. *si fuerit agenti aliquo modo simi-*

le, quodammodo verò dissimile. Hæc sunt quæ scientiarum antistites hactenus credidere; rem paucis, ex propria mente contraho.

Cùm elementaris substantia, ut de semine muliebri loquitur *Aristoteles*, potius pati, & vice materiæ substerni, ut ex ea mistorum partes conflentur apta nata sit, quàm agere; potissimum verò ad λόγον τῆς οὐσίας, ut *Aristoteles* verbis utar, producendum, aut ipsi producto immediatè ministrandum. Natura omniscia, à primo mundi ortu, vel dum omnia turbarentur, ut vult *Hippocratis* lib. de Carnib. aliquid cœlestis substantiæ elementorum consortio peculiari modo devinxit: ut, forti velut compede, altioris naturæ ἐντιλεχείας, cum materia crassiori arctius alligaret, ipsis famularetur, & esset tanquam cœli, terræque vinculum. Hinc fabula *Promethei ignifuris*, apud Æschylum. Hinc procreationis *Deæ* conjugium cum fabro Deorum ignito; hinc etiam digna *Trismegisti* sententia, quæ smaragdina, imo adamantina tabella insculpatur. *Quod deorsum, idem est, ac quod sursum est.* Hujus cœlestis tantum materiæ adminiculo corpora hæc infima, miris inter se sympathiis & antipathiis, ultra elementorum δυνάμεις, afficiuntur; elementares substantiæ, cœlestium corporum tanquam commercio, æterno motu, ac mirabili ordine frui videntur, & vultus sublunarium, ut habet *Ptolomæus* in Centiloquio, vultibus cœlestibus subjecti sunt.

Cùm tandem ad differentis naturæ substantias simul vinciendas peculiari quodam nexu usa sit natura, ut ex duobus unum quid concrescere, medium illud unitivum est idem quod toties alibi principium concreationis nuncupavimus; cujus ope non modo cœlestis substantia cum elementari coalescit, verùm & mixta inter se uniuntur & concrescunt, extra elementorum δυνάμεις: quali sunt aquæ in calido & humido coagulantur; & quod diversam à diversis, pro ratione aut effectuum quos producit, aut substantiarum quibus potissimum inesse animadvertitur, appellationem sortitum est. Modò enim succus lapidescens, modò verò sal coagulans, aut concretivus spiritus à neotericis appellatur. Et revera potissimi magisque sensiles cœlestium corporum effectus in hæc sublunaria, secundùm intensionem aut diminutionem ejusmodi concretivi principii fieri videntur: quod quidem prout laxiora aut densiora corpora efficit, humiditatem vel siccitatem ipsis inurere videtur. Unde astrorum, quamvis impropriè, quædam calida & humida nuncupantur, qualia sunt ♊, ♎, ♒, in animali cingulo, & ♃ inter planetas: quoniam, dum vires suas in hæc inferiora exserunt, calorem, & humiditatem elementarem, in concretis corporibus dissolvendis, æmulari videntur; quod idem de cæteris secundùm qualitates sibi inditas sentiendum est, ne singula sigillatim percurramus. Verùm jam à meta digressus videor, & de igniculis cœlestibus elementorum compede vinctis hactenus.

Jam sequitur ut media illius substantia, cujus auxilio, invita locorum intercapedine, sublunaria à cœlestibus gubernantur, moventur, alterantur, naturam exponamus. Cùm enim, ut *Aristoteles* passim in lib. de gener. & corrupt. asserit. *Omnis actio inter corpora per contactum sive proprium, sive virtualem fieri debeat*; nulloque alio modo

pa-

patienti agens applicari possit, prima certè hîc species ne admittatur locorum discrimen prohibet; ultra quod nullum in cœlesti substantia, motus principium admittitur, quo inferiora petere apta nata sit. Sequitur igitur, ut detur aliquid tertium, quod utrisque interjectum, & utrorumque superficiem, intimaque attingens, virtualis contactus sit organum, in quod diffusa corporum superiorum virtus ad inferiora deferatur. Elementares enim substantias, aerem videlicet & ignem, quem admittunt non pauci, huic esse negotio ineptas, ex iis quæ superius dicta sunt, satis liquet. Siqnidem elementa in mixtis, cœlestes influxus renuentia, cœleste quid ultra quatuor illa prima corpora, actioni recipiendæ accommodum doctores concedere coëgerunt: quanto minus simplicia illa elementa influentiæ, & virtutum, quæ sunt à propria συγκρασίᾳ alienæ ad inferiora mixta deferendarum instrumenta esse sentiendum est. Non enim, ut tertia quæstione retulimus, qualitates certis determinatæ substantiis, è subjecto in diversæ naturæ subjectum migrare aptæ natæ sunt.

De medio illo per quod cœlestes virtutes deorsum propagantur, & universus orbis, miro inter partes consensu, gubernatur; non eadem inter omnes fuit sententia. Quidam enim, ut modò retulimus, huic harmoniæ aërem, sive, ut dicunt, æthera sufficere arbitrantur. Quod quanta ratione à nobis cónfutatum, diutius urgere non convenit. Alii, inter quos primus est *Plato* totaque ejus schola, rem longè altius extulerunt. Ipse enim *Plato* in Timæo passim, & in Parmenide, miram mundi syntaxin, jugem æternumque motum conspicatus, cœlestem quandam intelligentiam & immaterialem substantiam, quam Mundi animam appellat, constituit; *Quæ boni, sive*, ut inquit, *æterni Patris mente subordinata rerum ac specierum omnium, in mente divina conceptarum ideas continet, quarum semina in astra atque sublunaria diffundit, vimque generationis & conservationis ipsis inserit, ut & secundum speciem propagari, & sese tueri valeant: quæ quidem, pro summi Boni voluntate, nutuque æterni Patris, jugiter & indefesse, secundùm leges impositas, auxilio tamen animæ mundi perficiunt.* Sicque universum orbem quoddam velut animal esse contendit, cujus singulæ partes sint quasi membra, quibus mens, seu anima universi peculiares largiatur formas. Sic enim ipse in Timæo; *Volens*, inquit, *Deus omnium quæ intelligi possunt pulcherrimo, & undique absolutissimo mundum hunc simillimum reddere, animal unum ipsum effecit aspectui subjectum, animalia cuncta naturæ suæ convenientia, intra suos limites continens.* Hanc Platonis opinionem tota ferè sequuta videtur antiquitas, ut canit Vates sexto Æneid.

Principio cœlùm ac terras, camposque liquentes
Lucentemque globum lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet,

Mirantur verò docti naturæ, ut dicunt, genium Aristotelem rem indecisam, imo potius intactam, reliquisse.

Galenus

Galenus rei quidem diversis in locis assentit, potissimum verò 2. diebus decretoriis, c. 2. ubi sic habet: *Hæc inferiora etsi ordinem & artificium admirandum contineant, longè tamen à cœlestibus superantur, à quibus quid pulchrum & ordinatum in hæc inferiora procedit.* Verùm quonam modo hoc fiat, nusquam, quod noverim, exponit. Cæterum quam parum rationi Platonis sententia sit consentanea, dum quicquid est in hac mundana scena animatum, ejusdemque formæ particeps esse contendit, urgere necessum non videtur. Ex sese enim ipsa corruit, absurditatum, quæ hinc subsequuntur, numerosa phalange.

Arbitrantur plerique alii *cœlestem quandam substantiam* è sideribus ad inferiora emanare, cùm qua ipsa pariter astrorum, à quibus procedit, virtus in hæc inferiora transfunditur: quam quidem radii nomine alii, spiritus verò astralis appellatione alii indigitant. Sic enim Author occul. Philosoph. lib. 1. cap. 33. *Omnes stellæ suas proprias habent naturas, proprietates, conditiones, quarum characteres per suos radios etiam in istis inferioribus producunt, in elementis, in lapidibus, in plantis, in animalibus & eorum membris.* Huic pariter assentit Conciliator Differ. 101. & alibi passim. De Spiritu astrali hæc habet R. Goclen. Junior in synarthros. Magnet. p. 102. *Spiritus astralis in hæc inferiora influens metallis, lapidibus, ac plantis, se non accommodat tantùm, verum etiam in eorundem substantiam occulte se ingerit.* Et infrà. *Hic autem Spiritus influit naturali prorsus modo.*

Hæc, me hercle, sententia, quam doctiorum plures amplectuntur, & fovent, quamvis primo intuitu sensu carere non videatur, eâ tamen si propius rimemur, tantis implexa difficultatibus apparet, ut eam deserere cogamur. Si enim admittamus per astrorum radios, aut sine ipsis, quocumque modo, corporeum quid ex illis emanare, quî fit quod jugi illo effluxu, eorum substantia non absorbeatur, cùm ulla ratione talem resarciri dissipationem nemo docuerit.

Cæterum cùm influentia astrorum sit momentanea, in hoc vel illo positu, quis crediderit cœlestem corporeamque substantiam, cui gravitatis motum nemo fuit adeo mentis inops, ut tribuere ausus sit, ad hæc inferiora in instanti moveri; quasi motus successivus non debeat fieri in tempore, aut longiori, aut breviori pro loci intercapedine, & propensione corporis ad motum, ut de exteriore agenti nihil dicam. Nec demum, si solis astrorum radiis virtus propagaretur, absente ab horizonte sidere, virtutis actio durare posset: quandoquidem radios pari secum motu rapit; cùm tamen secus experimenta doceant: quod, scilicet, absente ab hemisphærio astro, easdem vires exserat & exerceat in hæc sublunaria, donec eundem positum deseruerit.

Satius igitur credendum est, *Naturam*, cui peculiaris semper fuit cura ut indefessum cœli ac terræ commercium, velut admirabilis harmonia totius mundanæ machinæ perduraret, a primo Mundi ortu *cœlestem quandam substantiam per universum orbem* disseminasse, quæ, ut superius diximus, excelsa cœli, infimaque terræ attingens,

gens simplex & invisibilis; ac à corporis mole libera cùm sit, omnia replet, & illustrat, quamvis tamen loci nihil occupet, formarum substantialium ad instar, quæ accidentario sunt in loco, nec tamen divisibiles, aut cum materia miscibiles, licet quælibet tota sit in subjecto sibi corpore, & in singulis ejus partibus.

Hæc igitur substantia, nec animata, nec animans, subjectum est æquivocè appositum cunctis cœlestium corporum influxibus ad hæc inferiora deferendis. Eorum enim δυνάμεις, virtutes, characteres, & impressiones suapte natura recipit, eorumque irradiationem integram, puram putamque ad intimas quasque cujusvis naturæ corporum partes defert: quorum internos igniculos suscitat, ipsisque receptas vires impertit.

Hac eadem substantia non modò qualitates ab elementariis longè discrepantes cœlitus in hæc inferiora diffunduntur: verùm & igniculi cœlestes singulis mistis innati, ut sint propriæ instrumentum proximum, ejusdem ope mutuò inter se consentiunt, & se invicem appetunt, prosequuntur, afficiunt.

Licet igitur, ad mutuum ejusmodi consensum, ætherea quandoque substantia magisque diffluxilis à corpore in corpus plerumque diffundatur, longaque è corporibus spirituosæ substantiæ eurhoia unum afficiat, aliud, potior tamen sympatheias energia ex impresso propriæ virtutis cujusdam characterismo in substantiam illam æthercam totam diffusam per orbem, quam animam spiritumque mundi, si dixeris, per me licet, & in aliud corpus ejus ope transmisso, petenda est.

Unde non mirum, si velut corpora cœlestia nihil obstante locorũ intercapedine qualitates influxusque suos in hæc inferiora, media anima mundi, transmittunt, igniculi etiam cœlestes sublunaribus adstricti corporibus, ejusdem animæ mundi intermedio, per loca maximè dissita mutuò afficiant. Hinc autem multa, quæ occultissima hactenus in rerum natura habita sunt, tibi detegere facillimum est: hincque sympathicæ vulnerum medicationis ratio magis elucet.

Verùm penitus sic urges. Quidni, concessis hypothesibus præmissis, cuncta, ejusdem speciei, & naturæ sese invicem mutuo concursu afficiunt: nec magnes magnetem, ferrum aliud ferrum, adamas ejusdem speciei lapidem allicit? Porrò quorsum pleraque eorum quæ tali sympatheia inter se communicant ad determinatam solummodo loci distantiam, vim, roburque suum produnt? & quid tandem prosit inspersus pulvis ad affluentis sanguinis commercium cum parte ex qua effluxit? quorum hæc sit solutio.

Cunctis quidem sublunaribus corporibus substantiæ lucidæ ac cœlestis pars non exigua inest: verùm ne altioris originis memor à compede se liberans inferiora, imparisque naturæ corpora desereret; firmissimo & velut indissolubili vinculo cum elementari parte à natura connexa est: unde ne ab ipsa quidem se satis liberare potest, ut in propinquiora corpora sui partem diffundat. Nec mirum, si fortior ejusmodi principiorum connexus spirituum expirrhoiam in cæteris prohibeat; cum

X adeo

adeo sit levis aethereae substantiae emissio, qua tot mira ex magnete contingunt, ut solo illitu allii coerceatur. Nota autem, per modum digressus, falso inter vulgus recipi, quod magnes magnetem sibi non proliciat. Contrarium enim experimur sub nautica pyxide magnetem circum circa obvolventes. Acus enim in pixide contentae apex magnete infectus ambientem aequo motu insequitur subjectum lapidem.

Caeterum cum ea quae mutuò consentiunt, vel sola substantiae emissione, vel solo virtutis impressu in anima mundi, vel utroque simul modo se afficiant; *primus* agendi modus loci distantiae maximè adstringitur, quippe quod natura corporum adeo latam non patiatur interni spiritus diffusionem, ut ex operatione magnetis in ferrum, succini in festucam, &c. manifestum est. Item energia ramorum ficus in recens mactatam animalium carnem molliendam, ad locum limitata idem testatur, velut & Aetites in arborum fructus deorsum proliciendos. Quibus non ineptè addideris, quod si dum panes in clibano remanent; calidae placentae ex eadem massa confectae cultello discindantur, cuncti panes sublevatitii fiunt, hoc est, integra crusta à mica sua divellitur & separatur, ob sicciores quosdam spiritus, quibus impraegnatur placentarum halitus per chalybis vel ferri contactum, unde viscida panis qualitas, & ob quam crustae adhaeret mica, infringitur & evanescit.

Secundus verò operationis modus, per impressum virtutis communicandae characterismum in aequivocum subjectum ejusmodi qualitatum, quo medium instrumentarium & animam mundi diximus, nulli adstringitur locorum intercapedini, prout medium subjectum per universum orbem longè lateque se diffundit; velut astra haec inferiora lustrant, sol viscera terrae, luna intima maris pervadit; & astra ferè cuncta coelitus mutationes in corporibus nostris perpetrant, magnes dissitam quantumvis cynosuram insequitur, ut infinita penè alia omittam.

Tertius tandem operationis sympathicae modus, qui ex utrisque pendet, post certam quandam distantiam, licet vim & energiam ubique locorum servet, ex nimia tamen intercapedine vis ejus nonnihil hebescit. Ejusmodi autem est inter caeterra, operatio, quae in sympathica vulnerum medicatione contingit: cum impressa enim virtute in subjecto aequivoco, diffunditur pariter ex sanguine vel purè quod effluxit tenuior magisque aetherea residui spiritus portiuncula, quae prout cum parte magis coelesti aliquid adhuc elementare participat, potissimum instrumentum est mutationum primarum qualitatum elementarium, quibus velut idoneum subjectum imbuitur, ad affectam partem deferendarum, ut & pariter vis glutinatoriae, quae ex admistis pulveri gummis procedit, & saroticae, & quae cicatricem inducit, quàm vitriolum suppeditat. Quae quidem rectè minus procedunt, si in loco nimis dissito à patiente, pluribus videlicet milliaribus asservetur pannus sanguine, & pulvere aspersus.

Quan-

Quantum denique ad inspersi pulveris usum, scire convenit in sanguine vel materia purulenta, sympathicæ curationi inservitura; duo expeti. Primò, ut integra cunctisque absoluta numeris servetur, ne pars cœlestis & ætherea se ab elementari penitus expediat, & ipsam effœtam ac inutilem relinquat, ut ex omnimoda sanguinis corruptione contingit. Secundò, ut fiat totius corporis sanguinis apertio, h. e. ita dissolvantur invicem principia, & heterogeneæ substantiæ, ut simul adhuc juncta æquivoco subjecto, sive animæ mundi corpus pervasuræ, & innata qualitate residuæ in sanguine cœlestis substantiæ, insigniendæ; ad intimiores particulas liber pateat aditus; sicque principia invicem velut hient, & dehiscant, nexu tamen adhuc fortissimo vinciantur.

Gemina autem hæc conditio ex pulvere nostro acquiritur. Prout enim ipsius materia, vitriolum scilicet, arte paratum elementaribus ac cœlestibus qualitatibus præditum est, in sanguinem vel plus secundùm singulas ipsorum partes actionem edere potest; vitriolum enim substantia est salina, humido aqueo, quali totus ferè sanguis constat; facilè indissolubilis, & ipsi per minima admiscibilis. Prout autem salinam naturam adeptum est, corruptione & omnimodæ principiorum dissolutioni ab invicem cohibendæ aptum fit. Ipsis enim imbutus ea fixa minimeque evanida reddit. Prout verò ipsi vitriolo, non secus ac cuivis salinæ substantiæ, æthereus spiritus inest, tenuis, penetrans, & cœlestium qualitatum capax; diutino verò cum sole commercio, ut ita dicam, per moram ad ejus radios, eo tempore quo talis planeta in propria domo versatur, & vivificis influxibus apprimè potens est, omnigenam perfectionis speciem consecutus est, sanguinem ipsum atque pus ad ima usque principia penetrat & pervadit, cœlestia ab elementaribus quodammodo divellit, & liberum undequaque aditum ӕthereæ mundi animæ parat, quo penitiora ingredi, & commercio internæ cœlestis substantiæ frui, ejusdemque vivificis & naturæ corporis nostri amicis, ne dicam propriis qualitatibus affici & attingi possit: quas posteà in appositum, & affine vulneratum corpus, quod individuali quodam nexu & proprietate discernit & appetit, quovis terrarum transfundat, & ipsius innatum robur reintegrat, perficiat, & incolumitati deperditæ recuperandæ aptum, idoneumque reddat.

Non leviter etiam juvat, quod substantia magis ætherea sanguinis, quæ cum virtute, animæ mundi impressa, in læsum corpus se diffundit, non modò qualitatibus vitrioli imprægnatur, verùm & tenuiorem ejusdem substantiam secum devehit. Prout enim totum vitriolum, sic & singulæ ejus particulæ membra roborare, carnem generare, & cicratricem inducere aptæ natæ sunt. Idem pariter, ut superius diximus, de osteocollica gummi virtute sentiendum est; quod nimirum à cras-

X 2 siori

siori fæcula corporis soluta, ope penetrantis vitrioli substantiæ, vel cum ætherea quadam substantia, quæ à proprio gummi corpore effluxit, vel solo impressu qualitatis in spirituosa sanguinis substantia, ad vulneratam partem deferatur. Et hæc de pulvere hactenus.

Mirabere forsan, quod de insitis tantùm, de influentibus verò spiritibus quidquam nihil dixerim, quasi ad sympathicas actiones in corpore nequicquam conferant. Scias tamen hoc me consultò omisisse, quamvis non inscium stupendæ eorum virtutis, qua ejusmodi operationes promovent. Primò, quoniam ad subjectum non absolutè necessarii videremur. Secundò, ne difficilius persvaderem crassioris Minervæ hominibus ejusmodi spiritus, in emortuis cadaveribus, in sanguine & similibus è corpore nostro eductis, diutius asservari & permanere.

Ne rem tamen intactam omnino relinquam, si morem judicum consulueris; qui fluente è cadaveris vulneribus sanguine ad præsentiam homicidæ, detectum crimen arbitrantur; ob recursum spirituum versus nativam originem, qui tempore conflictus ex homicidæ in occidendum corpus confluxerant; unde sequitur prævia concreti sanguinis dissolutio ad spirituum expeditionem, & accidentaria effluxio. Si pariter tibi non ignota mira cujusdam historia, quam Taliacot. de Curtor. Chirurg. refert; qui cum excisum nasum ex alieno corio sibi refici curasset, & eo dudum proprio decore usus esset, repente aliquando sphacelo correptus cecidit. Ignotam causam mirantibus cunctis, quam mors illius, qui venale corium exposuerat, quæ eodem tempore longinquo in bello contigerat, paulò post detexit.

Hæc, inquam, & alia plura si diligentius perspexeris, facilè erit animadvertere, quantam spiritus influentes sympathicis operationibus opem & auxilium ferant. Hoc pariter norunt aniculæ nostrates, quæ sulphure & calidis cineribus in recens excretam alvi fœcem inspersis, diarrhæam & dysenteriam in illis, qui januas suas coinquinarunt, concitant.

Verùm quid plura moror? scopum assequutus videor, nempe pulveri nostro omnem maleficii suspicionem ademisse, & ad naturalem causam ejus virtutem quodammodo reduxisse. Quæ verò de ipso dicta sunt, ad internam ejus agendi rationem detegendam, utinam tibi nova satis, ut meliora docere suscipias, mentemque nostram altiori cognitione illustres. Mihi etenim in magnis voluisse sufficiat.

ERYCI

ERYCI MOHY EBURONIS
PULVIS SYMPATHETICUS,

QUO

Vulnera ſanantur abſque medicamenti ad partem affectam applicatione & ſuperſtitione.

Galenicarum, Ariſtotelicarumq; rationum cribro eventilatus.

Illustriss. & Excellentiss. HEROI.

JOANNI ANDREÆ DORIA,

Melphiæ Principi, Marchioni S. Stephani; Comiti Lodani, &c.

SARDINIÆ PROREGI,

Nec non

In eodem Regno Triremio Præfecto Generali, &c.

Illustrissime Excellentissimeq; Dn.

IN periculosis, arduisque stratagematibus, miles strenuus animi magnitudinem ostentare gaudet, Fratris Tui Generosissimi exemplo, qui tum in Pedemontano aliàs, tum nuper hìc in Belgio tot virtutis suæ retulit insignia, ut eum nec sine invidia magnanimi aspiciant, nec sine rubore timidi; ita in difficilioribus, occultioribusque rebus emicare certant, quos ad gloriam, non ad avaritiam instruxit Apollo; ingenii siquidem, non secus ac tædæ fulgor, in obscurioribus maximè splendet, in claris, & evidentibus vilescit.

Hinc ego materiam aggressus, in qua perspicacissimi cæcutiunt, arduum cum Physico medicis penè omnibus certamen inii, ut Fratris Tui fortitudinem imitarer, quem nulli periculo imparem testatur eventus: deinde ut tibi, totique reipublicæ medicæ ostenderem, nos non temerè, & empiricè Pulvere Sympathetico tantum Heroëm sublevasse, sed medicamine planè nobili, & Heroico: si quam hac dissertatiuncula gloriam retulero, eam totam tibi consecro, sin minus, decus hoc offero, quo digni censentur, qui victoriam persequendo fortiter occumbunt, nec reportant. Vale, Brux. 5. Kalend. Decembris.

Illustrissimæ Excellentissimæq;
Dominationis Tuæ

Servus devotissimus

ERYCIUS MOHYUS.

MOHYI.

PULVERIS SYMPATHETICI CAPUT PRIMUM.

Pulvere ſympathetico vulnera ſanari experientia docet.

ILluſtriſſimus & Generoſiſſimus Heros FABRICIUS DORIA, Dux Avellanus, in oppugnatione Caloonenſi, ab ignea ſphæra in poplite laceratus, ſedulam philiatrorum opem experiebatur: verùm ſinuoſa quædam ulcera, abſceſſuum hinc inde exortorum reliquiæ, largo in dies pure ſcatebant, quæ injectionibus modicè primùm detergentibus, deinde fortioribus expurgare fruſtra tentabamus: ſiquidem duo ſinus in parte ſuperiori vulneris augmentum potiùs ab injectionibus, quàm decrementum ſumebant, affluebant nimirum humores ad partem affectam, dolore nimio, qui ſiphone, turundisq; ſinus penetrantibus excitatus, Ducem conſtantiſſimum mirum in modum torquebat. Pulveris ſympathetici energiam multoties expertus, inter alios qui eundem extollebant, OCTAVIUS GUASCO Legionis Germanicæ Tribunus ſtrenuus, plurimos à ſe hac arte ſanatos aſſerebat. Redarguere virum tantum teſtes oculati, & ipſi fide digniſſimi non ſinebant: multa quoque, quæ de eodem Pulvere inter milites paſſim jactabantur, nos impulerunt: ut ſepoſitis aliis medicaminibus, curationem per hunc moliremur; renitentibus viris quibusdam doctiſſimis, qui cacodæmoni, non Æſculapio hoc opus adſcribebant. His, & toti Reip. medicæ, ut ſatisfaciam, ſtylum ſumpſi, non illum quo me muſæ politiores, ſed inter caſtrorum ſqualorem parum terſum, minus elegantem, & cum vulneribus de quibus nunc agimus, ſordidum. Ad veritatem igitur indagandam, non ad faſtum, aut oſtentationem hæc me, Lector, edidiſſe puta: nam ſi quispiam in me ambitus vigeret, jam diu ſub prælis ſcripta noſtra ſtriderent, quibus nomen meum à majoribus divulgatum, per orbem denuo ſpargeretur.

CAPUT II.

Curationem per Pulverem ſympatheticum non eſſe ſuperſtitioſam.

BIlem pone, quisquis ringeris & indignatione faſtuoſâ res novas aſpernaris, easque priusquàm damnes, cape.

Pulvis

Pulvis hic simplex medicamen est, è mineralibus unum, AZEG seu DILET Vitriolum, (ita dicitur *Parac.*) nuncupatum, quod sine ullo verborum susurro, aliavè ceremonia panno inspergitur, sanguine vulneris, vel sanie ulceris illito, plagâ interea diligenter ab omni sorditie detersâ, linteis mundis custoditur, & ligaturis, ubi opus fuerit, firmatur. Hâc arte sinuosa duo ulcera in parte superiori vulneris Excellentissimi Ducis Avellani triduo coaluerunt: reliquis deinde non mediocriter subventum.

Age, ô Critice, qui superstitionem hîc arguis: ostende ubi lateat, cedo pactum cum dæmone tacitum, vel expressum: an illud intervenisse inter curationis authorem censes? hem! quàm parum solidè! unde, & quâ ratione istud colligis? ergo qui primus rhabarbaro, agarico, & aliis catarcticis corpora purgavit, qui pæoniâ appensâ morbum comitialem profligavit, sortilegum dæmonologumvè censes? si hoc negas, & istud nego. Denique cedo authorem, cedo tempus, cedo locum, quo pactum hoc initium: sanè effectus naturales cacodæmoni imponere, ubi rationes non desint, quæ causam detegant, inertis, & stolidi ingenii est, an non & dæmonocolæ? quid ni? cùm hic plus cacodæmonem agnoscat, quàm Deum, quem fatemur, & scimus *mirabilem in operibus suis*.

Rem attentiùs discutiamus: Magiam superstitiosam consistere in pacto cum dæmone, vel in observantia vana, tradit Delrio: pactum expressum hîc non subesse certum est, tacitum quî convinces? nam quod pactum authoris reprehendas, unde illud tibi constat? vel cur in me bonâ fide utentem, & omni satanæ operi renunciantem, abjurantemque redundat? de ignorantia invincibili neutiquam tenemur. Deinde licet curationis hujus authorem à cacodæmone instructum probaveris, nihil, vel parum effeceris: nam pseudomagister ille causas naturales exhibere potest; quibus uti permissum, quemadmodum pecuniâ ab eo traditâ: si vera sit, non delusoria: verùm pactum hoc iisdem argumentis, quibus observantiam vanam irritum faciemus, quam dupliciter dignosci idem Delrio affirmat. 2. Si sit vitiosa quędam circumstantia; hanc non intervenire patet ex modo utendi, quem supra declaravimus: non enim in pulvere qui simplex est, neque in curante, neque in linteis: hæc Pulverem recipiunt, ille applicat, absque ulla animadversione vana, aut verborum incantamento. Quod autem effectus non excedat naturæ vires, sed à virtute Pulveris affluat, sequentibus capitulis declarare conabor: si scopum attigero, nihil à te Lector, præter benevolentiam tuam reposco: sin secus, libellum castiga, & abdominis tui ministerio dedica.

CAPUT III.

Actio in distans Pulveris Sympathetici.

EX surget jam inphysicorum turbâ, & unâ voce exposcet, quomodo actio feratur à pulvere ad partem affectam: an non & tyro quispiam academicus hoc mihi è vico argumentum?

Agens

Agens, ut agat, debet esse approximatum patienti:
At qui tuus Pulvis non debet esse approximatus patienti.
Ergo *Tuus Pulvis non est hîc agens.*

Et per consequens debet esse alia causa, nimirum cacodæmon, à qua procedit curatio: responde in forma, syllogismum habes in secunda figura.

Ah modeste, mi tyruncule, parcamus jurgiis, formam observabo: nam argumentari aliquando didici, & ne ulteriùs perplexus sis, hoc sensu, concedam majorem intelligendam, nimirum quòd agens debeat attingere immediatè immediatione suppositi, patiens, in quod proximè agit, non autem, in quod remotè, mediantibus aliis corporibus interjacentibus, per quæ communicatur actio: sufficit enim ut illud tangat immediatè immediatione virtutis. 1. Ut verbo dicam, satis est ut ei approximatum sit virtute, non actu: si in sensu hoc perstas, concessi majorem; sed nego minorem: nam Pulvis noster debet adesse immediatè immediatione suppositi, ei subjecto, in quod primùm recipitur actio; non autem parti affectæ, in quam recipitur secundario, mediantibus suppositis totum intervallum occupantibus: sic sol, ignis, & cætera agentia in distans, patientia à se remota, virtualirer tantum attingunt. Quis enim dicat, ignem esse actu in manu calefacti, solem in cubiculo? Habes, mi tyruncule, solutionem tui syllogismi, repete dictata, & aliud argumentum meditare.

CAPUT IV.

Subjectionis Actionis Sympathetica.

INtumescent forsitan archiatri, aliique veritatis indagatores, ac in me telum hoc retorquebunt. Illa corpora, per quæ fertur actio, debent esse subjecta capacia ejusdem actionis, adeoque certo modo disposita, & temperata, ut eam recipiant: ita diaphanum sit oportet, quod sol illustrat, in opacis illuminatio sistitur: sed actio Sympathetica tecta, parietes, rupes, & quodlibet corpus penetrat, quâ ratione? an hæc incorporea? atqui actio immaterialis à causa materiali nequaquam procedit: si corporea, Deus bone! quantæ efficaciæ! ut omnia pnevmate suo tanquam numen quoddam repleat, ac se in immensum propaget, *viresq; acquirat eundo.* Solve nodum hunc plusquam gordium. Solvo, & vobiscum, assero agens in distans non propagare actionem nisi per medium capax: quòd autem omnia agentia naturalia requirant medium dispositum, quemadmodum lumen, primæ qualitates, aut objecta sensibilia, hoc nego, hoc inficior; & dico, tecta, parietes, rupes, & quodlibet opacum, esse subjectum capax actionis sympatheticæ, adeoq; malè inferri actionem hanc immaterialem esse, quod densum pervadat, pessimè parum efficacem, ut toti communicetur intervallo, & ostendo.

CAPUT V.

Actionem Sympatheticam non sisti interventu corporis opaci.

COrpus opacum actiones quorundam agentium naturalium sistere, aliorum imminuere, sive refrangere, nonnullorum virtuti minimè obstare reperies, quisquis

 rectè

rectè philoſophabitur. Luminis, & coloris actionem terminat opacum: qualitatibus primis, & ſono, impedimento eſt, aſtrorum verò vires retundere quis affirmet? Quisquis es qui te phyſicum profiteris, mecum illico in arenam deſcende, nunquid aſtra per terræ viſcera actiones ſuas ſpargunt? nunquid mineralia illic producunt & alia mineralibus non ignobiliora? nunquid montes, rupes, undas actione ſua penetrant? ſi quodlibet corpus eis pervium, ſi nihil eſt quod eorum viribus obſtet, quid miraris, & ringeris? ſi minerale quoddam facultates ſimiles ab aſtris ſibi impreſſas, & cœleſtibus influentiis affines, per opaca, & diſtantia exſerat, & eo modo agat, quo ipſa à quibus producitur corpora?

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Equidem non magis miror, minerale quoddam facultate cœleſti pręditum, in diſtans agere, quàm filium parentis, aut avi formam, mores, morbos referre, quàm quæ igneæ ſunt naturæ, calida, & ſicca eſſe, quæ aqueæ, frigida, & humida, quàm cætera mixta virtute elementi prædominantis pollere,

Generoſa in ortus ſemina exſurgunt ſuos.

Diligentius ſoni naturam conſidera, hunc tecta, muros, parietes pervadere intelliges: at quàm exigua ſoni præſtantia! ſi cum facultate medicamentoſa conferas? hæc, qualitas ſecundæ ſpeciei vocatur à metaphyſicis, quâ nihil ad agendum poſt ſubſtantiam efficacius, illa tertiæ ſpeciei qualitas eſt, ad hoc tantum ſubſtantiæ data, ut ei decori ſit, & ornamento. Dices ſonum penetrare cubiculum occluſum per aerem inſinuatum intra poros feneſtræ, portæ, muri.

Ah miſer!
Quanta laboras in charybdi!

Non vides me idem dicturum de actione ſympathetica? ad quod confugere nequaquam expedit: cùm in opacis, & quolibet corpore eam ſubjectari dixerim.

CAPUT VI.

Sphæra Activitatis.

EX dictis ſequitur ſphæram activitatis, ſive ſpacium per quod emanat actio ſympathetica, multo majus eſſe ſphærâ aliorum agentium ſublunarium, eam ad 1000. milliaria propagari non temerè aſſero: ſed ſi propagetur, nequaquam ſtupeſco, Aſtronomos conſule, proh Superi! quantum tibi intervallum à centro mundi ad cœlum Saturni? quantum ad firmamentum extendent? quot millena milliariorum tibi numerabunt? Enim verò crediseis aſſerentibus virtutem aſtrorum ad penetralia terræ derivari, & meam de actione Pulveris ſympathetici mente abhorreſcis: pertinaciam hîc tuam; non opinionem meam argue: cur hæc te movent, iſta minimè? vel fatuus es qui iſta credis, vel contumax qui hæc negas: ita fit; ut ea quæ ſæpiùs audivimus, nequaquam animadvertimus, inauditis licèt ratione nitentibus percelli-

mur

mur, polus ferrum magnete illitum attrahit, Luna in imo maris plurima generat, quanto ab iis in quæ agunt intervallo hæc & ille diſſident? Inſunt mihi crede corporibus cœleſtibus virtutes, quibus totum univerſum pro ſphæra activitatis melius aſſignaveris, quàm ſpatium certum & determinatum; utut eſt, nec actionem eorum refrangi, nec reflecti convinces: etenim quemadmodum corpora phyſica innato ſibi odio & antipathiâ vacuum averſantur, ita è contra amore quodam & inclinatione naturali actiones cœlorum recipiunt & amplexantur: utpote quæ ſolam univerſi conſervationem, & ornamentum ſpectent.

CAPUT VII.

Principium actionis Sympatheticæ non eſſe formam occultam.

FAcultatem medicamentoſam medici triplicem conſtituunt; primam elementarem, id eſt, qualitatem miſcibili in mixto prædominanti maximè connaturalem; ſecundam ex primis qualitatibus inter ſe in materia craſſa, vel tenui variè permixtis prognatam; tertiam, à forma occulta & peculiari totius ſubſtantiæ proprietate dependentem. Hanc tertiam ego ipſam cujusque medicamenti proprietatem eſſe judico: quid enim attinet effingere facultatem quandam dependentem, & ſuperadditam ipſi proprietati, cùm non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate? Quod ut faciliùs intelligas; perpende cujuslibet corporis naturalis compoſitionem phyſicam, invenies materiam primam, qualitatum primarum certam diſpoſitionem requirere adhoc, ut formam ſubſtantialem recipiat: neque priùs ullam formam phyſicam corporis ſublunaris (non enim hic de cœleſtibus agimus) informare materiam, quam certum in ea qualitatum primarũ apparatum repererit, ad quem ſtatim conſequuntur formæ ſecundæ pro diverſa materiæ, cum qualitatibus primi confuſione & permixtione, mox forma phyſica cum ſuis proprietatibus tanquam miniſtris & pediſſequis, à quibus nobiliſſimæ corporis phyſici actiones dependent; per has catarctica humores educunt, alexipharmaca morbos venenatos ac peſtilentes profligant, venena pleraque naturam deſtruunt, per has corpora quæpiam effectus ſtupendos producunt, his torpedo animum piſcatoris ſtupefacit, remora navem ſiſtit, lapis hæmatites, jaſpisvé ſanguinem, Pulvis denique ſympatheticus vulnera ſanat. Has veneramini, ô medicaſtri, qui phyſicæ lumen aſpernantes in medicina poſtmodum cæcutientes, monſtra & Chimæras cimmerias parturitis, imaginationeque ruſticâ rationes, quas nec vos ipſi nec alius intelligit, effingitis. Illæ ſunt quæ formæ ſubſtantiali cujuslibet corporis famulantes actiones edunt, quas à qualitate occulta, à forma occulta, à vernacula totius ſubſtantiæ proprietate produci dicitis, ſi per formam veſtram occultam proprietatem intelligatis, cur in certis tantum agẽtibus eam agnoſcatis non in omnibus? an quod in aliquibus tantũ ſenſui pateat nõ in omnibus? manifeſtè erratis: vix enim plus jam in uno quàm in alio corpore reperietis. An effectũ unius magis ſenſu dignoſci, quàm alterius reponetis? verùm & hìc turpiter erratis,

ſiquidem mihi tam conſtat ferrum attrahi à magenete, torpedinem piſcatoris manum ſtupefacere, quàm lapidem deorſum moveri, ignem ſurſum; tam perceptibilis effectus unus eſt quàm alter. Denique cur intellectum & voluntatem formam occultam non vocatis? magis enim ſub ſenſus cadit magnetem agere in ferrum, quàm vos intelligere velle, quæ omnia effectus ſunt proprietatum nobiliſſimarum animæ rationalis, motum enim ferri intueor: mentis veſtræ actionem quis ſenſus percipiat?

Objiciet quiſpiam naris acutæ cenſor; Effectus quos formæ occultæ tribuimus, magni ſunt, nobiliſſimi ſunt, adeoq; principii ſui præſtantiam extollunt, cùm nobiliorem effectu cauſſam eſſe oporteat.

Reſpondeo ita eſſe: ſed te per hoc formam occultam minimè vindicare: quod ſic patefacio, forma tua occulta nunquid accidens eſt? (neque enim te per eam formam ſubſtantialem intelligere putem) ſi accidens eſt, materiale eſt, ſi materiale eſt, ipſâ formâ phyſicâ ignobilius eſt, adeoque nec proprietatibus potentiisvé ejusdem nobilius: hæ etenim in corpore phyſico primas inter accidentia tenent; quod ut clariùs & craſſiùs exponam, materiam primam aulæ cuipiam compara, diſpoſitiones ſupellectili, formam phyſicam Principi, proprietates ejus & facultates, miniſtris procrribusvé, quibus functiones ſuas nobiliſſimas exercet; non ſecus ac monarcha, qui per regni ſui primates varia obit munia, atque officia: quo autem nobilior & perfectior forma ſubſtantialis, eo nobiliores & efficaciores ſunt ejusdem potentiæ, & facultates; & in quas ejus virtus redundat, quemadmodum principis potentia in miniſtros. Hinc inter omnia corpora phyſica homo cæteris præſtat, animâ ſcilicet & virtutibus ejus, non materiâ; quam cum reliquis communem habet: hinc inter inanimata ſublunaria, mineralia excellunt, qui forma phyſica eorum de natura aſtrorum, à quibus procreantur, non mediocriter participant, effectusq; ſimiles emittunt, cùm virtutes & facultates affines gerant:

Sapè patris mores imitatur filius infans,
Qualis erat mater, filia talis erit.

Itaque ſi influentias cœleſtes agnoſcis, & earum præſtantiam, quid eſt per Apollinem, quod actionem in diſtans Pulveris Sympathetici exſibiles? Evibrari ab aſtris à ſuperficie concava cœli Saturni ad centrum mundi actiones, ſi phyſicus es, negare non potes: ita propagari à corpore virtutibus cœleſtibus imbuto, ad 600. milliaria, & ampliùs actionem mirari non debes.

CAPUT VIII.

Principium actionis Sympathetica, eſſe facultatem ab aſtris impreſſam, & influentiis affinem.

DIces forma ſubſtantialis corporum cœleſtium infra concavum lunæ non reperitur, utpote extra locum naturalem, & ut in loco naturali eſſet, nunquid abſurdum, aſſerere formam cœleſtem in materia ſublunari ſubjectari, formam corporis ſimplicis informare mixtum?

Reſpon-

Respondeo, non esse novum corpus physicum extra locum naturalem, conservari, ut patet in igne, & aliis elementis, quæ extra locum suum naturalem sese tuentur: neque esse magis absurdum asserere formam cœlestem, quæ materialis est, informare materiam sublunarem, quàm animam rationalem, quæ immaterialis est, corpori humano conjungi, ac inibi functiones nobilissimas exercere. Deniq; id quod objectas, tanquam verum supponam; opinionem tamen meam nequaquam destrues: dicam enim formam substantialem mineralium proximè accedere ad naturam formæ cœlorum, & ob affinitatem facultates non absimiles usurpare, quibus actiones præstantissimas edat. Patet in animalibus, quorum perfectiora ita agunt, ut ea intelligere, ratiocinari, & aliis officiis soli homini propriis fungi existimaveris. Simia, canis, elephas, aliaque hujusmodi, suos discursus habent, quibus satis testantur se animâ mortali, immortali, licet multo ignobiliore, vivificari; attamen præ cæteris formis sublunaribus ad illam aliquo modo accende.

Dicam præterea ab astris imprimi corporibus physicis vim sympatheticam, & antipatheticam, quam in certa corpora sibi constellata torquent eaq; vel destruunt, vel recreant, & ut exemplis innumeris parcam, cur olea & quercus, vitis & brassica tantâ contrarietate diffident? quid est quod hominem primâ fronte visum tibi invisum reddat, vel amicum? quid est quod certas viri puellas depereant, minùs lepidas, minùs formosas, nec nisi naturâ repugnante ab iis avellantur, alias aspernentur, & lepidissimas & formosissimas: cur nonnulli hominum sibi minimè obnoxiorum consvetudinem non fuerunt, eosq; innato quodam odio prosequuntur; ut Martialis Sabidium, quem sic alloquitur:

Non amo te Sabidi, net possum dicere quare,
Hoc tantùm possum dicere, non amo te.

Cur alii à brutis quibusdam, rebusvé inanimatis abhorrent, alii mutuo amore ardescunt? Sympathiæ & antipathiæ id imputandum, à syderibus in ortu prædominantibus derivatæ; quod versu hoc asserit Poeta Lyricus: *Utrumq; nostrum incredibili modo consentit astrum.*

CAPUT IX.

Objectiones ex Sennerto discussæ & refutatæ.

SEnnertum in auxilium vocabis, & iis quibus Unguentum armarium impugnat rationibus me appetes: certamen non detrecto, quamvis viri doctissimi scripta venerer, mihi decori erit à tanto archiatro superari, nec ipsi decori fore putem, à me refutari. Verba ejus hæc sunt in tractatu de Ungvento armario.

Cum res inter quas est actio, non omnes corporibus sese contingant, ut alio modo se contingant necesse est, vel enim res, quæ in distans agere dicuntur, aliquid de suo corpore & substantia emittunt, quod effluvium antiqui vocabant medici, ubi scilicet minutissimæ partes, & atomicæ corpore effluunt, & mediante vel aëre vel alio corpore, ad aliud corpus transferuntur; alia verò corpora, quæ in distans agere dicuntur, nihil de suo corpore, sed speciem emittunt: quo modo per species sensibiles, lucem, formam, odores, corpora etiam distantia afficiuntur.

Illos duos modos, quibus agens attingere dicis patiens admitto & assero per efflu-

vium sive aporrogam corpus, agere in distans, sic & per species: sed tertium addo, quē per irradiationem vocare poteris; sic sidera, & elementa agunt; sic pulvis sympatheticus: non enim priori modo sol lumen ejaculatur; siquidem neminem esse arbitror, qui solem emittere ex se substantiam quandam opinetur, neque secundò: quis enim physicorum dicet solem producere lumē per species? sanè vel nescis quid sint species, vel eas cum omni forma turpissimè confundis, cedo itaq;, quid per species intelligas? an quamlibet formam? termino abuteris, nam calor & lumen apud nos species non sunt nisi hoc sensu; neque apud Aristotelicum ullum: ponit enim Aristoteles species in prima specie qualitatis, calorem & lumen in tertia. Deinde quis in bona Philosophia dicet ignem producere calorem per species, solem illuminare aerem per species à se emissas; non autem per lumen à luce derivatum: si lumē illud speciem vocem, iterum dico termino abuteris, & malè negas pulverem agere per species: nam hoc sensu etiam species ab eo emanabunt, nec mihi repugnat Sennertus, qui subjungit: *Simplicibus enim quibusdam, & rebus naturalibus non arte compositis, natura vim species ejusmodi emittendi dedit*: Pulvis enim noster simplex est, non arte compositus: si compositus foret, ostenderem etiam ab eo emitti posse species, quas in Unguento Armario requirit.

CAPUT X.

Cur Pulvis applicetur linteis, non parti affectæ?

SEnnertum rursus obtrudes, & ipsius verbis dices: *Causa etiam reddenda est, cur in pixide non idem præstet quod telo inunctum.* Rationem reddo, quia plurima agentia physica requirunt aliquid quo determinētur ad productionem talis vel talis effectus: neq; priùs agent quàm omnibus ad agendum requisitis munita & instructa sint, physici causam sine qua non vocant: quæro ex te, cur polus non agat, in ferrum, nisi magnete illitum? cur torpedo non stupefaciat piscatoris manum, nisi apprehenso hamo? sympathia ergo quam habet sangvis eductus cum parte affecta, & cruore in ea contento, allicit & determinat Pulverem, ut vires exserat, easque in partem læsam detorqueat. Iterum cum Sennerto replicabis: *Si sanguinis beneficio, vis medicamenti ad vulnus defertur, cur non etiam aliarum, in quas è vulneratis sæpè sangvis effunditur, vires ad vulnus deferret?* Quia pollet medicamentum hoc facultate peculiari reliquis denegatâ: quære, cur cætera corpora ferrum non æquè attrahant ac magnes, eâdem ratione tibi satisfiet. Denique. *Si medicamentum hoc vel temperiem vel calorem innatum partis conservandi & fovendi, vel excrementa exsiccandi sic haberet, commodiùs eam exsereret ipsi vulneratæ parti, quàm telo junctum.*

Cæcitatem! quid magis usitatum aqud physicos quàm agentia quædam requirere medium, per quod agant in patiens, alia destruere nimis approximata, quod remota fovent, & conservant?

Hoc dicent teneri tibi puelli,
Quos distans reficit calore flamma
Vicino, cruciat nimis propinquo.
Hoc ancillula servulusque dicet,
Quorum luce faces propinquiore
Offuscant oculos, fugantque visum,
Distanti recreant, juvantq; visum.

Cernis

Cernis quàm parum solidè cum Sennerto argumenteris, dum axioma hoc lippis & tonsoribus notum ignorare videris. Sensibile positum supra sensum non efficit sensationem; verùm ad has rationes nequaquam recurrendum intelliges, si quæ de facultatibus medicamentosis supra diximus, paululùm repetiveris: fecimus enim triplicem facultatum classem in quoquo medicamento, à quibus effectus diversissimi procedunt; ita à facultatibus catarcticorum, alexipharmacorumvè primis & secundis, effectus exsurgit, longè alius ab effectu facultatis tertiæ. Pulvis quoque sympatheticus parti læsæ applicatus, qualitates primas & secundas exserit nimiùm intensas, iisque subjectum mordacitate afficit, quod dissitum suâ proprietate amicâ reficit & sustentat: agit, inquam, Pulvis hic linteis applicatus facultate tertiâ tantùm; non primâ, nec secundâ, quarum energia ad partem læsam non pertingit, nisi eam proximè attigerit.

CAPUT XI.

Quid agat pulvis Sympatheticus in parte læso?

Cum vulnus sit solutio continui, quidquid in ejus curatione medicus intendit, est, partes divisas unire, opitulantibus hisce quatuor auxiliis à Galeno subministratis, *Art. Medicin. cap. 85.* Primum est, *applicare distantium partium extrema*; secundum, *quæ in unum coacta sunt sic conservare*; tertium, *cavere ne quid laboris vulneris intercidat*; quartum, *ipsam partis substantiam conservare salubrem.* Tria priora absque medicamentorum ope, sola medici solertia præstat, ultimum proprietate sua Pulvis sympatheticus: tuetur enim temperiem partis; quô fit ut alimentum proprium concoquat, quod aliàs malè digestum, & alteratum in pus abire solet: natura autem quamdiu crasim retinet, per se sufficiens est, ut vulnus glutinet, teste Galeno, *cap. 85. art. medic. Coalescere*, inquit, *facit ea quæ distant invicem, ac pristinam restituit unionem ipsâ naturâ.* Patet in corporibus quibusdem robustis, & probe temperatis, ubi vulnera nonnunquam absque medicamenti subsidio sanantur. Circumforanei deinde, qui peripateticam hujus sæculi exercent medicinam, vulnera simplicia exiguo temporis intervallo profligant, & miracula credulis vulgi auribus venditant suis unguentis, & balsamis vulnerariis, quæ statim ab inflicto vulnere tepenti adhuc parti opponunt, priusquam à temperatura recesserit, aerisve ambientis injuriis lacessita caloris innati jacturam fecerit: nec indigniùs medicinam exercent, quàm barbitonsores quidam, qui in omni vulnere etiam minimo, suum digestivum depromunt: cujus ego (utpote medicamenti svavissimi & tutissimi) non usum, sed abusum vitupero.

Oppones vulnera simplicia solam conglutinationem requirere; ac proinde facillimo negotio sanari posse: cava autem, sive composita, quæ ultra unionem, cavitatis repletionem postulant, medicamentis profliganda, quæ diversis facultatibus polleant, nimirum digerentibus, detergentibus, sarcoticis, & epuloticis. Succenset *Gal. l. 3. de meth. med.* ubi dicit, *Si vulnus cum cavitate adsit, erit duplex affectus, nempe ulcus*

quod

quod est solutio unitatis, & cavitas, ac proinde duplex proponitur ejus curationis scopus; nempe ut inducatur cicatrix & impleatur ejus cavitas ; quod uno eodemq; medicamento præstari non potest, cùm alio caro generetur, alio cicatrix : nam, ut asserit idem Galen. *Carnis productivum medicamentum facultate extergendi opus habet : glutinatorium certè nec detergit, nec expurgat ; sed contra prorsus substantiam omnem in idem cogit.* Respondeo : nos uti medicamentis carnem procreantibus, & glutinatoriis, non quòd iis caro producatur, aut unio, sed ut naturæ opitulemur, & ut his pars affecta firmetur, istis excrementa, sordesq; eluantur, quibus carnis generatio impeditur : quæ si natura crasi suâ polleat, facillimè à se propellet, ac motu proprio ad curationem tendet. Testatur Galen. eodem quo eum citas loco : *Scire autem oportet* (inquit) *generandæ carnis materiam, sangvinem bonum existere ; opificem verò, atq; authorem naturam illius videlicet corporis cui caro superinduci debet.* Quid magis opinioni nostræ congruum dici potest? requirit tantùm Galenus temperiem partis, & sangvinem bonum, & ego idem : illam à Pulvere Sympathetico protegi, ac restaurari censeo ; hunc ab illa & à corporis læsi euchymia dependere. Hinc infero non temerè vulnera pulveribus, potionibusq; interdum curari, quæ facultate diureticâ massam sanguineam expurgant, & vi naturæ amicâ partis læsæ intemperiem arcent.

Objicies ; Ex dictis Galeni sequitur naturæ imputandam curationem, non Pulveri. Respondeo, & naturæ & Pulveri eidem auxilianti : rarò enim, & non nisi in certis corporibus optimè habitis, læsæ partis temperies, ac robur persistunt post vulnus inflictum ; quæ à calore innato, & spiritibus insitis foventur effluentibus solutione continui : His autem deperditis, ut in pejus ruat temperatura, necesse est ; nisi ab alicujus medicamenti viribus fulciatur. Nec inficior eam in corporibus nonnullis integram permanere, & curationem sine medicamine moliri : at quàm rarò? & quàm lentè? & in quantulis vulneribus? Pulveris verò adminiculo sublevata, sæpissimè, citissimè, & in vulneribus quæ à topicis irritãtur, interdum potiùs, quàm reficiantur: quemadmodũ ego nuper, & alii nõ mediocris auctoritatis viri centies experti sumus: Quomodo autem calor naturalis medicamenti hujus ope protegatur, ac dolor partis læsæ leniatur, sequenti tractatu enodabo : quem zoilis & obtrectatoribus præparo.

Habes hîc, Lector amicissime, meam de curatione sympathetica mentem ; calumniari nolis injuriis siquidem absentem lacerasse, imbellis est, & effeminati. Si tibi ad refellendum est animus, stylum acue, & dissertatiunculam hanc meliùs dictis, non maledictis expunge; responde, inquam, ut labem eluam : honori ducam à te redargui, cùm in ætate verser, ad discendum, magis quàm ad docendum idonea. Non primo vera, sed probabilia jacto ; si segniùs quà par est discussa, habe gratiam, quòd prodesse & placere studuerim ; erit forsitan quispiam melioris genii, cui quod exsibiles, arrideat, quod deprimis, extollat; & Horatianũ hoc pro me citet

Nihil est ab omni
parte beatum.

Ad ERYCIUM MOHYUM, Pulveris Sympathetici propugnatorem.

Quis metuat rapidos nitrati Pulveris ignes?
Queis vomit horrisonos ænea bomba globos:
Jam majus terris munus concessit Apollo,
Mulciberi ingratum quo superaret opus.
Quod magis est: hoc docte Mohy, *tibi consignavit,*
Ne sua, te in nihilum vindice, dona ruant.
Magna dedit fateor, Titan mortalibus ægris;
Tanta tamen sine te munera, nulla forent.

P. G. L. V. L.

ROD. GOCLENII TRACTATUS DE MANETICA VULNERUM CURATIONE, CITRA ULLAM superstitionem, dolorem, & remedii etiam applicationem,

Mirandarum & in Natura hactenus occultarum rerum causas patefaciens.

Nobilissimis, Magnificis, Strenuis, ac literatissimis Dominis,

D. CONRADO A THANN,

in Romersgehaich & Wordt, Sacræ Cæs. Majest. à Bellicis, & Reverendissimo Abbati Fuldensi à secretioribus consiliis, Præfecto simul Bruckenoviensi, Liberæ item Nobilitatis Francicæ ad Rhonam & Werrum Capitaneo:

Nec non

D. GEORGIO FRIDERICO A THANN,

in Kotla, Bouchoniæ Consiliario provinciali, Dominis suis perpetuò observandis.

Rod. Gocl. Med. D. precatur felicitatem summam.

QVâ fiducia Nobiliss. & Magnifici Viri, huncmeum de Magnetica vulneris curatione (quam impostoriam multi rerum naturæ ignari putant) tractatum, una cum oratione de luxu in conviviis nostri seculi, vobis prudentia, eruditione, virtute, splendore gloria, opibusq; ac autoritate florentibus, ausus sim asscribere, & in tutelam vestram tradere, non immeritò miramini. Sed mirari desinetis, si virtutis & humanitatis me vestræ famâ, cujus laudatissimos passim habetis præcones, persuasum ad id esse, intellexeritis. Quanto enim desiderio & amore literarum ducamini, quanti Musarum sitis Mecœnates, quam benevoli, propensi, humani & benefici erga singulos, qui in humaniori literatura excolenda omnes ingenii nervos intendunt, nunc dicere non est meum, & dissimulare id potius malo quam scribere, ne adulando placuisse velle videar. Ut igitur monumentum aliquod extaret publicum gratitudinis illius, quam Musæ & Minerva vobis debent, eoq; magis magisq; ad juvandam & promovendam rem literiam excitari possitis, non alienum ab honestate & philosophica verecundia esse duxi, hunc tractatum, multa in naturæ majestate recondita & à senibus remota, continentem, una cum annexa oratione, illustri vestro nomini dicare & consecrare, rogans ea, qua decet, observantia, ut eum serena fronte accipere, animo benevolo conplecti, auctoritatis vestræ præsidio contra virulentũ Momi morsum tueri, me vero favoris & benevolentiæ vestræ aura afflare dignemini. Ego vicissim omni officiorũ genere nomini, laudi & honori vestro, quantum potero, studebo. Faxit Deus, ut vestra Dignitas literis sit ornamento & præsidio quam diutissimè. Marp. 1612. 28. Octobr.

TRACTATUS De UNGUENTO ARMARIO.

Quoniam vetus ac laudabilis inclitę hujus Academiæ mos eſt, auditores longe clariſſimi, ut qui in Profeſſorum Collegium cooptantur, ii profeſſionis ſuæ ſpecimen aliquod proferant, vel de materia commiſſæ Spartæ conſentanea Orationem habeant, non fuit mihi faciundum, ut hoc optimum majorum inſtitutum ex honeſtiſſimis cauſſis rationibusque profectum, à me neglectui habitum videretur.

Sed putavi officii mei eſſe, ut priùs quædam perorando præfarer, quàm ad demandatũ mihi publicè docendi munus me conferrem. Etſi autẽ non fortè hic alienum, phyſicam ſcientiam ab antiquitate, dignitate utilitateq; cum ſumma jucunditate conjuncta, cõmendare, tamen quia de his alibi ſępius à doctrina judicioque me longè ſuperioribus eruditè multa dicta eſſe ſcio, neminem quoq;, niſi cyclopicæ planè ruditatis, fore exiſtimo, qui de phyſicæ antiquitate ac utilitate ſit dubitaturus, quæ etiam eſt tanta, ut neq; Theologus, neq; Juriſperitus, omniũ verò minimè Medicus eâ carere poſſit, ut non niſi à Pericle laudanda videatur, qui eam ab Anaxagora traditã percepit, & illius beneficio ſplẽdidior in dicẽdo extitit, omiſſis jam, inquam, iis, quæ de Phyſicæ utilitate in medium afferri poſſent, quæſtionem unicam, quæ multorũ ingenia hactenus torſit, & etiã nunc fatigat, ex intimis naturę penetralibus ac latebris depromtam, quantũ quidem à me fieri poterit, in præſentiarũ explicabo, perſuaſum habens, ex ea admirabilem naturæ & penè incredibilem potentiam atq; majeſtatem ſatis ſuperq; apparituram. Vos auditores, dũ in tam vaſtũ pelagus navigo, veſtrę clementię ac benevolentię aurâ me ſublevate & benignè proſequimini, magisq; ex voluntate dicentis, quàm ex ipſa re & forma æſtimate, & ſi forſan à ſcopo aberravero, tempori novercanti, quo ab ejusmodi exercitiis abfui, amanter aſſcribite.

Quæſtio autem, quam tractandam ſuſcepi, verſabitur in eo potiſſimùm, an unguentum armarium, quo etiam unum, duo vel plura miliaria vulneratus abſens ſanitati reſtituitur, telo ſeu inſtrumento, quo vulnus inflictũ eſt, eo tantum delibuto, cauſam habeat in natura, an verò impoſtorium ſit, vel veneficum? At principio quidem nõ poſſum hîc non meminiſſe, quod, cùm eſſem in Suecia apud I.L. quendâ & Generoſum Dominũ, duo ex ipſius miniſtris poculis invicẽ certantes à verbis ad verbera devenirẽt, alterq; alterius femur dextrũ cultello ſatis profundè punctim vulneraret. Cumq; Chirurgus haberi protinus non poſſet, erat enim aula ab urbe remotior, ecce uxor Generoſi illius Domini Fœmina nobiliſſima, naturęq; rerũ nõ ignara,

non applicato remedio ipsi vulneri, ullum citra dolorem id curavit, cultello tantùm, quo vulnus erat inflictum, peculiari unguento delibuto. Et vulgi experimentum notius est, cùm aculeos vel clavos pedum plantis infixos detrahunt, lardoque elixo immittunt, & ita partem sauciatam seu vulnus absque inflammatione & dolore consolidant. Quæritur, quid causæ habeat in natura actio hæc admirabilis? Non desunt & inter eruditos quidam, qui naturaliter id fieri posse planè negant. Alii astruunt, vulnus quidem ipsum naturaliter curari, ceremonias autem magicas esse, impostorias, ludicras & ad speciem confictas. Verùm cùm ab illis etiam frequentissimè istam adhiberi curam sciam, qui religiosissimi & re & fama essent, & nullum nec dicto nec facto in divina oracula fiat delictum, nondum video, quomodo, superstitio vel impostura hîc locum habere possit.

Superstitio quid? Superstitionem enim quamcunque deliram esse & inanem religionem in confesso est, quotiescunque scilicet homo dicit vel facit boni consequendi vel mali cujuspiam vitandi causâ, quod neque naturalem neque præternaturalem vim habet ad effectum intentum, ut si quis in flumine seminet, vel littus aret, dicendus esset operari vanitatem, quia seminandi & arandi finis est messis, quem finem hæc ejus actio consequi nequit. *Exempla veræ superstitionis.* Sic superstitione & vanitate non caret, balnea adhibere in vigilia nativitatis contra febres & dentium dolores, non comedere carnes in die nativitatis Domini contra febres, morbum caducum pellere prolatis gestatisve his carminibus:

Caspar fert Myrrham, thus Melchior, Balthasar Aurum,
Hæc tria qui secum portabit nomina Regum.

Dentium item dolores mitescere, si quis, dum sacrum fit, dentes contingat, hæc efferens verba, os non comminuetis ex eo. Et id genus alia, quæ absque superstitione aliqua adhiberi non possunt, quia scilicet non eruuntur ex signis & notis naturalibus, à natura ad significandum aliquid destinatis, ut ita dixisse non liceat, cur & unde creditas habeant vires. Ac ejusmodi anilium deliramentorum exempla ubique terrarum occurrunt ferè quotidie, quæ lubens silentio prætereo, ut vana, enim & superstitiosa ab instituto nostro prodigiosæq; naturæ limitibus sunt arcenda. In unguento autem armario actionem in lucem prodire sine ulla superstitione, fuco & impostura, tum ex ipso operandi modo, si quis scilicet eo utatur, tum ex iis etiam, quæ à me in medium proferentur, innotescet. Nullæ hîc audientur nugæ, nulla ænigmata, nulla commenta, fabulosum nihil, insulsum nihil, sed augustissimæ naturæ Magnalia omnem ferè fidem excedentia, etiam vel maximè ob causam non occultanda, non reticenda, quòd ad summam Dei potentiam ac sapientiam laudandam venerandamque nos sint excitatura. Itaque in intima naturæ latifundia nos demit-

demittemus, aliamque quàm superstitionis prætextum exquiremus, eruemusque causam, cujus inquisitio, quæ difficultate non caret, & à plerisque ignoratur, ex sequentibus petenda est principiis.

Omnibus & cunctis universis rebus congenitam quandam inter se esse consortii aut dissidii proprietatem, quâ citra visibilem contactum mutuò alterantur & afficiuntur, experientia testis est, & qui negat,

Ostendi Solem postulat ille sibi.

Harum qualitatum viriumque abstrusarum ac in naturæ majestate penitus occultarum exploratio & cognitio, magia naturalis est: ex Sympathia rerum orta, quarum consensum dissidiumque qui noverit, Magiæ dicetur peritus, iisque utens occultè, admiranda potest producere & incredibilia vulgo, ut non nisi auxilio dæmonum talia facta esse putentur, propterea quòd modus efficiendi non utique est manifestus. Est enim hoc mysterium aliud nihil, quàm Sympathiæ Antipathiæque superiorum & inferiorum scientia. *Magia naturalis.*

Sympathia mutua quædam consensio est inter res physicas, quâ se amicè amplectuntur: alii compassionem vocant. Galenus 5. de simpl. med. c. 5. utitur nomine amicitiæ Plin. l. 37. cap. 4. vocat concordiam Cic. de fat. gravissimis verissimisque verbis convenientiam naturæque continuationem, licèt enim dissita sunt ferri & magnetis corpora, ita tamen natura in iis continuatur, ut etiam conveniant in unum. Idem naturæ cognationem dixit. Bapt. Porta consensum: alii concentum & symphoniam per Metaph. alii naturalis benevolentiæ nexum. Antipathia rerum mutua quædam affectio est, quâ se aversantur. Gal. & Plin. pugnantiam vocant atque discordiam: alii dissensum, inimicitiam, dissidium, simultatem: qui verò etiam per qualitatem infestam eam definiunt, quâ mediante mutuis ac cæcis dissidiis se res naturales quædam afficiunt, non procul à veritate recedunt, ut nec hi, qui resistentiam, quæ videlicet resistit vel impedit, ne actio ab agente in patiens possit introduci. *Sympathia quid?* *Antipathia.*

Quemadmodum igitur ex Sympathia superiorum & cœlestium virtutum oritur attractio, & in locum terrenum inferioremque deductio, ita ex Antipathia resistentia. Unde Platonici Magiam vocârunt attractionem unius rei ab altera, ex naturæ quadam cognatione ortam. *Virtutum attractio & deductio unde?*

Jam verò mundi hujus partes omnes, ceu unius animalis membra, ab uno pendentes authore & principio, unius naturæ conjunctione invicem copulantur, ideò, sicut in nobis cerebrum, cor, pulmones, jecur, & reliqua à se trahunt invicem aliquid, mutuòque se juvant, ut uno illorum aliquo patiente compatiantur, ita etiam ingentis hujus animalis membra, id est, omnia mundi corpora connexa similiter mutuant invicem naturas & mutuantur, & ex communi hac cognatione communis nascitur amor,

& ex amore communi communis attractio. Hinc Magnes ferrum, Sol flores multos ad se trahit, hinc plantæ Heliotropiæ ad Solis, Selinetropiæ & Lunisequæ ad Lunæ motum vertuntur.

Cur magnes trahat ferrum?

Quamobrem in terra aspicere licet quidem Solem, Lunam & reliqua, sed pro qualitate terrena, in cœlo autem & lapides, & plantas, & animaliũ, sed pro natura & modo cœlesti, ut ita in infimis suprema, & hæc in illis sint agnoscenda & quærenda. Fatali enim lege Deum sancivisse, ut inferiora supernis ancillentur, formamque unicuique suam sidereo lapsu viribus cumulatam immisisse, & ne continua desisteret rerum procreatio, singula semen proferre jussisse, ut quæ mutationibus obnoxia essent, continua serie & lege generarentur ac corrumperentur, nemo inficiaturus est, nisi sacris pariter & profanis monimentis contradicturus, naturæq; ordinem destructurus, ut ita spectabilem illam in animalibus, mineralibus & vegetabilibus Sympathian ac Antipathian non aliunde dependere, quàm ex cœlesti syderum influxu impressio; neq; pro uniuscujusq; speciei constitutione, individuis vel omnibus, vel pro singulari complexionis gradu aliquibus tantùm speciei ejusdem congenita, omnino statuendum sit. Unde cùm Sapphirus oculos non lædat, repertus tamen unus est, qui primâ applicatione aciem visus obtudit. Et in Austria Gemelli solis objectis ad januam corporis lateribus seras aperiebant, quod certè admiratione non caret.

Sympathia ac Antipathia rerum unde?

Modi, quibus res naturales invicem affinitatē vel copulam nanciscantur.

Verùm quibus mediis res quędam naturales sibi copulentur invicē, difficilè est hîc dicere ex Philosophia communi. Quod enim alteri conjunctum est, aut est ejus essentia, aut essentiæ proprietas, aut inest ei ut forma subjecto, aut id attingit, vel sicut transmutans, id quod transmuattur, vel sicut ars subjectam sibi materiam. Moses dilucidè quinq; invicem connexa expressisse videtur. Cœlum & terram, terram & inanitatem, abyssum & tenebras, Spiritum Dei & aquas, lucem & corpora. Primus igitur connexionis modus designatur per terram inanem & vacuam. Vacua enim & inanis terra est materia sua, nisi formis aliunde adimpleatur.

Secundus connexionis modus per tenebras significatur super faciē abyssi.

Tertius per lucem corporibus obortam.

Quartus per cœlum & terram, illud enim huic conjungitur ut efficiens patienti, & transmutans causa corpori transmutando.

Quintus per Spiritum Domini.

Sed videamus, quomodo hæc se habeant in nobis. Terra terrenum corpus est, inane vita, vacuum sensu, superque ipsum sunt tenebræ, torpor, mors, insensatio, immobilitas.

Lux vita est, quæ illud vegetat, movet, excitat, sensuque reddit præditum.

Cœlum animus est & fons illius lucis.

Spi-

Spiritus Dei intellectus est, lumen divini vultus. Ratio igitur hujus connexionis & consequentiæ est, corpus esse inane ex se, suas habere tenebras, tum proximè jungi luci, per lucem connecti cœlo, per cœlum substantiæ spiritali, ut videre est ex sequentibus.

Abyssus.
Tenebræ.
Inanis vita. Terra, vacua sensu.
Lux *Vegetans*, *vitamq; reddens.*
Cœlum lucis fons,
Spiritus.

VIden', quo ordine res creatæ affinitatem invicem consequantur? Viden' naturalis benevolentiæ nexum ac copulam? Ecquænam verò hęc philosophia est, inquit aliquis? Non certè vulgaris illa, quæ ex sensu, materia, & qualitatibus manifestis omnia dijudicat, sed cœlestis, abstrusior scilicet & profundior.

Inter corpus & animam substantias longè invicem distantes, opus certè fuit medio vinculo, quod tàm distantes naturas invicem copularet, cui muneri delegatum est tenue illud & spirituale corpusculum, quod & Medici & Philosophi Spiritum appellant. Hunc Spiritum copulantem diviniorem esse quàm elementa, cœloque respondere proportione, ipse Aristoteles scribit: Et quemadmodum omnis cœlorum virtus vehiculo lucis transfertur ad terram, ita omnis animi potestas, vita scilicet motus & sensus lucido Spiritu intercedente, ad corpus terrenum commeat & transfunditur. Ut autem ea, quæ dixi, majorem mereantur fidem, memorabilia quædam Antipathias ac Sympathias exempla ex non levis autoritatis autoribus in medium sunt producenda. Quod dum facio, rogo, ut audiar benignè & cum attentione.

Ac primò quidem spectabilis Antipathia in venenis cernitur. Non enim omni veneno, teste Gal. l. de antid. quodlibet adversatur antidotum, ut enim sua cujusq; veneni species, ita sua cujusq; est antidotus. *Illustria Antipathias exempla.*

Contra Toxicum Scytharum, quod constabat sanguine humàno & sanie viperinâ, quo sagittas & tela inficiebant, irremediabile scelus, mortem levi tactu accelerans, Cantharides peculiarem habere vim traduntur, quibus si adversùs alia venena quis uteretur, nihil certè efficeret, testante eodem l. de antid. cap. 29. Paulo Æginetha l. 5. & Dioscor. circa lib. 6. initium.

Pastinacæ marinæ, seu Trigonis radio super caudam eminente nullum usquam est venenum arboribus execrabilius, radici enim infixum eas enecare, armaq; ut telum perforare, vi ferri & veneni malo, Plin. l. 9. cap. 48. autor est.

Aco-

Aconito Rutham adversari maximè idem l. 20. c. 13. Laserpitium telorum & serpentum venena extinguere l. 22. c. 23. adamantem venena facere irrita madendo, lymphationesq; abigere l. 37. c. 4. prodidit. Et autoritati suffragatur experientia. Scribit Galenus l. de theriaca ad Pison. trifolium coctum demorsis à vipera impositum dolores tollere: at sano cuipiã impositum dolores afferre, quales à vipera læsi patiuntur. Scaliger exerc. 353. sect. 5. hujus secreti reddit quidem rationem, sed magis pro ingio suo subtilem quàm veram. Hæc de venenis.

Sed quid dicam de invicta illa adamantis viduarum violentissima naturæ rerum contemtrice, quæ hircino rumpitur sanguine, nec aliter quàm recenti calidoque macerata.

An non hoc præclarum naturalis dissidii specimen est? Cujus hoc ingenio inventum? quo ve casu repertum? aut quæ fuit conjectura saltem experiundi rem immersi secreti, & quidem in animalium sordidissimo nimium hirco. Numinum profectò muneris talis inventio omnis est, inquit Plinius, nec quærenda in ulla naturæ parte ratio est, sed voluntas.

Cum Magnete quoque Adamantem tantùm dissidere graves autores tradunt, ut juxta positus ferrum non patiatur abstrahi, aut si admotus Magnes apprehenderit, rapiat atque auferat.

Leo cunctis animalibus tremendus, qui nec Tigrim metuit nec Ursum, Gallum tamen his longè imbecilliorem expavescit. Quærit aliquis causam naturalem? An quia in oculis Galli est vis quædam, ut quidem existimant, oculis Leonis contraria? Certè hujus rei causam non à materia, non à sensib. licet assignare, aliàs in labyrintheas perplexitates devolveremur, sed solum ab ordinis superni contemplatione. Proclus lib. de Mag. hanc affert veritatem: Sunt, inquit, animalia solaria multa, ut Leones, Galli, luminis cujusdam solaris participes. Gallus igitur timetur à Leone, quia præsentia luminis solaris magis convenit Gallo quàm Leoni, quod inde apparet, quod Gallus quibusdam quasi hymnis applaudit surgenti *Soli*: quandoq; etiam dæmones solares visi sunt leoninâ fronte, quibus cùm objiceretur Gallus, repentè disparuerunt, quod quidem inde procedit, quia semper, quæ in eodem ordine constituta inferiora sunt, cedunt superioribus seu reverentur superiora. Hæc Proclus.

Aranei cum Bufone & Serpentibus dissidium notum est: hoste enim conspecto filo se librat in caput Serpentis porrectæ sub umbra arboris suę, tantaq; vi morsu cerebrum apprehendit, ut stridens subinde, vertigineq; rotata, nec filum desuper pendentis rùmpere, adeoq; fugere nequeat, nec finis ante mortem.

Fraxinus & Serpens. Fraxini & Serpentis Antipathia tanto experimento prodita est, ut ne matutinas quidem occidentesve umbras etiam longissimas arboris hujus

Serpens

Serpens attingat, adeoq; ipsam procul fugiat, sique arboris fronde accensa gyro claudatur Serpens, in ignem potiùs quàm in Fraxinum fugiat.

Sed ad vegetabilia pergo, inter quæ conspicua quoque & evidens simultas est. Nam Quercus in Oliveto nata fugit, introrsum commeat, & exarescit, Olea verò in Querceto radices maximè relinquit noxias, Quercusque enecat. Eadem Juglandem juxta sata aut emoritur ipsa, aut infirma semper est, aut Juglandem Nucem talem efficit. Quin & Nucis umbra omnibus satis est inimica, & quæcunque attigerit, veneno invadit illicò, nocetque stillicidii ratione. cùm humore è frondibus diffunditur.

Sic Brassicæ & Vitis odium spectabile est. Vitis enim cum intortis claviculis omnia soleat complecti, solam refugit Brassicam, nam propè eam sentiens, in adversam se torquet partem, dumque coquitur Brassica, vinumque vel si paucissimum instilles, nec coquitur, nec color ipsius constat: Ipsum verò olus cyclaminο & origano perarescit, & Vitis Lauri odore evadit deterior, cicutaque vino obtunditur.

Polipodium Cancro adeò est antipatheticum, ut hic illi admotus tum integentes crustas, tum ungues abjiciat à pedibus. Filix & Arundo in tantum sibi adversantur, ut neutra juxta se alteram ferat, unde nec in Arundinetis Silices, nec in Silicetis Arundines videntur.

Alyssum, Hypericum & Moly herbas in tantum malignis spiritibus antipatheticas esse, ut quemadmodum Luporum capita januis affixa, sic has herbas in ædibus suspensas ab hominibus & pecore, veneficia, ne fascinentur, arcere, gravissimi autores tradunt, Homer. Odyss. 10. 11. Plin. l. 28. cap. 10. Dioscorid. l. 3. c.

Unde Homerus Magiæ peritissimus Mercurium contra veneficia Circes Moly herbâ Ulyssem munivisse cecinit. Et in Historia Tobiæ, ut sacra etiam huc referamus, legitur, Angelum cordis particulam, piscis è flumine extracti, docuisse Tobiam super carbones projicere, sicque excitato fumo omne dæmoniorum genus extricari tam à viro quàm muliere. Proinde his & similibus Periaptis & amuletis, quæ ratione nituntur naturali, fides non est deroganda, de quorum scilicet substantia, profluvia inspirata vires corporis reficere, venenisque possunt resistere.

Sic Pæoniæ albæ radix & Alcis ungula epilepsiæ, semen Melanthii catarrhis antipathetica sunt; stercus Lupi doloribus colicis, non quidem ut ineptè & inscitè quidam putant, incantationis viribus, sed quòd ab illorum substantia vapores quidam velut atomi defluunt, qui inspirati cerebrum siccent, morbique causam suis viribus alterent. Unde Galenus experientiâ horum edoctus, Periaptis, inquit, hìc confidere oportet, ut substantia ipsorum, non incantationis verba, juvet l. 6. & 10. de simplic. med.

Contacta tridente torpedine marinâ, piscatoris manus obstupescere,

& Echeneida pisciculum, quamvis velocem ventorum agitatæ procellâ navis cursum sistere videmus, non quidem incantationis verbis, sed ob caussas modò commemoratas. Stupendum certè naturæ miraculum, minutissimum etiam pisciculum, qui maris & terræ portenta suâ naturâ superat, remis velisq; concitatam navim quantumvis magnam, non alio modo quàm adhærendo remorari.

Videatur Plin. l. 9. c. 25. & l. 32. cap. 1. Fertur Actiaco Marte tenuisse imperatoriam navem Antonii, properantis circuire & exhortari suos, donec transiret in aliam, ideoque Cæsariana classis impetu majore protinus venit. Tenuit & nostrâ memoriâ Principis Caji ab Astrua Antium remigantis. Quin & auspicalis pisciculus est, siquidem novissimè in urbem reversus Imperator ille suis telis confossus est. Nec longa fuit illius moræ admiratio, statim causa intellecta, cùm è tota classe quinqueremis sola non proficeret, exilientibus protinus, qui id quærerent, circa navim invenerunt adhærentem gubernaculo, ostenderuntq; Cajo, indignanti hoc fuisse quòd se revocaret, quadringentorumq; remigum obsequio contra se incederet. Constabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuisset, nec idem polleret in navigium receptus. De hoc Laurentius Lippius, Oppiani interpres, eruditè lusit his versibus:

Pellebant velis, pellebant remige navem,
Ventus erat, cœptum sum remoratus iter.
Solus ego Actiacam potui retinere carinam,
Et potui Caji rostra tenere ducis,
Semipedalis ego: quis hæc corpuscula credat
In cursu tantas detinuisse rates.

Fatendum certè, naturam hîc abstrusam, & sensibus inexplicabilem. Præter enim ea, quæ dicta modò sunt, fatale quoddam indicium & præsagium in eo observatum est, quasi futuri mali præscio periculum imminens cupienti avertere. Tenuit Legatos Periandri de castrandis pueris nobilibus, tanquam indignum judicante naturâ homini, id, quod conservationi ipsius donatum esset, auferre, idcirco navem inhibuit & à cursu revocavit. Tenuit navem Caji Cæsaris non multò pòst Romæ interfecti, condolens misero Cæsaris exitio ipsa natura cupiit ab ipso malum avertere, atq; ab infausto cursu revocare. Hæc de Echneide ferè omnia ex Plinio.

Cæterùm in experimentis est, Hirundinis cor palpitans devoratum memoriam deperditam restituere, adq; ingenium valere & intelligentiam:

Cor Turturis vivum calensq; comesum ad febres intermittentes omnes.

Anatem vivam ventri admotam compescere tormina.

Viventem Araneam juglandis testis inclusam colloq; subnexam pellere quartanam: Ranarum oculos ante Solis ortum erutos, vivis illis in aquam dimis-

dimiſſis, alligatos, ſicut & unguium præſegmina in pedibus & manibus febricitantis, cancri vivi dorſo ſuperligata, cumque eo in aquam fluentem projecta, tertianas febres:

Talpæ viventis dentem odontalgiam ſanare contactu:

Hominis calvam mederi epilepſiæ.

Oſſiculum è poplite Leporis nephritidi & ſpaſmo flatulento.

Inteſtinum Lupi colicis doloribus.

Cor Corvi geſtatum ad inhibendum ſomnum, cor Veſpertilionis ad eundem valere accerſendum:

Oſſa capitis Equæ fugare erucas palo in hortis affixa:

Graminis genus, 7. habens internodia, efficaciſſimè contra capitis dolores adalligari.

Herbam, canis urinâ irrigatam, evulſam, ne ferro tangatur, luxatis mederi celerrimè:

Florente Cicutâ & Violis, ſi qui morbi homini acciderint, quoties florere eas herbas contigerit, licèt ſanatum, recidivam tamen quandam eorum ſentire compertum eſt. Non prætereunda hîc, quæ Plin. lib. 24. c. 17. & 19. Item l. 25. c. 4. & lib. 26. cap. 4. ex Pythagora, Crateva, Democrito, Apollidoro, Cleemporo Medico & aliis recenſet, de mira quarundam herbarum efficientia ac virtute. Adamantide herba, Armeniæ & Cappadociæ alumna, admotâ, Leones reſupinari cum laxo hiatu:

Arianide, quæ in Arianis naſcitur colore ignea, collecta Sole exiſtente in Leone, ligna accendi tactu oleo peruncta:

Æſchynomenem, appropinquante carpentis manu contrahere folia.

Theangelide in Libano Syriæ, Babylone, & Suſis Perſidis proveniente, potâ, homines divinare.

Gelotophyllide in Bactris & circa Boryſthenem naſcente, & potâ cum myrrha & vino, varias obſervari ſpecies, ridendiq; finem non fieri, niſi potis nucleis Pineæ Nucis cum Pipere & Melle in vino palmeo.

Æthiopiden in Meroë creſcentem hydropicos utiliſſimè bibere è mulſo.

Ophiuſam in Elephantine Æthiopiæ conſpicuam, potam, terrorem ac metum Serpentum imprimere & quandoq; ex eo mortem, obq; id ſacrilegos cogi illam bibere: adverſari autem Vinum palmeum.

Helianthe in Ciliciæ montibus maritimis cum adipe Leonino decoctâ ac inuncta corpus aſpectu reddi jucundum ac venuſtum, Perſarum Regibus in frequenti olim uſu.

Crocidis contactu phalangia mori:

Oenotheridis è vino aſperſu omnium animalium feritatem mitigari:

Herbam in capite statuæ natam alligatam in lino ruffo, capitis dolores sedare confestim.

Herbam, quæ nascitur supra fimeta ruris, efficacissimè pollere contra anginas ex aqua potam.

Contra summa veneficia pollere Moly laudatissimam herbarum Homero, circa Pheneum & in Cyllene Arcadiæ provenientem: & Dodecatheon herbam omnibus mederi morbis aquâ potam, quæ maximam etiam à Moly autoritatem obtinuit.

Æthiopide amnes ac stagna siccari conjectu, tactu clausa omnia aperiri.

Achimenide conjecta in aciem hostium, trepidari agmina, ac terga vertere.

Lataceen, à Persarum Rege dari solitam Legatis, ut quocunq; venissent, omnium rerum copiâ abundarent.

Æmilianum Scipionem Carthaginis patefecisse portas peculiari herbâ, & pontinas paludes Æthiopide siccatas, antiquæ historiæ memorant: Et quis occulta naturæ insignia omnia attigerit? Quis verò causas hîc explicare unquam valuit? aut quæ saltem fuit conjectura omnia hæc experiundi? Verè numinis cujusdam muneri hanc inventionem acceptam ferunt naturæ Prudentes.

Physicæ ligaturæ. Atqui ex hoc fundamento pendent quoque physicæ ligaturæ, ut cum præsentia Adamantis Magnetis actionem, ne ferrum trahat, & oleum, ne succinum paleas alliciat, sistit, cohibet & ligat. Quemadmodum igitur, si alterum cum altero conspicitur habere inimicitiam ad noxas, quas illud inferre posset, usum ejus esse posse veteres pro remedio arbitrati sunt, in quo etiam successus favit conjecturæ, sic in sympathiis occulti aliquid venerari licebit, quod ad aliquod malum amovendum vel expellendum vires habeat socias. *Sympathias illustria exempla.*

Et quidem herbarum cum astris consensus admirandus spectatur quotidiè. Evidentissimum Solaris præsentiæ testimonium & documentum præbent Cichorii flores, Epaticis affectibus singulare remedium, qui Sole oriente se expandunt, eodem occidente se contrahunt.

Lupinus quotidiè cum Sole circumagitur, ita ut nubilo etiam cœlo agricolis horas monstret: similiter & Malva motui se Solis accommodat. Pulegium in coronariis florere ipso brumali die pleiadibus occiduis, quis non animadvertit?

Veratrum nigrum adulterinum, flores circa Decembris finem in viridi flavescentes proferre, conspicuum omnibus est.

Laurum & Ficum è cœlo non tangi, sicut nec Vituli Marini tergus, nec Hyænæ pellem, nec Vitim albam autores non proletarii prodiderunt,

quare

quare nautæ iis vela muniunt, ne fulmine icta deflagrent atq; decidãt. Hoc Octavius se muniebat Augustus, Lauro Tiberius Cæsar, quam pro corona gestabat, ne uterque scilicet tonitru afflaretur, non solùm enim contra fulminis impetum, verùm etiam adversùs fulminis ictum retorquentem habent naturam. Sed mirabilis est Sympathia illa inter metalla & divinam virgulam seu bifidum illum surculum ex Corylo decisum, quo metallarii venas auri argentique feraces explorant, frustra certè quis hîc ad manifestas qualitates confugerit.

Verumenimvero Orpheo, Theophrasto & Proclo judicibus, lapidibus longè efficacior cum astris & spiritibus consensus est, quàm herbis, non astrorum enim nominibus, sed animis quoque hominum imperitare videntur. Nam Jaspis non modò sacrificia diis reddit accepta, sed Achates animos conjugum conciliat, & supplices voti quoque reddit compotes. Et Lapides virtutis astrorum consortio frui, nemo inficiabitur, qui ferreum compasti perpendiculum, cujus obtutu atque inspectione naucleris velificatio perficitur, Magnete confricatum, Septentrionalis poli stellam semper spectare animadvertit, & qui Selenitin lapidem ex Arabia candidum, pro Luna incremento crescere & decrescere observat. *Ferreum compasti perpendiculum & polus arcticus.*

Turcosia gemma, quoties mutari, atque expallescere, nativoque calore destitui conspicitur in gestante vel languescente vel valetudinario? Sed magis stupendum, quòd imminens periculum coloris hujus gemmæ in fuliginosum vel serenissimi cœli contrarium mutatio, vel etiam maculæ alicujus aut fissuræ apparentia præsagire dicitur. *Selenitis & Luna.*

Smaragdum adversùs febres valere & venenum, autores non levis autoritatis tradunt, imò frangi, si à veneno vincatur, rumpi quoque in prima virginei pudoris excussione, ac quovis illegitimo coitu inquinari, nitoremque amittere, quo oculorum lassitudinem demulcere solebat. Deperit enim vis insita, omnisque nitor sordescit. Itaque dubium nullum est, invisibilem latentemque vim gemmas ejaculari atque evibrare. Licèt enim sint res solida, calor tamen nativus, & confricatio contactusq; vim eliciunt, cordique ac cerebro illam communicant. Hanc verò astrorum & lapidum Sympathian, seu convenientiam non puto quenquam fore, qui ad manifestas qualitates sit relaturus, cùm sint saltem umbræ rerum, & instrumenta organaque naturæ cujusdam sublimioris ac præstantioris, prætereaque nec odores habeant, nec colores, similesque potestates, ut ita injurius sit in naturam injusta ac fallaci quatuor qualitatum censura omnia explorare. Medicamenta quædam à similitudine prodesse, miroq; modo à morbis liberare, quotidiana documenta testantur & experimenta, ob nullam causam aliam, quam quia unum alterius anatomiam habet & signaturas. Atque huc pertinet modus demonstrandi per similitudinem, *Smaragdus.* *Exemplum Antipathias.*

quo sæpe summus rerum Creator divinas ac occultas res solet patefacere, ut supremam idearum similitudinem referant atque demonstrent.

Omnes enim herbæ, flores, arbores, aliaque ex terra nascentia sunt signa magica à Deo concessa, per quorum cognitionem ad veram medicinam, id est, signatum pervenitur. Signa igitur, quæ natura externè prodit, intrinsecæ cujusdam ac latentis virtutis indicia sunt, semperque signatum internusque nucleus per externam physiognomiam designatur. Hinc multorum morborum curatio, quia promanant ab astrali impressione firmamenti majoris mundi, non promiscuis remediis perficienda est, sed per influentiam astronomicam, id est, per ea vel cum iis, quæ analogiam habent ad majorem & minorem mundum, in quibus est vera magnetica vis firmamenti, & impressio cœlestis morbis resistendi. Hanc influentiam ac signaturam à stellarum complexu ac radiis plantis quibusdam, illis subjectis, videmus impressam, quæ in hypericone ac persicaria est evidentissima maximeque conspicua, illud enim exilibus foraminibus perforatum, hæc foliis maculâ rubentibus, ac si gutta sanguinis super ea decidisset, cernitur.

Ejusmodi quoque signaturæ reperiuntur in Aro, Dracunculo & aliis, morborum cognitioni maximè inservientes, ut ita non sufficiat Botanico naturasque herbarum investiganti, in externis signaturis acquiescere, hoc est, externa tantùm plantarum vestimenta diversoria & habitationes describere, internum autem illud principium operandique virtutem, quæ est creatoris imago creaturis implantata, somnolento & noxio præterire silentio. Omninò enim necesse est, in rerum natura dari aliquid, in quo rosa latitet hyeme, quòd scilicet elementis utcunque etiam modo corruptis, specierum signaturas inviolatas contineat, atque novorum individuorum procreationem servet incorruptas, alioquin novæ rerum species produci non possent. Id verò nihil aliud est quàm balsamum radicale, vitale, spirituale, cœleste, actionum omnium in natura principium, cui uni & soli accepta sunt ferenda, quæ nec crasi elementariæ nec sensui nec manifestis qualitatibus assignari possunt & debent. Hoc enim in corruptionibus rerum non interit, sed elementis & mixtis qualicunque etiam modo dissipatis, servatur. Sic granum, quod terræ committitur, putrescit, resolvitur, perit, ac radicale balsamum servatur, in quo totius seminis anatomia & potestas viget, novâque revolutione in mundanum theatrum progrediens novum fabricat corpus, officiis destinatis accommodatum. Hoc ipsum principium variis nominibus appellatur, ab aliis dicitur enim Balsamus universæ naturæ, sulphur vitale, radicale semen, materia prima, mumia balsamita. Delitescit autem non in alimentario, quo perfunditur humore, nec in fæculentis & crassis sordibus

Quæritur, rosa ubi latitet hyeme?

bus, ſed in excellentiori quâdam humiditate deprehenditur, quoniam externis injuriis impreſſionibusque magna vi ſolet reſiſtere, ſpecierumque ſignaturas inviolatas ad novorum individuorum productionem conſervat. In animantibus & plantis univerſam corporis anatomiam animale hoc Balſamum occupat, in certis tamen animantibus certam magis partem, ut cor, proque diverſa impreſſione, tinctura & confluentia, proprietate, & differentiis diverſas quoque producit actiones. Hujus igitur Balſami virtute plantæ quædam partesque animalium morbis quibusdam antipatheticæ ſunt, hujus inquam Balſami vi ac virtute, animalium quorundam partes corporis humani partibus ſunt ſympatheticæ, juvando illa, corroborando atque in vigore radicali conſervando: teſtatum id facit medicamentum à me confectum, liquor ſcilicet ille potabilis, cordis vitæque ſpiritibus gratiſſimus, debili memoriæ roborandæ, judicioque firmando, cerebro præterea vertiginoſo, paralytico, ac epileptico ſanando, colicæ flatulentæ ac frigidæ, nec non podagricis chiragricisque infirmitatibus & doloribus profligandis, (abſit fucata jactantia, quotidianis enim experimentis id patefactum habetur & compertum, & teſtabuntur ſanati) accommodatiſſimum.

Secretum autoris, cerebro catarrhoſo convenientiſsimum.

Hoc eſt medicamentum, cui præparando integra ferè æſtas danda eſt, omnis Vulcanicæ violentiæ, corroſionis & malignitatis expers, conſtatq; ex merè vegetabilibus, animaliumque quorundam partibus: Huic rectè concinnando nunc denuò incumbo, ut quocunq; tempore id petitum fuerit, ejus apud me poſſit eſſe copia.

Ac licèt quidam hoc meum inventum ſuperciliosâ quadam fatuitate ſibi omnia tribuentes ſint deriſuri, aliis perſuadentes, non poſſe Hippocratis aut Galeni aſſeclas, niſi ex Paracelſico aut Lulliano commentario ſapere, malo tamen ἐν τῷ ἔργῳ & experimento cum omnibus iis, qui eo ad nominis Divini celebrationem & dictorum morborum profligationem utuntur, & uſuri ſunt, acquieſcere, quàm blandis ac bracteatis, ut illi faciunt, verborum lenociniis, mundum decipere. Sed ad priora. Hoc igitur radicale principium, has, inquam, rerum ſignaturas qui neglexerit, nec intimiùs inſpexerit atque cognoverit, Medici nomen non meretur. Et certè ſi per nihil aliud, hujus tamen myſterii cognitione admirabilis in ſua arte evadit Medicus, quod Hippocrates de iis pronunciat, qui morituros & ſalvandos prænoverint.

Morbos ſingulos habere ſua ſigna morborum cognitioni inſervientia, negari non debet, eademque quoque ſigna reperiri in remediis à natura ita ſignatis, ut in totum & verè dixiſſe liceat, hic morbus eſt hujus remedii morbus, & hoc remedium eſt hujus morbi remedium, ut tuſſilago eſt remedium obſtructi pulmonis, quia gerit ejusdem ſigna, lingua

Signaturæ morborum.

cervina

cervina & scolopendrium infarcti & tumefacti splenis remedium sunt, quia splenis exhibent signaturam. Unde apparet, ex signis remediorum naturas cognosci posse, Sympathiasque ac Antipathias mysterium tum rerum tum qualitatum Medico maximo esse emolumento, proindeq; secretioris ejusmodi Philosophiæ peritos sagacesque rerum naturalium exploratores admirandas actiones posse producere.

Et quoniam modus, ut in aliis, non utique manifestus est ac evidens, sed occultatus, miraculosarum illarum actionum causam dæmonum præstigiis asscribunt imperitiores, tali scil. Magiæ, quæ Goëtia dicitur, à luctu, & dæmoniaca, est enim malorum spirituum juxta sepulcra invocatio, cujus germana soror est Necromantia, quæ ad vocandos defunctorum manes sanguinem humanum, quo dæmones effuso delectantur, vel saltem nigri pecoris cruorem requirit.

Magia vetita quæ?

His Magiæ speciebus imbuti multa faciunt, quæ nullo modo per causas & media naturalia effici potuerunt, sed necessariò referri debent ad substantiam aliquam incorpoream, quæ occultè cum ipsis magis operatur: faciunt enim statuas è ligno vel alia materia loqui, & ad propositas quæstiones respondere, moverique loco progressivo: deinde manifestant etiam quædam occultissima, & quæ humanâ eis ratione nota esse non potuerunt, ut res, quæ geruntur, vel dicuntur in remotissimis regionibus, quæque quis dixit vel fecit: Hæc autem esse mentis cujusdam sublimioris opera, quàm est humana, prædictasque operationes non perfici causis naturalibus, sed supra omnis corporeæ naturæ potestatem esse, necesse est.

Vera Magia & naturalis, quæ causis nititur naturalibus, licèt non ita sensui obviis, sed abditioribus & reconditis, nihil aliud est, quàm lapidum, quàm herbarum, quàm mineralium, quàm animalium, quàm astrorum cum his consensus vel dissidii scientia, quam exactè callere & didicisse sapientiæ opus est, legi divinæ non contrarium.

Et hanc magiam, quam omnes sapientes, rerumque cœlestium & sublunarium solertissimi indagatores semper approbârunt, ut quæ in operum Dei admirationem explorantem ducat, qui callent, multarum abstrusissimarum rerum scientiâ clarebunt, quamvis paucos hodie invenias, qui exactam hujus cognitionem habeant, nisi perditos quosdam ardeliones, qui ob pecuniæ aucupium animas dæmonibus devovent, mentiri non erubescunt, omnia se scire & præscire gloriantes, sicq; veram magiam nefandis nugis defœdantes, & cum Goëtia confundentes.

Cæterum, quod in præsenti nostro instituto minimè prætereundum fuit, non parùm enim lucis afferet & veritatis, ad mysterium nostrum ulteriùs explicandum, in experimentis non fallacibus est, operationem aliquam esse & virtutem annulorum confectorum ex auro, argento, aurichalco,

Occulta annulorum sub

chalco, aut quovis metallo, stellæ, cujus quis sibi virtutem conciliare cupit, dedicato, defixo in annuli cavitatem cum subjecta herba stellæ huic sympathetica, lapide: his enim animum exhilalari, morbosq; profligari graves autores tradunt, Trallianus, Gordonius, Mesue & alii; *certo astro sculptorum vis.*

Sic Gyges Lydorum Rex annulo suo lapidem Draconis capite exemtum incluserat, sese, Regem & astantes occisurus, ut impunè cum Regina concumberet, invisibilem reddidit. Et Alexander Trallianus Herculis imaginem Leonem suffocantis annulo inclusam colicis medere scribit. Ferunt & Eudæmum Philosophum annulos contra Serpentum morsus, fascinationes & morbos concinnâsse. Tradit quoq; Josephus l. 8. antiq. c. 2. se vidisse, præsente Vespasiano Imperatore, Eleazarum quendam de gente Hebræa, naribus cujusdam obsessi, annulum, cujus signaculo radix à Salomone reperta, erat subdita, applicuisse, dæmonemq; de naribus odorantis contraxisse, qui cùm repentè in terram concidisset, Eleazar conjurationis Salomonis Cantico dæmonium proscripsit. Idem Salomonem Magiæ fuisse peritissimum, & Mosen Hebræorum legislatorem in Ægypto Magiæ initiatum annulos amoris & oblivionis fecisse, annulumq; oblivionis dedisse Æthiopissæ, ut ipsius oblivisceretur, quo etiam facto in Ægyptum liberè ipsum remigrâsse prodidit, non quidem superstitiosâ dæmonum magiâ, cujus eum accusabant Apollonius & Lysimachus, verum à Josepho propterea refutati, sed ea, quæ per sacrosancta nomina & precationes, Angelorumq; bonorum implorationem perficiebatur. Testis Eusebius de præpar. Evang. l. 8. c. 2. Josephus contra Appion. in Act. Apost. c. 7. Plin. l. 3. c. 1. Magiam quoq; ab Ægyptiorum sacerdotibus didicisse & calluisse Empedoclem, Pythagoram, Democritum & ipsum Platonem in confesso est.

Unde non omninò vana esse elicitur, quæ de cura characteristica, quæ sculptis imaginibus & de collo appensis naturales operationes perficit per cœlestes proprietates siderum, mirabili influentia cum nostris corporibus concordantium, non, inquam, planè vana sunt, quæ antiquissimi naturæ exploratores de verbo scripto seu characteribus & sigillis, certis temporibus secundùm cœli virtutem & influxum fabrefactis, citra omnem, quam sola mysterii hujus ignorantia finxit, superstitionem, citra nominis divini prophanationem & offendiculum, ullamque fidei ac religionis violationem, literis monimentisque consecrârunt, quæ hactenus postremisque hisce temporibus occultata & abscondita delituerunt, altoque silentio compressa fuerunt, apud quosdam, qui illis sunt abusi potiùs quàm legitimè usi, cùm ad superstitiones prolapsi, primordia non intelligentes, plus iis tribuere sunt ausi, quàm rerum omnium creator Deus concessit, voluitq; esse per ea patefacta; Tantùm verò abest, ut hisce imaginibus per se virium quid tribuam, characteresq; seu nomina constellata virtutem ha- *Abusus & superstitio damnatur.*

 bere,

bere ratione figuræ, affirmem (cùm figura, numerus, magnitudo, situs, continuiq; solutio nullius sint actionis principia) ut, nisi aliud sit agens movensq;, cujus potestate characteres sunt efficaces, planè negem. Tamen invidiæ fenestrâ patefacta lucem ea videre sum passus, ut cognitio veri, quæ bonum quoddam & perfectio intellectus est, elucescat, ac clariùs cernatur, quantum inter veras & Physicas signaturas & superstitiosas ac illicitas intersit, tùm speculativè & noscendi tantum causâ, non etiam utendi semper & exercendi modo, quædam scire licitum esse & concessum. Nulla enim virtus vel in cœlo vel in terra, quæ non descendat à Deo: sic medicamenta sunt corpora visibilia, verba corpora invisibilia, sive herba sive verbum sanet, in causa est Deus, id est, spiritus Dei naturæ coadunatus per verbum Fiat. Unde ipsa herba non est medicina, sed hæc in illa latet, invisibiliter à Deo videlicet insita. Quapropter non protinus ad orcum usque sunt damnanda, insulsèque deridenda, quæ à sensibus sunt remotiora, & causas habent abstrusas. Gemmarum miracula quis non obstupescit? Plurimas certè iis inesse facultates naturales negari non potest nec debet, præsertim si certis sub constellationibus sculptæ, imaginibusq; ac signaturis impressæ fuerint & signatæ. Ac planè vanum est, quod quidam putant, effectus Gemmarum quarundam provenire vi magicâ, nec naturales esse, proficisciq; ex Magorum schola, qui prætextum suis veneficiis quærant per Gemmas certis constellationibus sculptas. Smaragdum mortui Domini digitis, quibus fuit gestatus, obsilire, cognitum est & compertum. Turcosiæ quoque vires quis non miratur? Et innumera possunt non tantùm Gemmarum, sed etiam Plantarum experimenta coacervari, quæ si non ubique & semper respondent, non arguenda ideò sunt mendacii, quia non omnia ubique & semper concurrunt, & raritas effectus seu singularitas effectus non tollit causam in natura. Rerum enim miracula perpetrantur per debitam causarum naturalium agentium cum dispositis patientibus applicationem, adeò occultè, ut causa videatur remotissima. Itaque vesanum est diabolicis machinamentis protinus ascribere, quæ à nostris sensibus sunt remotiora, non cogitantes, latentem naturæ vim, quæ divinum divinæ potentiæ est instrumentum, multum posse sine diabolorum ope & auxilio. Sic vesani sunt, qui superstitionibus dediti etiam manifestissima penè præ ignorantia aut stolida dubitatione, ex occultis prodire causis asserunt, ut in eodem vesaniæ pelago navigant, qui præter odorem, colorem & saporem nullas alias vires Plantis quibusdam inesse arbitrantur, quasi naturalis illa cœlestium cum elementaribus conspiratio efficere non possit, ut præter qualitates primas tactiles & sensuales occultas etiam vires possideant sine magicis incantamentis & animi superstitione, id quod naturales cum experientia effectus demonstrant. Quare in

Quomodo characteres sint efficaces?

Taxatur quorundam sanctitas & inscitia.

re in singulari facto non aliam, præterquam quæ nobis videtur esse, statuere causam, temerarium duco. Quis enim negare potest, divinitus aut ingenii alicujus virtute, aut etiam causis accidentariis & fortuitis, posse produci effectum similem naturali. Et sufficit Physico ostendisse effectum talem vel talem esse causarum naturalium, aut semper aut plerunq;. Et licèt non semper respondeat eventus, non tamen ideò naturæ motus est denegandus, siquidem ad unum sæpè effectum rarò concurrunt causæ omnes, quod licet ex illis æstimare, quæ ob raritatem, varietatem & singularitatem pro miraculis habentur & prodigiis, hæc enim causas habent naturales, rarò tamen ad effectum talem dispositas, aut omnes paratas. Itaq; si effectus est naturalis, etiam causa talis erit, & contrà. Jam autem imaginum sub certis astris sculptarum effectus naturalis omnino est, ergo causam quoq; naturalem esse necesse est. Licèt verò hæc sit occulta & abstrusa, àque sensibus exterioribus remotior, non tamen illico ad diabolicam quandam potestatem confugiendum, sed attendendum, quibus auxiliis quibusque causis concurrentibus fiat aut non fiat effectus, èque mirabilibus causis naturalibusque effectis mirabilis potiùs Dei potentia agnoscenda & prædicanda, qui cùm tantas virtutes tamq; mirabiles in naturam manifestam insevit, quantus, dic, amabo te, ipse in suis occultis erit? His ita præstratis, pro vita salubriter producenda, honoribusque ac divitiis augmentandis Jovis sigillum atque imago fabricatur, sculpiturque in lapide albo vel claro, vel etiam argento puro aut stanno, ipso tamen Jove, quod inprimis in hoc mysterio observandum est, existente vel in suo domicilio, ut Sagittario vel Piscibus, vel etiam exaltatione, ut Cancro, libero ab omnibus impedimentis; præcipuè vero à radiis malis Saturni vel Martis: in angulo etiam sit orientis vel medio cœli, ascendens in circulo Augis, directus, velox cursu, non à Sole combustus, orientalis in gradibus lucidis & fortunam augentibus in Lunæ vel Veneris Trigono aut Sextili, quæ omnia diligentissimè ab Astrologiæ perito observari necesse est. NB. NB.

Sic idem Jupiter contrarium operabitur, si retrogradus fuerit, combustus, afflictus à Saturno vel Marte, in malo cœli loco, non in domicilio vel exaltatione &c. Idemq; judicium esto de cæteris etiam Planetis:

Eundem in modum fabricatur Imago Martis in 1. facie Scorpionis orientis, contra timiditatem & pusillanimitatem. *Sigillum Martis contra timiditatem.*

Ad favorem Regum & Principum conciliandum, morbosq; calidos cordiales curandos, Imago Solis in auro puro prima Leonis facie ascendente, ipse verò Sol in Leone sit fortis & fortunatus: *Sigillum Solis.*

Ad lætitiam, venustatem roburque corporis imago Veneris poma

 flores-

floresq; tenentis manu, aſcendente cum ea prima facie Libræ, Piſcium vel Tauri.

Sigill. Mercurii. Ad ingenium & memoriam acuendam imago Mercurii orientis cum prima Geminorum facie vel Virginis: vel contra morbos, odia & itinera feliciter conficienda à gradu 17. Virginis uſque ad finem ferè ejuſdem ſigni.

Sigill. Piſcium Secretum ad podagram. Ad podagram curandam, indubitanter valere Piſcium figuram in auro vel argento, ſeu auro argento permixto, ſculptam, Sole permeante Piſces in aſcendente aut domo decima, ab infortuniis ſalvo & libero, domino etiam ſigni videlicet Jove ſalvo: vel etiam Luna medium cœli tenente, Marte non præſente, & Jove non retrogrado, Soleq; ſupra terram exiſtente, ſi Piſcium imago fiat in prima Piſcium facie, eundem præſtare effectum antiquiſſimis monimentis proditum reperitur: in ſecunda verò facie factam ſanare tibiarum morbos, in tertia morbos genuum & coxarum.

Forma Tauri. Ad morbos gulæ colli faciebant figuram Tauri in facie tertia, Sole exiſtente ſupra terram, eamq; in cupro multum rubente:

Figura Arietis Martis & Saturni. Ad morbos capitis difficiles & difficulter curabiles, fabricatur figura Arietis, Martis & Saturni, utroque exiſtente directo, Jove non conſtituto in Ariete, nec Venere in Scorpio, nec Mercurio in Tauro, à gradu primo uſq; ad 5. primæ faciei Arietis: Sole autem exiſtente in Ariete eandem obtinebit virtutem.

Sigillum Lunæ. Ad bona & honores adipiſcendos, morbosque cerebri frigidos curandos imaginem Lunæ conferre in puriſſimo argento vel cryſtallo, ita ut Luna exiſtat in Cancro, àq; infortuniis ſit libera, in oriente fortis & fortunata, experimentis patefactum eſſe Doctores antiqui aſſerunt, adq; eundem quoq; effectum conſequendum poſitus ejuſdem in Tauro efficax eſt, quo in ſigno exaltatur:

Cancri figura. Ad ventris ægritudines curandas figura Cancri facti horâ Saturni, Cancro exiſtente, in medio cœli, & Saturno in ſecunda facie, omni auro præſtare dicitur, omnibus morbis reſiſtendis expellendisque idonea.

Sig. Capricorni. Ad triſtitiam abigendam & melancolicam deſipientiam, figuram Capricorni prodeſſe proditum eſt, ita tamen, ut Mercurius non ſit retrogradus, ſitq; cum Venere ſupra terram, Venus autem ſit in parte orientali, Saturnus verò ſub terra: conficiendum autem ſigillum eſt in prima facie, Solis aut Mercurii die, Solis tamen hora.

Ad ſenſum corruptum & deperditum, morbosq; manuum, inprimis dextræ, commendari video imaginem Sagittarii factam de auro vel argento in prima facie primi gradus uſq; ad 5. die Solis & horâ ejus: hæc figura

habet

habet vim expellendi infirmitates, Saturni Veneris & Martis, oportet autem Saturnum non esse retrogradum, nec Martem in 12. domo, sicut nec Jovem in quarta, Sol verò supra terram existat.

Atque hæc sunt sigilla & sculpturæ Planetarum & Constellationum quarundam cœlestium, à diversis autoribus repertæ, sequuntur ordine, quæ in antiquissimorum Sophorum & Doctorum monumentis & Codicibus & à verbo ad verbum huc transscriptæ & consignatæ imagines inveniuntur, quæ multarum mirandarumque virium esse perhibentur, si in convenientibus lapidibus sculptæ magna cum reverentia, & devotione (utinam verò sine impia superstitione) gestentur & custodiantur: & primo quidem inter vetustissimi illius & summi Rhagaëlis arcana fuerunt.

Draconis formosi imago, si in Rubino sive in alio lapide similis naturæ sculpta fuerit, scias virtutem ejus esse in augendis bonis hujus seculi, gestantemq; hilarem & sanum efficere.

Falconis imago, si in Topatio sit, ad acquirendam benevolentiam Regum, Principum & magnatum facit.

Astrolabii imago si in Granato sculpta fuerit, virtus ejus erit, sanum reddere gestantem, & ab omnibus ægritudinibus, adversisq; casibus in itinere liberum.

Asini imago, si in Chrysolito sit, virtus ejus erit futura prognosticare & prædicere, (quantum sc. potest cadere in humanam imbecillitatem) verè enim futura prædicere solius est Dei.

Arietis vel capitis Hominis cum barba imago in Sapphiro sculpta virtutem habet sanandi, & liberandi à multis infirmitatibus, & à carcere, omniq; molestia, estq; imago regia, dat enim dignitates & honores, ac in altum extollit.

Ranæ figura si in Berillo sculpta erit, virtutem habet inimicos reconciliandi, & amicitias inter homines, si discordes ipsâ tetigeris.

Camelini capitis vel duarum Capratum inter Myrthi arbores imago si in Onyche sit, virtutem habet convocandi, congregandi, & constringendi Dæmonas, si quis secum portaverit, & in somno facit terribilia videre ac mirabilia.

Vulturis imago si in Chrysolito sit, virtus ejus erit Dæmones frenare & congregare, defendere locum, in quo ponitur, à malis spiritibus, & ab eorum infestatione, gestantiq; Dæmones facit obedientes.

Vespertilionis imago si in Heliotropio sculpta erit, gestanti potentiam dat resistendi Dæmonibus.

Hominis benè ornati imago & habentis aliquid pulcri in manibus, si

in Cornelio ſculpta erit, virtutem habebit ſtringendi ſanguinem, & ad honores confert.

Leonis vel Sagittarii imago ſi in lapide ſit, ad venena valet, & à febre liberat.

Hominis armati cum arcu & ſagitta imago ſi in Iride ſculpta fuerit, virtutem habet cuſtodire geſtantem, & loca, in quibus verſatur, à malo.

Hominis imago cum enſe, in manu ſi in Cornelio ſit, virtutem habet præſervare locum, in quo erit, à fulgure & tempeſtate, & geſtantem à vitiis, & à faſcinatione cuſtodit.

Tauri imago ſi in Praſſio ſit, ad maleficia juvare dicitur, & in magiſteriis gratiam præbet.

Upupæ figura cum Dragontea herba ante ſe, ſi in Beryllo ſit, virtutem habebit aquaticos provocare ſpiritus, & loqui cohibere, deq; quæſitis ab eis reſponſa recipere.

Hominis imago cum dextra manu erecta ad cœlum ſi in Chalcedonio ſit, virtus ejus erit vincere civiles lites, & geſtantem reddere ſanum, & in itineribus, ac à cauſis noxiis præſervare.

Ceraunia candidus lapis eſt Cryſtallini ſplendoris, ſiderum fulgorem capiens.

Dei nomina in Ceraunia ſi ſculpta fuerint, virtutem habebit præſervare loca, in quibus erit hæc imago, à tempeſtatibus, & potentiam victoriamq; dare geſtantibus contra inimicos ſuos.

Urſi imago ſi in Amethyſto ſit, fugiendi dæmones virtutem habet, & hominem ab ebrietate defendendi & præſervandi.

Hominis armati Imago in Magnete ſculpta, geſtantes in bello reddit victorioſos. Hactenus Rhagael.

Imagines ſeu Sigilla Chaëlis.

Inventa Chaëlis.

CHaël unus ex filiis filiorum Iſrael, antiquiſſimus Doctor, cùm in deſerto eſſet, obſervavit, & ſculpere fecit multas ſecundùm curſum ſignorum & Planetarum figuras, & maximum effectum in eis agnovit, utque hæ imaginum virtutes poſteris paterent, librum compoſuit, ex quo ſequentia ſunt excerpta. Sitq; benedictus Deus, qui terris tales virtutes dedit in ſalutem humani generis. (Hæc verba reperiuntur in ipſo libro à Chaële conſcripto ſtatim in Principio.)

Qualis ſ. ſit lapis, non ſignificatur.

Hominis figura ſedentis poſt aratrum, cum longa barba, vultuque longo & ſuperciliis curvatis, in cujus collo ſint quatuor homines jacentes, & qui teneat in manibus vulpem & vulturem, ſi talis lapis, in quo hæc erunt ſculpta, collo ſuſpendatur, ad omnes plantationes valet, & ad inveniendum theſauros, nam ſi ſub cervice iturus in lectum poſueris, in ſomno videbis theſauros, ac modum extrahendi; eſt & alia ejus virtus, ſcilicet

licet conferre ægritudinibus brutorum, cùm aquam biberunt, in qua hic lapis lotus fuerit, debet autem ſculpi in die & hora Veneris.

Hominis imago habentis in collo clypeum, & in capite galeam, tenentis in manu gladium, ac conculcantis ſub pedibus ſerpentem, in Jaſpide rubeo ſculpta, ſi collo ſuſpendatur, omnes ſuperabit inimicos in prælio, & maximè ſi commiſſum fuerit die Martis.

Equi imago habentis Crocodilum ſupra ſe in Hiacyntho ſculpta, virtutem habet reddere geſtantem victorem in civilibus cauſis, amatum, morigeratum, efficit & amabilem, debetq; in auro ligari, quia ex auro virtus ejus augmentatur.

Hominis figura ſedentis, & Mulieris ſtantis ante eum capillis ſparſis verſus renes, & viri ſurſum aſpicientis in Cornelio ſculpta, virtutem habet, ab omnibus hoc lapide contactis benevolentiam acquirendi: lapidi autem debet ſupponi parum Ambræ & Terebinthinæ.

Equi ſpumantis & fervidi, ſuper quem vir niger ſedeat cum ſceptro in manu, figura ſculpta in Hemathite, regnandi poteſtatem præbet, & amiſſam gratiam reſtaurat, debetque in æquali pondere auri & argenti ligari.

Hominis ſedentis cum accenſa candela in manu imago, ſi in Chryſolito ſculpta fuerit, geſtantem divitem efficit, debetq; in puriſſimo auro ligari.

Cervi aut Venatoris, aut Canis, aut Leporis figura ſculpta, virtutem habet frenandi Dæmones, lunaticos, phreneticos.

Mulieris imaginem habentis in una manu avem, & in alia piſcem, ſculptam, ſcias virtutem habere in capiendis piſcibus & avibus; debet autem in argento ligari.

Imago, cujus anterior pars eſt Equus, poſterior verò Capra, ſi in aliquo lapide ſculpta ſit, dat fortunam in alendis & armandis animalibus ſeu beſtiis omnium generum, debetq; in plumbo ligari.

Mulieris ſedentis cum tuba in Equo, ſeu Militis currentis cum cornu ad collum, & cum arbore ante ſe, figura ſculpta in aliquo lapide Venatoribus venandi gratiam præbet, ſi ſecum portaverint.

Hominis flexis genibus ſurſum reſpicientis, & tenentis pannum figura, ſi in lapide ſculpta erit, ac quis ſecum portaverit, dat gratiam & divitias in rebus emendis & vendendis.

Scorpionis & Sagittarii ad invicem pugnantium figura, ſi in aliquo lapide ſculpta fuerit, malevolos & diſcordes efficiet concordes, inimicos amicos, ligetur autem in argento.

Vulturis imaginē cum ramo olivæ in ore, ſi in pyrite ſculpſeris, tecumq; porta-

portaveris in argenteo annulo, ad multa convivia vocaberis, & omnes te aſpicient cum admiratione & ſtupore.

Arietis & Leonis medietatis figura, ſi in aliquo pretioſo lapide ſculpta fuerit, ſi diſcordes cum ea tetigeris, amabiles & concordes efficientur, debetq; in argento ligari.

Mulieris in ſuperiore parte, in inferiori verò piſcis figura, quæ unâ manu ſpeculum teneat, & in altera manu ramum, in Hiacyntho ſculpta, digitoq; in annulo aureo geſtata, inviſibiles reddit, volvendus autem annulus cum lapide verſus palmam eſt, palmaq; claudenda.

Baſiliſci, cujus pars una eſt Fœminæ, inferior verò Serpentis figura, ſi in aliquo pretioſorum lapidum ſculpta fuerit, virtutem habebit cuncta fugandi animalia venenoſa.

Baſiliſci pugnantis cum Dracone figura, & deſuper ſit caput hominis in Cornelio ſculpta, ſi collo appendatur, geſtanti dabit virtutem ſuperandi omnem beſtiam tam terrenam quàm marinam.

Hominis nudi inflati figura, cum alterius hominis figura benè induti, ac tenentis in una manu ſcyphum, in altera verò ramum herbæ, ſi in Gagate lapide ſculpta fuerit, virtutem habere ſcias liberandi ab omnibus febribus, ſi per triduum quis ſecum portaverit.

Hominis ſtatuam habentis caput bovinum, & pedes aquilæ ſculptam in aliquo lapide, ſi tecum portaveris, nullus hominum de te malè loquetur.

Hominem flectentem genua, & ſurſum aſpicientem, & manu tenentem pannum; in Turcoſia ſculptum, ſcias valere ad emendas & vendendas res.

Scorpionis & Sagittarii inter ſe bellantium figura in aliquo lapide ſculpta, & ligata in annulo ferreo ceræ impreſſa, ſtatim inter ſe diſcordes efficit, quoscunq; eâ tetigeris.

Arietis figuram cum medietate Bovis in aliqua gemma ſculptam, virtutem habere ſcias, ſi in annulo argenteo ligata fuerit, ut quoscunq; eâ tetigeris, confeſtim tales concordes fiant.

Fœminæ in ſuperiori & in inferiori parte figurâ Piſcis, quæ in una manu teneat ſpeculum, & in alia ramum, ſi in Hiacyntho ſculpta fuerit, ligataque annulo aureo, inviſibilem reddit, quandocunque volueris: eſt autem ſigillum cerâ cooperiendum, digitoque palmam verſùs geſtandum.

Hominis arantis figura, & ſupra illum ſit manus Domini faciens ſignum, & juxta illud ſculpta ſit ſtella, ſi in aliqua gemma ſculpta fuerit, & honeſtiſſimè geſtaveris, in qua regione eris, à tempeſtate non peribis, & fructus terræ ſimiliter in illa non peribunt.

Viri

Viri juvenis tenentis in capite coronam, & sedentis super thronum quadrupedem, & sub quolibet pede sit vir stans tenens cathedram in collo sitque circa caput sedentis circulus, & manus ejus sint erectæ ad cœlum, si hanc figuram sub Hiacyntho albo sculptam repereris, posuerisque hunc lapidem in argenteo annulo, & æquali pondere ad lapidem, & sub lapide modicum mastichis & terebinthinæ, ac feceris sigillum in cera, gestaverisque ad collum, à Regibus & Principibus impetrabis, quicquid volueris, justissimè autem & castissimè est gestandus:

Serpentis figuram habentis supra dorsum virum, & viro insideat corvus, si in aliquo lapide sculptam invenies, qui hunc lapidem secum portârit, omnibus abundabit, & erit astutus atq; prudens.

Viri stantis supra Draconem, qui in manu teneat gladium, figuram, si in Hæmathite srulptam invenies, pone in annulo plumbeo, vel ferreo, & obedient tibi omnes spiritus subterranei, & revelabunt tibi omnes thesauros levi carmine, nec non extrahendi modum ipsi ostendunt.

Viri stantis & habentis loricam indutam, & in capite galeam, in manu verò gladium evaginatum, figuram, si in aliquo lapide sculptam invenies, & in annulo ferreo tanti ponderis ligaveris, ferenti hunc in prælio nemo resistere poterit.

Viri barbati habentis longum vultum, & curvata supercilia, sedentis super aratrum inter duos tauros, figuram, si sculptam in aliquo lapide inveneris, ad plantationes & ad omnem culturam valet, ad inveniendos thesauros, & bellandum, convertet inimicos in amicos, & in multis infirmitatibus valet, & si quis eam portaverit, fugient Serpentes à facie ejus: epilepticos quoq; sanat, & si infans eum portaverit ad collum, timorem ab eo expellit, & vexationem malorum spirituum, & si æger portabit, sanitatem recipiet, utq; majorem virtutem habeat, debet poni in annulo ferreo, in duplici pondere ad lapidem.

Aquilæ stantis figura, si in Æthite sculpta & in annulo plumbeo posita fuerit, ferentem reddit acceptum & amatum ab hominibus, & animalia obedient ei,

Arietis & simul Leonis figuram si in aliquo pretiosiorum lapidum sculptam invenies, & in argenteo annulo ligaveris, si cum eo discordes tetigeris, concordabunt.

Capricorni signum sculptum in Cornelio, aut in alio lapide, in annulo argenteo liga, & tecum porta, nec enim personaliter nec oraliter ab inimicis læderis, nec judex contra te injustam sententiam dicet, in negotiatione & honore abundabis, & amicitiam multorum acquires, & omnes fascinationes, quæ contra te facta fuerint, destruentur, in prælio quoque nullus inimicus, quàm etiam fortis fuerit, tibi resistere poterit. Hæc Chaël.

Sigilla seu Imagines Hermetis.

Lapis est Beryllo similis.

HErmes libro quadripart. 14. has commemorat imagines. Hominis imago sculpta in Diadocho, stantis, & magnæ staturæ, tenentis in manu dextra obolum, & in alia Serpentem, sitque super caput hominis figura Solis, & prostratum teneat sub pedibus Leonem, si posita fuerit in annulo plumbeo cum modico arthemisiæ ac radice fœnugræci, tecumque habueris in ripa fluvii, & vocaveris aquaticos spiritus, ab eis de quæsitis responsa accipies.

Hominis figura stantis ac tenentis fasciculum herbæ collo appensum cum grossitie renum & amplitudine spatularum, si in viridi Jaspide sculpta erit, scias ipsam auxilium præbere febricitantibus, & à febre liberare, & si quis artem medicinæ exercet, secumque portaverit, in discernendis ægritudinibus & cognoscendis medicinis & herbis, in dandisque potionibus maximam gratiam præbet, inque omni hæmorrhagia & fluxu sanguinis juvat, protinusque eum compescit.

Turturis marini imago si in lapide marino sculpta sit, & in annulo plumbeo ligata feratur, non poterit lædi ab aliquo, & à senioribus & dominis terrarum diligetur.

Aquarii figura si sculpta fuerit in viridi Jaspide, & quis secum portaverit, lucrum præbet in vendendis & emendis rebus, & ab eo mercatores consilium quærent, & in suum domicilium merces portabunt. Avis, quæ in ore folium tenet, & in ejus conspectu sit caput hominis aspicientis ipsam avem, si in lapide Pangone sculpta sit, eamque in auro ligaveris & tecum portaveris, dives eris, & locuples & ab omnibus venerabilis.

Jovis figura, quæ est hominis sedentis super Cathedram quadrupedem, sintque ibi quatuor homines stantes ante Jovem, & manus Jovis erectæ cœlum versùs, & in capite habeat diadema, si in Hiacyntho sculpta erit, ac in auro ligata, & quis talem annulum secum portaverit, seu figuram hujus annuli impressam in cera collo suspenderit, à Regibus & Sapientibus quicquid voluerit, impetrabit.

Hominis imago habentis vultum Leonis & pedes Aquilæ, & sub pedibus ejus sit Draco, & cauda sit extensa, in manu verò ipsius hominis sit baculus, cum quo percutiat caput Draconis, si in crystallo sculpta erit aut in aliquo precioso lapide, & ligata sit in Orichalco, & sub lapide sit moschus & ambra, si quis fert secum talem lapidem, habebit spiritus obedientes, ac magnas facultates accumulabit.

Hominis sedentis supra Aquilam, ac in manu virgam tenentis imago, si in crystallo sculpta fuerit, & in annulo æreo, seu cupreo ligata: si quis

hunc

hunc annulum in die Solis ante exortum ipsius aspexerit, omnes inimicos suos vincet, & superabit, si in die Jovis aspexerit, victor belli erit, libenterque omnes homines ei obedient, sed oportet gestantem vestiri albis vestibus & à columbina carne abstinere.

Hominis figura equitantis, ac tenentis in una manu frenum, & in alia arcum tensum, & habentis gladium cinctum, si in pyrite lapide sculpta fuerit & in annulo aureo ligata, & quis secum portaverit, eum victorem reddet in præliis, nec quis ei resistere poterit.

Mulieris imago habentis crines sparsos super mamillas, & in ejus conspectu sit vir quasi adveniens, faciensque ei aliquod amoris signum, si in Hiacyntho seu Crystallo sculpta fuerit, ac in auro ligata, & sub lapide sit ambra, aloës & artemisia, ferenti hunc lapidem in annulo omnes obedient, & si mulierem cum eo tetigeris, amabit te, & si capiti supposueris, cùm vadis dormitum, quicquid volueris, videbis.

Hominis imago sedentis supra Piscem, & super caput Hominis sit Pavo, si in lapide sculpta sit Rubeo, & ipsum sub tabulam in convivio posueris, nemo comedens cum dextra, satiabitur.

Hominis nudi stantis figura, & à dextra ejus sit puella stans, cujus capilli sint ligati circa caput, & vir teneat dextram suam supra collum puellæ & sinistram supra pectus, aspiciatque vultum ejus, ipsa vera in terram, si in aliquo lapide sculpta erit, ac in ferreo ligata annulo, & sub lapide sit parùm linguæ Passeris, Upupæ, Myrrhæ, aluminis, sanguinisque hominis, qui hunc annulum portaverit, invictus erit, nec ullus poterit ei resistere, nec fera aliqua ei nocebit? Epilepticis quoque valet, si ceram rubeam signaveris cum eo, & si ad collum Canis ponatur, latrare non permittit.

Hominis imago tenentis in manu flores, si in Cornelio sculpta erit, ac in annulo stanneo posita, & annulus fabricatus fuerit die Lunæ aut Veneris, 4. 8. aut 12. hora, tange, quem volueris hoc annulo, & obediet tibi.

Hominis barbati figuram habentis vultum longum, superciliaque curva, sedentis super aratrum inter duos Tauros, habentisque Vulturem in manu, in lapide sculptam, scias virtutem habere in plantatione arborum, & inventione thesaurorum, ac victorem in prælio efficere, Serpentesque à facie gestantis fugandi, epilepticos sanat, omnemque vexationem malorum spirituum tollit, debet autem in annulo ferreo ligari & gestari.

Hominis tenentis falcem in manu super caput suum, figura, & sub pedibus Crocodilum, si in lapide sculpta erit, ac in annulo plumbeo ligata,

& sub lapide sit parùm radicis squillæ, qui secum hunc annulum portaverit, ab inimicis securus erit, & in itinere à latronibus.

Hominis figura tenentis gladium in manu, & sedentis supra Draconem, si in Amethysto sculpta fuerit, ac in plumbeo annulo, vel ferreo ligata, & in digito feratur, spiritus obedient, revelabuntq; ei qualescunq; thesauros.

Aquilæ stantis figura si in Æthite lapide sculpta fuerit, & in annulo plumbeo ligata, virtutem habet, qui secum portaverit capiendi multos pisces, nec ulla fera ei nocebit, àq; hominibus diligetur.

Hominis habentis in manu palmam figura, si in aliquo lapide sculpta erit, reddit gestantem gratum, & amabilem potentibus & principibus. Hæc ex Hermete.

Imagines seu sigilla Thetelis.

THetel. vetustissimus Doctor tractans de sculpturis lapidum, ait, has sculpturas in convenientibus lapidibus repertas, maximam habere virtutem.

Hominis imago sculpta in Jaspide habentis scutum in sinistra, & in dextra idolum, vel aliquid bellicosum, & loco pedum sint Viperæ & loco capitis hominis sit caput Galli vel Leonis, virtutem dabit contra inimicos, & victorem gestantem reddit, valetq; adversùs venena, sanguinem quoq; stringit, à quacunq; parte fluat.

Hominis figura habentis fasciculum herbæ in collo, si in Jaspide sculpta fuerit, virtutem habet discernendi seu cognoscendi infirmitates, sanguinemq; à quocunq; loco fluat, frenat, dicuntq; hunc lapidem habuisse Galenum.

Crucem sculptam in Jaspide viridi, dicunt habere potentiam liberandi gestantem ab aquæ submersione.

Fœmina habens in una manu Avem & in altera Piscem: si sculpta fuerit in Chrysolitho, ad negociandum multum valet.

Lupi figura sculpta in Jaspide contra astutiam valet, & insana verba prohibet proferre.

Cervi figura in Jaspide sculpta virtutem habet sanandi & liberandi lunaticos & phreneticos.

Imperatoris figura in Jaspide sculpta cum capite erecto, gestantem reddit amabilem ab omni creatura, & quicquid petierit, obtinebit.

Virginis figura cum veste profusa tenentis in manu laurum, si sculpta fuerit in Jaspide, gestantem efficit securum à submersione aquæ, nec à Dæmone vexabitur, facitq; potentem & omnia impetrantem.

Homi-

Hominis figura habens in manu inſcriptam palmam, ſi in Jaſpide reperiatur, potentem reddit geſtantem Principibusq; gratum. Hactenus Thetel.

Sculpturæ Salomoniæ.

VEtuſtiſſimus inventus eſt libellus in deſerto apud filios Iſraëlis, qui quoniam in eo multa Salomonis opera reperiebantur, Salomoni fuit aſſcriptus. (Sed falsò, quia multa ſuperſtitioſa ſunt.) Titulus libri erat, de Sigillis lapidum ſecundùm nomen tuum Domine, & ſecundùm curſum ſtellarum.

Hominis ſedentis ſuper aratrum figura, habentis collum parvum & prolixam barbam, quatuorque homines jaceant in collo ipſius, & teneat in una manu Vulpem, in altera Vulturem, ſcias iſtud ſigillum collo appenſum ad omnes valere plantationes, omnesque theſaurorum inventiones: probationem autem iſtius ſic inſtitues, accipe lanam nigram puram, ſine tinctura, involve lapidem, poneq; inter paleas tritici & capiti ſuppone, videbisq; tunc in ſomno omnes theſauros iſtius regionis, in qua fueris, ſimulque habet virtutem ſanandi omnes beſtiarum languores, ſi aquam in qua lotus fuerit, biberint. *N.*

Hominem ſculptum in Jaſpide viridi, qui habeat clypeum pendentem in collo, & ſupra caput galeam cum gladio erecto, pedibusq; calcet Serpentem, appone collo, & non timebis ullum inimicum, in omnibus rebus eris victor, maximè vero Martialibus, debetq; ligari in ære.

Equus gerens in dorſo Crocodilum in hiacyntho albo ſculptus, amabilem facit hominibus & beſtiis.

Hominis ſedentis figura & Mulieris ſtantis ante eum, habentis capillos extenſos uſque ad femur, levantis verò oculos ſurſum, ſi in Cornelio ſculpta fuetit, ſcias virtutem ejus eſſe, omnem Hominem tam marem vel Fœminam reddere obedientem, debetq; in tanto pondere auri ligari, quantum ipſe lapis habet, ſubtus autem pone Betonicam & Ambram.

Equum ſpumantem cum viro ſupra ſe tenente ſceptrum manu, in Amethyſto ſculptum, ſcias illud ſigillum prodeſſe ad omnes res, quas habet, qui illud gerit, omnesq; Principes & Primates erunt ei obedientes, debet autem ligari in auro vel argento in duplo ad ſigillum.

Capitis hominis cum longa barba ac modico ſanguinis circa collum, ſi in Adamante imago ſculpta reperiatur, ſcias ad victoriam audaciamq; conferre, & corpus ab omni læſione præſervare, valetq; ad impetrandam gratiam à Principibus.

Hominis volentis inſtrumentis ludere figura in Sapphiro ſculpta, gratioſiſſimum omnibus reddit.

Galli imago, vel trium Puellarum si in Achate reperiatur, hominem gratiosum apud Deum & homines reddit.

Leonis figura in Granato sculpta divitias præbet & honores, cor lætificat, tristitiamque expellit.

Cervi aut Columbi imago in Onyche sculpta, gestanti præbet animositatem adversùs Dæmones. (Certissimum remedium verbum Dei.)

Hominis figura in similitudine mercatoris portantis merces ad vendendum, aut Hominis sedentis sub centurione, si in Smaragdo reperiatur, dat divitias, victoremque reddit, & ab angustiis sublevat.

Tauri vel Vituli imago in Magnete reperta, portanti felicia præbet itinera per omnia loca, valetque contra omnes incantationes.

Equi aut Lupi figura in Jaspide reperta febres fugat, sanguinemque sistit.

Hominis figura coronati in Topatio gestantem efficit bonum, morigeratum dilectumque Deo & Hominibus, præbetque honores ac dignitates.

Hominis armati cum ense in manu, si in Sardio vel Amethysto sculpta reperiatur imago, gerentem acquirere facit perfectam & bonam memoriam, redditque prudentem,

Cervi vel Hircei figura in Chalcedonio reperta, virtutem dat augendi divitias, si in capsula pecuniaria reservetur.

Leporis imago in Jaspide portantem à nullo dæmone lædi patitur.

Locusta marina in Beryllo sculpta, rixas conciliat.

Nocticoracis figura, quia Palladis avis est, sculpta in lapide, qui facit ad scientiam, hominem facit scientissimum & eloquentem.

Pavonis imago sculpta in conveniente lapide gestantes reddit divites.

Hominis figura interficientis Leonem aut aliam bestiam cum gladio, gestantem astutum, victoriosum & amabilem reddit.

Hominis tenentis laurum vel palmam in manu dextra imago, portantem efficit causarum & præliorum victorem, amabilem & potentem in regione suâ.

Hominis alati figura habentis sub pedibus Serpentem ac tenentis caput ejus in manibus, gestantem divitem, prudentem & amabilem reddit omnibus.

Formicæ habentis spicam vel granum in aliquo lapide sculpta imago, ad divitias valet acquirendas.

Galli figura tenentis rostro coronam vel zonam, in duello victoriam dabit, præsertim si in gallinaceo fuerit.

Hominis stantis, cujus caput sit Bovis, pedes verò Aquilæ figura, in

in gemma aliqua ſculptam ſi inveneris, inque ceram impreſſeris, nullus hominum de te male loquetur.

Baſiliſcum & Draconem inter ſe pugnantes ſi in Cornelio inveneris ſculptos, ſitque ibi caput Bovis, bellaturus applica collo, omnesque beſtias vinces tam marinas quàm terreſtres.

Hominis nudi inflati & coronati, tenentis in una manu ſcyphum, in altera ramum herbæ, figura in Gagate ſculpta, ligataque in annulo cujusvis metalli, geſtantem protinus à febre liberat.

Viri ſedentis ſuper Piſce figura in Jaſpide rubeo ſculpta, pannoq; alicujus impoſita, convivantem ſi cum dextra comederit, non ſaturari faciet.

Mulieris figuram habentis crines ſparſos, vel mamillas nudas, inque conſpectu ejus ſit Vir cernens ejus faciem, ſi in Hiacyntho, Granato vel Cryſtallo inveneris ſculptam, ligaverisque in annulo aureo, tanti ponderis, ut lapis eſt, ſub verò lapide ſit Ambra, Aloës, Polypodium, geſtantem efficiet omnibus amicabilem, ſique ſupponatur capiti, in ſomno videbit, quæcunque voluerit.

Viri equitantis & tenentis in manu frenum, & in alia arcum cum gladio cincto, figuram, ſi in pyrite ſculptam invenies, ligeturque in annulo aureo, geſtantem victorem reddit in prælio, cui nemo reſiſtere poterit, & ſi quis hunc annulum ſubmerſerit in oleo muſchato, omnes ipſum pertimeſcent, ſi inunxerit vultum ſuum illo oleo, nec ei poterunt ſe opponere.

Viri ſtantis, qui ſit nudus, & à dextris ejus ſit puella nuda ſtans, ejusque capilli ſint ligati circa caput, figuram, in Magnete ſculptam, & vir teneat dextram ſuam ſuper collo puellæ, ſiniſtram verò ſuper pectus, & vir aſpiciat vultum puellæ, hæc autem terram, pone in annulo ferreo tanti ponderis, quanti eſt lapis, includeque ſub annulo Upupæ linguam, Myrrham, Alumen, & de ſanguine hominis, quantum linguæ pondus eſt: ferenti hunc annulum, nullus inimicus poterit reſiſtere in conſpectu ejus, ſive in bello, ſive alibi, nec latro, nec fera nocens poterit intrare domum, in qua hic lapis repoſitus fuerit, & ſi epilepticus aquam biberit, in qua lotus fuerit, ſanabitur; Cera quoque rubea ſi eo ſignetur, colloque canis fuerit appenſa, latrare eum prohibebit.

Militem ſuper Equo currentem cum cornu ad collum, & cum arbore ante ipſum, ſculptum in pretioſo aliquo lapide, ſcias valere ad omnes venationes.

Fœminam tenentem in una manu Avem, in altera Piſcem, in Cryſtallo ſculptam, ſcias valere ad capiendum Aves, debetq; ligari in argento.

Hominis figuram cum Hircino capite loco ſui, ſcias valere ad acquirendum divitias.

Aquilæ

Aquilæ figura in Crystallo sculpta gestantem reddit divitem, victoriosum & eloquentem.

Cornutum animal, quod equum subtus se ferat, & equus retrò se ducat medietatem Capræ, sculptum pretiosiore aliquo lapide, scias plurimùm valere ad domandum quamcunq; bestiam, debetq; ligari in annulo plumbeo.

Turturis figuram in Pangone sculptam & in annulo plumbeo, ferens nunquam vulnerabitur, nec malum accipiet, sed honorabitur ab omnibus, maximè à senioribus.

Avis tenentis folium in ore, sitq; in ore & conspectu ejus caput Hominis aut Vulturis, figuram, si in auro sculptam inveneris, ferens ex omnibus, quæ empturus est & venditurus, lucrum acquiret, àq; emptoribus investigabitur.

Leonis vel Draconis vultus habentis duo capita cum cauda delicata, vel viri, in cujus dextra sit baculus, & percutiat caput Leonis, figuram, si in Crystallo sculptam inveneris, posuerisque in orichalco, sub vero lapide Moschum & Ambram, tecumque portaveris, omnes tibi obedient, facultatemq; tuam amplificabis, signatâ cum eo cerâ eandem habebit virtutem.

Equi alati, qui Pegasus dicitur, figura, si in aliquo lapide sculpta invenitur, conducit militantibus, & in campestri bello dat audaciam & alacritatem.

Viri & Serpentis, circumdantis visum, figuram, si in aliquo lapide sculptam invenies, gerenti scias præbere victoriam in prælio campestri.

Arboris, vel Vitis, vel Spicæ figura in aliquo lapide sculpta gestantem facit in victu & amictu abundare, Principesq; reddit benevolos.

Mars armatus vel Virgo stolata cum circumflexa veste tenens in manu Laurum, in Jaspide si inveniatur, potentem gestantem reddit ad arma perficienda, & à morte violenta, aquæq; submersione liberat, casibusque adversis.

Hominis armati in Equo cum lancea figura in Amethysto sculpta facit gestantem victoriosum in campestri bello.

Herculis figuram, tenentis in dextra clavam, interficientis Leonem vel aliud Monstrum, si in lapide sculptam reperies, scias præbere victoriam in campestri pugna.

Jovis figura, quæ sit in forma hominis cum Arietis capite, gestantem facit amabilem, citoq; impetrantem quicquid voluerit.

Virgo aut Puella cum Lampade in Crystallo sculpta, virtutem habet custodiendi oculorum lumen.

Sequun-

Sequuntur ſculpturæ & imagines Planetarum ſignorumque Zodiaci ac firmamenti.

Igneæ triplicitatis, id eſt, Arietis, Leonis & Sagittarii figura ſculpta in lapide pretioſo, omnibus frigidis ægritudinibus prodeſſe perhibetur, opitularique febribus phlegmaticis, & ob Planetarum, qui in illis ſignis tenent dominium, dignitatem, reddit Deo & hominibus gratum, facundum, ingenioſum, honorumque & dignitatum facilè potiri valentem: debet autem ita ſculpi, ut in triangulo Leo teneat conum, Aries in baſi dextram, Sagittarius ſiniſtrum. N.

Terreæ triplicitatis, id eſt, Tauri Virginis & Capricorni imago lapidi inſculpta, omnibus calidis & humidis ægritudinibus auxilium præſtabit, geſtantemque inclinabit ad opera ruralia, ut ſunt arare, plantare, ſeminare, vineas excolere & ſimilia, debet autem in cono eſſe Capricornus, in baſis dextra Taurus, in ſiniſtra Virgo.

Aeriæ triplicitatis, id eſt, Geminorum, Libræ & Aquarii imago, in lapide ſculpta ab omnibus ægritudinibus frigidis & ſiccis ex humore melancholico oriundis, liberat, præſertim verò quartana, eritque in trianguli cuſpide libra, in baſis dextra Aquarius, in ſiniſtra Gemini.

Aqueæ triplicitatis, id eſt, Cancri, Scorpii, Piſcium figura lapidi inſculpta, à calidis & ſiccis morbis liberat, ut hectica, omnibusque choleræ morbis, verùm geſtantem reddit inconſtantem, injuſtum & veritatis oſorem, debet autem in coronide trianguli eſſe Cancer, in baſis dextra Piſces, in ſiniſtra Mars.

Saturni figura inſculpta lapidibus eſt ejusmodi. Vir ſenex falcem tenens in manu, habens barbam non multum piloſam: hæc figura ſculpta in lapide de natura Saturni geſtantem reddit potentem cum continua poteſtatis augmentatione. *Planetarum ſculptura.*

Jovis Imago eſt hominis ſedentis in ſolio, ſeu in quadrupede cathedra, virgam tenentis una, altera vero pilam; ſeu tenentis idolum, Cancrum vel Piſcem, & ante pedes habentis aquilam: Sed apud Magiæ Doctores aliter figuratur, hominis enim figuram ſculpunt cum arietino capite, rugoſis calcareis, ſubtili pectore, quæ ſi lapidi maximè Krabati inſculpatur, geſtantem reddit fortunatum, amabilem religioſisque gratum, extollitque ad honores & dignitates.

Martis imago multipliciter in lapide figuratur, interdum cum vexillo in manu, interdum cum lancea, aut alio inſtrumento bellico, ſemper tamen armatus, & aliquando equeſter: hujus lapidis ſic ſculpti virtus geſtantem reddit victorioſum, audacem, bellicoſum, maximè verò, ſi ſculpatur in lapide virtutis conſimilis.

Solis figura diversimodè reperitur, interdum instar, ☉ cum radiis circumquaque: aliquando instar Hominis sedentis in solio cum capillis sparsis, & veste profusa, nec non in curru, acsi ab equis quadrigis veheretur, ita ut circa currum sint 12. Zodiaci signa: Virtus autem hujus figuræ in aliquo lapide sculptæ gestantem reddit imperantem, Magnatibusque gratum.

Veneris imagines similiter multæ sunt, lapidibus tamen sequens frequentiùs insculpitur: Mulier cum magna veste & stola, manuque tenens Laurum: hujus virtus est agilitatem dare in rebus agendis, omniaque ad optatum finem deducere, timorem submersionis aquaticæ auferre, honores verò muliebres afferre.

Mercurii figura Homo est gracilis pectoris, pulcram habens barbam cum talaribus, caduceam tenens virgam cum Gallo ante pedes, aut cum Serpente sub pedibus: virtus ejus est conferre ad sciētiam & oratoriam comparandam, mercatoribus locupletandis quoq; maximum præstat auxilium.

Lunæ imagines variæ sunt, aliquando enim figuratur in propria Lunæ figura, cum cornibus, interdum in curru; ut puella cum canibus & pharetra, cum canibus sequentibus cervum: hujus imaginis virtus est præbere expeditionem in legionibus, ex his bona & honores, inque omnibus rebus agendis præstare celeritatem & facilitatem, adq̄ue optatum finem omnia deducere.

Verùm cautè observandum jubent, ut etiam suprà monitum est, Planetam, cujus imaginem in annulo conveniente sculptam cupis, optimè debere esse dispositum, hoc est, non combustum, retrogradum, malorumque radiis oppressum aut tactum, sed in bono cœli loco, oriente vel medio Cœli, cum Jove vel Venere, in dignitatibusque essentialibus, aliàs imaginem vanam existere, nulliusque momenti.

Ursi imago quomodo formanda? Ursa.

Cæterum Ursi imaginem sic formârunt veteres:

Binas ursas insculpunt circumvolutas à Serpente, major ursa in capite circumflexionis, minor in cauda continetur: quæ imago in aliquo lapide sculpta, gestantem scientem reddit, versutum & potentem.

Coronæ imago similitudinem coronæ Regiæ cum pluribus habet stellis, interdum in similitudine Regis capite coronati figuratur, & existit in Septentrionali parte & signo Sagittarii, estq; de natura Veneris & Mercurii, si hæc imago in lapide fuerit sculpta, dat gestantibus honores & scientiam, regiamque gratiam.

Herculis quoque incurvati imago talis est: Vir in genua prolapsus tenens in manu clavam interficiensque Leonem: aliquando Vir cum Leonina pelle in manu, talesq; figuræ in decente lapide sculptæ ad victoriam conferunt bellicam, maximè, si in Achate gestetur.

Cygni sive Gallinæ imago, expansis alis colloque incurvato, gratum gestan-

gestantem reddit populo, scientem, divitem, podagramque paralysin & quartanam pellit.

Cephei figura habentis præcinctum ensem cum brachiis & manibus expansis in lapide sculpta, cautum reddit & scientem, & si pulvinari dormientis supponatur, in somno res delectabiles facit apparere.

Cassiopea mulieris imago est sedentis in cathedra, habentis manus porrectas ad modum crucis, aliquando cum triangulo in capite, in signo autem Tauri constituitur, & in septentrionali parte ejus natura est de Saturno & Venere: si hæc sculpta fuerit in convenienti lapide, virtus ejus erit, hominibus sanitatem præbere, infirma & defatigati corpora restaurare, quietem & tranquillitatem post conceptum laborem gestantibus præbere, amœnum & suavem somnum præstare.

Andromeda puellæ imago est, habens crines sparsos, ac remissas manus, à tauro continetur in septentrione, Venerisque naturæ est: ejus virtus est, si in lapide sculpta erit, rixas & jurgia inter virum & uxorem ortas reconciliare, & stabilem amorem firmare: & à quamplurimis infirmitatibus custodire.

Perseus, ensem in dextra manu, in sinistra caput Gorgonis habens, imago est, ac locatur in Tauro, & in septentrionali parte vim Saturni habet & Veneris, si in lapide sculpta fuerit, ab infortunis gestantem avertit, & à fulgure, & tempestate præservat, non solùm gestantem, sed & loca, ubi continetur, fascinationes quoque solvit.

Serpentarius est Hominis figura habentis Serpentem, tenentisque in dextra caput, & in sinistra caudam: est in signo Scorpionis, & in Septentrione, naturam habet Saturni & Martis: virtus ejus in lapide sculpta, est valere contra venena, venenosorum animalium morsus curare, & si lotura ejus bibatur, facit venenum evomi sine læsione.

Aquila sive Vultur volans est imago Aquilæ volantis cum Sagitta sub pedibus, in Cancro, & septentrionali parte collocatur, de natura Jovis & Martis, sed sagitta de natura Martis & Veneris: hæ constellationes cùm in lapide sculptæ erunt, gestantis veteres honorum gradus conservare, & novos acquirere, atque victoriam conferre dicuntur.

Piscis sive Delphinus est imago gibbosi Piscis: est in signo Aquarii & in Septentrione, naturam habens Saturni & Martis, quodsi in lapide sculpta sit, artubusque alligata fuerit, gestantem fortunatum efficit in piscando.

Pegasus sive Equus altus, vel secundùm aliquos medietas Equi cum alis: secundùm alios totus Equus cum alis, & sine freno: in signo est Arietis, & in septentrionali parte, naturam habens Martis & Jovis: si sculptus fuerit in lapide, gestanti in campestri bello victoriam præbet, & velocem, cautũ audacẽq; reddit; si verò Equi collo suspendatur, aut in aqua ponatur, ubi bibat Equus, à multis infirmitatibus eum liberabit.

Cetus eſt figura magni Piſcis cum curvata cauda & magno ore, continetur à Tauro, & in meridionali parte, naturamque obtinet Saturni: in lapide hæc figura ſculpta ſi ſupra dorſum habeat ſerpentem criſtatum, in mari geſtantem felicitat, eumque prudentem & amabilem reddit, & ablata reſtaurat.

Orionis armati Hominis imago cum enſe ſeu falce in manu, collocatur in ſigno Geminorum, & in parte meridionali, Jovis, Saturni & Martis naturam habet, hæc figura in lapide ſculpta, geſtantem reddit victorioſum, & de inimicis victoriam reportare facit.

Navis imago eſt cum retorta prora, & elevato velo, & aliquando ſine & cum remis, continetur à Leone, & in meridionali parte eſt naturæ Saturni & Martis, in lapide autem ſculpta ſecurum reddit geſtantem in agendis rebus in mari, & aqua, nec ab aqua damnum capere permittit.

Canis imago eſt figura Canis leporini cum cauda curvata, exiſtit in ſigno Cancri, & meridionali parte, naturam Veneris habens: ſi in lapide ſculpta ſit, ipſam vim habere dicunt liberandi totaliter lunaticos, maniacos, Dæmoniacos.

Leporis ad ſimilitudinem Leporis imago eſt cum extenſis auribus & pedibus ac ſi in curſu eſſet, in ſigno Geminorum collocatur, & in meridionali parte: natura ejus eſt Saturnia & Mercurialis: virtus hujus eſt, phreneticos curare & contra Dæmonum verſutias valere, nec à maligno ſpiritu geſtans poterit lædi.

Centaurus eſt figura Tauri usq; ad collum, reliqua Hominis tenentis in ſiniſtra manu haſtam quieſcentem ſuper ſiniſtra ſpatula cum appenſo Lepore, in dextra verò manu beſtiolam reſupinam cum lebete appenſo: in libra & meridionali parte conſtituitur: eſtque naturæ Jovis & Martis, virtus hujus ſculpturæ eſt reddere geſtantem conſtantem, & ſanum perpetuâ ſanitate.

Canis imago ſedentis in Cancro, de natura Veneris eſt: ſi in lapide ſculpta fuerit, tecumq; portaveris, hydropem non timebis, & à peſte, Canisque morſu liberaberis.

Sacrarii ſeu thuribuli figura de natura Veneris & Mercurii, cum accenſo igne, ſi in lapide ſculpta erit, habilem geſtantem ad convocandos ſpiritus efficit, ac in eorum converſatione eſſe, eosque reddit obedientes: geſtantem quoque ornat perpetuâ virginitate.

Hydræ ſeu Serpentis imago eſt Serpentis figura habentis ſupra ſe urnam circa caput, & Corvum circa caudam, de natura Saturni & Veneris: virtus ejus eſt, efficere geſtantem ditiſſimum, aſtutum, cautum, prudentem, & à nocivis rebus liberum, & reſiſtit omni noxio colori.

Coronæ auſtralis figura, imperiali coronæ aſſimilatur, de natura Saturni

turni & Martis, in augendis divitiis ejus virtus est, hominemque hilarum, & jucundum reddere;

Agitatoris seu Aurigæ imago est hominis figura in curru tenentis hircum in humero sinistro: collocatur in signo geminorum & in Septentrione, naturam habens Mercurii : hæc figura in lapide sculpta facit gestantem venatorem & fortunatum in capiendis animalibus.

Vexilli imago fit in similitudinem vexilli expansi in extremitate hastæ. Hæc in lapide sculpta efficit gestantem in militia fortunatum, ac victorem in campestri bello.

Imago Leonis sculpta in auro, Sole existente in Leone, Luna Saturnum non respiciente, præservat à calculo calidisque ægritudinibus.

Scorpii imago in annulo aureo & lapide bezoar impressa, aut sculpta, Luna existente in Scorpione, sitque Scorpius in uno ex cardinibus mundi, ad puncturam Scorpionis valet.

Imago Aquarii prodest iis, qui habent falsas imaginationes, ut sunt melancholici, quartanarii, maniaci, oportet autem ut fiat in die Solis, & hora ejus, & non sit Jupiter combustus, neque Sol sit Jove altior, neque Saturnus sit in ascendente, neque in 19. gr. arietis: 3. 15. 27. tauri: 11. geminorum 3. 4. 12. 15. 19. cancr. 2. 5. 19. Leonis: 3. 13. 30. Virginis: 3. 5. 21. libræ: 7. 18. 20. 21. Scorpionis: 13. 20. Sagittarii: 12. 13. 24. Capricorni: 7. 18. 20. Aquarii: 13. 20. piscium.

Imago piscium, Sole existente in piscibus in 12. domo & Luna in ascendente, dominoque ascendentis & domino domus sextæ aspectu sextili aut trigono respicientibus ad invicem, aut saltem Luna respiciente alterutrum, à podagricis doloribus gestantem sub plantis pedum liberare experimento dicitur. Verùm, & tempus electionis in hisce & similibus figuris formandis diligenter observandum, majorem enim tunc è cœlo virtutem suscipere, si statis temporibus oportunisque horis insculpantur, sic enim magis influere sidera, experientia habetur compertum. Unde amorem excitare benevolis, odium verò accendere volens, iniquis aspectibus utitur. Saturni igitur imagine in febricari volunt ipso existente in Capricorno vel Aquario, Jovis in Sagittario vel Piscibus, Martis in Ariete & Scorpione, Solis in Leone, Veneris in Tauro & Libra, Mercurii in Geminis & Virgine, Lunæ in Cancro. Sic Leonis vel Cancri imago annulo vel lapidi infigi debet, Sole Leonem, Luna verò Cancrum peragrante, ita tamen, ut uterque ab omni impedimento sit liber, præsertim verò à radiis Saturni vel Martis. Tenendum etiam quodlibet signum, quamdiu Sol in eo est, vivum fieri, cæterisque dominari, effectumque ejus præ aliis sentiri, ideoque semper Planetam dirigendum ad locum esse, id est, signum, faciem & gradum, quem Sol illustrat.

NB. Contra Podagram.

Nota dilig.

Hactenus de imaginibus magicis Priscorum Sapientum, quas eam potissimùm ob causam hic enumerâsse placuit, ut planum fiat, quid inter physicas seu naturales & superstitiosas sculpturas intersit: Si quis enim cum superstitione ad malè agendum eas referre velit, ordini divino & ipsius artis, ex qua fluxerunt, principiis, erit contrarius, eique verendum, ne, deliris superstitionibus circumventus, delirus totus evadat & superstitiosus.

Quomodo imaginibus utendũ.

Cæterum iisdem ferè ex fundamentis & causis etiam nunc conflati inceperunt laminæ auratæ argenteæque rotundæ, quadratæ, vel triangulares, quibus certi Planetarum signaturæ & characteres ad certos cœli positus & cõfigurationes seu constellationes insculpuntur, pro cujusque Planetæ favore atque influxu conciliando: imprimi enim, recipi atque retineri in ejusmodi figuris & simulacris, certâ specie, imaginibusque insignitis, Planetarum influxum, rationi & experientiæ consentaneum est. Hoc interim accuratissimè observandum, ut Planeta, cujus influxum quis petit, sit fortis & fortunatus, hoc est, in proprio domicilio, exaltatione, vel triplicitate, in orientis angulo vel medio cœli, liber à malis radiis Saturni vel Martis, fultus Veneris vel Jovis trigono aut sextili, vel iis junctus, directus, velox cursu, non combustus, ascendens in circulo augis. Exemplo sit Mercurius, cujus influxum si quis pro intellectu, ingenio memoriaque acuenda conciliare sibi cupit, observet, quo tempore anni Mercurius in Geminis vel Virgine, in quibus signis suum habeat domicilium, sit fortis & fortunatus in oriente vel medio cœli: inventâ horâ horæque minuto, fiat cœlestis figuræ unà cum aspectuum delineatione, diligens & artificiosa sculptura in argento puro, quæ postea serico albo inclusa reservatur, tiaræque ea parte, quâ præcisè cerebellum contingit, additis Moschi optimi aliquot granis, insuitur: Hoc anno 1610. Mercurius fortis & fortunatus repertus est circa 14. & 15. Jun. horamque matutinam secundam: Iterumque fortissimus & fortunatissimus existet in Septemb. & Oct. paulò antè & post horam matutinam 5. quo tempore Solem in orientali cardine antecedit in propriis dignitatibus.

Planetarũ influxus ac vires metallis quomodo imprimenda?

Atque hic est modus intellectivam potentiam memoriamque exacuendi è cœlorum virtutibus: ex vegetabilibus quoque animalibusque non parùm me gratiæ initurum spero apud eos, qui memoriâ sunt fragili & fluxili, licèt ad intelligendum excitati, si remedia quædam pro memoria corroboranda, quibus Clariss. & Doctiss. Viros feliciter usos scio, quæque hactenus inter secreta abscondita latuerunt, expromsero, non invidens, quæ publico possunt esse usui. Multa autem iis inesse scias, quæ neque temperamento, neque materiæ vel ulli qualitati manifestæ inhærescunt, sed soli proprietati cuidam occultæ ascribenda sunt.

Recipe cordium hirundinum, adhuc palpitantium numero 7. turturum num. v. menthæ ficcæ, pulegii, verbenæ, eufrafiæ, coriandri præparati, gallitrichi, fing. ℨj. florum rofmarini ℨj. ſ. calami aromatici, cinnamomi, fing. ℨij. Caryophillorum ℨ. I. ſ. mofchi, & Galliæ mofchatæ, fing. grana viij. mellis anacardini, ftyracis calamitæ fing. ℨſ. quæ ex his patiuntur triturationem, redigantur in pulverem tenuem, cumque aqua fœniculi redigantur in paftillos ad formam nuclei palmulæ. Ufurus hunc fervabit ordinem. Purgato corpore, 50. noctibus nihil præter paffulas cum amygdalis paucis & pauco pane cœnabit, prandium autem erit affa gallina, aut pullus gallinaceus, turtur, perdix vel fimile quid, potus vinum unius anni modicè dilutum. Singulis autem noctibus fub fomni horam, paftillus dextræ nari inferetur, cotoque obturabitur, ficque fervabis, non ultra quàm XXX. Virgilii verfus recitaveris: elapfis diebus aliquot, paftillum finiftræ nari aqua rofarum madefactum indito, omniaque, quæ lecturus es, tenebis, vel intelligentia citò affequeris. Abftinendum verò, qui memoriam fic fervare omnino cupit, ab ebrietate, Venere, cruditate ventriculi imprimis, omni fatietate, fructibus viridibus, oleribus, carnibus falitis, omnibusque flatus generantibus. Poftrema menfa coriandri præparatum femen affumendum eft. Inprimis quoque curandnm, ut diligenter & probè præparetur. Non quoque innoxium erit, per intervalla paftillum unum ore detinere ac deglutire. *a* Juvabit quoque paftillum fuper prunas projicere, ut fumus probè recipiatur in nares, receptus retineatur, naribus goffypio obturatis, ne exhalet, vel etiam paftillos aliquot aqua lavendulæ vel rofacea, vel anifi diffolvere, frontemque tempora nares & occipitium circa memoriæ capfulam manè & vefperi frequenter madefacere, inque nares linteola pura eâ imbuta immittere. Atqui hoc remedium paucis patefactum eft.

a *Hæc praxis maximo emolumento multis fuit.*

Communius eft, licèt à multis hactenus occultatum, quod recipit.

Zingiberis, piperis longi, galangæ, caryophyllorum, cubebarum fing. unciam unam: nucis mofchatæ unciam unam & femis, in pulverem redacta condantur facco lineo, coquantur in vini optimi menfura una & dimidia, in olla nova vitreata benè obturata, ne fiat evaporatio, lento igne, bibatur de hoc vino tribus ante inunctionem diebus jejuno ftomacho plenus & fortis hauftus, fimiliter & vefperi: quo facto hieme ad ignem, æftate vero ad Solem capitis pori frictionibus & pectine diligentiffimè aperiantur, ut vapores fuliginesque exhalent, ipfumque caput lavetur aquâ ruthæ fimplici, poftea circa tempora & occipitium, cellamque memoriæ fiat inunctio fequenti unguento, quod recipit.

Flo-

Florum caulium, lil.conval.liliorum alborum, melissæ cum floribus, menthæ crispæ, sing. manip. 1. contusis adde olei olivarum uncias ij.& semis, butyri vaccini majalis non saliti uncias iiij. Vini sublimati fortiss. Cochlearia iij. aquæ rosarum cochlearia iiij. buglossi, ruthæ, chelidonii, salviæ, sing. cochl.ij. commisceantur omnia, & bulliant super ignem sine fumo & flamma, postea reponantur in vitreo vase, insolentur dies aliquot, ut color in cereum convertatur, sicq; partum biennio viget in virtute sua. Herbæ autem ipsæ colligentur in Solstitio æstivali, moxque distillandæ sunt, & ad unguenti compositionem assumendæ. Triduali igitur purgatione præmissâ cum dicto unguendo inungantur tempora, cella memoriæ & occipitium, maneasque calidus & quietus, donec ac interiora penetrârit, & hæc fient à principio per dies 4. postea verò singulis annis semel tantùm per biduum crescente Luna: in tertio anno non erit necessaria inunctio, nisi semel anno: alimenta sint facilis digestionis, & potus moderatus, excedens enim & continuata hîc ebrietas venenum est. 3. Sed & hoc sequens unguentum excellens est, quod recipit, radicis buglossi, valerianæ sing. uncias 3. radicis ruthæ uncias ij. redigantur in pulverem: deinde recipiantur succi eufrasiæ, hormini, verbenæ sing. uncias iiij. colentur per pannum. Postea misceantur succi & pulveres, addas medullæ anacardiorum unciam unam, linguæ avis id est, seminis fraxini in pulverem redacti drachmas iiij. cumque pinguedine ursi fiat unguentum, quo inungantur tempora, frons & memoriæ cellula. Hoc magni viri usi sunt: inunctionem suadent fieri debere ter vel quater in anno, ego singulis mensibus, si segnior operatio animadvertatur, ut in quibusdam contingere visum est.

Sed ut ab animalibus & vegetabilibus ad cœlestia revertar, eodem planè, quo Mercurii, modo & formâ reliquorum etiam Planetarum vires atque influxus conciliari poterunt, ut pro honoribus & dignitatibus Principum Magnatum favore atque benevolentia impetranda, imago Solis existentis in Leone & domo decima, in trigono Jovis vel Lunæ: Unde in his figuris formandis unicè spectandum, ut is Planeta, cujus quis sibi virtutem & influxum cupit conciliare, ab omni impedimento sit liberrimus.

Verùm, cur & unde annuli, imagines & figuræ in certo metallo vel lapide sculptæ, creditas habeant vires, non temperamento, non manifestis qualitatibus, non toti substantiæ est assignandum, sed divinæ & magicæ, hoc est, superiori cuidam & sublimiori causæ, quam non inconvenienter spirituale vehiculum & vinculum quidam appellitârunt: hoc mediante corpus & anima substantiæ invicem distantes copulantur invicem, hâc Magnes trahit ferrum, cichoriumque motum Solis insequitur:

Spiritus potentiarum occultarum vehiculum. NB.

Hoc vehiculo & vinculo intercedente seu interveniente, Mercurius efficax

efficax eſt in hydrargyro, memoria & cogitativa acuenda vel debilitanda, alectorio lapide, colore & ſapore mixto, Ægypto, Græciâ, Angliâ, Flandriâ, Sileſiâ:

Hoc vehiculo interveniente, Luna efficax eſt in argento & vitris, cerebro, oculo ſiniſtro viri, mulieris dextro, colore albo, cœruleo & cineritio, ſapore ſalſo, mediocri odore, cryſtallo, climate ſeptimo, Flandriâ, Hollandiâ, Selandiâ, Daniâ.

Saturnus in pumbo, aure dextrâ, ſplene, veſica & oſſibus; colore nigro, livido, & plumbeo, ſapore ſtypetico, lapidibus nigris & obſcuris, climate primo, orientis dextro, Saxoniâ, Stiria &c.

Jupiter in ſtanno, pulmone, coſtis, pulſu, ſemine, aure ſiniſtra, colore fuſco, purpureo, flavo, viridi: Smaragdo, Sapphiro, Amethyſto: ſapore dulci, climate ſecundo, Septentrione, Babyloniâ, Perſide, Ungariâ, Hiſpaniâ.

Sol in auro, corde, arteriis, oculo dextro, latere dextro: colore aureo, croceo, ſubruffo, hiacyntho: ſapore acuto & acri, odore bono, non excedente: Climate quarto, oriente,

Mars in ferro, aure ſiniſtra, felle, renibus: Jaſpide: ſapore amaro, felleo, acuto: colore rubeo: climate tertio, Septentrione, Sarmaticâ, Getuliâ, Longobardiâ, Gotiâ.

Venus in cupro & omnis generis ſpeculis: matrice, renibus, mamillis, gutture, genitalibus, epate: colore albo: ſapore unctuoſo, dulci & pingui: margaritis, ſapphiro, & carbunculo: Climate quinto, Auſtriâ, Arabiâ, Campaniâ, Poloniâ, Helvetiâ,

Hujus igitur influentiæ occultæ principium petere ex principibus & manifeſtis illis qualitatibus, temperamento vel tota ſubſtantia, non tam abſurdum quâm ridiculum eſt, cùm illorum, à quibus hæ virtutes promanant, corporeæ non ſint, & ſine corpore (non tamen ſine vehiculo) cœlitus illabantur.

Quare nullâ hîc opus ex ſenſibus menſurâ, nullâ ambitioſâ verborum pugnâ & inani demonſtrationum conatu. Omnis philoſophicæ demonſtrationis initium à ſenſibus & qualitatibus non peti poſſe, ſed aliunde petendum, vel ex hoc vulgato pateſcit, ſi quis quærat de albæ roſæ colore, unde ſcilicet ducat originem, cauſamque velit frigidiori temperamento aſſcribere, quid quæſo dicet de rubra? Intybi ſpecies lacteumne iccirco ſuccum fundere dices, quòd ſint frigidæ? at complures calidiſſimæ, ut ſunt tithymalli, qui eodem turgent & madent ſucco. Et aloë iccirconè amara eſt, quia calida? Atqui in opio, quod pernicioſo frigore necat, amaritudo eſt eximia. Et licèt ex totius ſubſtantiæ proprietate talia promanare concedatur, ſublimior tamen & præſtantior opifex, inſculptor & formator

Contra ſenſuales Philoſophos.

Ee tor

tot ſupra illam in noſtro myſterio collocandus eſt & quærendus. Fruſtrà igitur Alexandrei ad manifeſtas qualitates omnia referre conati ſunt, quod Scalig. exer. 318. ſummæ ait eſſe impudentiæ, & ſaltem inventis decuit illos acquieſcere. Videmus è naturæ gremio & ſinu quædam prorumpere, quorum cauſæ etſi ſint planè inexplicabiles nobis, juvat tamen interea & vopluptati eſt Philiatro, rerumque naturalium induſtrio, ſagacique inveſtigatori, probabiles rationes comminiſci, quas ſi non aſſequitur planè, non tamen rebus manifeſtis propterea derogat fidem, nec effectus calumniatur, ſed naturam ejusque opificem admiratione proſequitur.

Altera Tractatus pars

Hactenus de admirandarum & occultarum in natura actionum principiis & cauſis, reliquum nunc eſt, ut ſuprà propoſitæ quæſtionis explicationem ex commemoratis iſtis principiis deducamus.

Conſtare autem omnibus arbitror ex iis, quæ hactenus in publícum ſunt à me prolata, plantas, radices, lapides, metalla, ſpiritus & aſtra, divina quadam conſortii lege conſpirare, quod non aliunde accidere videtur, quàm ut Plato in Timæo docet, quòd cuilibet rerum ſpeciei peculiare aſtrum, ut polus magneti, & proprius homini genius à divina mente ſit conſecratus & dicatus, ut ita quælibet planta, quodlibet metallum, ac quilibet pretioſus lapis certæ ſtellæ vel aſtro ſit ſympatheticus. Sed hæc quò ſublimiora, eò altiùs ac diligentius à primordiis repetenda ſunt & veſtiganda. Conſentiunt omnes, Cœlum & omnia olim proximè à Deo fuiſſe procreata, à Deo vires accepiſſe & retinere divinas, quibus tum ſe conſervent, tum generis ſui propagationi incumbant. Deus enim nunc pauca admodum ſine cœlorum, naturæ ſeminisque interventu ingenerat, imò conditis naturæ legibus omnia per cœlum adminiſtrat: quæ enim Deus olim propriis operibus inchoavit & perfecit, ea tanquam feriatus cœlo velut adminiſtro & ſynergo continuanda credidit, & ne ſcilicet longa fortè temporis intercapedine jam olim creatum perfectorum animantium genus deficeret, cœlitus vitalem vim immittit ſemini, quæ deinceps materiam ſic apparet, inſtruat, diſponat, gignendisque rebus reddat aptam, ut omni tempore vim illam animabilem & ſpirabilem de cœlo poſſit excipere & allicere, ſicque continuatus fieret rerum caducarum ſeſe excipientium ordo & ſeries, ſemine quidem materiam ſuppeditante, cœlo verò inducente formam. Sic itaque homo generat hominem & Sol, homo per ſeminis vim apparatum omnem atque ornatum conciliat, proximaque eſt cauſa: Spiritus enim calorque, qui in ſemine eſt divinus, ſubjectam ſeminis materiam ita præparat, ut conſentaneam partibus ſingulis permiſtionem temperationemque, deinde

Philoſophia occulta.

Nota opt.

verò

verò ſtructuram, conformationem poſitumque acquirat, tum demum in totum ſe diffundens ſingulis veluti gubernator inſideat, neque deſerat, quas temperavit, formavit ac compoſuit: altera efficiens hominis cauſa eſt, & quidem prima ac princeps, quæ in præparatam materiam ſimplicem ſpeciem ſeu formam inſerit ac demittit, ut Cœlum & Sol, ſpecies enim rerum cœlitus immittuntur, non è materia educuntur. Quòd autem à veteribus dictum eſt, Deum per naturas eſſe diviſum, & Deorum plena eſſe omnia, ita accipiendum eſt, quod vis illa divinitus accepta & infuſa in omnibus permaneat, quòd divina virtus omnibus inſit, cujus vi omnia emergant, ſed aliter in cœlo, aliter in caducis rebus, in quibus obſcurior, in cœlo autem ad rerum generationem præſtantior eſt atque evidentior. Quæcunque igitur Deus tum in cœlis tum in terris progenuit, omnia unus tuetur atque regit, Cœleſtia quidem per ſe & proximè, animantia verò & ſtirpes aliaque mortalia cœlorum ope & interventu, quibus naturæ leges tum procreatrices tum conſervatrices indixit. Itaque animantium, ſtirpium, lapidum & metallorum omnium, quæcunque fuerunt & eſſe poſſunt, formas, unius cœli formæ poteſtate comprehendit, quæ innumerabilibus quaſi gravidata formis omnia gignit & ex ſe fundit, & ſic una vis & facultas præ ſe fert omnium caducorum vires, ut ita cœlum nullo ſemine multas proferat tum animantes tum ſtirpes, at ſemen ſine cœlo non generet quicquam, ſed gignendis rebus materiam duntaxat & convenienter apparet, ac inſtruat, cœlum verò in apparatam illam materiam ſpeciem ſummamque perfectionem immittat, vitamque ſuſcitet in omnibus, lucido ſpiritu intercedente: hic enim mundi & cœlorum exiſtit vector, in totam univerſitatem diffuſus, rebus ſingulis ſimul & ſpeciem, & nativum vitalemque calorem impertit gignendis illis accommodatum. Is eſt, qui omnia continet, calore vitâque fovet, hujus vi & ope inanima quæque perſiſtunt, & animata ſui quæque generis habent animam, alia nutrientem quidem, alia ſentientem, alia rationis participem. Sic tamen vis illa cœlitus demiſſa rebus ſeſe accommodat, ſic ſingulis inſervit, ut quantum cujusque natura deſiderat, quantum ipſa ſubjecti ratio & conditio ferre poteſt, tantundem exhibeat. Nec tamen illa virtus ſui ſemper eſt ſimilis, aut uno ſe ſemper & modo eodem ſe rebus exhibet, ſed aliàs aliter pro ſtellarum ſtatu & radiatura multiformi, quarum commixtio implexioque plerunque variat, tametſi vectioris ſpiritus una ſemper eſt & impermutabilis ſubſtantia.

Species rerum à cœlo.

Ferri igitur non potest, ut quidam existimant, mundi spiritum, vitam statumque rebus omnibus sic impertire, ut ne minimam quidem astrorum opem desideret, hoc enim si esset, similia similiter, id est, pari mensurâ perpetuò generaret. Vitalem quidem animam secum affert & naturam, ac quæcunque subierit, vitalia facit, sed pro cujusque subjecti natura, conditione dispositione & apparatu.

His ita præsuppositis, quòd videlicet divinæ cœlestesque vires ad rerum omnium procreationem & conservationem concurrant, perq; communem illum vectorem spiritum, intermediæ inter cœlum & sublunaria substantiæ, omnes mundi partes cohæreant, & cuncta complexu concilientur, nihilque in vivente mundo sit tam abjectum, cui non infusus ille Spiritus divinorum cœlestiumq; operum aliquid elargiatur, è cœlo & sideribus vires & proprietates, vitæque seminaria invehens, confundens & permiscens, sicque omnibus inter se concinentibus, ut gravissimis Tullii verbis utar, necessariò omnia uno divino & continuato spiritu contineri, hæc inquam cùm ita sese verè habeant, quis sanationem, factam per unguentum armarium, quo vulnus etiam non applicatis remediis curatur, instrumento tantùm eo unguento delibuto, non naturalem, sed superstitiosam dicet & impostoriam? Nemo sanè, nisi harum rerum omnium ignarus, quique sensibus omnia metitur. Fit enim illa sanatio per meram naturam atque magneticam quandam efficientiam, attractionem & deductionem, per influentiam corporum cœlestium operationes suas perficientium per elementa, nec non toties decantatum vectorem spiritum, qui tanquam medium vinculum primò ex definitis & propriis constellationibus Sympathiam, & copulam seu convenientiam inducit, ex qua deinceps vis sanatoria in telum medicatum derivatur, unde postea egreditur, & ad partem usque vulneratam continuatur ac traducitur, tandemque actione istius virtutis spiritualis consequitur effectus. Nec tamen dubium, phantasiam patientis plurimum hîc habere momenti, (juxta illud Hippocratis, in medendo sæpè concurrunt spes, fiducia & τύχη) tum ad balsamicam in sanguine existentem virtutem à telo medicato attrahendam dirigendamque ad partem affectam & læsam, tum ad movendum principium sanativum, id est, sanandi virtute præditum, in corpore existens. Cœlum igitur, quod pluribus & uni influit, imaginationem, quæ semper adest, & Sympathiam, quæ intercipi aliquando impedirive, destrui non potest, ad determinatam in corpore partem vim sanatoriam deducere statuendum est. Nam inter vulnus & telum est vis Magnetica attractrix & deductrix, illa partem spectat affectam, id est, vulnus, hoc est, attractio fit ad partem vulneratam, virtutis verò deductio ad telum medicatum.

Modus quo vulnus curatur sine remediis.

Verùm

Verùm objicitur, ſpatium interveniens, tempus, & locus, quæ iſtam deductionem ſanationemque impediant, nec admittant, nihil enim ultra determinatum agere ſpatium, item corpus à corpore ſanando tangi neceſſe eſt, tangere enim ſe proprie dicuntur, quorum extremitates ſeu fines ſunt ſimul. Jam autem ſola corpora tenent ſuperficies. Ergo ſola corpora ſe tangunt. Talis autem contactus non fit inter vulnus & telum medicatum, ergo ſanatio quoque per illud impoſtoria eſt & Magica. *Objectiones præcipuæ diluuntur.*

Præcipui hi ſunt arietes, quibus pars adverſa & ſenſuales Philoſophi ad evertendum & explodendum, naturæque finibus excludendum miraculoſum unguenti armarii effectum utitur. Sed facilis occurſus eſt. Et miſeret me eorum. Quis enim neſcit multa ex intervallo exercere actionem ſuam, quorum ſcilicet ſuperficies nullo modo conjungi poſſunt, & nihilominus ſunt ſimul, ut Sol & hominis corpus, quæ ſuperficiebus licèt conjungi non poſſunt, radiis tamen intermediis conjunguntur, non enim poteſt phyſicum agens agere in extremum, quin priùs agat in medium, cùm omnis actio phyſica fiat per contactum. Idem Sol per orbem Lunæ calefacit mundum inferiorem, licèt neque ipſum tangat, neque ſphæram Lunæ calefaciat. Sic omnia illa corpora, inter quæ eſt Sympathia & Antipathia, mutuò ſe afficiunt, exercentque operationes ſuas circa ullum viſibilem contactum, id eſt, unius virtus defertur ad alterum mediante ſpiritu intercedente, ita, ut licèt ſpatium ſit maximum, citra tamen ullam alterationem nec ventis diſſipetur, nec etiam aere vaſto, humido, frigidove rapiatur atque discutiatur, ſed propter naturalem communionem, ſimilitudinem nexumque conſervetur atque continuetur.

Sic in contagionibus quoque nullus fit contactus corporum, ut in certo lippitudinis genere afficiuntur oculi illorum, qui lippum intuentur, item graſſantibus febribus peſtilentialibus multi inficiuntur, qui ad ægrotos nunquam acceſſerunt, hoc eſt, quorum extrema nunquam fuerunt ſimul: maligna enim & putrida iſtarum febrium qualitas corpora contaminat propagando ſe diffundendo & continuando. Itaque qui alium morbo inquinat, non neceſſariò eundem tangit, nam putridum halitum vaporemque in pannum veſtemve aliquam (in his enim & ſimilibus ſemina contagii ſæpè deliteſcere experimentis patefactum eſt) expirans, qui poſtea alium multos poſt dies inficit, non rectè dicitur infectum ſic contaminatumque tetigiſſe, cùm nihilominus tamen citra dubium affirmari poſſit, morbos de homine uno ad alium non transire absque corpore aliquo, id eſt, non transportari absque vapore ſeu ſpiritu vel humore. Ac ſpirituales qualitates hic plurimum valent. Licèt enim ſecundùm modum & exiſtentiam, quæ exiſtunt, per ſe actionem corpoream non edant: per accidens tamen nihil prohibet, quò minùs per medium *Multi ſine contactu afficiuntur in peſte.* *N. De ſpiritualibus qualitatibus.*

 idoneum

idoneum propagentur, quod medium nihil eſt aliud, quam ſpiritus vaporve mediæ cujusdam inter corporatas & incorporatas ſubſtantias naturæ, qui ſpirituales actiones in ſe recipiat, aerique repræſentet, cùmque ſit corporeus, contactu ſuo realiter alteret. Unde veriſſimum evadit, multas eſſe actiones, ad quas non ſit opus eo, qui verè & ſolus contactus eſt, cùm in ſe mutuam actionem exercent corpora multa, quæ ſunt ſimul non per contactum coroporis, ſed virtutis, eſtque hæc virtus, quam per intervalla exercent corpora, effunduntque, qualitas corporis expers, in qua ſola

NB. ineſt efficacitas. Sic vis ex unguento exiens effundit ſe non in lapidem, ferrum vel lignum, quibus cum nullam habet conjunctionem, ſed virtu-

NB. te motoris ad vulnus ſe propagat.

Primum enim movens in unguento eſt vis balſamica in ſanguine & usnea, quæ mediante ſpirituali vinculo ad vulnus usque continuatur, & niſi intercapedo ſit nimia, fiunt unum per utriusque formæ conjunctionem, conjunguntur inquam, quia formæ ſe ipſas propagant & promovent, ita ut etiam egredientes in media intercapedine mutuo occurſu uniantur. Simul igitur ſunt movens & quod movetur, ita ut ſecundùm immediatam ſuperficierum applicationem ſe contingant, vel ut unius virtus ad ſuperficiem alterius, atque ita in corpus alterius deducatur, ſive id fiat lumine, ſive radiis, ſive qualitate occultiore & contactu ſpirituali. Quare unguentum attingit vulnus ſeu conjungitur vulneri, ut efficiens & a-

NB. gens patienti, ſeu ut cauſa transmutans alteransque corpori transmutando, quo etiam modo cœlum conjungitur terræ, quæ tamen ſecundùm ſuperficiem illi non eſt contigua, hoc eſt extrema cœli & terræ ſe non contingunt, ut ita veriſſimum ſit, agentia longo ſæpè intervallo divulſa eſſe ab iis, quæ patiuntur, ut ſi quis eminus videt hoſtem, etſi hic viciſſim illum non videat, repentè tamen commovetur, expalleſcit, trepidatque & contremiſcit, qui certè motus animi ab externo agente, à ſpecie hoſtis objecti ab oculo recepta, & ad ſenſum interiorem delata, in mentem primùm, ab ea in corpora deinde derivatur, agensque longo intervallo à patiente eſt divulſum, unde ſpiritualis hîc & inſenſilis actio eſt, non realis operatio.

Quomodo intelligendi vulgati Canones Phyſicorum.

Itaque movens cum re mota ſimul eſt, intelligi debet de agente proximo, hoc enim ſemper ſimul eſt cum re mota, ut ſunt imaginatio & ſpiritus, id quod in titillatione quoque conſtat, quæ ſæpè fit ſine contactu & attractione, & nihilominus tamen movens & motum ſimul eſſe recte dicuntur, ſcilicet per contactum internum occultum, qui fit vi ſpirituum ab imaginatione impulſorum, partesque illas, quæ titillationem perpeti poſſunt, ferientium, eſt enim motus illorum celerrimus. Ex his quis

non

non intelligit, falsas in physica positiones esse generaliter acceptas, 1. agentium & patientium extrema se semper contingunt. 2. Non est vis aliqua agentis in patiens, nisi illud hoc secundùm extrema & superficiem contingat. Qualitas enim seu virtus cœlestis & magnetica mediante spiritu istius deductionis directionisq; in unguento causa est & quasi vehiculum, quo moto res vecta movetur similiter, nam in vehiculo requiritur, ut sit aptũ ad vehendum, ad vehendum autem aptissima virtus est magnetica cœlestis, quæ quasi intervenit & interjicitur inter telum obligatum & vulneratum locum, movetq; seu dirigit vim ad effectum consequendum. Et qui ignorat vel negat, virtutem quandam ætheris naturis elementaribus à cœlo communicatam (quam Astrologiæ periti dicunt formas earum complere & absolvere) quâ mediante vis ac proprietas quarundam naturarum formis implantetur, ac inter se corpora connectantur atq; cohæreant, & ab hoc ordine nexuq; similitudinis naturalis ortum esse, indeq; mirandarum actionum causas eruendas, is in toto hoc mysterio planè cœcutit. Inter virtutem enim & vehiculum primo Sympathia est; quę postea deducitur transitq; in telum, dehinc in vulnus ob familiaritatem & similitudinem, hæc enim efficiens causa est, ut res invicem vinciantur. Unde inter telum obligatum & vulnus contactum fieri nemo inficiaturus est, licèt is non fiat immediatè extremis simul, & tangat, quod remotum est, primum, id enim in hoc mysterio necesse non est, cùm enim principiorum hîc actio corporea non sit, contactum corporeum etiam requiri opus non est. Vis enim seu virtus pervenit ad vulnus mediatè, non per dæmonem, sed interventu, ut dictum est, virtutis cujusdam sublimioris & incorporeæ, quam Magiæ naturalis Doctores magneticam rectè appellitarunt. Impostoria igitur sanatio non est. Magica tamen. Impostores enim verè sunt, qui omne magicum dicunt superstitiosum & impostorium. *Non omne magicum est impostorium.*

Ad extremum ipsius unguenti descriptionem & compositionem placuit subjicere, ut nemo non intelligat, ex merè naturalibus rebus & quidem ipso homine id componi: Baptista Porta l.8.c.12. id describit, refertq; ad autorem Paracelsum, quem tamen hujus illustratorem amplificatoremque extitisse tantùm, non autorem reperio.

Rec. *usneæ concretæ in calvaria furis suspensi & in aëre derelicti.*
Mumiæ veræ,
Sanguinis humani adhuc calentis sing. unc. unam.
Adipis humani unc. ij.
Ol. linii.
Terebinthin.
Boli armen. sing, ℥ij.

Miscean-

Misceantur omnia simul in mortario, serventurque in vitro vel urna oblonga & angusta.

Alii, recipiunt usneam abrasam è cranio hominis violentâ morte perempti, duarum avellanarum pondere:

Adipis verris aprugni,

Ursini sing. uncias vj.

Lumbricorum terr. ex vino lotorum, inque pistoris fornace ollâ tectâ torrefactorum (non adustorum) unc. iij. horum in pulverem redactorum unciæ uni adjiciunt.

Cerebri aprugni siccati.

Santali rubri odorati, mumiæ & hæmatitis, singul. unc. j. omnibusque mixtis cum adipe faciunt unguentum. Hæc descriptio optima esset, si succo & nervis, hoc est, sanguine & adipe humano, (in quibus maximè dominatur spiritus ille vitalis, vegetabilis & balsamicus) non careret. Itaque in vera hujus unguenti compositione sanguis & adeps humanus non sunt omittenda, quo etiam modo confectum apud me quovis ut tempore possit haberi (quoniam Chirurgi sæpè vel non sunt præsentes, vel etiam à vulnerato remotiores) nunc operam impendo, quantam possum.

Conficiendum autem est Sole existente in libra, usnea verò colligetur cum Luna crescente, inque Veneris existente domo, si fieri potest, non Martis aut Saturni. Si in Veneris domo locum habere Luna non potest, diligenter attende, ut possit abradi usnea Lunâ versante in piscibus, hoc enim signum est omnium convenientissimum propter Jovis domicilium, & Veneris exaltationem, proximum huic est Taurus & Libra.

Quando usnea colligenda.

Sanantur hoc unguento sic confecto omnia vulnera, quæ ferro, ictu vel jactu infliguntur, modò haberi possit instrumentum. Excipiuntur tamen illa vulnera, quæ fiunt in arteriis, & uno è membris principalioribus, ut corde, cerebro &c.

Praxis.

Immergendum autem ferrum seu telum est, quod sauciavit (vel in hujus defectu lignum, seu ramus salignus in apertura cruenta madefactus) in unguentum, & ita relinquendum: æger quotidiè suâ urinâ vel vulnus eluat, deligatque mundo panno lineo, semper pus extergendo, vulnusque aurora qualibet mundificando & absque ullo dolore sanabitur: Hoc Maximilianum Imp. comprobâsse in confesso est. Si instrumentum, quo vulnus inflictum est, haberi nequit, aliud ducatur per vulnus, & loco veri teli id inunge utroque latere, reponatur loco mundo & temperato, si enim aeri vel frigori nimio exponatur, excitabitur dolor. Attendendum est etiam, cæsimne an punctim factum sit vulnus. In punctura enim telum inungendum est à cuspide capulam versùs, in cæsura ab acie versùs tergum. Meminisse præterea oportet obligare tela. Si non apparet,

NB.

quàm

quàm altè ſint infixa, tota ſunt inungenda, ſi apparet, pars illa tantum, quæ fuit in vulnere. Citò ſanaturus ſæpè illine (præſertim verò, ſi vulnus eſt magnum & profundum) ſi maturatione opus non eſt: neceſſitasque non urget, intermitti quidam dies poterunt, imo ſufficit, ſi ſenis diebus id fiat bis, vel ad ſummum ter, ſemper tamen vulnus manè abluendo, extergendo, iterumque deligando.

Ad extremum de usnea non eſt conſenſus: alii petitam eam enim volunt ex capite ſtrangulati, alii parum referre ajunt, ſive ſit ex ſtrangulati, ſive ex alterius cujusdam capite. Verùm cur ex ſtrangulati potiùs quàm alterius cujusdam capite usnea petenda, cauſas adhuc à nemine ſcripto explicatas atque allatas vidi. Ego, qui tamen aliorum eruditorum judicio hîc me ſubjicio, hanc afferri rationem poſſe exiſtimo, quòd in ſtrangulando ſpiritus vitales ob præſentiam mali præſentis in caput ac cerebrum refugiant, unde quia regreſſus illis ob violentam illam conſtrictionem ad principium ſuum non patet, remanere, eos, & cum ſpiritibus balſamoque capitis ac cerebri miſceri ac confundi neceſſe eſt. Et licet omnes functiones animales intereant, manet tamen calor ille in oſſibus, nervis aliisque partibus ſimilaribus, qui & in lapide eſt, & pipere emortuo, ſcilicet elementalis. His ita commixtis in balſamico ſanguine, vi caloris circumfuſi ambientisque humorem vitam imbuentis, cœlique influxu cooperante, usneam ceu vegetabili quâdam vi & virtute in calvaria tandem progenerari veriſimillimum eſt, majoris potentiæ, quàm eſt ea, quæ in alterius cujusdam ex morbo defuncti capite reperitur. In decollatis ſpiritus non retineri, ſed diffugere, evaneſcere ac diſſipari omnibus in confeſſo eſt. NB. De usnea.

De mumia intellige non vulgatam illam in Seplaſiariorum taberna ubique ferè proſtantem, quæ nihil aliud eſt quàm arefacta cadaverum conditorum caro, non autem eorum infarctus & liquor ex carne humana manens. Perperam etiam faciunt Seplaſiarii, qui carnes oſſaque contuſa medicamentis mumiæ neceſſariis commiſcent.

Itaque ut legitima mumia haberi poſſit, in penuria Ægyptiacæ & Arabicæ, quæ concinnabatur ex Myrrha, Aloë, Croco, Balſamo, aliisque pretioſis odoramentis, in hoſpitalibus noſtris cadavera obeuntium Aloë, Myrrha, Croco & aliis ad eam idoneis rebus, replenda ſunt & imbuenda, idoneoque tempore eximenda, & ad uſus cuſtodienda, hanc enim plurimis pollere facultatibus, præter experientiam graviſſimi authores tradiderunt. Sed de mumiæ viribus compertis aliàs plura.

TRACTATUS NOVI
De
MAGNETICA VULNERUM CURATIONE,

Autore

D. RODOLPHO GOCLENIO, MED. D.
& Professore Marpurg. ordinario,

BREVIS ANATOME,

Exhibita arte & manu

JOHANNIS ROBERTI, SOCIETATIS JESU, S. Theol. Doctoris.

BONE ET CORDATE LECTOR.

I.

INOPINATO nuper allatus ad me Libellus est cum hac nomenclatura:

TRACTATUS *novus de* MAGNETICA VULNERUM *curatione, citra ullum dolorem, & remedii applicationem, &* SUPERSTITIONEM. *Autor Rodolphus Goclenius, Med. D. & Profess. Marpurg. Ordin.*

II.

Quo obiter inspecto cohorrui ad impietatem: lecto, identidem tacitus repetii illud è vetusto Poëta, leviter immutatum:

O Divi, horribilem, & sacrum Libellum! Libellum, inquam, quem quo nomine appellem, non invenio; nisi lubeat vocare *Idolomagico-goëticum*, aut *Idolo-magicomaniacum*. Tam enim apertè; & omni verecundiæ velo remoto, *Idololatriam*, *Magiam, Goëticam*, sive *Præstigiatricem* disciplinam profitetur, ut quàm est *Epiphanes*, tam videatur esse *Epimanes*; id est, quàm *clarus*, tam *insanus*, qui quidem sic putet Christianos homines insanire, ut cæci tali duce in Barathrum præcipites ruant.

III.

Ne calumniari me dicas, ex ipso *Libello* id ostendam paucis. Optimo utique animo, atque eo duntaxat, ut simpliciores, & nimis albæ animæ hac tartarea fuligine ne inficiantur; atque etiam, ut omnibus innotescat, ex hæresi prodire Idololatriam, & cæteras, quas dixi, pestes. Ergo audi.

IV.

Principiò, in ipso Programmate profitetur Libellus, *se mirandarum, & in naturæ majestate abditarum rerum causas patefacere.* In præfatione, quæ affert, vocat *recondita & abstrusa.* Lege totum Tractatum. Ne verbo quidem invenies aliquid explicatum, ostensum, apertum, probatum. Tantum asserit D. Rodolphus, & hoc probasse est. Loquor de eo, quod probandum proposuerat, & promiserat; aut de iis, quæ tanquam principia probationi præstrui dicuntur. Respondebit fortè, se authores adduxisse, *antiquissimos naturæ exploratores,* quos istos dicis? Nempe *Ragaël, Chaël, Hermetem, Thetel, & Rabinicum Pseudosalomonem.* Nec injuriam, nec contumeliam faciam D. Goclenio. Ipsi uni plus tribuo, quàm toti huic tam illustrium authorum Pentadi, quos nemo prudens, aut probus, inter prudentes, probosve ullius coloris novit, etsi nec illi nec ulli alteri quicquam tribuere possum in hac vanitate.

V.

Visne eâm vanitatem distributam videre, & quasi deartuatam? scio te velle. Audi igitur primùm de

IDOLOLATRIA,

Quâ redundat hic Tractatus, & undique exundat: sed audi ex plurimis pauca, gratiâ exempli.

Idololatria est, asserere, Jaspidem SACRIFICIA Diis *reddere accepta*.

Idololatria, *metalla Stellis* DEDICARE.

Idololatria, *victoriam inimicorum in prælio* tribuere Marti.

Idololatria, *Nycticoraci scientiam tribuere, quia Palladis avis est.*

Idololatria denique, jubere describi Imagines JOVIS, VENERIS, MINERVÆ, iisque admirandam eo nomine energiam tribuere. (*passim toto libello.*) Sileo alia: jam verò

VI. MAGIA,

Varia, multiplex, perpetua est in hoc portentoso Tractatu. Nam celebratur

DIVINATIO,

Dum tribuitur potui Theangelidis idque experientiâ compertum dicitur. Item Magico sigillo posse à *Spiritibus aquaticis responsa accipi, si tecum habeas in ripa fluvii*, quod per novam Idololatriam simul & Blasphemiam est facere improbos homines DEOS. Notum est enim illud veridici Vatis: *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Isa. 41, 23. DIVINATIO denique (*Ridete, quicquid est domi cachinnorum*, nisi magis ringi oportet) tribuitur imagini ASINI. Quis jam miretur, vel *umbram Asini* esse in proverbio; vel *subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuisse Prophetæ insipientiam*? 2. Petr. 2, 16. ecce jam novo invento *Asini imago* Propheta facta est. Jam verò non desunt in hoc libro Pammagico.

VII. PRÆSTIGIÆ:

Nonne enim Fascino Præstigiator utitur, qui efficit, ut vecordi imagine tabulæ in convivio subjecta, *nemo comedens cum dextra* (sic loquitur præclarum dogma) *satietur*? Sic Milo ille non bovem unum, sed totas hecatombas devorâsset. Neque rursum abest.

ONIROCRITICA,

Sive somniorum vanitas: nam præcepta tradita, quibus *in somno facit terribilia videre, at mirabilia, aut res delectabiles facit apparere*. Porrò

VIII. NECROMANTIA,

Et cum Diabolo familiaritas aperta passim traditur. Vel cùm nescio, quam *virtutem* fingit, *convocandi, congregandi, & constringendi dæmones*, vel cùm *dæmones* facit *obedientes*, & quidem *subterraneos*, vel cum jubet vocare *aquaticos Spiritus*, & ab eis *de quæsitis responsa* pollicetur, vel cùm Spiritus eò adducit, ut non quovis modo obediant, sed *revelent* QUALESCUNQUE THESAUROS. Ubi estis Midæ, Crœsi, homi-

hominum mendicabula? præ hoc Mago, dico. Vel denique, cùm *habilem facit ad convocandos Spiritus, ac in eorum* CONVERSATIONE ESSE.

IX.

Euge Conversator! quid mirum, si hanc tam multiplicem Magiam comitetur.

BLASPHEMIA

Minimè simplex? Quoties enim nescio, quibus stultarum imaginum quisquiliis ea vis tribuitur, ut non modò hominum, sed & DEI GRATIAM concilient? vel DEI DILECTIONEM? Et quidem quod boni Calvinistæ hactenus non patiuntur, tribui *Operibus bonis, ut* DEI *Gratia augmentum promereri possint*, ne si à Gratia quidem eadem profecta sint; hoc jam illis facilè præstat *Galli imago*, aut *trium puellarum*, aut *hominis coronati*, aut *Arietis*, *Leonis*, *& Sagittarii*, O facilem & felicem Theologiam!

X.

Quid igitur mirum, si Disciplina illa nobilis, quâ hæc talia efficiuntur, tantis à D. Rodolpho elogiis cœlo æquatur? nimirum dicitur MYSTERIUM. Dicitur *cognitio esse rerum abstrusarum, & in natura* MAJESTATE *penitùs occultarum*. Dicitur habere *effectus* MIRACULOSOS. Ipsæ actiones dicuntur MIRACULOSÆ. Et quisquam deinceps dicat, Calvinistas nulla patrare *miracula*? Dicitur item MAGIA *vera & naturalis*. Itaque immeritò D. Rodolphus (quod ipsius pace dictum sit) ad hujus disciplinæ commendationem addidisse mihi videtur *Sigilla* quædam, & *Sculpturas* hujus artis fœtus, *gestari & custodiri* debere *magna cum* REVERENTIA *&* DEVOTIONE, maximè cum sciat, magistrum suum Calvinum, & fratres Calvinicolas ferre non posse, ut *Reverentiæ* quicquam aut *Devotionis* impendatur Imagini S. AFRÆ, quæ *Draconem* DEI ope occidit: cùm ipse D. Goclenius inter ea, quæ *magna cum Reverentia & Devotione gestari* vult, & *custodiri*, primo loco ponat DRACONIS FORMOSI *imaginem*.

XI.

Hunc pictum fictumvè Draconem, aut alias aliarum Imaginum nugacissimas, impiissimasque nugas, quis putet efficere posse, quæ toto Libello deprædicat D. Rodolphus? Qui si hæc suâ Magicâ arte præstare potest, in hac quidem vita felicior homo nunquam fuit, quippe cui nihil adsit mali, nihil absit boni. Lubet hæc duo ostendere obiter, ut quæque fortuitò occurrent, & velut per Satyram: ne, qui ulcus illud propudiosi codicilli non viderit, me illi puris tantùm falsò asscribere arbitretur.

XII.

Igitur Characteres isti, si D. Rodolpho credimus, omnia mala amoliuntur, ut *Podagram, Fulgura, Tempestates, Vitia, Fascinationem, Maleficia, Ebrietatem, Dæmones, Morbos brutorum, Phrenesin, Lunaticum delirium, Venena, Bestias terrenas & marinas, Febres, Serpentes, Epilepsiam, Inimicos. Latrones, Feras, Omnem læsionem*, quod vulgò vocant, wider hauen und stechen / *Incantationes, Canes*, quos nec *mordere* permittunt, ac ne *latrare* quidem, *Mortem violentam, Submersionem, Casus adversos, In-*

fortunia, Damna aquæ, *Maniam*, *Dæmonum versutias*, *Hydropem*, *Pestem*, *Scorpiones*. Satin' hæc sunt? non sunt. Nam etiam morbos omnes, & MORTEM arcent: Siquidem *Centauri figura gestantem reddit constantem*, *&* *sanum* PERPETUA SANITATE O grandia MIRACULA CALVINISTICA! & cujusmodi nemo Catholicus, nemo Sanctus unquam patravit; sed audi majora.

XIII.

Non satis est, mala omnia procul averruncare: nam etiam eadem lepida sigilla omnia, quæ velis, BONA conferunt. Ostendo iterum ordine ipsius Libelli, id est, nullo. Conferunt, inquam, *Audaciam*, *Principum favorem*, *Lætitiam*, *Venustatem*, *Robur*, *Ingenium*, *Memoriam*, *Sanitatem*, *Libertatem*, *Victoriam in bello*, *Thesauros*, *Victoriam in causis civilibus*, REGNUM, (vivat Rex D. Goclenius!) *Divitias*, *Felicitatem in Aucupio*, *Piscatione*, *Venatu*, *Mercaturam prosperam*, *Concordiam*, *Frequentem ad convivia vocationem* (Parasitorum votum!) *Aspici ab omnibus cum admiratione & stupore*, & videlicet, *Dicier*, *Hic est*. Quin & INVISIBILEM fieri. Credo, cùm Diabolus tales impostores è medio rapit. Adde *Fructus terræ*, *Justitiam*, *Castitatem*, *Astutiam*, *Prudentiam*, *Fortitudinem militarem*, *Felicem terræ culturam*, *Bestiarum obedientiam*, (en restitutam Adami potentiam! an & innocentiam?) Adde & *oracula Medicinæ peritiam*. Hinccine emersit tua, D. Gocleni? *Somnia quæcumque volueris*. *In verbis prudentiam*, *Potentiam*, *Audaciam*, *Divitias*, *Honores*, DEI *&* *hominum gratiam*, *Animositatem adversùs Dæmonem*, *Principum obedientiam*, *Itinera felicia*, *Matrimonii concordiam*, *Scientiam*, *Eloquentiam*, *Astutiam*, *Felicitatem in duello*, *Bonam Famam*, *Victum & amictum*, *Oculorum incolumitatem*, *Honores muliebres*, *Sanitatem*, *Quietem*, *Somnum*, *Velocitatem*, *Felicitatem in mari*, *Virginitatem perpetuam*. I jam, & dic, Calvini asseclas non amare castitatem.

XIV.

Quid ad hæc addi potest? verbo dicam OMNIA. Mentior, si non leges hæc verba: QUICQUID *petierit obtinebit*, &, *Facitque potentem*, *&* OMNIA *impetrantem*. Et OMNIA *ad optatum finem deducere*. Ita quidem D. Rodolphus. Sed absit à Christiano pectore, vel boni quicquam exspectare, nedum *Omnia*, his præsidiis; vel mali quicquam, nedum *Omnia*, his alexipharmacis velle amoliri. Quicquid ejusmodi est, de Idololatria, de Impietate est.

XV.

Hæc pauca, inquies, (etsi nimis multa sunt, ut in malis) plus satis quidem illa absurda, & Christiano indigna. At nihil hactenus audio de proposito libri argumento, de *Magnetica*, inquam, *vulnerum curatione*. Quid faciam tibi, mi Lector? Totius Magici Tractatus pagellæ sunt in universum nonaginta novem, Sed post tot quisquilias, quas partim audisti, tandem mentio oritur de UNGUENTO ARMARIO, quam nomenclaturam singulæ pagellæ majusculis literis produnt. *Reliquum nunc est*, inquid D. Goclenius, *ut suprà propositæ Quæstionis explicationem ex commemoratis istis* PRINCIPIIS DEDUCAMUS.

XVI.

Scisne, quàm pulcrè DEDUCAT, Lector amice? Utcunque te torqueas, nunquam invenies DEDUCTIONEM, nisi hanc, aut similem: *Asini imago facit futura prognosticare:* ergò Unguetum Armarium vulnera curat citra remedii applicationem, vel, *Hominis figura sedentis post aratrum, longâ barbâ, vultuque longo, & superciliis curvatis, in cujus collo sint quatuor homines jacentes, & qui teneat in manibus vulpem & vulturem: si talis lapis, in quo hæc erunt sculpta, collo suspendatur, ad omnes plantationes valet, & ad inveniendum thesauros: nam si sub cervice, iturus in lectum, posueris, in somno videbis thesauros, ac modum extrahendi. Est & alia ejus virtus, scilicet conferre ægritudinibus brutorum cùm aquam biberint, in qua hic lapis lotus fuerit: debet autem sculpi in die & hora Veneris.* Ergo Unguentum Armarium vulnera curat citra remedii applicationem.

XVII.

Sed audi jam accuratè *modum, quo vulnus curatur sine remediis,* ut canit & ad marginem, & in ipso contextu, ut intelligas rem plane esse liquidam. *Fit sanatio illa,* inquit, *per meram naturam, atque magneticam quandam efficientiam.* Nimis quidem amplum illud, QUANDAM. Quænam ea tandem est? Hoccine clarè scire aves? audi, per *Attractionem & Deductionem.* Mira narras, sed amabo te, Quis trahit? quid trahit? quo trahit? Nihil addis. Si quæram, Quomodo trahit? aut quibus adminiculis? *Per Influentiam*, inquis, *corporum cœlestium, operationes suas perficientium per Elementa.*

XVIII.

Hìc iterum desidero, & expecto, ut dicas mihi, quæ aut cujusmodi illa sit *Influentia?* quales *Operationes?* quæ *Elementa?* Taces, ac me frustrà hiantem destituis. Hoccine est *Patefacere causas mirandarum rerum*, ut pollicetur frons Libelli tui sine fronte? sed dubio procul putabis te satis patefacere, dum hìc adjungis: *per Vectorem* SPIRITUM *toties decantatum.*

XIX.

De hoc SPIRITU, videamus primùm, quid & suprà & infrà dicas, & quomodo eum *decantes.* Atque ignoscas velim, si in re tam *obscurâ, & in natura majestate abdita*, mentem tuam minùs assequamur, & fortè *Spiritum* istum te *decantare* censeamus, cùm aliud canas. Bonâ fide certè indicabimus, quæ ex Libello collegisse videmur. In re non dissimili, id est, in explicandis *viribus annulorum, imaginum, figurarum,* negas CREDITAS *vires* (Immanis omninò est fides tua, qui quidem has nugas credas) *assignandas Temperamento*, negas *Manifestis qualitatibus*, negas *Toti substantiæ.* Facilè tibi assentior, cùm frustra quæratur causa ejus, quod nusquam sit.

XX.

Sed tu aliter judicas, & ex hoc Nihilo aliquid facis, causamque non quamlibet, sed admirandam attribuis. Cui ergo has vires creditas adscribis? audi jam, Lector, seriò aliquid de Spiritu. *Divinæ*, ait, & MAGICÆ, *hoc est superiori* CUIDAM (quæso aliquid clarius, & astrictius) *& sublimiori causæ, quam non inconvenienter Spiritale vehiculum*

culum, *& vinculum quidam appellitarunt*. Ne jam quidem aliquid affers, quod intelligi queat Metaphorica, opinor, sunt tuum istud *Vehiculum & Vinculum*. Quid tandem propriè ista esse dicemus? Margo an lucem affert, an tenebras? *Spiritus* submonet, *potentiarum occultarum vehiculum*.

XXI.

Quænam istæ Potentiæ? quomodo hoc utuntur vehiculo? an onera imponunt? an vehuntur ipsæ? an aurigantur? Spiritus iste *Potentiarum occultarum* dicitur *Lucidus*. Quâ luce, & cui lucet in illis tenebris? Dicitur *Mundi & Cœlorum Vector*, qui paulò ante vocabatur *Vehiculum*. Sed quâ tandem ratione Cœlum Mundumque vehit, an vehitur? Aliquid hîc lucis velim à *Lucido* isto *Spiritu*.

XXII.

Frustra. Nam Spiritum nusquam invenias nisi atrum, quicquid fingant filii tenebrarum. Dicitur *Vis cœlitus demissa*. At à quo, & quomodo? Dicitur *Virtus non semper sui similis*. Ita video quidem, ut quæ toties & nomina mutet & formam, ut nec Proteus comparari queat. Turmatim congeruntur ænigmata.

XXIII.

Nam idem vocatur *Mundi Spiritus*, *Vector Spiritus*, *Infusus Spiritus*, *Unus*, *Divinus*, *Continuatus Spiritus*, Spiritus intermediæ inter cœlum, & sublunaria substantiæ. Quæso, D. Rodolphe, licetne intelligere, quid tandem *Spiritus* ille sit, à te tam multipliciter & *toties decantatus*? Licet. Dic ergo. Sic leges: *Spiritus Vaporvè, mediæ cujusdam inter corporatas & incorporatas substantias naturæ, qui Spirituales actiones in se recipiat, aërique repræsentet, cùm sit corporeus, contactu suo realiter alteret.*

XXIV.

Oedipe ubi es? *Vapor*, ait, & tamen non Corpus, sed *mediæ* CUJUSDAM *naturæ*. En, quàm iterum adhæret individuo *Vago*, ubi diffinitum, expressumque aliquid expectari noverat. Sed quòd ait, *Cùm sit Corporeus*, de *Spiritu* dicit, an de *aëre*? Si de illo, quomodo *Mediæ naturæ*? Si de hoc, nemo est, qui dubitat: hoc tamen non facilè quis capiat, quomodo *aëri corporeo repræsentetur*, cùm *tales actiones corporeæ non sint*, *& sine corpore*, (*non tamen sine vehiculo*) *cœlitus illabantur.*

XXV.

Vides, quàm ubique magno conatu *nihil* agat? quo studio, labore, industriâ, *nihil* demonstret? Quod adeò ipse tandem agnovit ingenuè D. Rodolphus. Illis enim proximè descriptis verbis mox subjungit: *Quare nullâ hic opus ex sensibus mensurâ, nullâ ambitiosâ verborum pugnâ, &* INANI DEMONSTRATIONUM CONATU. Gratiam tuo candori D. Gocleni. Nihil verius dixisti. *Inanis* plane est, hac quidem in re, omnis *demonstrandi conatus*; ubi quicquid est, meræ præstigiæ sunt, aut aliquid nihilo melius.

XXVI.

Quòd autem ais, *voluptati esse philiatro, rerumque naturalium industrio sagacique investigatori, probabiles rationes comminisci; quas si non assequitur planè, non tamen rebus mani-*

manifestu propterea derogat fidem, *nec effectus calumniatur*; rectè dici arbitror in rebus plerisque naturalibus, de quarum effectu nemo ſanus eſt, qui dubitet. Cæterum ut in commentitiis illis tuis admirandis effectis idem credatur, ignoſces, ſi dicam, nunquam fore, ut ulli ſano capiti perſuadeas: cùm aliud nihil ſint, quàm quod verbo uno dicere ſolemus, Gauckelwerck.

XXVII.

Nam alioqui quid vetat, *Necromantiâ imbutos*, (quam vetitam *Magiam* agnoſcis, etſi teipſum eam docere, ſuprà demonſtratum eſt) quid, inquam, vetat, Necromanticos eadem pro ſe afferre, cùm *faciunt ſtatuas è ligno*, *vel alia materia loqui*, *reſpondere moveri motu progreſſivo?* An putas, te minùs polliceri, cum jubes ſecurum ab omnium Dæmonum incurſu eſſe eum, qui LEPORIS *Imaginem in Jaſpide portaverit?* Sane, ſi quid ſapio, multò id majus eſt, quàm lignum aliquod moveri: & quidem ab imbellis *Lepuſculi imagine*, qui quomodo tantum auſus? tantum potuit?

XXVIII.

Merito quidem, me quoque aſſentiente, ais, quæ Necromantici efficiant, *nullo modo per cauſas*, *& media naturalia effici poſſe*, *ſed neceſſariò referri debere ad ſubſtantiam aliquam* INCORPOREAM, *quæ occultè cum ipſis Magis operetur*, Cacodæmonem, opinor, intelligis. Sed cùm ais, *ſublimior & præſtantior* OPIFEX, INSCULPTOR, *&* FORMATOR *in noſtro* MYSTERIO *collocandus eſt*, *& quærendus*: quem alium intelligere potes, niſi eundem Cacodæmonem? Neque enim alius quiſpiam Myſtes huic MYSTERIO aſſignari poteſt.

XXIX.

Nimis graviter cenſes, cùm eos, qui hæc tua *Myſteria* non capiunt, *ſummæ accuſas impudentiæ*. Molliùs, quòd ſenſuales Philoſophos vocas probroſum tamen, quaſi ſolus ſis ſpiritualis. Sed maximè placet, quod ibidem de nobis, ſtolida turba, flexus inhumanitatem, aſcribis: *Miſeret me eorum*. Tangat quis genua tua, D. Goclení, & diſſuavietur dexteram.

XXX.

Euge, rogo te, hanc miſericordiam, & jam accuratè nos doce, quemadmodum *vulnera ſine remediis curentur*. Maximè, inquit. *Pandite, nunc Helicona, Deæ*. Primùm præſtruis denuo. *Multas eſſe actiones*, *ad quas non ſit opus contactu corporis*, *ſed virtutis*. Aſſentior, & laudo. Addis: *Eſtque hæc virtus*, *quam per intervalla exercent corpora*, *effunduntque*, *qualitas corporis expers*, *in qua* SOLA *ineſt efficacitas*. Cupio te eſſe memorem hujus ænigmaticæ aſſertionis, quia futurum credo, ut eâ utamur.

XXXI.

Tum, ut indices, te jam aliquid afferre æternâ cedro dignum, marginem inuris hoc ſtigmate, NB. quod valet, opinor, *Nota bene*. Audiamus igitur, quid adeò ſedulò notandum notes. *Vis*, inquis, *ex unguento exiens*, *effundit ſe non in lapidem*, *ferrum*, *vel lignum*, *quibus cùm nullam habet conjunctionem*, *ſed virtute Motoris ad vulnus ſe*

propagat. Quæ nam hæc VIS eſt? An illa *qualitas corporis expers*? Ita videris velle. Sed quomodo ejusmodi *Qualitas incorporea* ineſt in *Unguento corporeo?* Nova Philoſophia.

XXXII.

Quomodo eadem *Qualitas exit*? & quidem cum ſit *incorporea*, *exit ſine corpore*, ſive, quod in Accidentibus idem eſſe reor, ſive ſubjecto? An quod Calviniſtæ in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento capere, aut credere non poſſunt, tam facilè efficis ex Calvaria Furis ſuſpenſi: & quidem non modò ut ſit *ſine ſubjecto Accidens*, ſed etiam ut EXEAT, ſe EFFUNDAT, ſe PROPAGET. Modeſtius mihi videbatur fingendum.

XXXIII.

Ampliùs. MOTOREM quem vocas? Reſp. *Primum* MOVENS *in unguento eſt vis balſamica in ſanguine & usnea*. Ut nos torques! Dic iterum: hæc VIS eſtne eadem illa *Qualitas incorporea*? Non videtur. Nec enim tum rectè diceres, *propagari virtute* MOTORIS, quaſi alienâ ſed *virtùte* SUA, quippe quæ ipſa ſit MOTOR.

XXXIV.

At neque alia eſſe poteſt ab illa VI *corporis expertè*. Nam quâ fini *ad vulnus usque continuaretur*? SOLI (memineris) *Qualitati corporis experti ineſt efficacitas*. Quid igitur agat iſthic tua VIS BALSAMICA, quæ efficere nihil poſſit? Quin etiam ſi per te licet, quæro, cur tam pretioſum à nobiliſſima planta nomen trahat, à qua nullam trahit *efficaciam*?

XXXV.

Jam quis Chryſippus toto ſuo acumine illud capiat, quòd hic MOTOR moveri nequeat, etſi PRIMUM MOVENS eſt (quamquam hoc nomine debeat non moveri. Ariſtot. legiſti) niſi *mediante Spirituali* VINCULO? Profectò hoc *Vinculo* nova ænigmata nectis. Vel dic, quodnam hoc *Vinculum*? Dic, Quomodo *Spirituale* ex infami illo capite patibulati trium literarum hominis?

XXXVI.

Et tamen, ſi tibi credimus, *Vis illa Balſamica fit unum cum vulnere per utriusque Formæ conjunctionem*. Occidis nos, D. Gocleni, tuis griphis. Quam vocas, *Utramque Formam*? Demus tibi, *vim* illam *laquei alumnam* eſſe *Formam* quandam accidentariam: at altera eſtne ipſum *vulnus*, an *vulneris* aliquâ *Qualitas*? hoc poſterius potiùs colligi poſſe videtur, ex illis tuis verbis: *Ita ut etiam egredientes in media intercapedine mutuo occurſu uniantur*. De *Formis* loqueris: atqui *vulnus*, ut opinor, non *egreditur*, non *occurrit*

XXXVII.

Si *Modum* quæramus, *quo ſimul ſunt Movens*, *& quod Movetur*, neceſſariò dubitantes deſtituimur, cùm ipſe dubius dicas: *Sive id fiat lumine*, *ſive radiis*, *ſivè qualitate occultiore*, *& contactu Spirituali*. En ut iterum nos homines carnales deſeris humi

repentes:

repentes: & totus *Spiritualis, occultioris qualitatis alis*, in sublime fereris. Sed cave sis, ne ut alter ille Magus, Magorum & Præstigiatorum Abavus, dum volare amas, ingredi nequeas; & dum Alas quæris, plantas amittas. Vide, an non id significet tua illa ingenua confessio, quâ disertè profiteris: *Spiritualis hic*, & INSENSILIS *actio est*, *non* REALIS OPERATIO.

XXXVIII.

Et hoc memineris. Et simul, *ubi nulla est* REALIS OPERATIO, *nullum esse reale opus, nihil fieri reale.* Ipsissima hæc est *Summa summarum* tui Libelli. Polliceris MIRANDAS RES, *& in Natura MAJESTATE abditas*, sive per *imagines, characteres, sigilla*; sive per *Unguentum Armarium* ex calvaria, venis, ventre scelerati hominis emersum. Ad rem ubi venitur, parturiente cœlo, non montibus; nascitur, non ridiculus mus, sed pudendum NIHIL.

XXXIX.

Atenim, mihi dixeris, vim infers sensibus humanis, & frustrà obruere niteris claram Experientiam. Sciunt enim multi, se sic curatos: non pauci, se sic curâsse. Rex ille Belicola olim Danieli: *Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? Annon vides, quanta comedat & bibat quotidie?* Dan. 14, 5. Sic tu ferè de tuo lepido Unguento, quod tanta vulnera quasi devorat & absorbet. Responsum accipe à Propheta: *Ne erres, Rex. Bel non comedit aliquando:* & à me; *Tuum unguentum nunquam culicis publicisve puncturam curavit*, nedum ut *grandia vulnera.* Neque mihi oggeras *Vulgi experimentum*, *cùm aculeos, vel clavos pedum plantis infixos detrahunt*, LARDOQUE ELIXO *immittunt, & ita partem sauciatam, seu vulnus* ABSQUE INFLAMMATIONE, *&* DOLORE *consolidant.*

XL.

In quo experimento miseret me tui primùm D. Gocleni, (ne te solum putes misericordem) qui tanto conatu *Latronum capita & viscera scruteris ad* tuum *Unguentum*, cùm indoctum vulgus & faciliùs & honestiùs à *porcello & carnario suo* remedium petat, & idem præstet. Tum aliorum quoque; qui his præstigiis fidem adhibent, & multò magis, si in se, aliisve utuntur. Sed urgebis tamen, *Rem & effectum apparere.* Nemini volo factam contumeliam.

XLI.

Crediderim esse honestos, atque etiam splendidos homines (nam ita accepi) qui sine omni mala malitia eo remedio utantur, eo sanentur, quos non insimulabo ullius criminis: doleoque adeò vehementer, tam candidas mentes sic incautè circumveniri insidiis. Non potes legere hanc purgationem, D. Gocleni, quin gravem censuram exspectes. Et sanè non possum afferre levem in re tam gravi. Itaque ut Danielis responsum in alia re, impostura non omnino dissimili, non deseram, ut ille indicavit, non *Idolum*, sed *Idoli Sacerdotes devorare omnem illam impensam*, idque re ipsâ ostendit: sic ego tibi audacter dico, *Vulnera nunquam devorari & sanari à tuo Un-*

guento (quod non tam *remedium* censeam, quàm *remedii Idolum, & vanum Simulacrum*) sed ab hujus *Idoli Mysta*, id est, (audi fortiter, liberè vera enunciantem) id est, inquam à *Diabolo*.

XLII.

Id intellige, quoties vulnus est ejusmodi, ut neque vulnerati corporis natura eluctari possit, neque aliud remedium adhiberi videtur, quàm illa *Diabolica teli inunctio*. Quid? inquies, *teli inunctione* Cacodæmon sanat? minimè: neque enim possit: sed, irridens & subsannans Unguentarios istos, adhibet ipse interea clanculum *remedia alia*, callentissimus medicinæ omnis, & longè promptior *occulto aditu* subire, quàm illi Belis Antistites. Quæris, cui? *ex pacto*. Quo? quod initum cum eo, qui primus eam disciplinam ab ipso damnato Spiritu sancitam hausit.

XLIII.

Neque id jam aliter ostendam, quàm quòd fatearis ipse, *non deesse eruditos, qui id naturaliter fieri posse planè negent*; & alios, *qui judicent ceremonias Magicas esse, impostorias ludicras, & ad speciem confictas*. Deinde, quòd neque alius quisquam hactenus, neque tuo tanto conatu quicquam probare potueris eorum, quæ maximè oportebat, & tu volebas; ut meritò pro æterno elogio libri tui concludere debueris: Ex Nihilo Nihil Fit. Jam audi meam quoque Conclusionem.

XLIV.

Mones in fronte libelli tui Magici: *Lege, & intellecta rectè judica*. Quod in me fuit, id feci. *Legi*, ut arbitror, accuratè. *Intellexisse* puto. Sin minùs, vel tuum peccatum est, qui sic sis tenebricosus; vel potiùs Argumenti, quod cum totum sit à *Principe tenebrarum*, nihil mirum, si nihil ei *lucis*, nisi *malignæ*, circumponere potueris. Vin' jam Rectum Judicium? Audi. Quæ priore parte de Caracteribus scripsisti, de *fanatica Impietate sunt*: quæ posteriore, de *Unguento Armario*, *ejusdem furfuris*: *Totus Libellus perniciosus est Reipublicæ Christianæ*. En judicium. Nec pluribus te alloquor.

RODOL-

RODOLPHI GOCLENII, MED. D. in Acad. Marpurg.

SYNARTHROSIS MAGNETICA,

OPPOSITA INFAUSTÆ ANATOMIÆ

JOH. ROBERTI, D. THEOLOGI, ET JESUITÆ,

Pro

DEFENSIONE TRACTATUS, DE Magnetica vulnerum curatione.

Rogo, quisquis es, amice Lector, ne judices ex perspecta una atque altera pagella (instar mercatorum, qui ex inspecta fimbria de tota textura) morbum enim citius ista lectio parit quàm judicium.

Reverendo, Strenuis, Nobilissimis & Magnificis Viris,

DN. FRIDERICO AB HORDEN, INCLYTÆ Ballaviæ Hassiacæ, Ordinisque Teutonici Marpurgensis Commendatori dignissimo, &c.

Et

EITELIO ABERLEPSCH, SUPREMI DICASTERII Hassiaci Assessori Gravissimo, Dominis & Patronis, omni observantiæ genere suspiciendis.

VERA ITEM ET ANTIQVA NOBILITATE, PRÆCLArumq; virtutum & literarum ornamentis præstantissimis Viris JOANNI ET LUDOVICO JOACHIMO SWERTZEL IN WILLINGSHAUSEN, *Dominis & Fautoribus honorandis.*

Rodolphus Goclenius D. precatur felicitatem summam.

SI unquam in lucem exiit, vel exiturus est liber, qui patrocinium atque tutelam requirat, contra varias & iniquas sugillationes, certè hic meus est, oppositus Jesuitæ cujusdam calumniis, quas aspersit tractatui meo de Magnetica curatione vulnerum. Nec hoc tantum, sed & propalam ausus fuit in hac luce temporum & hominum in me ementiri, mihique imponere sententiam, quam non dixi, nec scripsi, mea torquens in alium & diversum à sensu meo sensum. Quapropter non fuit mihi committendum, ut hic Jesuitæ lascivus insultus à me neglectui habitus videretur, sed putavi me rectè facturum, si pro innocentia mea aliquid responderem, meumque tractatum à calumniis vindicarem. Si privatim enim lacessisset, siluissem: sed quia publicè, quid, nisi me meaque vindicem & asseram à maligno dente? Circumspicienti autem mihi, hoc potissimùm responsum meum cui dedicarem, cujus scilicet autoritate communitum & plus lucis acquireret, & versari cum splendore posset in luce & ore omnium, Tu, Reverende & Magnifice Vir, Ordinis Teutonici Marpurgensis Commendator Dignissime, primus ocurrebas, ad animum revocanti singularem, benevolum & beneficum tuum erga me affectum, aliquot ab hinc annis multis documentis declaratum. Quoties enim recordor gravitatis tuæ in dicendo, humanitatis in conferendo, suavitatis in conversando, & in judicando dexteritatis, & quàm serio & sincerè ad respondendum à te sim incitatus, toties indignor, & ira-

sco

ſcor mihi ipſe, ſuper non oblata occaſione, qua mediante, philtro amoris & obſervantiæ meæ erga Te inebriatus & accenſus, voluntati & animo meo, edendo ſcilicet ſigno aliquo & teſtimonio publico, poſſem ſatisfacere. Quoniam verò nulla ſeſe hanc ad rem luculentior occaſio tempeſtivius obtulit, quàm nunc, ubi reſponſum meum Anti Jeſuiticum typis fuit deſcribendum, utraque etiam manu eam mihi arripiendam eſſe exiſtimavi. Ne igitur dedigneris, Vir Magnifice & Nobiliſſime, ſcriptum & reſponſum hoc meum in tutelam & patrocinium tuum ſuſcipere, illudque cum Autore contra maledicos defendere, quod & Te ſcio optimè poſſe, ac etiam velle, præſertim cùm mihi certò conſtet, Te ſeveriſſimè & veriſſimè de eo cenſuram ferre poſſe. Ego viciſſim pro perpetua felicitate & incolumitate tua, precibus & votis apud Deum inſtare non deſinam.

Ad Te quoque me converto, Nobiliſſime & Magnifice Vir, Eiteli à Berlepſch, eâdem rogans, quâ olim rogabam, obſervantiâ, Nobiliſſimum & Magnificum Virum, Otthonem à Berlepſch, nimis propterea facto, eheu, abreptum, (cùm tractatum ei meum de Magnetica vulnerum curatione, dedicarem, quam etiam dedicationem gratam eidem fuiſſe teſtatæ præter alia ſunt illius ad me datæ literæ,) ut tanquam intaminati judicii Arbiter, hoc meum contra Jeſuitam reſponſum, nominis tui ſplendore decoratum, illuſtriusque factum, ad manus hominum pervenire patiaris: ego viciſſim omni officiorum genere, tuo nomini, laudi & honori ſtudere, quantum potero, non deſiſtam.

Sed nec vos, Nobiliſſimi Svvertzelii, præteritos opportuit. Cur verò ita? dicam! Nobiliſſimus veſter frater paulò antè funeris ſui obitusque nimis præmaturi (ô crudele fatum) diem, humaniſſimis ſuis ad me datis literis Anti Jeſuiticum hoc reſponſum deſideratiſſimè petiit ſibi transmitti, quod tamen tunc, quia prælo nondum erat commiſſum, fieri non potuit. Nunc publici juris factum optimo jure ad veſtrum id tribunal defero, ut intelligatis, notumque fiat omnibus, me illum amorem, obſervantiam, ac officia, quibus Nobiliſſimum veſtrum fratrem proſequi cœperam, & proſecutus porrò etiam fuiſſem, & vobis debere, ac præſtiturum eſſe. Spero igitur hanc meam dedicationem vobis non futuram ingratam, vosq; contra virulentos Momi morſus fortiter, quod poteſtis, eam defenſuros. Valete, Viri Reverendi, Strenui ac Nobiliſſimi, & in optimam partem interpretamini, quod hac Tetrade conjunctos vos voluerim, circumſtantiis commemoratis id ita exigentibus. *Marpurg. 1617. 12. Febr.* è muſeo meo.

SYN-

SYNARTHROSIS MAGNETICA,

Hoc est,

EXAMEN INFAUSTÆ ANATOMIÆ JOHAN. ROBERTI, D. THEOLOGI JESUITÆ, PRO defensione Tractatus de Magnetica vulnerum curatione, &c.

TUo autem, amice ac candide lector, judicio, hoc subjicio, non dubitans, quin & rerum & verborum pondera ac veritatem sis probè examinaturus, deque laboribus & studiis meis, quibus omnibus prodesse (placere difficile est) cupio, ingenuè judicaturus. Quòd enim te compello, non præter opinionem, sed votum meum accidit. Prævidi hoc ante, imo prædixi. Prodiit enim hisce nundinis Francofurtensibus libellus & brevis Anatome Tractatus mei de Magnetica vulnerum curatione, &c. Anatomicus est Joh. Roberti, Th. D. & Jesuita. Huic an responderem, meritò dubitavi. Et initio mihi decretissimum erat, non respondere. Videbatur enim mihi esse homo, cui unum hoc studium litigare, sicut canibus quibusdam insitum est sine causa aut discrimine latrare. Memor quoque eram illius Plautini,

Bacchæ Bacchanti si velis adversarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius.

Verùm libello diligentiùs (quem initio obiter tantum aspiciebam) perlecto, tot dicteria, tot calumnias, & tot furiosa convitia in tractatum meum projecta esse deprehendi, ut ne diabolum quidem putem plura ac deteriora posse eructare. Nec mihi solum, verùm aliis etiam præclaris Viris non pepercit Anatomicus, dum in Calvinum ejusque asseclas malitiosè & sine ulla causa invehitur. Sed de hac invectiva suo loco. Quapropter animus est respondere, & Anatomico alacriter obviam ire, tum quia publicè interest, tam atrocem audaciam reprimi ac retundi, tum etiam quia meâ, calumnias, quibus me aspersit, levi manu abstergere. Est autem & alia causa, propter quam responsum oportuit, ne quis silentium meum in consensum duceret, & crederet approbata mihi, quæ non videret refutata. Nolo autem, ut alii argumentis destituti faciunt, more anicularum, magnos criminationum nimbos in Anatomicum effundere, & convitia pro rationibus projicere, sed tantum Sophismata quædam diluere, & Tractatum meum ab atrocissimis injuriis vindicare, convitiaque exprobrare ac retorquere. Ita, inquam, temperabo meam ad ipsum responsionem, ut, convitiorum turpitudine monstratâ, rerum momenta secutus esse vi-

ſe videar, veritatemque Magneticæ curæ ulteriùs oſtendiſſe ac defendiſſe, rationibus, exemplis & experimentis. D. Roberto integrum erit mecum agere, quousque velit, & pro animi ſui æſtu, ac libidine, ſtabit mecum veritas, nec cadere in hoc negotio poteſt, quin unâ cœlum cadat.

Præmittam autem in hujus examinis frontiſpicio primò generalia quædam, quæ, quamvis ad τὸ ἔργον parum faciant, juvabunt tamen lectorem in judicio. Cur enim hactenus Tractatum meum nemo arroſerit, præter hunc Jeſuitam, ſcio futuros eſſe, qui mirentur. Nec Tractatum tantùm, ſed ejus quoque autorem minùs honorificè tractat. Sed deſine mirari, quisquis es. Communem cum bonis ac præſtantibus Viris fortunam non recuſabo. Doctrinarum & antiquitatis parens Homerus quot morſibus à Zoilo fuit impetitus? Ingenii & ſummæ eruditionis princeps Plato quot expertus eſt alaſtores? Theophraſtum eloquentiſſimum impudenter ſcripto exagitavit Leontium Scortum & fœmina. Ruffus Ciceronem quoties Allobroga dixit: Ciceronem dico, latinæ facundiæ & eloquentiæ parentem extra omnem ingenii aleam judicio Pliniano: attamen, quemadmodum hic totus legitur ſine fine per orbem, ſic ille re vix aliâ ullâ quàm ipſius nomine & obtrectatione innotuit. Noſtri ſimiliter ſeculi morbus eſt, virtuti invidere. Notum eſt, ultionis contumelioſiſſimum eſſe genus, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur ultio: illum eſſe magnum & cordatum, qui more leonis aut magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus obaudit. Sed audi ſimilem querimoniam Petri Moſellani, Viri eruditiſſimi editam epiſtolæ formâ anno 1523. Baſileæ, digniſſimam hoc loco: *Vulgi ſtupor locum dat*, inquit, *cùm Bibliopolarum avaritiæ, tum indoctiſſimorum hominum ſimul & obſcuriſſimorum literatorum, quos fama fames extimulat impudentiæ: alioquin nec illi facerent ſumtus ejusmodi nugis excudendis, niſi ſpes doloſi affulgeret nummi, nec hi poſſent ad famam tam facili compendio graſſari. Sed quando omnibus, quod libet, licet, tot hodie novorum librorum ſcriptores, ne dicam chartarum perditores exoriuntur, quot per æſtatis fervorem in culinis exiſtunt muſcæ. Cur enim hanc collationem verear? quando, ut hæ, tametſi in nullum uſum natæ, cum homine commune nihil habent, adeò ut ne cicurari quidem poſſint, tamen nusquam non obvolant, nusquam non obturbant, & præteritis ſanis, putrida, quibus aculeum infigant, quærunt, quæ ſi non inveniunt, interim nec à ſanis abſtinent: ita hoc genus Sycophantarum, non utilia tantum, ſed & noxia pondera, cum egregiorum ſcriptorum virtutes nulla ex parte intelligere, nedum imitari queant, obſtrepunt tamen, & alienam induſtriam, ſi qua patere videtur, calumniis impetunt. Nonnunquam verò, quâ ſunt impudentia contra Solem mejentes, apertiſſimæ veritati, ſibique agnitæ reclamant. Tanta eſt hominum improbitas, dum nuditatis ſuæ ſibi conſcii alienis veſtibus ſeſe tegere ſtudent, & nominis famam, quam ingenii ſui viribus aſſequi nequeunt, ex clariſſimorum hominum reprehenſione venantur. Siquidem in certiſſimam ſpem veniunt, fore, ut quemadmodum in pulcerrimo corpore nævus unà cum illo adoleſcit, & cicatrix robori impacta unà in cœlum accreſcit, ac à prætereuntibus, velint nolint, conſpicitur, ita & ipſi nobilem aliquem adverſarium, cujus monumentis fiant immortales. Sic in incenſo Dianæ templo, vel invitis Epheſiis, vivit Heroſtratus: in Homero Therſites*

& Zoilus : in Socrate Avitus & Melitus : in Theophrasto scortum Leontium : in Virgilio & Horatio Mevius : in Catullo Suffenus: & ,ut ad nostra veniam, in Christo (si fas est illum inter homines recensere) Judas proditor , & tota illa Pontificum ac Pharisæorum turba : in Paulo Alexander & Hermogenes : in Petro Simon Magus , & sub Origenici nominis umbra quidam virus suum imprudenti lectori insinuant. Quid hîc referam pestilentissimos Arios , & Eunomios , quibus Basilius , Nazianzenus , Athanasius dedere vitam ? quid Helvidios , Jovinianos, Ruffinos , quos in Hieronymianis libris execramur ? quid Manichæos , Faustos , Donatos , Pelagios , quos Augustini labor ab oblivione asseruit ? jam in Johannis Pici Mirandulani Principis libris ridetur à doctis nescio quis Petrus Episcopus ? & in uno Capnione tanta Barbarorum ac Sophistarum manus malè audit , quorum omnium memoria cum voluminum suorum sonitu, juxta Prophetæ oraculum , rectiùs deperiisset. Quot autem vel hodie sunt , qui in Magno illo Erasmo , tot dissimulatis , quæ hîc sunt Ecclesiæ Christi utilia , nonnulla , quæ calumniæ obnoxia videri possunt , malignè sublegunt , idque non alia causa , quàm ut in tanti hominis libros vel cum ignominia relati fama quamvis pœnitenda , pascantur. Hæc P. Mosellanus: adjecta autem est hæc epistola Gregorii Theologi libris de Theologia à Mosellano versis. Sciat verò interim æquus lector , me hanc Mosellani epistolam non ob hanc causam (ut mihi forsan quidam malè feriati ascribent) hîc intexuisse , ut me nominatis illis & magnis Viris vel parem , (quod forsan in aliquibus fieri posset) vel superiorem, quod genius meus non tentat , (novit enim imbecillitatem suam, & vires à Deo concessas) ostendere voluerim , sed ut æquus lector intelligat , D. Johannem per Anatomen Tractatus mei sibi persuasum habere , nominis immortalitatem adipisci, quam quidem ego ei non inviderem , si Anatomiam suam feliciter expedivisset.

Nunc igitur despiciamus , quà arte & manu Tractatum de Magnetica curatione vulnerum deartuârit , existimat enim Anatomicus , totius Tractatus structuram ita suâ operâ esse dissolutam , ut nullâ arte possit reædificari. D. Robertus judicandi autoritatem , censoriamque potestatem cum impetu & fastu sibi sumit, vera principiorum , ex quibus Magnetica vulnerum curatio dependet , scientia destitutus , Magneticæque Philosophiæ prorsus ignarus. Deplorandum hominum genus , quod cum sua infamia aliorum famam arrodit. Sed quo quis hodie est rudior , veræque Philosophiæ imperitior , eò audaciùs in ejus cultores invehitur : Reprehendere enim vel impugnare , quæ quis vel ignorat , vel non est expertus , vel etiam propter ἀῤῥωςίαν τῆς διανοίας , Bœoticamque ac crassam ingenii Minervam assequi nequit , hominis est impudenter malitiosi : Quæ primo obtutu vel intuitu obscuriora videntur & infirmiora , accuratiùs perpendantur , adque rationis tribunal revocentur, (quod prudentis est) vel inconcussa relinquantur, (quod verecundi est & modesti) sed quid audio ? Joannes Robertus ex Doctore Theologo & Jesuita repentè factus Anatomicus est. Subita metamorphosis. Non secùs ac subitò nati dicuntur gigantes in fabulis. Rectiùs fecisset , si inter metas vocationis suæ se continuisset , quàm quòd inani scientiæ persuasione tumidus , sine judicio & ratione , serrâ , limâ , cultroque nimis aspero , Magneticum corpus fœdârit , discerpserit , vulnerârit , contuderit , ut ita meritò

meritò quis, si secamentorum collectorum sportas viderit, Lanienam potiùs quàm Anatomiam dixerit. Sed, hâc missâ, rem ipsam aggrediar.

Principio monendus lector est, D. Robertum plurima in pejorem partem ac sensum traxisse, nec eâ ansâ, quâ prehendi legitimè ac commodè debebant, prehendisse. Tractatum meum vocat idolomagicogoëticum, aut idolomagicomaniacum, necromanticum, profitentem scilicet apertè & omni verecundiæ velo remoto, Idololatriam, Magiam, Goëticam, seu præstigiatricem disciplinam, thes. 13. aitque perniciosum esse Reipublicæ Christianæ, thes. ult. Utinam verò solidâ doctrinâ, solidisque principiis ac nervosis argumentis, & sine Jesuitico affectu ac spiritu τὸ ἀληθὲς suum comprobâsset! Quo enim affectu & sensu scripserit, quilibet, nisi plane excors, exinde facilè deprehendet, quod Calvinum ejusque asseclas rabiosè allatrat, cujus tamen ne apice quidem in meo Tractatu facta est mentio, &, ut verum dicam, Calvinus ipse cum pluribus Orthodoxis curationem illam vulnerum magneticam tanquam non naturalem improbat, magneticæ scilicet istius Philosophiæ æquè ignarus ac D. Robertus. Non certè boni Viri & imprimis Theologi est, luctari cum larvis, mortuo leoni insultare, & in demortuorum cineres mingere. Sed nolo ego extra oleas & falcem in alienam messem. Sufficit mihi, si (quod factum oportuit) responderim epanorthoticè, dialyticè, exegematicè & didacticè: Si quid tamen in eo liberiùs dicatur & asperiùs, meminerit æquus lector, rem ipsam id exigere, oportereque παῤῥησία quâdam citra adulatorem palpum hanc rem tractari. Quàm multa enim falsò & insciticè D. Robertus carpat, quamque acres verborum stimulos in suo libello adhibeat, paulò pòst fiet manifestum.

De Imaginibus, Sigillis, & Characteribus, in genere.

MAli augurii signum est, quod D. Robertus scribit thes. 2. se, libro inspecto, cohorruisse. O miserum Anatomicum, in principio statim suæ Anatomiæ febre querquerâ correptum! quid fiet in medio, & quid tandem in fine? Panaceâ ad operis expeditionem opus est. Cohorruit ad impietatem libelli inspecti, cui inter alia insertæ sunt descriptiones imaginum quarundam sub certis constellationibus certis lapidibus insculpendarum, & quidem à diversis Autoribus inter arcana habitarum: propterea que libellum vocat horribilem & horrendum. Videamus, quàm verè, & quo animi sensu? Omnia enim illa, quæ de imaginibus objicit D. Robertus, non in rem sunt, sed in opinionem, imo sunt ab opinione, cùm sensisse aut scripsisse me voluit, quæ per somnium non sensi, non scripsi, & ita sensum non à me sumit, sed affert, mentemque aliquam mihi affingit ex sua mente. O vipera, ô anguis! Tantum enim abest, ut aliquid fidei tribuam illis imaginibus, quarum autores perhibentur Ragaël, Chaël, Thetel, Hermes & Pseudo-Salomon (sic enim rectè eum appellat D. Robertus) ut etiam merè ac verè eas superstitiosas dixerim, id quod etiam

innuunt mea verba parenthesi inclusa: (absit autem superstitio) sensus enim horum meorum verborum est, vix, ac ne vix quidem posse illas citra superstitionem & impietatem usurpari. Nam hæc verba, (*quasdam esse extructas*) perperam D. Johannes retulit ad imagines Ragaëlis, Chaëlis, Thetelis, qui atri an albi fuerint, æquè nescio, ac D. Johannes.

Inter alia autem mihi D. Robertus non semel repetendo ac exprobrando objicit, quòd scripserim, imagines illas Ragaëlis, &c. magnarum esse virium, si cum magna devotione & reverentia gestentur; sciat verò æquus lector, non ex meo, sed alieno sensu id scriptum esse. Priscorum enim imagines recito verbis illorum, sensu nunquam meo: & à verbo ad verbum eas illic consignavi, prout à Joh. Henricc Henzelio, Nobili & Patritio Augustano, V. literatissimo, accepi, qui, nescio quot coronatis, ab Italo quodam monacho deceptus, emptitio jure easdem sibi acquisiverat. Nec propterea eas tractatui meo inserui, ut D. Robertum vel alios docerem simili dementiâ cum antiquis delirare, sed ut absterreantur propositâ earundem vanitate & absurditate, tum etiam, ut clariùs cernatur, quantum inter veras ac Physicas signaturas imaginesque, & inter superstitiosas, impias ac illicitas intersit. Quæ igitur, malum, illegitima hæc captio est, calumniæ ansam quærere in hac latebra? Periculosum hominum genus, quod, quæ communiter ego, dixi, sic accipienda vult, quasi in Titum aut Sejum dicta. Velim igitur, quæ de imaginibus aspersi ab aliis arrepta, à te amice lector, æquiter legi & intelligi; tunc enim tuæ autoritatis scuto satis me putabo sine ulla alia ratione contra Gigantes istos tectum, quibus, ut cùm Diogene loquar, λόγῳ opus est, non βρόχῳ, id est, laqueo, radio inquam illo, qui capitis illorum caliginem illustret, cùm nebulæ, quæ illos involvunt, ac nubeculæ sint, à mero opinionum fumo, malis animum affectibus mancipante, rationi subtractum. Intelligit nunc æquus lector, quænam sit illa Helena, pro qua tantoperè & tam anxiè dimicavit D. Robertus, quænam gravis illa dica, quam impegit, & quale nam illud crimen, quod Tractatui meo falsò aspersit, quod tamen satis superque repulsum in Autorem suum existimo.

De Sigillis & Characteribus Magicis, in specie.

QUid sit discriminis inter Magiam naturalem & eruditam, & inter infamem ac perniciosam, æquus lector videat in meo Tractatu. D. Robertus omnes præstigias, incantationes, delusiones, omnia necromantica & diabolica comprehendit sub nomine Magiæ. Hoc est Magicum, inquit: Ergo est necromanticum, ergo diabolicum. Lepida illatio, æquè quadrans ac pugnus oculo.

Ut autem falsitas istius connexionis demonstretur, operæ erit pretium, de Magia quædam paulò altiùs repetere. Et primò quidem nominis etymon excutiendum. Eruditis autem appellantur Magi ab Hebræo Hagah meditatus fuit, quasi meditatores artiumque magistros dixeris: unde forsan in Logica ratiocinatione & Theoria consistens dicitur higgáion. Olim enim Theologiæ & Philosophiæ studiis vacabant,

tantamque autoritatem apud Persas sibi conciliaverant, ut electos quandoque Reges ex numero eorum testetur Herodotus. Quod & ipsum confirmat Strabo 1. Geograph. cùm scribit: Sacerdotibus Ægyptiorum, Chaldæis, Magisque qui aliis sapientiâ præstabant, honores & imperia fuisse delata. Testatur Ælianus l. 2. variæ hist. calluisse eos artem vaticinandi, Ochique sævitiam adversùs subditos certis ex signis prædixisse. Unde Tiberium, Thrasyllum Chaldæum de futuris maximè consuluisse legimus. Et quicquid pertinuit ad eorum professionem, quos Græci appellarunt Philosophos, & sapientes, Indi Gymnosophistas, Galli Druidas, Ægyptii sacerdotes, ritus quippe sacrorum, rerum divinarum peritia, Physices, Matheseos, ac præcipuè Astrologiæ cognitio, Remp. & imperia administrandi ratio, omne id jure illis tribui posse videtur. Hinc Plato in Alcibiade, Persarum σοφώτατος μαγείαν διδάσκει, ἐστὶ δὲ τοῦτο θεῶν θεραπεία· διδάσκει καὶ τὰ βασιλικά. Alii, inter quos est Peucerus, l. de divinat. refert originem ad vocem Hebræam Mechasscheph, quæ vox & Magum & incantatorem significat, quamvis Magiam ab incantatione seu Goëtia distraxisse reperio opinionem sanctorum Patrum de discrimine angelorum bonorum & malorum, quorum illi, quòd perstiterunt in vera erga Deum & præfinita divinitus obedientia, retinuerunt attributas sibi in creatione dotes, fruunturque Dei conspectu & consuetudine, suntque sicut describuntur in epist. ad Hebr. λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν. Hi verò superbo ac contumaci contemptu violârunt obedientiam conditori debitam, & defecerunt à DEO suâ liberâ voluntate, nullius impulsu aut coactione: ideo exuti & spoliati dotibus & ornamentis summis, justoque Dei judicio condemnati ac præcipitati de cœlo ad æterna supplicia, fieri hostes Dei, excitatis in Ecclesia falsis ac blasphemis dogmatibus ac hæresibus, hisque auctis & dilatatis acerrimè oppugnare Ecclesiam cœperunt, privatim quidem, moliendo exitium atque pericula singulis, publicè verò, crudelitatem excitando, impulsu tyrannorum, ut dilacerent Respublicas, sæviant in innocentes, moveant certamina non necessaria, seditionesque excitent & turbas inflammatione inquietorum ingeniorum. Contra horum machinationes & conatus angeli boni velut in aciem collocati & excubias agentes perpetuò dimicant. Ex hac, inquam, opinione factum est discrimen Magiæ & Goëtiæ: illam enim vocârunt ἐπίκλησιν δαιμόνων ἀγαθοποιῶν πρὸς ἀγαθοῦ τινὸς σύστασιν, hanc verò seu γοητείαν ἐπίκλησιν δαιμόνων κακοποιῶν ad lædendos alios, denominatamque eam existimant ἀπὸ τῶν γόων καὶ θρήνων περὶ τοὺς τάφους; circa enim sepulcra hærebant, noctuque gemitu lamentabili ac tristi noxios se dæmones permovere, & in subsidium excire opinabantur. Cæterùm Magiæ & Magorum appellationem olim & apud Persas amplissimam fuisse & honestissimam ex Historia Herodoti patet: Solis enim Sacerdotibus tribuebatur, quorum autoritas erat summa & præcipua dignitas. Religioni præerant Persicæ, ut in populo Dei Levitæ, sacraque publica soli tractabant, veræque Philosophiæ erant deditissimi, in qua ab ineunte ætate magnâ curâ & diligentiâ erudiebantur, exemplo Chaldæorum, à quibus Philosophia ad Persas permanârat. Adde, quòd Rex Persa-

rum esse non poterat, qui non antea Magorum disciplinam & scientiam percepisset. Et fuisse quoque in eo numero Magos illos, & viros naturæ & sacrarum historiarum peritissimos, vel inde conjici potest, quòd momentum locumque nati filii DEI ex Prophetiis, quas in illo regno, & Babylonico, Israëliticæ captivitatis tempore, sparserant, stellæ monitu agnoscunt. Quam quidem non casu illuxisse, neque ex materia Physica naturæ ordine inflammata exarsisse, sed divinitus accensam, ut nativitatem filii Dei designaret, ipsosque deduceret ad locum, in quo Christus erat, intellexerunt. Ex quibus luce meridianâ clariùs evadit, esse Magiam, quæ naturalis dicitur, excultam Philosophis, usitatam Medicis, & non neglectam ab Astrologis aliisque sapientibus viris, unde ejus excultor Chacham, sapiens rectè appellaturl, longè scilicet differens à Mechisschéph, veneficus, Kisschéph, veneficium, & Zifar, collegit. Item lahas susurravit; occulto enim murmure certarum adjurationum cum dæmonibus executionem operum flagitabant. Est autem Magia illa natura rerum & virtutum scientia, effectrixque admirandorum operum, ab omni superstitione, dæmonum artificio & maleficio immunis, pura, aliena. Hæc ex naturæ intimis thesauris miracula elicit, ac à Plotino rectè & verè naturæ sagax serva & ministra nominatur. Hanc qui callent, cur Magnes trahat ferrum, non aurum, vel argentum, & cur vulneratus, non adhibito certo remedio ipsi vulneri, sed tantum instrumento, quo vulnus est inflictum, peculiari unguento delibuto, sanitati restitui, etiam ad aliquot miliaria ab instrumento distans, possit, causam facilè monstrabit. Hanc Salomonem, Moysen, Danielem, Thaletem, Platonem, Democritum, &c. & inter nostros Philosophos complures calluisse & callere, extra controversiam est.

Verum enim verò, extinctâ aut attenuatâ luce cœlestis doctrinæ, commentitiis dogmatibus invalescentibus, diabolicis præstigiis radicem agentibus, Magis in illo regno utramque doctrinam, cœlestem & Philosophicam depravantibus, ante & post Danielis tempora commentis desumtis ex Chaldæorum libris, instituentibusque novas religiones, quibus Philosophiam anilibus fabulis contaminabant, relictâ naturæ verâ contemplatione, sectantibus ac captantibus nescio quæ signa ad divinandi artem extruendam, diabolo his occasionibus se adjungente, quam pii & sancti in illo cœtu & populo graviter reprehendebant, factum est, ut Magorum nomen à Sacerdotibus & sanioribus Philosophis devenerit ad eos, qui fœdera faciebant cum diabolo, seque illi obligabant quocunque modo, acceptis vicissim talibus sponsionibus ab illo, ut vel sponte certâ aliquâ specie se obstringat, aut crystallis includat, vel solennibus ritibus verbisque conceptis, speculis, annulisve, vel etiam diris execrationibus evocatus conspicuâ imagine sese ostendat, adque quæsita vel voce vel picturis, vel alio modo respondeat. Atque hæc vera causa est, quòd apud Latinos & Græcos nomen Magi in vitium & abusum translatum sit, non secùs ac tyrannus & hæresis. Si D. Robertus paulò altiùs hæc secum reputâsset, nunquam scripsisset, Omne Magicum esse diabolicum. Sed condonandum aliquid ignorantiæ est: Et quandoque etiam

iam

tam bonus dormitat Homerus, si modo Anatomicus noster Homeri illius ævi Phœnicis vestigia & efflatum fuisset insecutus.

In hujus igitur Magiæ observatione mortalium animi vesanâ quâdam cupiditate noscendi, quæ futura sint, noxiis illudebantur fallaciis, impiisque erroribus implicabantur, siquidem hæc Magia omni ratione Physicâ & veritate caret, Dæmonumque fraudibus ac maleficiis intricata, censetur meritò infamis & abominabilis, eque Rep. Christiana & hominum societate exterminanda. Hanc enim nemo exercere potest, nisi facto cum Dæmone expresso aut implicito pacto, ut Cyprianus l. de duplici martyrio, & August. l. 2. de doctr. Christian. c. 23. cujus verba Gratianus in Decretum retulit, omnesque Theologi, Jurisconsulti, Sagarum & maleficorum confessio clarissimè testantur.

Ut autem clariùs innotescat discrimen inter Magiam utramque, animadvertendum, quid hi Magi, mediante suo Dæmone, designare possint, aut patrare, & quantum effectus illi recedant à congruo rerum naturalium ordine, quibus perceptis ac cognitis, non ampliùs erit difficilè, distinguere inter Magiam naturalem & eruditam, & dæmoniacam, illiberalem & perniciosam. Cumque Magi sine diaboli ope & auxilio perficere nihil queant, diabolus autem in lumine naturæ, & omnibus artibus sit peritissimus, ipsiusque intelligentia, perspicacissimorum etiam hominum intellectu longè sublimior, ac superior, de potentia cacodæmonum seu facultate agendi, & inde prodeuntibus actionibus, non est ἄκαιρον & impertinens, pauca quædam hîc præmittere. Et licet quidam omnem diabolorum potentiam derideant, existimantes, nihil nec à Magis, nec à dæmonibus fieri posse, (in qua sententia est Plinius l. 30. natur. histor. c. 1. ait enim, certissimis rationibus deprehensum esse universam Magiam inanem esse, nihilque habere firmi ac solidi, quamvis alibi aliter sentire videatur, cur enim, in Neronis & Juliani apostatæ, Magiæ studiosissimorum, gratiam, nihil præstare Magi voluerint, difficilê est dicere, nam procul dubio ita Deus voluit) constat tamen Magorum potentiam esse magnam, quod probari potest, Num. 22. Exod. 20. Levit. 18. Deuter. 21. In codice quoque de maleficis & Mathematicis extant leges, & maximè Constantii, quem in Imperio collegam habuisse Julianum verisimile est, & fortasse ejus malitia illis legibus perstringitur. Non fuissent autem istæ leges latæ, nisi notum fuisset, Magos & maleficos aliquid posse. Sed & omnium temporum historiæ id manifestant, ipsorumque Magorum perniciosæ operationes & actiones. Plurima enim à Magis fiunt, quæ ad causas naturales, seu ad causarum naturalium connexionem referri non possunt, sed referenda necessariò ad sublimiorem quandam & incorpoream sunt substantiam, quæ cum ipsis Magis occultè operatur.

Ut, 1. cùm faciunt statuas è ligno, aliave materia mobiles, progredientes, loquentes & ad quæsita respondentes, sine ulla animæ sentientis vel rationalis in illas introductione.

2. Manifestant res occultissimas, & à sensibus humanis remotissimas, & quæ nullâ

nullâ humanâ ratione eis potuerunt innotescere, ut thesauros reconditos, furta clam facta, ac res, quæ in remotissimis terris geruntur, dicuntur, factitantur.

3. Non mirùm, quòd magi ventos & tempestates, grandines, imbresque in aëre quandoque excitant, terræ similiter concussiones, maritimas quoque procellas, cum illorum Coryphæo universa à Deo sit natura subjecta, in qua, Weckerus putat, diabolum operari, non secùs ac homo facit in metallorum officinis. Et quamquam Seneca l. 4. natur. quæst. hoc irrideat, tamen recenset Philostratus, se apud Brachmanes vidisse duo dolia Apollonii Tianæi, alteroque reserato, imbres ac ventos erupisse, alterò verò clauso serenitatem irradiâsse. Et Sopater Philosophus affectus fuit ultimo supplicio, eo quod carmine Magico ventos vinxisse accusaretur, ne annona Bizantium inveheretur. Aristhæus verò, teste Pausaniâ in Arcadia, & Dione Cassio l. 56. Cycladum incolas certis ritibus ac artibus docuit Etesias æstivo tempore elicere, ut aura eorum frigidula squallorem & sterilitatem ab agris depelleret. Sed Cianitæ Indi pluviam ridiculo ritu procurant, ut Jesuitæ in epistolis Peruvianis fatentur, & historiæ Indicæ testantur.

4. Omni causâ & ratione naturali caret, quòd ad Magorum præsentiam fores, aliave loca clausa repentè patefiant, quandoque etiam se vel alios subitò ex hominum conspectu abripiant vel subducant, ut de Apollonio Tianæo memoriæ proditum est: herbarum tamen quarundam, ut Æthiopidis, virtutem esse Plinius prodidit, ut claustra iis tacta subsiliant: quod si verum est, quis abditas in naturæ majestate vires non demiretur?

5. Marcus Venetus in peregrina Asiatica asserit, Tartaros adeò pollere Dæmonum præstigiis, ut tenebras, cùm velint, inducant: idemque Haitonus in Sarmatarum historia confirmat, dicens, quendam vexilliferum Magnum incantatione hosti tenebras obscurissimas offudisse.

6. Quin & flumina sistere hujus Magiæ peritos posse ad tempus, ac è saxis aquas elicere, & fluvios in caput & principium retroagere Plinius l. 2. c. 103. suis temporibus accidisse scribit, idemque testatur l. 7. quasdam in Africa familias voce, vel etiam intuitu greges, arbores, armenta, segetes atque infantes peremisse. Turnebus l. 9. Adversar, c. 16. scribit Bardanum Magum messes, fructusque alienos pellicere, & aliò traducere, vel potiùs transplantare solitum fuisse.

7. Cenomanensis Triscalerius Dæmonum arte alienæ famæ nocuit. Cùm enim quidam Parochus sub brachio Breviarium gestaret, fecit ille, ut precationum liber in alearum manipulum converteretur. Saxo l. 3. & 5. hist. Dan. narrat, Ollerum apud Suecos magicâ ope armis evasisse clarum, adeò, ut divinitatis nomen fuerit adeptus, & Oddonem Pyratam absque navigio maria pererrâsse, hostilesque sæpè naves, concitatis carmine procellis, submersisse, & inito cum Nordmannis prælio, ita vi carminum hostilem hebetâsse aspectum, ut Danorum enses eminus radios evibrare viderentur. Et Diogenianus Adagiographus recenset, Ephesiis rotulas quasdam Magicas vocesque in usu fuisse, quibus usis in omni certamine victoria potiebantur.

bantur. Unde testatur Suidas, quendam Milesium, cum Ephesio in Olympiis palæstra decertantem, nihil in illo conflictu obtinere potuisse, eò quòd Ephesius patrios characteres in talo descriptos gestaret, quibus à judicibus obliteratis ilicò succubuit.

8. Francorum exercitum, Rege Sigeberto, ab Hunnis, objectis carmine spectris, fugatum fuisse, Gregorius Turneus l. 4. hist. c. 28. testatur.

9. Jodocus Damhauderius de pecuniæ vituperio disserens, & Nic. Remigius l. 1. dæmonolatriæ memorant, dæmones posse thesauros gemmasque eruere & Magis offerre. Unde Bojorum historia l. 7. asserit Fridericum Stuphium, qui se Fridericum II. mentiebatur, ex magica pecunia bellum parâsse, & à Rudolpho Habsburgensi captum & crematum fuisse. Habemus quoque in exemplis Cornelium Agrippam à Carolo V. Imper. aulâ exulare jussum, eò quòd spem thesaurorum per artem magicam obtulisset.

10. Divinus noster vates Psal. 17. & 37. recenset, Magos animalia bruta incantare posse, cui Silius Italicus de serpentibus asscribit:

Serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyr, tractuq; graves sopire Chelidros.

Et Pausanias l. 6. recenset, Pythagoram carmine aquilam cicurâsse. Villamontius item l. 3. c. 12. Itinerarii affirmat, piscatores quosdam Crocodilos demulsisse. Quibus astipulatur Grillandus, dum scribit q. 8. se vidisse quendam Magum Græcum Romæ, tempore Adriani VI. qui solis verbis ferocissimi tauri sævitiam compresserit, & funiculo arte hâc magicâ fabricato, ipsum, quò voluit, deduxerit.

11. Nec silentio prætermittendum est, Magos quoque posse, ex materia corrupta, limosa ac putrilaginosa, animalia & mixta sensibilia producere, ut vermes, muscas, ranas, mures, serpentes & similia: in qua sententia fuisse Augustinum l. 3. de Trinit. cap. 7. & Bonaventuram 2. distinct. 7. nec non Alexandrum Alensem, 2. quæst. 43. testantur.

12. Monstra quoque edidisse Magos Christianus Massæus l. 20. Chronicor. attestatur, recensens de infante quodam infami formâ ac specie, Hermaphrodito, asperâ uno cornu fronte, alatis brachiis, oculato genu, pede accipitris, atque quibusdam notis pectore insignitis. Jornandus Episcopus l. de Gothorum origine scribit, in Scythia, Justiniano imperante quasdam fuisse mulieres Magas, quæ à Filomero Gothorum Rege in ultimas solitudines adactæ, atque ibi à malis spiritibus compressæ, tetros ac feroces homunculos ediderint, indeque Hunni suam originem deduxerint. Idemque P. Callimachus in sua Attila arbitratur. Affirmat quoque Alexander ab Alexandro lib. 2. ex nefario hominum & ferarum concubitu, Alcippam, bello Marsico, Elephantem peperisse. Verùm, licet hoc esse possit, difficilè tamen est credere, ex homine & fera verum hominem nasci posse, cùm ferinum semen perfectionis istius sit expers, quam tam nobilis animæ domicilium requirit: ac tametsi malefici & lamiæ cum dæmonibus, illi quidem succubis, hæ verò incubis coëant, prolis tamen, quæ generatur, non dæmon, sed homo erit parens, cujus semine dia-

bolus abutitur, cùm ille corpore & semine careat, contra Philonem l. de gigantibus Joseph. l. 1. antiquit. Justinum Martyr. Apolog. 1. pro Christian. Clementem Alexandrinum l. 3. Apulejum l. de dæmone Socratis. Max. Tyrium serm. 26. Psellum l. de natura dæmonum. Franciscum Georgium in Problematibus S. Scripturæ. Cardanum l. 16. de variet. c. 29. Cajetanum in cap. 2. epist. ad Ephes. aliosque falsò asserentes dæmones habere corpora, mulierumque amoribus irretitos è cœlo ideò esse delapsos.

13. Sic & falsò asseritur à quibusdam, dæmones loca magnis intervallis à se disjuncta, non occupato medio, simul implere posse, quantitatemque corporum sic immutare, ut unum in pluribus locis, vel plura in uno eodemque loco penetrativè collocent. Unde apud Nic. Remigium mentitæ sunt Striges illæ Lotharingicæ, l. 2. dæmonolatr. c. 4. dicentes, dæmonem veteranis lamiis potestatem solùm tribuere, ut ædes penetrare, & per quasvis angustas rimulas ingredi, in feles, hujusmodique pusilla animantia se contrahere possint, cùm potius verius sit, ipsum dæmonem januas reserare, strigumque sensus obfuscare, ut se tali formâ larvatas & per arctos cancellulos ingressas esse credant.

14. Sic & istud dæmon facere potest, ut Magus à circumstantibus non videatur, species scilicet visibiles aut per corporis alicujus interpositionem, aut per nimiam aëris agitationem auferendo. Hac ratione fraude dæmonum Apollonius apud Philostratum sese oculis Domitiani Imperatoris subduxit: & Gyges Lydorum Rex annulo suo, in cujus cavitate lapidem draconis capite exemtum incluserat, se invisibilem reddidit, Regem & obstantes occisurus, ut impunè cum Regina concumberet.

15. Fictitias quoque species oculis objicere possunt, sensusque decipere, ut mulier illa apud Palladium in vita D. Macharii, quæ equa esse videbatur.

16. Nec inficiandum est, posse dæmonem hominis sexum invertere: idque naturaliter factum constat Hippocratis l. 6. epidem. sect. 8. autoritate, qui scribit Abderis Phætusam, Pithei uxorem, & apud Thasios Anamisiam Gorgippi conjugem, muliebrem corporis habitum in virilem permutâsse. Idemque Livius l. 24. de quadam Spoletana belli Punici tempore prodidit. Et Lucinus Mutianus refert visam à se Argis Arescusam in virum mutatam, uxorem duxisse, & Arescontem appellatam. Joh. item Pontanus in histor. Neapolitana recenset, Cajetæ mulierem piscatori cuidam annis 14. nuptam in virum migrâsse, & aliam, cui nomen Æmilia, Antonio Spensæ, civi Eubulano, nuptam, post annum 12. nuptiarum, in virum conversam, solutoque matrimonio, uxorem duxisse, liberosque procreâsse; quæ certè metamorphosis non censenda est planè contra naturam esse, quæ semper aliquid molitur perfectius, nec aliud ad hoc deest, quàm, ut quæ sunt intus vasa seminaria, caloris naturalis impetu, foràs erumpant. Sed de viri in fœminam transmutatione, difficilior fides est, etsi Ausonius l. 1. idipsum affirmet:

Fœmi-

Fœmineam in speciem convertit masculus ales,
Pavaque de Pavo constitit ante oculos.
Nec satis antiquum, quod Campano in Benevento
Unus Ephebõrum virgo repentè fuit.

17. Efficere quoque dæmones posse, ut bruta & inanimata loquantur, testatur Aristoteles lib. 3. de partib. animal. c. 10. ubi ait, caput præcisum Cecydam homicidam indicâsse: & memorat Philostratus, Orphei caput Cyro Persarum Regi à muliere necandum prædixisse. Eusebius l. 4. hist. Ecclesiasticæ narrat, idolum Jovis sub Maximino, Theotegni Magi ope, Antiochiæ oracula edidisse.

18. Similiter censendum est, Magos efficere posse, ut cruciatibus subjiciendi nullum dolorem sentiant. Refert enim Jamblichus de mysteriis Ægyptiorum, multos vates admoto igne non fuisse ustos, vel ustionem non percepisse.

29. Alii se invulnerabiles existimant, si arma certo ritu incantent, si indusium certis imaginibus, si periapta quædam variis characteribus magicis insignita, si denique orationes Dei nominibus refertas gerant, quæ omnia Sprengerus in Malleo part. 2. quæst. 1. c. 16. annotavit.

20. Credendum etiam, Magos dæmonum ope somnum diuturnum quibusdam Pharmacis conciliare posse. Scribit enim Lilius Giraldus dial. 4. de hist. Poëtica, quendam in Germania rusticum totum autumnum, atque hiemem dormiendo fuisse emensum. Et Eudemus narrat, Epimeridem Cretensem, cùm ovem amissam pomeridianis horis quæreret, speluncam ingressum, gravique sopore oppressum, 47. vel juxta Pausaniam 77. annos quievisse, posteaque experrectum, ratum, se parùm somno indulsisse, oviculam quærere, ut priùs, perrexisse. Longissimus etiam fuit Sanctorum dormientium 7. somnus apud Laurentium Surium. Sed priorum partim fuit naturalis, vel dæmoniacus, posteriorum verò divinitus duntaxat immissus.

21. Quòd si igitur dæmon naturalibus rebus ad altum soporem conciliandum immittere potest magnam vaporum copiam, sequitur, eundem quoque posse efficere, ut diuturnam inediam, humores aqueos cumulando, quis ferre possit. Hippocrates l. de carnib. testatur, homines naturaliter usque ad 7. diem cibo ac potu abstinere posse. Portius verò & Gerardus Bucoldianus narrant, puellam quandam Spirensem, tempore Cæsaris Ferdinandi, ultra biennium omni potu & cibo abstinuisse.

22. Pari ratione negari non potest, dæmones humidum radicale restaurando, nimiam senectutis ariditatem temperando, succum meliorem calidioremque supponendo, reliquaque requisita ad tempus supplendo, posse efficere, ut defectâ ætate viri, vires, nitoremque juvenilem ac crasin recuperent, canos in pristinum calorem commutent, frigus in teporem, teporem in agilitatem, & denique senectam in juventam: quod ipsum Ovidius novit. 7. Metamorph. cùm ita canit:

----- Barba comæque
Canitie positâ nigrum rapuere colorem,

Pulsa fugit macies, abeunt pallorque situsque,
Adjectoque cavæ supplentur corpore rugæ,
Membraque luxuriant, Æson miratur, & olim
Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.

Et Regius vates Psal. 102. aquilam juventam renovare, & serpentes abjectâ leberide senectutem exuere testatur. Torquemada item dial. 1. horti floridi, Tarenti fuisse commemorat centenarium senem, qui pilis, cute, unguibus, & toto corporis habitu mutato de sene juvenis prodierit, & 50. annos adhuc supervixerit. Valescus Tarantasius l. 6. Philonii c. 12. idem refert de Abbatissa quadam in oppido Monvedro, regni Valentini, senio confecta, quæ juvenis denuò extiterit. Petrus Maffejus Jesuita l. 11. hist. Indicæ, & Ferdinandus Casteneda l. 8. commemorant, cuidam Indo nobili annorum 340. spatio, tot enim vixerat, juventæ florem ter exaruisse & refloruisse. Cardanus quoque & Langius in epist. Medica 79. affirmant in eodem novo orbe insulam quandam Bonicam nomine repertam, in qua fons scaturiat, cujus aqua pota senium cum juventa commutet. Certè si hoc verum esset, quis dubitaret, plures perennandi desiderio, etiam summis expensis aquam illam vivificam ad se perferendam procuraturos non esse? Sed pergo.

23. Simulacris quoque vel ocissimè formatis dæmonem posse ea phantasiæ nostræ objicere, ut mens quasi in speculo uno intuitu cuncta conspiciat, testatur Eunapius, qui prodidit, Chrysantum, Juliani Apostatæ temporibus, habuisse filium, qui Solis solo aspectu oracula contra Christianos fundebat. Eodemque immundo afflati numine varii pastores gregum, apud Pausaniam in Somithia, vates extitere extemplò. Cui furori non absimilis est ecstasis atque raptus, qui à dæmone vel ligando, vel etiam spiritus solvendo inditur. Olaus enim Magnus l. 3. c. 18. narrat, Lappos, si quis peregrinorum de suorum conditione certi quid cognoscere cupiat, præstare, ut intra 24. horarum spatium rescìscat, quomodo cum illis agatur, etiamsi 300. milliaribus Germanicis abfuerint. Nam incantator, postquam Magicum carmen susurravit, collabitur, quasi è corpore anima excessisset, ac ne humi prostratum corpus dæmones auferant, custoditur. Horis elapsis ceu è profundo somno expergiscitur, &, ut fidem faciat percunctanti, recenset talia, ex quibus ille deprehendit in propriis vel agnatorum fuisse ædibus.

Hujus tamen animam non putandum est corpus deseruisse, ut falsò Bodinus l. 2. dæmonoman. credidit; siquidem Deus solus in homines vitæ & necis habet potestatem, neque ullâ naturali virtute semel corpus egressa potest revocari, in idemque introduci. In quo etiam errore Plutarchum fuisse, reperio in vita Romuli, ubi scribit, defunctum multoties revixisse, animamque quoties voluit, resumpsisse. Constat tamen ex veris apparitionibus, nonnunquam, Deo ita volente, demortuorum animas vivis apparere.

24. Denique certum est, licet Magi dæmonis virtute veras defunctorum animas, in quocunque tandem sint loco constitutæ, excitare vel evocare non possint, solere

solere tamen eos sæpius earum vices subire, aliorumque animas ementiri, ut Jamblichus de mysteriis Ægyptiorum scriptum reliquit. De dæmonum apparitionibus nullum est dubium. Testatur Joh. Niderius, cùm Bohemiæ regnum cædibus & tumultibus ob religionem cõcuteretur, circa limites regni auditos esse clamores, equestriumque virorum concursiones, & variis coloribus sæpius indutos fuisse conspectos, quæ variis coloribus amictæ larvæ nil portendebant aliud quàm religionis varietatem & inconstantiam. In nemoribus quoque dæmones aliisque amœnis locis candidâ veste vestiti instar formosissimarum puellarum tripudiantium, ut incautos fallerent, apparuerunt, interdum in stabulis, equorum jubas pectentes, visi sunt, in fodinis quoque metallicis, teste Georg. Agricola c. de animab. subterraneis, conspecti, & denique nullum est elementum, in quo non latitent. Solent quoque iidem futura, ut bella, pestes, regnorum revolutiones & eversiones, incendia, & similia, denuntiare. Refert enim, inter alios, Sozom. l. 7. c. 3. nocte, quæ seditionem Antiochianam præcessit, mulierem grandem, aspectu formidabilem aërem scuticâ tam fortiter verberantem, ut sonus totâ urbe exaudiretur, apparuisse. Consueverunt etiam thesaurorum custodes ostendere, ut Cedrenus in Anastasio & Glycas 4. annalium tomo fatentur.

Nihil jam dicam, quod Guilhelmus Parisiensis part ult. de universo scribit, dæmonem aliquando assumto beluæ cadavere militem delusisse, qui, cùm putaret se formosâ potitum virgine, in amplexu cadaveris tabe dissoluti, fœtidissimique jacentem se invenit. Dæmon enim formam assumit instituto suo maximè accommodatam, sive eam ex aëre, sive vaporibus & elementis, sive ex aliis rebus quibuscunque sibi effingat & adaptet, nullam tamen sibi lubentiùs accommodat quàm hominis, quòd eam ad congressum & collocutiones convenientissimam esse deprehendat, indeque aëris agitatione voces effingat ac reddat. Nil præterea addam de amatorio maleficio, quod fit quibusdam pharmacis, vim habentibus naturalem humores turbandi, semen irritandi, corpus calefaciendi, pruritumque excitandi, quod idem facere dæmonem, imaginationique simulacrum amatorium objicere, non tamen in amorem inflectere nisi volentem, M. Antonius triumvir apud Plutarchum in ipsius vita, Cleodemus apud Lucianum, & Marcus Hæreticus apud Ireneum testantur, qui hisce pharmacis fuerunt dementati, unde Propert. l. 3. cecinit:

Improba non vicit me moribus illa, sed herbis,
Stamineâ rhombi ducitur ille rotâ.
Illum turgentis ranæ portenta rubetæ
Et lecta è sectis anguibus ossa trahunt.
Et strigis inventæ per busta jacentia plumæ,
Cunctaque funesto lanea vitta viro.

Ad eundem etiam furorem conciliandum, philtra quædam in potu ciboque offerre, vel corpori alligare malefici solent, de quibus Theocritus in Pharmaceutria, Aristot. l. 6. de histor. animalium, cap. 18. Columel. l. 6. & Bapt. Porta in sua Magia naturali tradiderunt. Quæ cùm Poëta Lucretius sumpsisset, narrat Eusebius in

Chronico, furore percitum seipsum interemisse. Et Josephus l. 11. antiquit. scribit: Caligulam tali potu à Cesonia necatum esse. Ab hoc quoque non discrepat maleficium abortus, partus difficultas, & lactis exiccatio, de quibus scribit Joh. Niderius l. ult. Fornicarii, fuisse in oppido Beltinger quendam maleficum, nomine Stadelein, qui in utero cujusdam uxoris 7. liberos enecavit, omniumque pecorum setosorum partus interfecit, hocque maleficium quadam incantatâ lacertâ sub domus limine positâ effecisse. Apud Delrionem & Wierum reperies ejusmodi generis exempla plurima, & quotidiana quoque experimenta harum, sub liminibus ædium, repositarum rerum incantatarum, ad malum effectum producendum, fidem ac veritatem confirmant.

His igitur ita probè à te Lector optime, pensitatis, adque rationis & judicii tribunal revocatis, facilè apparebit discrimen inter Magiam naturalem & dæmoniacam, inter sigilla & periapta utriusque inter Magos per causas naturales, & Magos per naturales quidem interdum res operantes, sed non facientes aliquid sine pronuntiatione certarum quarundam sententiarum & vocum, in quibus maximam suæ artis vim ac præsidium positum esse opinantur.

Quid? quòd ad efficiendum, quod proposuerunt, invocationes, & obtestationes, comminationes, conjurationes, sacrificia, prostrationes corporum, & alia plura ordini divino & naturali contraria, adhibent, ut ita in totum dixisse liceat, quicquid modo dictarum ceremoniarum & actionum, ad periapta, amuleta, sigillaque, sub & ex rebus ac causis merè & verè naturalibus conficienda formandaq; accesserit, illud totum contra naturę ordinem, Deique mandatum, sit factum censendum, neque enim sine impietate & superstitione designari tale quid potest. Verùm de sigillis & periaptis naturalibus, suis causis non carentibus, suo loco. Nunc operæ quoque erit pretium, illicitæ hujus Magiæ species præcipuas, ex eruditis scriptoribns, & historicis, in candidi lectoris gratiam, hic enumerare; sic enim vera & utilis à perniciosa, cerussata, & non naturali seu impostoria, lucis instar meridianæ, affulgebit fronte serenissimâ candidissimaque distincta.

Cùm enim dæmonum & Magorum non sit una eademque fœderis initi forma, neque uno modo requisita & pacta inter ipsos præstentur, sed aliis aliter, hinc *illæ* Magiæ variæ species & distinctiones, quarum apud Historicos fit mentio, sunt exortæ.

Magorum enim aliqui familiares perpetuo spiritus secum circumferunt, alii aliis ergastulis vinctos & conclusos, quos vetustas παρέδρους vocavit: alii, cùm opus est, illos accersunt & alliciunt.

Et primam quidem Magiæ speciem pepererunt Ethnicorum de animabus defunctorum opiniones miræ ac diversæ, quas omnes hîc recensere non est nostri instituti. Vide Peucerum de Magia, prolixè & eruditè de hâc re differentem.

1. Necyomantia in historiis celebrata est, estque illa illegitimæ Magiæ species, quæ fit per homines mortuos, vel rectius per dæmones illorum habitu vestitos, à quibus

quibus responsa accipiebant, quæ, si illi integris & expressis mortuorum corporibus conspicerentur, νεκυομαντεῖα, si verò tenues sibi & obscuras circumfunderent umbras, σκιομαντεῖα nominabantur. Fiebat autem olim duobus modis, uno, per sacrificia & incantationes, quo utebatur Tiresias, altero Thessalico, adhibitis funestis ritibus, ossibusque ac fibris mortuorum, feralibus cantiunculis, funibusque suspensorum, cùmque cadaver non est in promptu, tunc diabolus hominis figuram dissimulat, ut, si quis Platonis vel Alexandri simulacrum videre optaret, illicò ille oculis illud offert. Non autem coactè, sed sponte, dæmones magis inserviunt, & duntaxat fingunt se verborum characterumque vi cogi, ut præclarè Henricus de Hessia in Genesin testatur; ipse, inquit, simulat se captum, ut te capiat, se vinctum, ut te vinciat, se tuo imperio subditum, ut te sibi subdat, à te conclusum, ut contra, te includat, fingit se tuâ arte vel imagini, vel lapidi alligatum ut funibus peccatorum religatum ad infernum te perducat. Sed cœptum prosequamur.

2. Hujus quoque generis est Necromantia & Goëtia, quæ demortuos ab inferis excitat & consulit, pollicetur que umbrarum & inferorum colloquia, unde malorum dæmonum invocatione, eorumque præstigiis ac spectris mentes hominum perstringebat, cruentisque sacrificiis, verbis conjuratoriis, additis quorundam lapidum & herbarum suffumigiis, dæmones in colloquium alliciebat. Narrat Apulejus l. 2. de asino dur. Zailam Ægyptium defuncti cujusdam adolescentis spiritum ab orco reduxisse, corpusque ceu postliminium animâsse carmine quodam atque herbis, quarum alteram ori, alteram pectori admovit, ac denunciâsse, ipsum noxio novæ nuptæ poculo interemptum, ut adultero se manciparet. Et Remigius l. 2. dæmon. cap. 1. dicit, quandam fœminam, ut thesauros posset in terræ abditis absconditos nancisci, patibulo cadaver refixisse, idque ea de causa ad colloquium impulisse, sed ab illo nihil certi habere potuisse, adeò ambigua perplexaque omnia, omnia ejus extiterunt responsa.

3. Sed sacratior erat illa Magiæ species, quæ Theurgia dicitur Græcis, imploratio scilicet per sacrosancta nomina & precationes angelorum & bonorum spirituum, (qui veri unius Dei operum sunt nuncii & executores) Apulejus hanc vocat sepulchrale carmen, aitque certis quibusdam hostiis & sacrificiis eam perfici. Hujus Moysen & Salomonem, ut unius veri Dei cultores, peritos fuisse, non est dubium, priorem verò si didicerunt, eam ob causam arbitror factum esse, ut impietatem illius redarguerent. De duplici hac Magia vide Suidam, Psellum & Jamblichum: de Mose verò Plin. l. 3. c. 1. Eusebium de præpar. Evang. l. 8. c. 2. Josephum l. 2. contra Appionem in Actis Apostolorum c. 7.

4. Cùm verò diabolus responsa exhibet ex antris, statuis, vel hominibus, oraculum, seu dæmonomantia est, & talia fuere oracula Jovis Dodonæi, Jovis Ammonis, Trophonii, Apollinis Delphici, Clarii, Delii, & alia numerosa, de quibus Cælius Calcagninus in tract. de oracul. ait, Apollinem sæpius, sciscitantibus res futuras, sic respondisse.

5. Aëro-

5. Aëromantia porrò illa superstitiosæ Magiæ species erat, (cujus autor perhibetur Aristophanes) quæ ex aëre fundebat oracula, spectrorumque, quæ in aëre apparebant, monitu, futura edicebat, de hac multa collegit Pictor. cap. 10. de Magia. Convolutam autem mappam imponebant capiti, inque eam cyathum aquâ plenum ponebant, levique susurro, quod exigebatur, recensebatur, ad ea verba, si aqua cyathi efferbuisset, approbari ac confirmari inquisita censebantur.

6. Lecanomantia Assyriis, Chaldæis & Ægyptiis fuit in usu. Hac, Psellus cap. ult. Nicetas l. 2. testatur, Johannem Magum, Theophili Cæsaris præceptorem usum esse. Glycas verò 1. Annalium 2. asserit Alexandri patrem Ægypti Regem Magiæ peritissimum; hac Ægyptum venturam in hostium potestatem prævidisse. In pelvim autem aquâ repletam imponebantur aureæ & argenteæ laminæ, lapidesque pretiosi characteribus certis insigniti, & postquam consueta verba essent pronunciata, quibus dæmon advocabatur, proferebatur quæstio, quibus peractis exilis instar sibili vox ex aquis emergebat, referebatque, quæ per quæstionem exposcebantur.

7. Gastromantia à priori in hoc differt, quòd non voce, sed picturis responsa expediebat per phialas & vasa vitrea ventricosa aquâ limpidissimâ plena, & circumcirca collocatis accensis cereis, cumque evocatio dæmonis occulto murmure absoluta, quæstioque fuisset recitata, adhibebatur puer impollutus, aut mulier prægnans, quæ vitra accuratè intueretur ac circumspiceret, rogaretque, imperaret & flagitaret responsa, quæ tandem diabolus per imagines, ex aquis velut in tersa politaque speculorum superficie, reflexione quadam refulgentibus, exprimebat. Cur autem puerum impollutum ad res magicas diabolus requirat, à nemine responsum dextrum allatum reperio, nisi quòd diabolus simplicem ætatem & improvidam priùs illaqueare molitur, quàm cavere discat aut possit.

8. Catoptromantia rerum quæsitarum figuras in politis tersisque speculis puero contemplanti exhibebat, quâ Julianum Imperatorem usum esse sæpius, Spartianus asserit, puerumque Severi adventum & Juliani decessionem prævidisse.

9. Pausanias in Achaicis recenset Pagomantiam, ubi ait, Cereris ante templum esse fontem, ibique oracula omnium duntaxat morborum exhiberi. Solebant autem speculum tenui suspensum funiculo, ita demittere, ut non planè fontis imum contingeret, & cùm in id inspexissent, ex ejus imaginibus, periturus ne, an superstes mansurus æger is esset, divinabant. Sed Leloyberus l. 4. de spectris narrat, Pythagoram solitum fuisse in speculo concavo scribere literas humano sanguine temperatas, & speculum lunæ opponere, sicque futura prævidere. Alii autem, quod mirabile est, asserunt, Pythagoram, quæcunque collibuisset in speculo chalybeo terso scripsisse, eaque lunæ pleno orbe apparenti ostendere consuevisse, intentâque in illam oculorum acie, omnia, quæ in speculo scripta fuissent, perlegere potuisse, hocque modo vel in remotissimis regionibus degenti, animi nostra sensa perscribere & indicare nos valere. Quod verum esse, B. Porta in sua Magia naturali prodidit; nam eâ tempestate, quâ Franciscus Gallorum Rex bellum adversùs Carolum V. gerebat, non semel,

mel, quæ per diem Mediolani agerentur, per noctem, hac ratione, Parisiis à quodam significata fuisse dicuntur.

10. Crystallomantia ex crystallis in annulum, cylindrum, vel aliam formam conformatis depictas notas, atque eventuum, nec non rerum inquisitarum figuras renunciat. Narrat Spenglerus, Norinbergæ quendam, præcipuæ autoritatis virum hujusmodi crystallum serico involutam habuisse, in eaque dæmonem habitâsse. Hac quoque usum fuisse Julianum Imperatorem, & pleraque diaboli monitu prævidisse, quæ acciderunt, historiæ testantur.

11. Dactylomantia ex annulis vel ad certos cœli positus conflatis, (quod naturaliter, & sine ulla superstitione atque impietate fieri posse assero) vel fascino diabolico consecratis, (quod impium esse omninò assevero) vaticinabatur. Ubi tamen æquus lector meminerit, annulos istos, qui ad certam quandam constellationem fiunt citra fascinum diabolicum, non in hunc finem debere confici, ut per eos vaticinia peragantur, sed tantum ad certi sideris influxum recipiendum ac retinendum. Unde annulorum incantatorum alia est ratio, qualis fuit ille ex Ammiano l. 29. qui super tripodem ad certa verba movebatur: annulus item Gygis apud Herodotum, quotiescunque enim eum in palma convertisset Gyges, à nullo videbatur, ipse videbat omnia, annulique istius beneficio Reginæ stuprum intulit, ac, Candaule Rege sublato, regno potitus est. Sic duo illi Phocensium tyrannorum annuli, teste Clem. Alexandrino, sonitu sponte edito, commonefaciebant eos de commodo rerum gerendarum tempore, quamvis postea insidias conspirantium effugere non potuerunt.

12. Hydromantia per aquas divinatio est, sicut Oinomantia per vinum. Hydromantiæ autem varii sunt modi. Unus fit per annulum in cyatho aquâ pleno, filo suspensum, & in aquam digito libratum, atque in conceptis verbis poscebatur declaratio rei quæsitæ, & si, quod proponebatur, verum erat, annulus suo nutu non impulsus feriebat cyathum constitutis ictibus: alter modus fit conjectis in aquam quietam lapillis tribus, observatis gyris, qui circa lapillos diffunduntur: tertius variâ pelagi exagitatione, quâ olim Siculi utebantur: quartus ex aquæ colore & imaginibus in ea apparentibus. Sic tradit Varro, belli Mithridatici eventum multis versibus præsignificatum fuisse: quintus cyathum statuebat aquâ plenum, verbisque immurmuratis observabat, num aqua, sponte effervescens, effunderetur. Sextus describitur à Joh. Leone l. 3. descriptionis Africæ, ubi aquam in vitreum catinum infundunt, illique olei guttam affundunt, admiscentque, opinantes se velut in speculo mira cernere. Septimum denique recenset Clem. Alexandrinus l. 5. ubi ait: mulieres Germanas solitas esse sonum, vortices, amnium que circumvolutiones notare, indeque futura prædicere. Huc pertinent Ethnicorum illa oracula, quæ ex aquis petebantur. Non procul ab Epidamno, Laconum oppido, fuit Junonis dicta palus, in quam placentæ frumentaceæ conjectæ signa dabant secundorum vel adversorum eventuum, Si enim acceptas mersasque placentas palus retinuisset, prospera,

 sign-

si innatantes non retinuisset, sed velut indignata rejecisset, tristia portendi experientia docuerat.

13. Botanomantia ex Verbenæ, Myricæ, lunariæ, capilli Veneris, Polytrichi, &c. foliis ramulisve, quærentis nomine & quæstione signatis, futura vaticinatur: de Myrica Cœlius Rhodiginus l. 7. antiq. lect. hæc tradidit: Apollo Myricâ, inquit, vates sanxit pronuntiare mortalibus futura, propterea insignem hunc fruticem, Nicander appellavit vatem. Magi item & Scythæ Myricino ligno vaticinantur. Sed & in Lesbo Apollo Myricæ ramum tenet, unde & Myricæus appellatus. Quæ autem ficus foliis fit, Sycomantia dicitur.

14. Verùm deterior multò est illa incantationis species, quæ Pharmacia dicitur, veneficis usitatissima, quâ ex creaturis & corporibus mixtis præparant pharmaca noxia & salutaria, mirâ diabolicâque vi & varietate: quorum noxia epota, vel quovis modo intra corpus sumta cient periculosas ægritudines, amentiam, cæcitatem, furiosos amores, apostemata, & alia: vel etiam inficiunt contactu: vel si alicubi recondantur, transcensa vel præterita nocumentum infligunt: salutaria verò malis incussis medentur, neque enim difficile est diabolo, fascino illata mala eodem solvere ac tollere. Veneficæ certis anni temporibus herbas ad certarum vocum pronuntiationem evellunt, aut alia suis accommodata artibus conquirunt, hac opinione, quod ex istis verbis, eam, quam ipsis opus est, virtutem contrahant, iisque deinde aut ad remedia utuntur, aut si noxium aliquid parant, cibo potuive hominum injectis, aut in porcorum stabula sparsis, aut saltem eò collocatis cum fascino, quâ transeundum est, non tantùm lædunt, sed & animantia perimunt, quæ talibus vel degustatis, vel halitu solo attractis, vel transitu perstrictis, è vestigio inficiuntur, & aut statim concidunt & moriuntur, aut lentâ tabe absumuntur. Sunt in exemplis, quæ tormentis exanimatæ magnum recensebant eorum numerum, quos læsissent, quorum aliquos excæcârant, aliquos mutilârant, aliquos gibbosos reddiderant. Noti sunt & pagi, in quibus multos annos illa, quæ ingressa erant vel egressa, armenta perierunt, & non fuisse infecta pabula vel illud certò indicabat, quòd vicinorum pecora, eodem pastu usa, noxii nihil sensissent, sed fascinum fuisse defossum sub via publica, quà armenta ire consueverant, eventus postea ostendit, cùm sublato fascino actus mutaretur.

15. Axinomantiâ & coscinomantiâ ad pervestigandos occultos scelerum autores, aliasque obscuras res explorandas incantatores utuntur. Illum expediunt securi rotundo palo infixa, aptataque ad normam & perpendiculum, cumque præfatione, recitatis vel enumeratis ordine nominibus eorum, qui hærent in suspicione, ad cujus se mentionem securis circumagit & nutat: hanc verò cribro forcipi imposito, præmissis precibus, recitatisque nominibus suspectorum; quocunq; enim illorum nominato cribrum tremit, vel mutat, vel convertitur, eumque reum sceleris arguunt.

16. Cephalæomantia asini capite supra prunas asso fiebat, Germanis olim usitata. Longobardi hanc in caprinum caput converterunt, teste Gregorio l. 7. Epist. 7.

Sed

Sed Judæi cum Germanis consentiebant, qui similiter asinum caput divinationi impendebant. Unde Tacitus illos calumniatur, quòd pro Deo asini caput colerent.

17. Alectryomantia erat, quâ operâ & indicio galli gallinacei cognoscebantur futura & occulta. Peracta autem hoc modo est: Literæ 24. in pulverem inscribebantur, quarum cuique granum hordei & tritici imponebatur. In hæc emittebatur gallus adjurationibus in hunc usum priùs præparatus, de quibuscunque enim ille literis prima grana deglutit, illæ notatæ rem quæsitam indicare putabantur. Hac Magia Jamblichum, Procli Magistrum, scrutatum memorant, quis post Valentem Cæsarem esset imperaturus; unde Valens vaticinio cognito, cùm gallus de solis 4. literis, ϑ. ε. ο. δ. deglutiisset grana, plurimos, quorum nomina his literis inchoabant, interfecit, & tamen illi Magnus ille Theodosius in imperio successit.

18. Incantatoribus quoque rectè annumerantur illi, quorum diris dejerationibus dæmones quandoque volentes & colludentes cedunt, tum etiam Apomactæ, qui arcere fugareque dæmones ab obsessis, infectosque expurgare creduntur: nec non illud Impostorum genus, squalidâ tetrâque & deformi specie & habitu, quos Zigeunos nominamus, ac creduntur ex Ægypto primùm; & vicinis Africæ partibus prodiisse, ubi incantationum omnisque generis præstigiarum tantus est usus, ut nihil nisi consultis vatibus suscipiatur, & magnus quotidie vatum numerus in foro publico præstoletur consulturos, quod Alexandriâ & Alcairo redeuntes pro certo affirmant. Sed pergo.

19. Aspidomantia Indorum est divinatio, ut Floridensium testatur historia. Nam Rex Holata Outina, ut sciret, quo in statu res hostium forent, Magum CXX. annos excedentem ad se vocavit, qui accepto quodam scuto & circulo quinque pedum diametri circa illud ducto, characteribusque quibusdam additis, in illud insedit, & submurmurato malo carmine ad horæ quadrantem, illicò tam apparuit horrendus, ut humanam effigiem ampliùs non exprimeret. Quibus peractis in momento ad pristinum statum rediit, orbeque egressus, hostium numerum, & quo in loco illum expectarent, indicavit.

20. Anthropomantia hominum interfectorum fibras & viscera rimabatur. Scribitque Cedrenus in Annalibus, & Theodoretus l. 3. c. 21. Heliogabalum & Julianum apostatam eâ fuisse usos, gravidarumque fœminarum alvos Antiochiæ & Charis dissecuisse. Hanc etiam Tartari, teste Cromero l. 8. Hist. Polonicæ, Lithuanique teste Strab. l. 3. observabant.

21. Sed Amniomantia infantis recens nati galeatum caput considerat, de qua Jovius multa congessit.

22. Cæterùm futurorum observatio, quæ è cœlo & aëre capiebatur, ut Varro l. 6. de lingua Latina fatetur, dicitur auguriũ & auspicium. Expectabatur enim fulmen vel tonitru, quemadmodum Plinius l. 2. c. 52. annotavit, item 54. Ex avium quoq; vel præpete volatu, vel suavi cantu, garritu, gemitu & murmure futura prædici posse putabant. Ita etiam ex pullorum tripudio augurium sumebatur, Romanique Solistimo

tripudio clades P. Claudii, & Lucii Junii bello Punico primo, teste Polybio l. 1. tribuerunt. Germani, ut narrat Tacitus l. de moribus Germanorum, ex equorum fremitu augurium accipiebant: apud Plinium alii ex lupi aspectu, apud Tiraquellum ex capræ, asini, leonis, vulpis & similium intuitu captabant. Sed harum superstitionum usus adhuc vigere apud multos non est dubium, usurpationemque istorum in admiratione esse ac honore.

23. Arithmantia usi potissimum sunt Chaldæi & Græci. Chaldæi alphabetum in 3. decades dividebant, quibusdam literis repetitis, nominaque petentium resoluta in numeros commutabant, illosque singulos suis Planetis concedebant: Græci literarum pondus & futurum victorem ex nomine illius, qui majores numeros contineret, considerabant. Atque hinc tradunt Hectorem ab Achille superatum, eò quòd istius numeri summa major alterâ extitisset.

24. Capnomantia fumi est observatrix, quæ Cedreno teste l. de vera sapient. vel sesami, vel nigri papaveris granis in ardentes prunas immissis, fiebat, & inde exurgentem summum notabat, vel certè fumum ipsum sacrificii vel pyræ, de qua sic Papinius l. 11. Thebaid. ubi, postquam Pyromantiam Tiresiæ descripserat, addit eum ore fumum fatidicum hausisse:

Ille coronatos jam dudum amplectitur ignes,
Fatidicum sorbens vultu flagrante Vaporem.

Judæi quoque hac Magiâ utebantur, teste Theophylacto in cap. 4. Oseæ, & Pictorio l. de Magia, c. 11. observabant autem fumum, qui ex victimarum sacrificio ascendebat, rectum vel obliquum.

25. Ceromantia illa est Magiæ species, quâ Turcæ & Illyrii solent occulta facinora deprehendere, accepto scilicet ceræ frusto, illoque tardò igne liquefacto, conceptaque verba submurmurantes, illud extrahunt, inque aquam suppositam conjiciunt, quod postea varias figuras domus, scrinii & furis ostendit, ex quibus in rei cognitionem deducuntur.

26. Huc pertinent Alphitomantia, ex farina hordei, & Aleuromantia, ex farina tritici divinatio, de quibus Dionysius Halicarnasseus multa congessit.

27. Porrò illicitæ ac diabolicæ Magiæ insignes species sunt maleficium hostile Fabanomantia, Haruspicina, maleficium & infaticidium Strigum & Lamiarum, maleficium Ligaminis, Excretionis, Sternomantia, Fascinatio.

28. Hostile maleficium varium fuit, Sprengerus part. 2. Mallei quæst. 1. c. 16. hæc scribit; hi fœderantur dæmoni; nam ex pacto ipsi addicunt corporis & animæ dominium, ille vicissim se adfuturum pollicetur, ut quàm longissimè dissitum velint, infallibili ictu, trajiciant: dæmon enim spondet se eo tela perlaturum, & hostili in corpore defixurum, & tantam illis se balistâ bombardâve, jaculandi peritiam tributurum, ut nummulum capiti impositum absque capitis læsione valeant dejicere. Solent etiam imagines quasdam fabricare, quas vel acubus pungunt, vel igne liquant

quant, vel confringunt, ut certum interitum iis afferant, quibus ejusmodi imagines designârant, de quibus Ovid. in Epist.

Devovet absentes, simulacraque cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

De hoc maleficio Paulus Æmil. l. 8. & Mejerus l. 16. plurima prodiderunt. Zonaras tom. 3. & 5. & Glycas part. 4. annalium recensent, fuisse statuam quandam supra Xerolophum, cui jussu Johannis cujusdam Astrologi caput amputatum fuit, ut Crobati à Simone, Bulgarorum duce, bello liberarentur, ferturque dux eadem horâ ex stomachi dolore interiisse. Tradit quoque Sprengerus part. 2. Mallei quæst. 1. c. 11. maleficum quendam epilepticum morbum certis inflixisse ex ovis in esculentis præbitis, quæ cum mortuorum corporibus subtumulata, & cum quibusdam ceremoniis extumulata erant.

29. Fabanomantia est, quâ lemures placabantur, & ex domibus ejiciebantur, de quorum ritu Alexander, l. 3. genialium dierum, hæc prodidit: Funestam, ait familiam, aut hominem funere pollutum, nec ædes Deorum dedicare, nec publica sacra facere posse liquet, nisi in lemuralibus aut parentalibus, in quibus inferis Diis dare inferias usus obtinuit, quo tempore ædes Deorum jacent clausæ. In lemuralibus fabam noctu jacere usurpatum est, lemures se ex domo ejicere clamantes, quam nigram esse convenit, ipsamque lotis manibus & nudo pede per ora versare, & post terga rejicere, ærisque tinnitum facere, atque lemures, fabis redempti, domo abirent, novies orare.

30. Haruspicina seu Ariolatio Isodoro l. 1. Etym. c. 9. Est, quæ circa aras idolorum nefarias preces fundit, & funesta sacrificia offert, iisque celebritatibus dæmonum responsa exspectat. Hanc vult Donatus ab Haruga veteri vocabulo, quod ostium significat, derivare. Sed Haruspicum prima divinatio est victimaria, ex vivæ adhuc victimæ observatione, dum producebatur, dum ad aram sistebatur, dum attrectabatur, dum vinum ei infundebatur, de quibus rebus Bernh. Bissonius lib. 1. formularum plenè scripsit.

31. Cum Quinto nunc Sereno recenseamus infanticidium Strigum & Lamiarum maleficium.

Præterea, si fortè premit Strix atra puellos,
Virosa emulgens exertis ubera labris.

Solent autem sagæ ad quædam concilia evolare, ubi præcepta dæmonis accipiunt de frugibus evertendis, de immittendis in arbores & fruges bruchis, aliisque insectis noxiis, de fascinando pecore, veneno spargendo, lacte armentorum exugendo, & denique de labefactando, quantum in iis est, mortalium genere. Antequam verò ad suos conventus, teste Forbachio, è lecto geniali advolent, incantatione somnum profundissimum maritis conciliant, unguento se liniunt, quo sibi ad sua conventicula iter præparant, infantis culcitram, aut scopas, vel stramentorum fasciculum supponunt, ut, si maritus expergisceretur, uxorem suam adesse existimaret, vel

rtè dæmonem ipsum, ut suâ accubatione vices conjugis suppleat, relinquunt. His ita rebus dispositis, aliæ in colo vel arundine feruntur, aliæ in tauri vel hirci dorso, vel baculo bicurfato, aliæ verò in cane atro per aërem volitant. An verò verè præsentes larvæ istæ conciliis suis adsint, dubitatum reperio. Inter Alios Remigius l. 1. dæmonolatriæ c. 14. inquit: Cum Claudius quidam Chotæus ad paganalia pergeret, ex iisque rediret, ecce subitò turbine correptus stetit, etsi cætera tranquillissimus esset aër, advertitque in secessu quodam larvatas mulieres sex, multoque auro & argento mensam quandam instructam saltando circumeuntes, iisque astantem in nigri tauri forma hominem, qui eas, uti otiosus aliquis in trivio spectabat, quod facinus & fœminæ illæ postmodum quæstionibus subjectæ, fassæ sunt. Ac quædam mulier, dum iter faceret Sole meridianum tenente, vidit in quodam arvo chorum in orbem saltantium, & virorum & mulierum, verùm quod præter solitum aliorum hominum morem aversi, tergaque ostendentes id faciebant, attentiùs eos aspiciens, vidit præterea, qui caprinis bubalisque pedibus deformes, unà intermixti saltatorium illum orbem versarent. Et idem Remigius l. 1. c. 25. recenset, cùm sagæ imbres noxios & grandines immittere volunt, solere eas virgâ quadam à dæmone acceptâ aquas diverberare, è quibus vapor in sublime fertur, inque grandinem & pluvias convertitur: vel accipiunt ollam fictilem, in qua dæmon nonnihil antea quid aspicientibus incognitum inclusit, vel scrobem fodiunt, è qua hæ tempestates ac si antea tanquam in cella prompturia inclusæ fuissent, erumpunt. Cap. autem 26. asserit, Sacræ campanæ tinnitus atq; sonos plurimum contra omnia maleficia valere, omnesq; veneficas hoc fateri. Paulus Grillandus scribit, quandam veneficam, quam cùm dæmon, dimisso conventu, domum reportaret, audito campanæ signo, quod ad Deiparam Virginem salutandam dari solet, illicò in subjectas sentes, dumosque quasi viribus dejectus abjecerit.

32. Maleficium ligaminis quoque reperiri, præter exempla Thomas part. 3. quæst. 58. art. 2. testatur, & Bodinus in dæmonomania multis modis dæmonem hoc efficere posse scribit. Concionator quidam in monte Politiano, cum vellet concionari, loqui non potuit, acciditque id ei, secundò, tertiò. Videns id naturale non esse, in concione sibi vocem tantùm præcludi, votum vovit S. Agnet. quæ erat *illius* loci patrona, invenitque signa in suggesto, capillos inter se ligatos, comburit *illos*, & vox ei restituitur: facilè igitur hîc quisque videt signum maleficii fuisse capillos ligatos. Habemus in exemplis signum maleficii sæpè fuisse literas amatorias, ollas, ligamina, claustra, & similia, quæ magus adhibet ex pacto cum dæmone inito, ut aliquis maleficio lædatur. Quæstio hîc oritur, an liceat maleficii signum destruere (quam etiam quæstionem movet D. Robertus thes. ult. de superstitione) hoc est, aperiendo claustrum, comburendo capillorum glomos, solvendo ligulæ modum, effodiendo ollam, amoliendove, quod sub limine est reconditum, maleficium destruere, & maleficiatum liberare? D. Robert. affirmativam defendit, licere scilicet maleficii signum destruere, sed sine maleficio. Rectè autem id asserit D. Robertus. Si enim opera diaboli

boli destruere licitum est, malefici quoque signum amovere, comburere & destruere licebit; nam in hac amotione nihil intercedit, quod illicitum sit: item, si limen, sub quo positum est maleficium, licet vitare, etiam licebit maleficium sub limine amovere: nec statim cum dæmone & maleficis pactum iniisse dicendus est, qui signum destruit & maleficium solvit. Maleficium enim solvitur vel per simplicem dissolutionem, talisque dissolutio non est opus malefici, quià nulla hic accidit dæmonis invocatio, sed opus hominis scientis: vel fit per invocationem dæmonum, & aliud maleficium, & hæc dissolutio prohibita est ac illicita. An verò ab ipsis maleficis liceat remedium petere, quæstio est alterius indaginis. D. Robertus ait licere, modò ut nihil petatur, quod pietas vetat. Sed Sophisticam hanc limitationem, imò contradictionem in adjecto quis non animadvertit? Ipsa pietas vetat, imo citra impietatem à maleficis remedium peti non potest. Et quid, si petiturus ignoret, remedium datum sit ne licitum vel illicitum, naturalenè an præternaturale, vel potiùs supernaturale? Hæc sunt Robertiana illa stigmata, acuta, cœlo digna, (ut ipse prædicat) vereor autem ego ne inferno. Sed pergo.

33. Maleficium excretionis dicitur, cum per os, aliasve partes, ossa, ligna, saxa, ranæ, conchylia, vitrorum frusta, anguillæ, pilorum glomi, acus, panni, cultri, forfices, aliaque ferramenta ejiciuntur, de quibus Corn. Gemma l. 2. Cosmocrit. Catharinæ cujusdam puellæ Lovaniensi accidisse narrat, & Sprengerus in Malleo part. 2. quæst. 1. c. 13. de Zabernense muliere, Joh. Langius l. 1. epist. 38. de Ulrico Naussesler, & Remigius l. 3. dæmonolatr. de aliis recensent. Et posse dæmonem hæc, quæ extra corpus ex corrupta materia nascuntur, efficere, ut ex pravis corruptisque humoribus in corpore etiam humano coalescant, extra dubium est, ratioque & auctoritas id persuadent, vide Galen. l. 2. ad Glauc. Celsum l. 5. c. 6. Lemnium l. 3. de occult. natur. mirac. Atque huc pertinere videntur apospasmata seu avulsiones, apostematis species, cùm scilicet phlegmoni arena innascitur, ligna, carbones, amurca, fæces, calculi, seræ porcinæ, & id genus alia, fierique quandoque solent in inveteratis abscessibus, ob varias & miras humorum qualitates, materiam in hujusmodi quisquilias convertentes. Quæ verò ex corrupta materia non generantur, ut forfices & similia artificiosè efformata & cælata, in humano corpore vix excuduntur, sed dæmon vel excretis humoribus talem effigiem præstat, vel certè extrinsecus illa affert, projicitque ac si essent egesta.

34. Sternomantia sub pectore infra cutem dæmonem ostendebat, ut inde loqui videretur, de qua Cœlius Rhodiginus l. 8. c. 10. disseruit; atque huc pertinere videtur Engastromantia, quâ imbuti ex imo ventre responsa dabant, unde & ventriloquos appellatos reperio.

35. Ejusdem farinæ & census sunt Onymanthia seu Onychomantia, oleo & fuligine impolluti pueri unguem illinens, ungueque solem versùs obverso, adhibitâ certâ murmuratione, quæ cupit, videt.

36. Oculomantia ex excusso oculo furem prodens.

37. Om-

37. Omphalomantia obstetricum propria, per nodulos umbilico & secundis adhærentes, conjicientium, quoties puerpera sit postmodum paritura.

38. Ornithomantia, quæ inter Sortiarias relata est, de qua Joh. Leo l. 8. descriptionis Africæ scripsit, fitque in capsulis abaculi forma constructa, ad quam veniunt consilium petentes; est autem in capsula avis, cui nummum offerunt, avicula stipem accipit, rostroque capsulæ infert, deinde regreditur, & responsum affert in chartula consulenti.

39. 40. 41. Palomantia, Pettomantia, & Astragalomantia, ex bacillis, talis, oscillis, pillulis & tabellis inscriptis, & in altum projectis constabat.

42. Tephramantia verò seu Spodonomantia ex sacrificiorum cineribus vaticinabatur, quam Magiam Sophocles divinatorium cinerem appellavit: hodie adhuc fumat; utinam verò superstitionis hujus incendium in cineres abiret & favillas! Nam res de qua divinandum est, digito cineri inscribitur, & cinis aëri puro permittitur, hoc fine, ut cinis, aëre agitatus, literas rei futuræ ostendat.

43. Tiromantia denique caseo perficitur, Oomantia ex signis in ovo apparentibus, quâ vult Suidas Orpheum usum fuisse, & Leoninus l. 3. variar. histor. c. 13. de hac plura consignavit.

44. Restant fascinatio, præstigiæ, Idololatria, blasphemia, divinatio, &c. Fascinatio hunc chorum claudet, indeque ad sigillorum usum & abusum revertar.

45. Fascinatio rectè duplex statuitur, teste Scalig. de subtil. exercit. 349. Francisco Valesio S. Philos. c. 98. & Wiero l. 2. & 3. de fascinat. Nam illa, quæ fit per emissionem spirituum inficientium, ex oculorum partibus circa orbem jacentibus infectio propriè dici potest: Verùm quam per aërem circumstantem spiritus vel vapor malignus dæmonis arte illatus diffundit, ut aërem infectum sibi proximum homo respirando ad cor trahat, sicque labem atque necem acquirat, dæmoniaca est, peragiturque cùm vel aspicit, vel tangit, ut lædat, vel laudat, ut fascinet maleficus & incantator. Unde in hac fascinatione semper est pactum cum diabolo tacitum vel expressum: illud superstitiosis quibusdam signis adhibitis tacitè cum dæmonibus, hoc verò expresè cum illis initur, per usum veneficiorum, collyriorum, unguentorum, potionum, allegationum, suspensionum, annulorum, imaginum, characterum. Licet enim collyria, unguenta, potiones, alligationes, periapta, amuleta, characteres, imagines, sigilla & alia, ex merè naturalibus rebus & causis constent ac conficiantur, & propterea eorum usus legitimus est ac licitus, simul ac tamen vel profanatio nominis divini, abususque deformis verbi Dei, quibus excusari pleraque solent, vel fascinum diabolicum ac incantamentum accesserit, usus quoque & applicatio eorundem naturalis non ampliùs erit, nec licitus. Vide numer. abhinc 11. Furor profectò est & scelus, fingere ex recitato nomine aut verbo Dei præstigiarum varios modos ad effectus producendos, ordini divino & naturæ ipsi planè adversantes, quibusque miseri mortales decipiuntur ac in exitium præcipitantur.

Inscitè igitur, ne quid dicam ampliùs, D. Robertus Tractatum Magneticum,

omnia-

omniaque, quæ in eo continentur, reprehendit ac ſugillat, nec inſcitè tantùm & odioſè, ſed imprudenter etiam; & non injurius in eum eſſem, ſi dicerem malitioſè & impudenter, dum vitia propria procaciter alteri illinere attentavit; cùm ferè omnibus illis, quæ odioſiſſimè peſſimamque in partem in Tractatu meo notavit, laboret ipſe. Optarem certè, ipſum tam fuiſſe cordatum, cùm hæc ſcriberet, quàm forſan eſt barbatus. Ut enim meritò illorum ridetur & taxatur impudentia, qui in aliorum oculis & facie, nævos aut maculas leviores notant, in ſemetipſis autem totius faciei fœdam deformitatem non animadvertunt, ita & D. Robertus in eo admodum ridiculus videri poteſt, dum in Tractatu meo reprehendit, quæ reprehenſionem requirunt penè nullam, & à me ipſo tanquam pernicioſa & illicita improbantur.

Sigilla omnia, periapta, & imagines damnat. Sed quâ ratione, quo judicio, æquus lector facilè intelliget: aliud eſt uti characteribus, ſigillis, hac vel illâ figurâ per incantatores delineatis ſculptisve, tum ſimulacris aliquâ ſpecie expolitis, adhibitis admurmuratis precibus, faſcino diabolico, operâque & conſilio incantatoris & malefici, & aliud longè eſt uti ſimulacris, periaptis & ſigillis, quæ nituntur ratione & causâ naturali, omniſque incantationis & dæmoniaci faſcini ſunt expertia: Prioris generis ſigilla ex Eccleſia Dei, reſtitutæque veræ doctrinæ cœleſtis luce, profligandа eſſe atque exterminanda, cumque D. Roberto impia & ſuperſtitioſa eſſe aſſero, poſterioris verò non item, ut ſuo loco probabitur. Priùs enim trabs D. Roberti oculo extrahenda, (quam tamen vereor, ne trabali clavo, arctiſſimoque vinculo ſit affixa) ut clariùs cernat, quid verum falſumque, quidque ſuperſtitioſum ſit, fabuloſum, dæmoniacum, religioſum & naturale, tum etiam ut fateri cogatur ſcribendi quodam vehementiſſimo impetu in Tractatum meum involâſſe, falſa ei affinxiſſe, multa ſine judicio, doctrina, & cauſa improbâſſe, & denique ferè omnium illorum reum factum, quibus condemnandum Tractatum voluit. Unicum ſaltem certitudinis ac veritatis documentum hîc libet cuivis æquo rerum æſtimatori conſiderandum proponere, eo, ut ſpero, ſtudio, ut non dubitem, quin æquus lector fraudes D. Roberti facilè ſit deprehenſurus, veritatique fidem toto pectore adhibiturus.

Tractatum meum vocat horribilem, pernicioſum, Necromanticum, idololatricum, &c. propterea quòd ſigilla & imagines priſcorum quorundam inſertas, magnâ devotione geſtatas maximarum tunc ac incredibilium virium eſſe cenſeam. Quo autem ſenſu hæc à me ſint prolata, equus lector videat in principio, ſub titulo, de imaginibus & ſigillis, &c.

Demirari autem ſatis non poſſum, cur mihi ſuccenſeat D. Robertus, meque ſibi potiùs quàm alium perſtringendum delegerit, Larvam faciliùs hîc eſt detrahere, quàm trabem dimovere? An ignorat D. Robertus, quæ de ſigillis in publicum emiſit Arnoldus Villanovanus Innocentii II. Pontificum medicus ſuo tempore celebratiſſimus, quæ, an abſque ſanctiſſimi nominis divini, profanatione, contumelia, & contemptu uſurpari, excuſarique poſſint, erudito & æquo lectori judicandum relinquo.

linquo. Requirat autem ipsius rei & instituti necessitas, ordine singula hîc recensere, à litera ad literam.

ARNOLDI VILLANOVANI SIGILIA.

Primum Sigillum Arietis.

IN nomine vivi Patris Domini nostri JESU CHRISTI, accipe aurum purissimum, & fundatur Sole intrante Arietem, scil. 15. Calend. April. pòst formetur inde sigillum rotundum, & dum formabitur in rotundum, dicas: Exurge lux mundi Jesu, vere agnus, qui tollis peccata mundi, & illuminas tenebras nostras, & dicatur Psalmus, Domine Dominus noster, &c. & cùm factum fuerit, reponatur, & pòst, Lunâ existente in Cancro vel Leone, sculpatur in eo ab una parte figura Arietis, dum Sol est in Ariete, & in circumferentia Arabel tribus Juda, 5. & 7. & ex alia parte in circumferentia hæc sacratissima verba sculpantur, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & in medio, Alpha & Omega, & S. Petrus. Valet autem istud pretiosum sigillum contra omnes dæmones, inimicos capitales, maleficia, valet ad lucrum, gratiamque acquirendam: in omnibus subvenit periculis & vectigalibus: valet contra fulgura & tempestates, inundationes aquarum, impetum ventorum, aërisque pestilentias: qui portat illud, honoratur, & timetur in omnibus causis, in domo, in qua fuerit, nullus illi domui, nec habitantibus nocere poterit: valet dæmoniacis, phreneticis, squinanticis, & omnibus passionibus capitis, oculorum, & illis, quibus rheuma descendit à capite, &, ut universaliter dicam, omnia mala avertit, & bona confert, & qui portat illud, caveat, in quantum poterit, ab immunditia & luxuria, & ab aliis peccatis mortalibus, & portetur in capite cum reverentia & honore.

Quid verò ad hæc D. Robertus? verè Terentianum illud in eum quadrat, Egomet indicio miser, quasi sorex, hodie perii. Sæpius mihi objicit, quòd ex priscorum fabulamentis scripsi, imagines istas mirandarum esse virium, si cum magna devotione gestentur. Arnoldus Villanovanus sigillum Arietis vult cum magna reverentia portandum in capite esse, D. Robertus videat, ne probrosa sua in me invectio sibi-ipsi opprobrio sit: intueatur igitur seipsum.

Quid enim, quæso, aliud hîc dicit Arnoldus, quàm quod Rhagaël, Tetel, Chaël, sigillis suis commenti sunt, quos tamen nemo prudens, aut probus inter prudentes probosve ullius coloris novit, (hæc enim sunt D. Roberti verba) Ergo nec D. Arnoldus à nemine prudente aut probo, inter prudentes, probosve ullius coloris fuit notus, cùm tamen Pontifici Innocentio fuerit notissimus. Sed pergo.

Sigillum secundum Libræ.

ACcipiatur aurum purissimum, & fundatur, pòst formetur sigillum rotundum, & dum formabitur, dicas, exurge domine in statêre, & exaudi vocem meam, & dicas: Psalm. Dominus illuminatio mea, &c. quod cùm factum fuerit,

fuerit, reponatur, & hoc fiat Sole intrante in Libram, vide 15. Calend. Octobr. & pòst, Lunâ existente in Capricorno vel Aquario, sculpatur ab una parte figura hominis in manu tenens Libram ad modum crucis Sole existente in Libra, & in circumferentia sui sit, Heli, Heli, lama Sabatani, consummatum est, ab alia parte in circumferentia JESUS Nazarenus Rex Judæorum, & in medio Michaël, Joth, Matthæus, Vau. Valet autem istud signum sacratissimum contra insidias dæmonum in terra & mari, à morte subitanea liberat portantem: qui portat eum, erit mansuetus, misericors, sapiens, honestus, & ad dandum consilia utilis. Valet etiam ad lucrum accipiendum in mercatura qualibet, valet ad dilectionem tam virorum quàm mulierum bono zelo, & qui eum portat cum sigillo Arietis, injustè non poterat coram principe accusari. Valet contra infirmitates, quæ fiunt ex sanguine, & contra impetus ventorum, & marium inundationes, contra dolorem renum: in domo ubi fuerit, maleficia & sortilegia illi domui non nocebunt, & valet ad multa alia. Et qui eum portabit secum, securus per mare navigabit, implorando semper Dei misericordiam, & ab eo de peccatis veniam postulantem, portetur autem cum Dei reverentia & honore.

Sigillum tertium Tauri.

ACcipiatur aurum vel argentum, & fundatur Sole existente in Tauro, & fiat inde sigillum, & quando cum malleo ferietur, dicas: Exurge Domine DEUS meus, adjutor meus, Psalmus, cœli enarrant gloriam, &c. pòst sculpatur ibi ex una parte figura Tauri, & in circumferentia signi Tauri Theonel, S. Paulus, & ex alia parte in circumferentia, Benedictum sit nomen Domini Jesu Christi, & in medio, On, Joseph Oytheon. Valet autem in generali sigillum Tauri contra ophthalmias oculorum, timoresque, & omnes malas dispositiones eorum, & squinantiæ, & omnibus passionibus colli & gutturis.

Sigillum quartum Geminorum.

SOle existente in Geminis accipe aurum, & fac sigillum rotundum, ut suprà, & dum fiat, dicas: Exurge Domine, Sol in facie, in præcepto, quod mandâsti, & Synagoga populorum circumdabit te. Psalmus, Domine Deus meus in te speravi. Valet hoc sigillum in generali ad cancrum, condylomata, ficos, & ad Chiragram, & ad omnes passiones humerorum, brachiorum, manuum, & ad multa alia: & dum Sol est in Geminis, sculpatur in eo ab una parte figura Geminorum, & in circumferentia Chimel, sanctus Andreas, & ex altera parte in circumferentia. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: & in medio, Lother Salus.

Sigillum quintum Cancri.

SOle existente in Cancro, accipe aurum vel argentum, & fac inde sigillum, & dum ferietur, dic: Exurge Domine Deus meus, & exaltetur manus tua, ne oblivisca-

ris pauperum. Psalmus, confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua, & ab una parte sculpatur in eo figura Cancri, & in circumferentia sculpatur. Ego sum resurectio & vita, qui credit in me, etiamsi si mortuus fuerit, vivet: & in medio, Adonaji vita. Valet in generali ad omnes passiones pectoris, stomachi, pulmonis, cordis, venarum, arteriarum, costarum, pleuresim, vomitumque sanguinis.

Sigillum sextum Leonis.

ACcipe aurum 11. Calend. August. & fac inde sigillum, ut suprà, & sculpatur in eo forma Leonis, observatis conditionibus, quæ suprà dictæ sunt in primo sigillo Arietis, & dum malleo feritur, dic: Exurge Leo de tribu Juda, & intende judicio meo Deus meus, & Deus meus in causam meam, & discerne causam meam: Psalmus, Judica me Deus, & discerne causam meam, &c. Et ex parte Leonis in circumferentia sigilli Leonis Choël, (forsan est antiquus ille Chaël) sanctus Jacobus, & ex alia parte in circumferentia, vicit Leo de tribu Juda, radix David, alleluja, & in medio Heloji, Sadoji. Valet hoc sigillum in genere ad omnes passiones stomachi, laterum, dorsi, renum, febres acutas, omnia apostemata, & menstrua, & multa alia.

Sigillum septimum Virginis.

ACcipe ergo purum aurum Sole existente in Virgine, vide die 11. Calend. Septem. & fiat inde sigillum rotundum, & sculpatur in eo figura Virginis, dum Sol est in Virgine, & dum malleo ferietur, dicas: Exurge Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum. Psalmus, Deus auribus nostris audivimus, &c. & ex parte Virginis in circumferentia sculpatur, Kyrieleison, S. Lucas, sculpaturque ex alia parte circumferentiæ, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi adumbrabat, tibi, & in medio Pantuel, Emanuel. Proprietates hujus sigilli sunt hæ, quoniam defendit portantem à dolore ventris, passione cholica, horripilationem cito sedat, febrisque typum, & Cephalalgiam, doloremque intestinorum, sigillant autem cum eo, & ex aliis medicinis.

Sigillum octavum Scorpii.

SOle existente in Scorpione scilicet 11. Calend. Novembr. accipe aurum vel argentum, & fac sigillum rotundum, & dum malleo ferietur, dic: Exurgam Domine, Dominus gloria mea, exurge psalterium & cythara exurgam diluculo. Psalmus, Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & sculpatur in eo figura Scorpionis, in circumferentia, Daijabel, sanctus Philippus, & ex alia parte in circumferentia, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; & in medio ananelon, Pax. Virtutes in genere sunt hæ, valet contra quartanam & quotidianam,

dianam, malas dispositiones nervorum, ventris, vesicæ, epilepsian, cum aliis antidotis mistum & propinatum, valet etiam languidis & pthisicis, omnibusque infectis.

Sigillum nonum Sagittarii.

DIE 15. præcedente Calend. Decembr. accipiatur aurum purum, & fiat inde sigillum rotundum, & dum malleo ferietur, dicas: Exurge Domine JESU Christe in occursum meum, & vide tu Domine Deus virtutum Israël. Psalmus, Eripe me Domine de inimicis meis, &c. Sculpas in eo figuram Sagittarii, dum Sol erit in eo, & in circumferentia Sagittarii Scarphiel, sanctus Spiritus, S. Judas, & alia circumstantia sic, Jesus autem transiens per medium illorum ibat: & in medio, Sabaoth, Acatiathos. Valet autem in generali epilepticis, dæmoniacis, maniacis, sciaticis, arthriticis, cholericisque febribus.

Sigillum decimum Capricorni.

SOle existente in Capricorno accipe aurum vel argentum, & fiat inde sigillum rotundum, & dum malleo ferietur, dicas: Exurge Domine Deus meus, & libera me, quoniam tu es spes mea. Psalmus, Deus in adjutorium meum intende, &c. & sculpatur in eo figura Capricorni, dum Sol erit in eo, & in circumferentia sic, Chanariel, S. Bartholomæus, & in alia circumferentia scribatur sic: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis, & in medio, Jesu Brasim. Virtutes in generali sunt, quod valet contra morsus venenosorum animalium, & rabidi canis, & contra guttam in genubus.

Sigillum undecimum Aquarii.

DIE præcedente 13. Calend. Febr. accipe aurum, & fiat inde sigillum rotundum, & dum malleo ferietur, dicas: Exurge Domine Deus noster, excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos. Psalmus, Qui regit Israël, intende, &c. & dum Sol est in Aquario, sculpatur in eo ex una parte figuræ Aquarii Sadachiel, S. Thomas, & ex alia parte in circumferentia, Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi, & in medio, Usion, Joth, Heth. Virtutes autem hujus sigilli in generali sunt hæ; portantibus sigillum, nulla res, quæ serpit, nocere potest, vel appropinquare, & valet ad lacrymas oculorum, obscuritatem visus, dolorem tibiarum, crurum, sanguinemque infectum.

Sigillum duodecimum est Piscium.

SOle existente in Piscibus, accipiatur aurum vel argentum, & fundetur, & fiat inde sigillum, & dum fiet, dic: Exurge Sol justitiæ, Domine Jesu in requiem tuam, tu es arca sanctificationis tuæ, VIRGO MARIA. Psalmus, Memento Domine

David, &c. postea sculpatur in eo figura Piscium, Sole existente in eis, & in circumferentia Matthiel, S. Marcus, S. Matthias, & ex alia parte circumferentiæ sculpatur, qui credit in me, etsi mortuus fuerit, vivet, consummatum est, & in medio sit Aglatheos. Valet hoc sigillum in generali podagricis doloribus pedum, glaucitati oculorum, passionibusque eorum, ad gangrænas, fistulas, & ulcera saniosa, ubicunque & undecunque fluant.

Hactenus sacratissima illa, vel si mavis cum Plauto, sacerrima, sigilla Arnoldi Villanovani, qui vixit annos circiter trecentos, quæ nostrâ ætate cum magno assensu, ne vetustate planè abolerentur, in lucem denuò protulit Petrus Constantius Albinius Villanovensis in clave sua Sympathiæ 7. Planetarum & metallorum, impressa Parisiis anno 1611. Uterque autem est impius, Necromanticus præstigiator, & proprio D. Roberti testimonio ac sententiâ confixus, & vellem Petro Constantio ex recentioribus plures ejusdem farinæ addere, si rei necessitas exigeret, ac etiam cesso, ne D. Roberto fiam Archilochicus.

Alia longè est ratio illorum sigillorum, imaginum, & periaptorum, quæ fiunt & procedunt ex connexu & continuatione causarum naturalium, ordini divino propterea congruentissima. Nam quæ Deus in prima creatione voluit esse conjuncta, ea etiam continuanda ordinavit, unde Magnetem ita cum ferro conjunxit, ut etiam illa conjunctio continuetur usque ad Magnetem & ferrum, licet inter se locorum spatiis disjuncta sint, & si reperiatur Magnes, qui ferrum non trahat ampliùs, scire debet æquus lector, naturam non ampliùs continuari, sed sympatheticum illud filum esse abruptum.

Loquor igitur de sigillis & imaginibus non Rhagaëlis, Thetelis, Chaëlis, Arnoldi, Villanovani, &c. quas D. Robertus rectè superstitiosas & impias appellat, sed iis, à quibus nec Deus, nec natura abhorret, quod probo evidenter ac sufficienter. Non Deus, quoniam his, ut creaturis, divinus cultus non exhibetur, hoc est, ea servitus, quæ debetur Deo, non naturæ, quia ex ejus gremio & sinu promanant sine dæmonum invocatione, adjuratione, ceremoniis, verbis, aliisque impiis & illicitis conditionibus. Unde etiam earum fabrica otiosa non est & prodigiosa, si scilicet formentur vel sub certo sidere per verticem trajiciente (tunc enim virtus ejus per radios rectos demittitur rectissimè) vel sub Planetarum aliquo, in potenti cœli loco, propriisque suis dignitatibus constituto, vel denique pluribus Planetis in uno dodecatemorio cœli conjunctis, & concurrentibus. Experimentis hoc adeò clarum est & patefactum, ut, qui negat, quisquis etiam fuerit, ipsam Lunam & jubar meridianum postulet sibi ostendi. Sunt, quorum claret volitatque per ora virorum nomen, qui sigilla & imagines, ex ære, plumbo, auro, argento, vel alia materia fabrefactas, vanas & superstitiosas proclamant, nullam aliam ob causam, quàm quòd nulla activa virtus possit inesse figuris & sigillis; cùm nihil sint aliud, quàm compositio & excogitatus ordo ab artifice seu fabricante, figuras autem & sigilla, hoc est, arte facta esse quantitates, harum autem nullam efficaciam, ergo nec sigillorum. Hic, optime lector,

præci-

præcipuus est aries, quo ad demoliendam sigillorum naturalium fabricam utitur pars adversa. Sed facilis est hujus arietis repulsus. Nec enim statua, quà talis, nec sigillum, nec imago, quà talis, potest aliam statuam aut qualitatem efficere. Sigilla siquidem artificialia ab arte nullam vim acquirunt, sed virtus eis instillatur & infunditur à cœlo & stellis: radius, inquam, ille cœlestis, & spiritus Astralis in ea influens & immissus, in mundo sublunari, metallis, lapidibus, ac plantis illis, se non accommodat tantùm, verùm etiam in eorundem substantiam occultè sese ingerit, cum quibus mutuam ac sympatheticam in prima creatione adeptus est familiaritatem, nexum, ac continuationem. Hic autem spiritus influit sine ulla adjuratione, consecratione, dæmonumque invocatione, sed naturali prorsus modo. Licet igitur nec materia, nec quantitas corporum sit activa, tamen neutra impedit activitatem formæ & virtutis cujusdam sublimioris. D. Thomas, cum B. Augustini testimonio l. 10. de civit. Dei, probat, Porphyrii opinionem de imaginibus construendis esse falsam; distinguit inter illas sigillorum & imaginum compositiones, quæ fiunt expressa dæmonum invocatione, unde etiam ejusmodi sigilla pertinere ait ad expressa cum dæmonibus pacta, & inter illa, quæ fiunt ab Astronomis per astrorum influxum, quamvis non sine tacito cum dæmone pacto, quod tamen falsum, imo falsissimum. Rectius Rabbi Moses ille Ægyptius l. 1. perplexorum c. 72. stultos & mendaces eos pronuntiat, qui soli figuræ, soli scripturæ, solis lineamentis, solis denique vocibus aëre fracto natis tantam miraculorum vim & potestatem tribuant. Materiales enim illas imagines ultra suam speciem, & formam non operari conceditur, multò minùs admirabiles per se effectus producere, sed à cœlo illis virtutem quandam instillari negari non debet. Concedit & fatetur pars adversa, cœlum imaginibus & sigillis nihil proprium dare posse, sed illud duntaxat in materiam imprimere, quod rebus omnibus quovis tempore imprimit, h. e. communem quandam vim. Rectè. Verum asserere, Solem, Lunam, cæterosq; Planetas, luce, calore & motu tantum hæc inferiora afficere, & non etiam qualitate occultâ & insensili, actione scilicet stellarum occultâ per contactum virtualem, & magneticum, hominis est cœlestia & sublimia parùm contemplantis, superiorumq; & inferiorum consensum ac continuationem ignorantis. Ptolomæus vocat hanc qualitatem ἀπόρροιαν, h. e. defluxum; quò enim nec motus, nec lumen pertingit, hæc occultè in remotissima & abditissima penetrat, lumine scilicet subtilior & penetrabilior: unde etiam dicitur influentia, quasi occultè in materiam influens. Præclara vox & sententia est Arist. Meteor. 1. quà prædicatur superiorũ & inferiorum continuatio. Statuit enim cœlestem illam mundanamq; conversionem, infinitis seculorum ætatibus observatam, causam esse eorum, quæ generantur, & intereunt in orbe sublunari. Necesse est enim, inquit, totum hunc, qui terram ambit, mũdum, cum superis conversionibus sic esse continuatum, ut omnis ejus virtus inde gubernetur; nam unde omnibus est motus principium, prima illa debet haberi causa. Vide quoque l. 1. de cœlo c. 9. & 12. Metaph. c. 7. & l. de mundo text. 30. ut Dei Opt. Max. ubi per omnes naturas è cœlis diffundi, divinasque ac cœlestes vires ad rerum generatio-

nem

nem & conservationem huc diffluere, apertis verbis confessus est. Ecce tibi Aristotelem! quem eam potissimùm ob causam in procinctu esse volui, ne quis putet, eum tam rudem, tamque ingenii & acuminis expertem fuisse, ut corporeis caducisque rebus, ac elementis perpetuò adhæserit, nec sublimiorem ac diviniorem causam, sensus nostros effugientem statuerit.

Qui igitur Solis ac Stellarum luci, motu circumvectæ omnia cœli effecta ac operationes asscribunt, refutantur sequentibus rationibus:

1. Quòd Stellarum tam fixarum quàm erraticarum diversæ animadvertantur per influxum vires: quædam enim humectant, quædam exiccant, quædam frigefaciunt, quædam rarefaciunt, extenuant, quædam vivificum calorem infundunt animantiumque non tantùm, verùm etiam stirpium generi maximè salutarem, &c. Cœlum enim omnium qualitatum simpliciter esse expers, opinio est viro Philosopho planè indigna, de elementaribus & corruptibilibus verum esse statuo, quo etiam sensu videtur locutus Aristoteles.

2. Quia sub certis configurationibus & constellationibus, nec non conjunctionibus, tum Planetarum inter se, tum horum cum Stellis fixis, certi & peculiares influxus deprehenduntur. Unde, Ptolomæo etiam teste, effectus Stellarum quoniam varii sunt & incerti, Medico, industrioque naturæ indagatori scire imprimis expedit, non tam quâ ratione, quàm non tempore materia subjecta, vide planta, ad influxum cœlestem recipiendum sit apta nata. Hoc opus, hîc labor est. Radix Bryoniæ collecta Majo vomitoria est, autumno eccoprotica. Pæonia mascula vera collecta in augmento lunæ restaurat, quòd deficit, in declinatione verò seu decremento tollit, quod superfluum est. Unde applicaturus eam seu appensurus collo adversùs epilepsian, non solùm non liberabit ab illa, sed eandem exacerbabit, si crescente Lunâ fuerit evulsa: colligetur præterea Sole existente in Libra, & Lunâ in Cancro.

3. Quoniam Luna fluxum atque refluxum moris non motu tantùm & lumine suo efficit, aliàs, quò diutiùs plusque lucet, eò majorem cieret æstum, & quò minùs, eò minorem, quod tamen experientiæ repugnat.

4. Inter Stellas vegetabilia, gemmas & metalla, ut & animalia ipsa, arcanæ sunt conspirationes & sympathiæ, quarum causæ ex luce, motu, & primis qualitatibus, contactuq; corporali deduci non possunt. Ponantur ob oculos plantæ heliotropiæ, ut cichorium, lupinus, quæq; miraculo quodam naturæ Solis motum insequuntur. Observavi idipsum nocturno tempore Sole meridianum Antipodum tenente seu angulum terræ, quo tempore ita se demisisse versùs angulum istum subterraneum flores cichoreæ visi sunt, ut tractoris sui reverentiam & subjectionem ostenderent ex sympathetico illo vinculo ortam. Sol communem vim ac virtutem motu & luce largitur omnibus; sed dic, amabo te, mihi, cur non omnes cum Sole circumaguntur? & cur non omnes cum Luna? Scribit Gellius l. 9. c. 7. folia olearum brumali & solstitiali die converti, & quæ pars eorum fuerat inferior atque occultior, ea suprà exponitur & ad Solem. Quis hanc conversionem assignabit luci & calori? Certè nemo, nisi

omnium

omnium rerum ignarus. Si igitur ſunt occultæ quædam ſtellarum effectiones & affectiones cum his inferioribus, quæ ex motu, luce & calore explicari non poſſunt, quæ, malum, impudentia vel inſcitia eſt, periaptis & ſigillis ſub certo aſtro conveniente tempore formatis, nil præter communem vim imprimi? Verùm oritur alia hîc quæſtio à graviſſimis Autoribus graviter agitata, an Phyſicis periaptis, amuletis, iisque rebus, quæ extrinſecus adhibentur, collo vel ſuſpenſa, vel aliâ quacunque ratione adhibita adverſus morbos febriumq; inſultus, ſit habenda fides, & an nitantur ratione naturali, inſitaq; ſibi virtute morbos, vel attrahendo, vel reſolvendo discutiendove, vel alterando, dispellant? Sunt magni nominis viri, (quamvis, quod pace eorum dixerim, hoc nomine magni dici non merentur) qui amuletis omnem fidem detrahunt, virtuteq; naturali ac inſita, morbos illa fugare negant: ſed nullâ probabili ratione: quas enim illi afferunt contra apotropæa & amuleta, adeò ſunt elumbes, ut mirari ſubeat tantos viros, ſenſualium & primarum qualitatum combinatione omnia definientes, rerum naturalium per cauſas internas & externas, connexionem, & ſympathian, ac, ut graviſſimis verbis, vocat Cicero, naturæ continuationem ſuperiorum ac inferiorum, paulò altiùs non inveſtigâſſe. Concedunt quidem per amuleta, appenſa, & geſtata morbos quosdam depelli, ſed id fieri ajunt ratione incantationis, quod falſiſſimum. Solent nonnunquam ſuperſtitioſæ mulierculæ ſuspendere herbas quasdam, multaque id genus alia, ad avertenda mala tum à pecoribus, tum à domibus, cujusmodi plurima recenſet Theophraſtus de hiſt. plantarum 10. c. 21. ſed rectè eadem deridens εὐηθέστερα vocat & πιθανώτερα, quoniam ab improbis ad conciliandam fidem ſuis artibus confinguntur non ſine incantationis vi verbisq; admurmuratis. Unde rectè Galenus experientiâ edoctus, *6.* & 10. de ſimplicium medicamentorum facult. Periaptis, inquit, ſic confidere oportet, ut ſubſtantia illorum, non incantationis verba juvare credantur. Et idem l. 1. de potent. natur. c. 14. expresè affirmat, inveniri pharmaca, quæ certa venena, non quælibet, ad ſe trahant, easque ſuper ipſis pharmacis reperta ac viſa. Idem filis, quibus vipera fuit ſtrangulata, jaſpidi viridi, ſtercori lupino, aliisque nonnullis vires ineſſe tradidit, quibus alligata certos morbos ſanent, jactatq; non audita, ſed propriam experientiam: atq; hæc Galeni loca parti neganti repono. Et ſi teſtimonia plura coacervare vellem, tempus & charta me deficerent in illis dinumerandis. Proferam tamen quædam non incertæ fidei.

Plinius l. *25.* c. *9.* cyclamini radicem vocat amuletum. Et cap. ſequente Polemoniæ radicem adverſari ſcorpionibus, vel alligatam tantum tradit. Succinum infantibus amuleti ratione alligatum prodeſſe ſcribit l. *37.* c. *3.* additq; Calliſtratum tradere cuicunq; ætati contra lymphationes & inſaniam urinæq; difficultates potum alligatumq; auxilio eſſe, & Chryſelectrum collo appenſum mederi febribus: Artemiſiâ geſtatam, alligatamq; adverſùs mala medicamenta, beſtiasq; virulentas efficacem eſſe, antirrhino verò perunctos vel in brachiali id habentes, nullo malo medicamento lædi idem Plinius l. *25.* c. 10. teſtis eſt, ſicut Ariſtolochiam alligatam capitis mederi doloribus c. 11. eandem verò ſupra focum ſuspenſam ſerpentes, venenataque animalia

è domibus fugare, c. 10. ac Sideritim tantam habere vim, ut recenti gladiatoris vulneri alligata sanguinem illico claudat l. 26. c. 13. Pulegium tempestivè collectum & alligatum inguinis dolores vel prohibere, vel cæptos sedare constat. Verùm an buglossi inarescentis medulla è caule exemta cum 7. foliis ante accessionem scienti febricitanti alligata à febre liberet, item quinquefolii folia terna tertianis, quaterna quartanis, quina quintanis, utiliter alligentur, experimentis committendum est. In illustri quadam fœmina, (cum è difficili labore partus laboraret, omniaque ad partum facilitandum frustrà adhiberentur,) bona fide affirmo, cor gallinæ nigræ exemtum, sericoque filo transfixum, ac sinistræ coxæ alligatum, adhuc palpitans, parturientem mirificè & illico juvisse, nullis adhibitis verbis, characteribus, aut incantationibus. Dic, optime lector, quænam hujus effectus causa? In rerum natura nihil certè reperies, nisi sympatheticum illud vinculum inter cor gallinæ & ipsam parturientem, vel potiùs partum inclusum, jamque levandum, ut ita in corde gallinæ sit natura illa Magnetica, partum, ob similitudinem alliciens. Est igitur hoc exemplum observabile, & certæ fidei. Nec est, quòd quisquam delusurus id objiciat, licet gallinæ cor appensum non fuisset, effectum nihilominus & quidem vi naturæ fuisse secutum. Ei enim hoc reddo responsum, dolores parturientem ita exanimâsse, ut nihil, præter gemitus & ejulationes, audiretur. Sed propero.

De Pæonia mascula alligata, ejusque semine (prima tamen fœtura emergente) non attinet multum proferre. Nihil enim ferè frequentius est ad morbum ipsum vel expugnandum, vel etiam collapsos erigendum. *Adhibetur autem præcipuè pueris.* Eadem quoque vis inest cranio humano, ossibusque, nec non corvis combustis, ciconiis, hirundinibus, ungulæ alcis, & similibus, quæ specifica magis, occultaque, ac latente virtute huic morbo adversari, quàm elementari qualitate deprehenduntur. Levinus Lemnius de occ. naturæ miraculis l. 2. c. 3. celebrat præsentaneam adversùs comitialem morbum ungulæ alcis vim, multisque experimentis eam comprobatam se habere dicit, licet ratio ipsa visa sit obscurior, narratque semel atque iterum sibi accidisse, ut muliercula quædam in ædium suarum vestibulo tanquam fulminis ictu conciderit, quod ubi esset conspicatus, accesserit propiùs, annuliq; gestamen cui alcis particula erat inserta, digito, qui infimo est proximus, intulerit, illa verò continuo se in pedes erexerit, potuque refocillata iter inceptum alacriter peregerit.

Meminit quoque & alterius cujusdam fœminæ pro foribus insolito edito clamore derepentè in terram concidentis, soloque caput illidentis, cui unus ex familiaribus alcis partem palmæ imposuit, manuque in pugnum complicata morbum confestim depulit: talia autem fieri affirmat specificâ abditâque proprietate, vel quòd eximiâ quadam exsiccandi discutiendiq; vi, ut Pæonia, polleat, quæ per effluxum emanet. Et verisimile omninò est, de harum rerum substantia vaporum profluvia inspirata, vires corporis reficere, morbique causam etiam internam alterare posse, impediendo vel auferendo alterationes noxias. Occurrit mihi hîc unum maximè memorabile, & propterea non conticendum, quòd veteres Romani & Græci in emen-

dis servis adeò fuerunt solliciti, (in quibus conducendis hodie nihil pensi habetur, præsertim verò in procerum aulis, ubi sine ullo discrimine conducuntur, nullâ inquisitione habitâ, cujâs sit, ulcerosus ne an aliquo per temporis intervalla morbo sontico laborârit) ut, si venditor vel servus morbum celâsset epilepticum, non deessent illis experimenta & suffitus, quibus morbum explorarent. Accensis enim inquit Plin. l. 8. c. 23. & l. 36. c. 19. item Dioscorides l. 25. utrislibet cervorum cornibus odore fugantur serpentes, & gagatis suffitu comitiales deprehenduntur. Unde, præter Plinium & Dioscoridem, Apulejus in prima defensione, seu oratione, mirum esse refert, incensum lapidem gagatem comitialem morbum facilè explorare, cujus, inquit, odore, etiam venalitiarii & mangones vulgò sanitatem aut morbum venalium experiuntur. Galenus de remediis euporistis, id est, facilè parabilibus lapidem gagatē, inquit, incende, ut cognoscatur, an quis sit epilepticus, hominemque, ne odor dispergatur, stragulis circumdato, tum si morbo huic est obnoxius, cadet. Succini quoque candidi suffitu, fumo sc. per nares attracto, ab epilepsia atque apoplexia homines præservari, erigique, experimentis constat indubitatis. Sed mirabilis virtutis est viscum corylaceum seu colurnum, longè majoris raritatis quàm quernum, & quod in prunis, pyris & malis nascitur. Unde in corylo enascens viscum, serpentem album & grandē sub eo latitantem, velut custodem habere perhibetur. Quod quidem cùm primo audirem, inter fabulamenta retuli: postea tamen, ut crederem, certorum quorundam & bonorum hominum fide ac integritate sum adductus. Non procul ab oppido Allendorff, duobus non ampliùs miliaribus à Marpurgo sito, inter dumeta & coryleta etiam nunc cernitur corylus, in quo præter viscum serpens de ramo pendens visus est non semel aliquot ab hinc annis, nunc per circumforaneum quendam illius loci (quod hominum genus plerumque incantationibus solet esse deditum) deciso visco, serpens quoque non ampliùs apparere dicitur. Verùm serpentem nos valere jubebimus, & utemur visco. Et, si hæc vera sunt, haud scio, an in naturæ majestate sit aliquid abstrusius & admirabilius. Bifidus ille surculus ex corylo decisus, quo metallarii venas auri argentique feraces explorant, mysterium subesse satis prodit. Viscum autem ipsum in corylis reperiri dubium est nullum, sed non in omnibus, unde propter raritatem etiam cariorem, & efficaciæ secretioris esse, facilis persuasus est. Quapropter absurdè unum ex impossibilibus statuitur, appensa seu foris admota alterationes internas noxias non pellere, nisi cutem etiam sensibiliter priùs alterent: nam spirituales ejusmodi rerum qualitates & potentiæ, modo nobis incognito, sic agunt, ut effectus earum etiam in rebus dissitis animadvertatur, nullâ interim sensibili alteratione in medio factâ, sic, inquam agunt, ut in agendo nullâ ratione utantur temperamenti vi, sed actionem edant planè spiritalem & insensibilem, qualis est Magnetis, qui neque frigefaciendo neque calefaciendo trahit: sed reales & corporeæ materialesque potentiæ non agunt in res remotas sine alterato medio, harumque effectiones remanere ipsis abeuntibus cernimus: illis verò recedentibus nihil relinqui videmus: reales, inquam, temperamenta rerum immutant sensibiliter, formales non item, quia ab oc-

cultis rerum & cauſarum naturalium proprietatibus dependent, nempe ex cœleſti influentia ac impreſſione, pro uniuſcujusque ſpeciei ac individui conſtitutione: unde mineralia, animalia & vegetalia, ratione ſpecificæ individualisque conſtitutionis, in generatione illorũm cœlitus virtute aliquâ imbui, extra dubium eſt, aliis rebus amica ac ſympathetica, aliis adeò contraria, ut iſtarum actiones ſiſtat ac liget, unde Phyſicæ Ligaturæ originem ſuam ſortiuntur. Si præſentia adamantis & allii Magnetis actionem ſiſtit & ligat, coërcet, reprimitque ac obtundit, ne ferrum trahat ampliùs. Vides itaq; amice lector, fruſtrà occultas ſpecificasq; virtutes exſibilari ideo, quod ſenſibiliter non alterent, intemperiemque ſanent, vel corrigant, medium quoque ut cutem non immutent, quia inquiunt, nullâ vi naturali fieri poteſt, ut res aliqua cuti admota ſenſibiliter calefaciat aut frigefaciat interiora, cute non priùs eâdem qualitate mutatâ: quaſi verò inſtar lapidis vel ferri cutis ſit compacta, & non etiam per poros virtus permeare poſſit, & multa non reperiantur, quæ ex profundo vapores noxios ad cutem trahant inſenſibiliter, hoc eſt, modo efficiendi non utique manifeſto. Nam propterea dicuntur abſtruſæ, ſpecificæ, formales, latentes, abditæ, quia formam ſubſtantiæ neceſſariò comitantur, unde & ſubſtantiales proprietates & formales appellantur, ad differentiam materialium, quæ materiæ & temperamenti propriæ qualitates ſunt, effectusque producere non valent, niſi alienâ operâ de potentia ad actũ deducantur, id quod in pharmacis eſt manifeſtum, quæ ad vires ſuas actusq; exerendos congenito calore indigent, qui eas ad agendum velut excitet. Unde illæ, formales ſc. tantò agunt illuſtriùs, quantò ſubjectum, cujus ſunt proprietates, eſt perfectius ac præſtantius, hæ autem vix agunt, niſi res, in quibus hærent, ſint priùs tritæ, coctæ, in pulverem redactæ, toſtæ, uſtæ, varieque mixtæ & compoſitæ; ſi enim integræ deglutiantur, tardè agunt, imò vix agunt, niſi à calore noſtro ſolutæ. Cæterùm formales & ſpecificæ potentiæ in plantarum & gemmarum familia ſunt illuſtres, ac deprehenduntur ut plurimum ſignaturis & characteribus, hoc eſt ex ſimilitudine formæ atq; figuræ cùm animalium, horumque partium, tum etiam inanimatorum. Quæ enim plantæ repræſentant animalia ipſa, vel animalium partes, eas valere ad propulſandos morbos, qui ab ipſis animalibus oriuntur, deprehenſum eſt, ut ſerpentaria major ſerpentem referens, & Rhamnus aut ſpina alba, in qua acutæ ſpinæ dentes ſerpentis repræſentant, morſum ſerpentis petſanant: ſic Pſylli ſemen, quod ſimilitudinem habet pulicis, pulices necat ac fugat. Quæ ſcorpionis caudam referunt, magnæ virtutis ſunt ad ſcorpionum ictus ſanandos. Semen Calendulæ, quæ habet brachia cancro ſimilia, cancro mederi compertum eſt. Et plantas quasdam peculiaribus corporis membris auxiliari, viresque ſuas peculiari effectu in apertum proferre, qui negat, omnium rerum eſt ignarus. Plantæ cordis figuram referentes, cordi proſunt, ut malum citreum, anacardia, radix anchoræ, nardus, melliſſophyllum, quod folium habet cordis figurâ circumſcriptum, ſic & cardiaca, mala cydonia.

Oculos animalium figurantes plantæ, oculis ſunt ſalutares, ut eufraſiã. Quæ uterum exprimunt, ad partum valent, ut cyclamen, ariſtolochia, quarum radix rotunda

eſt

est atque cava. Vesicæ habentes similitudinem, ad ejusdẽ affectus conducunt, ut Solanum halicacabum, staphylodendrum seu nux vesicaria. Quæ lienis habent signaturas, ad ejusdem quoque effectus prosunt, ut lingua cervina, asplenium, hedera &c. Jecur ostendentes epati conducunt, ut epatica, ficus, fumus terræ, quæ tamen jecoralis est & lienaris, signatura autem ejus est, radix scirrhosa dictorum viscerum figuram quodam modo effingens. Pulmones repræsentantes pulmonibus medentur, ut pulmonaria, tussilago, in qua manifesta pulmonis signa elucent, cynoglossum. Et hæ sunt plantæ in ternas partes figurantes: externis similiter partibus plurimas assimilatas videbis: quædam enim sunt capitatæ, quarum sc. pars aliqua in capitis figuram excrescit, ut Scylla, quam ideo ad morbum caducum commendatam reperio. Sic & Pæoniæ flos nondum exclusus cranium cum suis commissuris repræsentat, estq; specificum ad epilepsian remedium. Plantæ repræsentantes genitalia ad seminis generationem conferunt, ut fabæ, pisa, ciceres, Satyra, orchides, amygdalæ, semen pastinacæ, avellanæ, nuclei pini, nuces recentes & observatum quoque est, quarum plantarum succus lac cogit in caseum, illas quoque augere semen, adque prolis generationẽ haud parum conferre, ut est carduus spinosus, gallion, scolymus domesticus & sylvestris. E contra verò, quæ lac dissolvunt, genituram destruere, ut sunt folia menthæ, quæ in lac demersa ipsius coagulationem impediunt. Sed & mamillis applicata lactis grumos dissolvunt: quod tamen potentiùs præstare rutham vel per se, vel cum aceto tusam experientiâ constat: cyminum item cum aceto tusum paucas intra horas tanquam miraculo quodam lactis proventum arcere dicitur. Plura vide apud Crollium & Quercetanum de Signaturis, Isacum item Hollandum, & Baptist. à Porta, qui multa de his consignarunt. Quid? quòd non tantùm partes plantarum, sed colores quoque ipsi suas ostendunt signaturas: nam ex plantarum diversis coloribus diversarum virium conjecturæ atque indicia desumuntur. Si quidem floribus albis conspicuæ plantæ pituitosis morbis conducere creduntur, ut bryonia, sambucus, ebulus, thymelea, Chamælea, lilium convallium, pluresque aliæ, pituitam purgantes. (Ubi tamen nota, axioma hoc de floribus albis non esse universale, si quidem plures reperiuntur plantæ floribus albis, quæ pituitam non purgant: quin imò inveniuntur plantæ alterius quàm albi floris pituitam educentes.)

Flavi coloris vel succi plantæ flavam magis bilem purgant, ut rhabarbarum ponticum, rhabarbarum Monachorum, radix gentianæ, centaurii, c. Chelidonium, quod regio morbo ex flava bile orto utilissimè adhibetur: plantarum enim succi humoribus corporis humani proportione quadam in colore, odore, ac sapore respondent. Verùm in colore ac sapore totum mysterium latet.

Glauci coloris plantas urinam movere quidam asserunt, ut abrotanum, crocus, resta bovis: quæ verò radices & herbæ decoctum rubrum reddunt, sanguini mundificando conducere creduntur, ut radix Chynæ, filicis, agrimonia, chamædrys, radix acerosæ.

Subrubræ, aut coccinæ internis inflammationibus extinguendis conducunt, ut

sunt papaver rhoeas, cujus aqua & pulvis in pleuritide & peripneumonia est optimus, sic & anagallis,& stechas citrina pulmonum inflammationi conducunt.

Flores albi & lutei pituitam purgant & bilem, ut anathemis, parthenium, rhabarbarum: Iris pituitam & bilem, nam mixti plantarum colores mixtos humores movent: quæ verò plantæ sunt atri coloris, melancholicis affectibus subvenire creduntur: unde recentiores quidam herbam Paridis imprimis commendant.

Sed naturæ majestas admiranda, sympathiasque mysterium evidentissimè conspicitur in quibusdam plantis, quæ radios quasi undique vibrare videntur,foliis in orbem digestis veluti radiis, unde Solisequæ & Heliotropiæ appellantur, quòd flores semper Soli obvertant,motumq; ejus imitentur etiam nubilo die,quales sunt cichorium,lupinus,flos magnus Peruvianus,calendula,crocus, &c. certum autem est, has plantas cordi esse sympatheticas, h.e. inter has & cor esse appetitum, similitudinem quandam & convenientiam,& per consequens laboranti ac debilitato cordi suppetias ferre,restaurando sc.quod deficit vel periit.Sic cerebro opitulantur plantæ lunares,floribus albis spectabiles,plenumque lunæ orbem repræsentantes,ut Chamomillæ genera, Oenanthe seu saxifraga rubra,lilium convallium,Pæonia,& quæ folia habent in falcis formam sinuata,vel corniculata,ut lunaria minor,quæque Lunam crescentem & decrescentem imitantur. Ut enim inter Planetas Sol auro, inter metalla aurum cordi, sic Luna mediante argento favet cerebro.

Nec Solares tantum & Lunares plantæ sunt, sed etiam (quod tamen à paucis observatum reperio) Saturniæ, Joviales, Martiæ, Venereæ, Mercuriales, quæ singulæ sui Planetæ,cujus ductum & motum sequuntur,influxum recipiunt. Verùm Signatura in his abstrusior est, & difficilioris cognitionis. Itaque experimentis opus est, ut signaturis adhibeatur fides. Et certè harum cognitio admirabilem facit Medicum in suo opere,foresque abditarum rerum pandit.Unde rerum virtutumque intimarum scrutatores in signaturarum pervestigatione, nocturnum simul & diurnum studium collocabunt. Inter alias autem observantur Signaturæ Sempervivi, & Asphodeli,quæ Saturno,Eupatorii,& Gallitrichi,quæ Jovi,Peucedani,quod Marti,Tapsi barbati & Pentaphylli,quæ Mercurio,& Verbenæ, quæ Veneri est sympathetica. Hac generali enumeratione plantarum, similitudinem & continuationem quandam cum ♄. Planetis habentium, æquus lector hac vice acquiescat, fores ad hoc mysterium, si Deus vitæ usuram diuturniorem mihi concesserit, pandam peculiari Tractatu. In omni enim re plus velle, quàm possis, vel deceat, pertinacis, non diligentis est ingenii. Et præterea etiam ortum atque perfectum nihil est.Atque hæc, amice lector, de imaginibus & sigillis, deque Magiæ illicitæ speciebus, addita hic & inserta non Laconicè oportuit, ut iniqua & indocta quorundam censura de Magia, sigillis & periaptis,tum naturalibus,tum arte factis,clariùs elucescat: & plura forsan occurrent in D. Roberti libello,ad quem nunc festinans redeo.

Deliria Goclenii.) In præfatione (cujus autorem se profitetur Christophorus quidam Flavius Typographus, qui, ater an albus sit, nescio,) ad Præsulem &

Assessorem

Assessorem Statuum Brabantiæ hæc leguntur, res etiam arduas erudito scribendi Laconismo posse confici, docuit Reverendus &c. vir P. Johannes Roberti, Soc. Jesu Theologus, probitate doctrinæque laude clarissimus, hoc suo contra deliria Goclenii libello &c.

Quæro autem ex autore istius præfationis, an hoc scripserit ex sua, vel aliena, & quidem D. Johannis mente? Si hoc, facilè apud me excusationem inveniet Flavius, qui, nescio, cujus sit coloris ac sanitatis, cujusve mentis: Sin prius, miror istius Typographi impudentem audaciam ac temeritatem, qui, quæ viri docti & sapientes plurimi, naturæ opera admirantur, inque eorum causis investigandis omnem operam ac studium impendunt, vocat deliria. Præclarè inquit Plato, non esse evidentius stultitiæ & inscitiæ argumentum, quàm à viris doctis & sapientibus temerè dissentire, eaque reprehendere, quæ ignorantur vel non intelliguntur. Sed scire cuperem, ubinam Flavius sapientiam suam hauserit, aut docuerit, sapientumque parabolas explicuerit, cùm aliorum inventa, naturæque opera admiranda vocet deliria? Et certè hoc ipso delirum facit D. Robertum, qui deliria ista tam anxiè refutavit. Ergo nemo ei credet, deliria esse, quæ Goclenius tradidit de unguento armario, nisi qui cerebrum in calcaneis gestat, non in capite. Vides, igitur lector, carcinomata & deliramenta Typographi D. Roberto nimiùm abblandientis; mutuum muli scabunt: Doctrinam D. Roberti, ejusque eruditionem quod attinet, ei subtractum ego nihil cupio. D. Robertus mihi bonus vir est, si modo à convitiis abstineat, veramque Philosophiam, & abditarum in natura rerum indagatores publicis scriptis, calamoque paulò temperatiore perstringat. Erudito quoque Laconismo res arduas posse componi, concedo, id quod Typographus D. Robertum perfecisse gloriatur, tanquam ὄνος πρὸς λύραν, & ut Midas judicans de Musica. Dicit erudito Laconismo res arduas confecisse, quas postea vocat deliria Goclenii. O Bœoticum pecus! an non metuere debuit judicia de se doctorum, & abstinere ab ejusmodi cavillamentis? Agnoscis igitur, lector, morbum; nam quam scabiem in se sensit, eam affricare Goclenio sategit. Qui hanc ejus præfationem legent, quid putas eos judicaturos esse? Et quid, quæso, præsidii, artis, aut scientiæ est illi homini, quod Goclenium delirantem possit reddere saniorem? Verùm hæc transeant. Delito plaga & Helleborus. Laconismus D. Roberti non improbatur. Et prudenter fecit. Nam quò plus verborum fecisset, eò peccâsset graviùs in re parùm sibi cognita. An verò Laconismo erudito usus sit, hoc est, totâ elocutione gravi, brevi, sententiis denso, judiciis sano, occultè ubique instruente, actiones vitamque dirigente, orationibus & excursu admirabili, stylumque firmiter nectente, æquo lectori dijudicandum committo. Si quis accuratiùs eum consideraverit, inveniet in minuta quædam & Ironica membra ipsum divisum, hoc est, tardam quandam & inertem structuram, quæ in serioso negotio, & re est parùm congrua. Fateor eruditionis aliquid eum in quibusdam affectare, in quibusdam etiam multum vanitatis & ambitionis. Hæc de Laconismo D. Roberti ex judicio Typographi. Sed pergamus.

Restant

Restant autem in D. Roberti libello præstigiæ, superstitio, idololatria, blasphemia, divinatio. Nam, de magia & sigillis copoſiùs, ut res postulabat, dictum: quæ verò præterea in isto habentur, præsertim verò dicteria quædam & scommata, ne titivillitio empsitem, & regero ista in ipsum autorem. Nam, ut unum attingam, quæ de Belicola Danielis admiscentur, putidissima & anilia sunt fabulamenta, &c.

AD THES. ROBERTIANAM VII.

Præstigiæ.

DElusiones sunt ac fallaciæ. Unde præstigiatrix sive operatione naturalium agentium, sive incredibili tractu, atque manuum joculatione ac celeritate, stupenda producit. Hinc præstigium est opus magorum apparens ac deludens. Propterea Tertullianus ejusmodi magos appellavit Sophistas l. de idolol. c. 9. quòd suis præstigiis adeò perstringant & illudant sensus humanos, ut, quæ nullatenus sunt, repræsentent & apparere faciant, ut de Passete legitur, qui incantamentis quibusdam repentè convivium sumptuosum instituit, idemque faciebat evanescere, ubi libuisset, & dum emebat aliquid, nummi rursum ad ipsum redibant. Menippus similiter apud Philostratum Quodlibeto de lamiis, splendidissimum nuptiarum apparatum & utensilia induxit. Simon magus apud D. Clementem Roman. l. 2. Recognitionum, & Anastasium Nicenum qu. 43. in S. Scripturam, statuas ambulare fecit, igne volutatus non urebatur. in aëre volabat, ex lapidibus faciebat panes, fiebat serpens, & in alias herbas transformabatur, duas habebat facies, in conviviis exhibebat spectra, omnis generis vasa, quæ erant in ædibus, videri faciebat, tanquam suâ sponte moverentur, essentque automata. Hæc & similia, diabolicæ præstigiæ sunt ac delusiones, à quibus Tractatus de Magnetica vulnerum curatione cum suo autore planè abhorret, id quod clariùs patet ex enumeratis suprà illicitæ magiæ speciebus.

AD THES. V.

Superstitio. Idololatria.

SUperstitionem, omnis idololatriæ matrem & fontem, præmitto. Tu, cordate lector, attende; nam ad tuum tribunal hæc defero, ut judices. Grave est autem suis telis confici, & in suum quasi mucronem incidere, id quod D. Roberto contigisse nemo non animadvertet.

Superstitio quæcunque delira & anilis religio est, inanisque Deorum timor, teste Cicer. de nat. Deor. & de divinat. inquit, superstitionem esse anilis atque imbecilli animi, qui facilè superstitiosa concipit: seu, quicunque à vera Dei naturæque contemplatione transversis illaqueari se patitur vaframentis, superstitiosus dicitur. Unde etiam, qui totos dies precabantur & immolabant, ut sibi sui liberi sint superstites, superstitiosi dicebantur., teste eod. de nat. Deor. Superstitio, inquam, est, cùm homo dicit, vel facit boni consequendi, vel mali cujuspiam vitandi causâ, quod vim nullam

neque

neque naturalem, neq; præternaturalem ad effectum intentum obtinet, ut cùm quis, ut capitis dolorem pellat, fasceâ lineâ vel chartulâ albâ cingat tibiâm, aut ægrum inter sarmentum diffissum perducat, vel palmo cingulum ægri metiatur, nullam enim hæc habent vim ad humorem noxium capiti molestum, inde expellendum. Contrà si applicaretur capiti aqua rosacea camphorata, vel ad bilis expulsionem rhabarbarnm, non erit vana observatio, sed licitumr emedium, quia natura ad hoc vim hisce insevit.

Sed idololatria idolorum cultus est: ergo idololatræ sunt, quicunque naturæ divinum cultum exhibent: D. Robertus videat, quomodo hîc se expediat? Quicunque enim creaturis divinum exhibet cultum, est idololatra. D. Robertus hoc facit, in Sanctorum, reliquiarum, imaginum, rerum consecratarum veneratione, &c. Propositio ex S. S. evidens est, in quibus idololatræ vocantur, qui divinum cultum idolo, sive propriè dicto, ut simulacro vituli, sive figuratè ut mammonæ tribuunt. Assumtio similiter est manifesta. Nam Scriptura S. docet, fiduciam, invocationem, vota, sacrificia, & adorationem, divinum esse cultum. Horum autem quædam in confesso est, D. Robertum deferre quibusdam imaginibus, picturisque, & variis aliis rebus creatis, vel arte factis. Ergo D. Robert. est idololatra, quoniam talibus eam servitutem exhibet, quæ debetur Deo. Assumcionem dubio procul negabit D. Robert. Sed detrahenda ei larva, est, ut, quod meo Tractatui falsò & in tenebris affinxit, ita apertè ac præclarè ei, convenire manifestum fiat, ut vel maximè eum talem esse arguat. Objicit mihi superstitionem, idololatrian, cæterasque pestes, idque non sine cavilis & sarcasmis quas tamen hostiles irrisiones susque deque fero: nam pulcrius est alienam petulantiam ferre quàm referre, verèque, magni animi ad omnia convitia non præbere aures vel linguam. Responderi potest D. Basilii verbis ex homilia adversus iratos, non sic in solitudinibus Echo integra redit ad sonantem, quam injuriæ revertuntur ad calumniantem. D. Roberto non sapiet, quod demonstraturus sum, eum illam doctrinam & opinionem defendere & suscipere, quam tanquam hæreticam olim damnatam esse constat, quamvis eam occultare, & fucis quibusdam oblinere conetur. Αἰρετικώτερος ipse, superstitiosus ipse, superstitiones & idololatriam in Tractatu meo damnat, ut sc. à reatu se liberet, nec pro superstitioso & idololatra habeatur. Hoc certè est hyænarum more voces humanas fingere prædæ inhiantes: hoc est mandragoras inserere vineæ domini, ut earum odoribus somnus concilietur parùm cautis: hoc est, surculos spei vanæ & inanium pollicitationum visco illitos erigere, ut leviusculas aves aucupio fallat. Sed propero.

D. Robertus idem facit, quod idololatræ prisci, qui in suis sacris lucernas accendere solebant etiam meridie: Hactenus de superstitione & idololatria Robertiana: Restat divinatio.

Verùm diluendus priùs malitiosè aspersus cavillus est, quàm de divinatione sermonem instituam. Attende, quæso optime lector. thesin libelli Robertiani 28. D. Robertus Necromantiam me docere scribit, se demonstrasse, etsi vetitam illam agnoverim.

verim. Sic enim habent ipsius verba: Nam alioqui quid vetat, Necromantiâ imbutos (quam vetitam magiam agnoscis) etsi teipsum eam docere suprà demonstratum est, &c. quis non videt hæc esse ἀσύςατα? Nemo sanæ mentis potest docere id, quod vetitum & illicitum agnoscit. Atqui Necromantiam, germanamque ejus sororem Goëtiam, vetitas & illicitæ magiæ esse species testatus sum (quo in loco eas discriminavi à magia naturali & erudita) Ergo sanæ mentis non essem, si, quod semel tanquam vetitum & illicitum improbâssem, docendo confirmarem. Perfricuit frontem, posuitque pudorem omnem D. Robertus, & miror, ipsum sui non puduisse, & quo impudentiæ supercilio hoc ausus fuerit scribere, non oculos hominum, tacitaque judicia reformidârit, mendaciumque dixisse maluerit, quàm veritati afferre patrocinium. Hæc sunt acuta illa & ter pia Robertiana stigmata, (ut habet præfixa libello Robertiano censura) cœlo digna, (si Diis placet) stygiis undis rectiùs dixeris, & inferno, ex quo prodierunt.

Nunc quoque dispiciamus, quomodo & ubi D. Robertus demonstrârit, me Necromantian docere? Ne Jota quidem de eo æquus lector in libello Robertiano inveniet. Et si repetitam crambem apposuerit, crimenque illud, (quod suprà satis dilutum, elusum, elisum, repulsumque in ipsum est,) iterum objecerit, quod vid. superstitiosas atque impias quasdam veterum imagines Tractatui meo inseruerim, easque approbârim, & propterea me Tractatu isto, ejusmodi superstitiosa & diabolica continente, docere magiam vetitam, &c. Sciat æquus lector, ipsum meras in eo nugas & nebulas verborum offundere, & dimissâ ubiq; verâ meâ mente, aliam oppugnare, vinumque, ut sic dicam, meæ scriptionis corrumpere, & diluere affusa incogitantiæ suæ, ne dicam malitiæ aquâ. Superstitiosas & idololatrarum ex scholis antrisque imagines illas Priscorum evolâsse fateor, sed me approbare & approbâsse nego. An verò propterea Tractatus meus appellandus sit idololatricus, impius &c. quòd dictæ imagines ei sint insertæ, judicent eruditi. Rectè & venustè Epiphanius, ut medici, inquit, de venenis & deleteriis scribunt libros, non ut iis uti doceant homines, sed ut ab iis potiùs sibi caveant, sic imagines istæ memorantur, ut eorum usus evitetur, non suscipiatur vel defendatur. Lectorem autem, ad ea, quæ supra hac de re dicta, recurrere non pigeat: quid verò D. Robertus respondeat, & quo acumine hæc expungat, expecto.

AD THES. VI.

Divinatio.

SUPERSTITIOSAM & damnatam esse eam divinationem, quæ fit per malignorum spirituum invocationem, societatem & pactum, quæque manifesto periculo hominem deducit ad apostasian, cum D. Roberto lubenter agnosco: esse quoque divinationem, nec impiam, nec superstitiosam, sed Christianis concessam firmissimis rationibus ostendam: Quemadmodum enim divinationes omnes in exilium relegare ac rejicere contumelia est in Deum ejusque opera, sic omnes approbare, iisque fidem

fidem adhibere, non tam ſuperſtitioſum eſt quàm impium & impoſtorium. Quantum enim ſcelus eſſet, ob eas præſtigias, quas operi divino aſperſit diabolus, fidem derogare iis, quæ in natura habent cauſas manifeſtas, quæ ita condita ſunt à Deo, ut ſingulis actiones congruentes, & vires actionum effectrices indiderit, terreſtria & cœleſtia hac lege & ſerie conjunxerit, ut ſit perpetuus harmonicusque conſenſus ac convenientia inferiorum cum ſuperioribus admiranda. Quare impia, ſuperſtitioſa & ἀναιτιολόγητα prognoſtica & vaticinia, qualia ſunt, quæ paſſim in Vet. Teſtamento per Prophetas damnantur, valere jubebimus, eaque relegabimus ad autorem & patrem diabolum: à Deo verò ordinata & facta, ſuisque naturalibus viribus inſtructa, vel futura præſagiant, eaque præſenſione homines de iiſdem commonefaciant, vel ſigna futurorum ſeu ſecutorum eventuum hominibus exhibeant, prudenter & piè ab illis ſunt diſcernenda. Sunt, qui promiſcuè omnes divinationes, imprimis verò, quæ ab aſtrorum influxu dependent, rejiciunt, & veſanâ planè rabie in Aſtrologiam debacchantur, ſtellisque diverſas ineſſe vires movendi alterandique hæc inferiora negant, nugas eſſe & deliramenta aſſerentes, Leoni propriam vim & quidem ab Ariete diverſam tribuere, Orionem nimboſum, Acturum pluvium, & Caniculam appellare fervidam. Novi, qui de Aſtrologia primo optimè ſentiens, poſtea publico ſcripto contra eam, criminandique armis militârit, ob cauſam aliam nullam, quàm quòd à perito quodam Aſtrologo ex ſiniſtro Planetarum ſitu mors ei ex ferro prædiceretur, & ab alio exitus vitæ per caſum ab alto: ferro, parùm abfuit, quin in diverſorio quodam à nobili Wirtemburgico petitus vitam finierit, niſi hoſpitis aliorumque ope fuiſſet ſervatus: cauſam ab alto tulit funeſtè ſatis, cum vinculis Wirtemburgicis ſe exoluturus de muro in terras, contexto ex omnis generis linteis funiculis, præceps delaberetur. Quemadmodum igitur nihil eſt ſapientis gravitate indignius, quàm falſum ſentire & defendere, ſic maximè debilitati cerebri, vel inſignis impudentiæ & audaciæ ſignum eſt certum, non cognita, nec intellecta, conviciis proſcindere, maledictisque laceſſere. Optimè in hos quadrat illud Apulei, Næ tu malis moribus callum obduxiſti, qui nihil credis verum, niſi quod intelligas. Quapropter doleo, D. Robertum Bœoticam inertiam atque inſcitiam ſuam tam publicè teſtatum feciſſe, dum Aſtrologiam th. 5. damnans ſacrilegè peccare ſcripſit, qui ex aſtrorum aſpectibus & inſpectione de futuris eventibus judicant. O judicium cæcum ac brutum! Templa & loca ſacra ſpoliare, ſacrilegi eſt, aſtra eorumque motus, & exinde effectus obſervare, eſt hominis Dei maximum opus contemplantis, ſuſpicientis, venerantis, ejusque magnitudinem & majeſtatem ex operibus, ſapientiam ex ordine, bonitatemque ex conceſſa nobis ſapientia admirantis. Quid igitur aufert Aſtrologus de cœlo, contemplans aſtra? Sed ad propoſitum.

Divinatio autem rectè definitur rei incertæ & futuræ imprimis revelatio. Sic impia Judæorum cohors Chriſto impingens colaphos, vaticinare nobis Chriſte, quis ſit, qui te percuſſit, Matth. 26. Sic 1. Sam. 9. De aſinis, quos nudius tertius perdidiſti, ne ſis ſollicitus, quia inventi ſunt, de præteritis Samuel videns aperit rem dubiam.

Apocal. 1. Apocalypsis sive revelatio dicitur Jesu Christi, quam dedit ipsi Deus, ut indicaret servis suis, quæ oporteat fieri citò. Item v. 19. Scribe, quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ futura sunt. Pro rerum igitur reconditarum & à sensibus remotarum diversitate, vel præsentium, vel futurarum, est divinatio, maximè autem admirabilis venturarum.

Est autem licita, vel illicita. Illa vel immediatè à Deo, vel mediatè per ordinata à Deo media, eaque vel supernaturalia, ut sunt, quæ extant in Sacra Scriptura, vel sunt naturalia, ex causis naturalibus profecta, unde optimus conjector causarum optimus vates dicitur, prospiciens ac prævidens futura, exque abditis rerum principiis hæc vel illa divinans, quæ, si quos latent, videntur eis ope diaboli fieri supra naturaliter, magna cum veritatis injuria. Atque huc pertinent Astromantia, Chiromantia, quædamque alia licitæ divinationis genera. Ut verò reipsâ intelligat æquus lector, quàm insulsè & inscitè D. Robertus Astrologiam criminetur, operæ me pretium facturum puto, si verum ejus usum ac fructum ex solidis principiis demonstrem: Quò enim quisque est divinæ hujus artis hodie imperitior, eò acerbius in eam invehitur ac debacchatur, nam inter mundi jam jam ruituri morbos grassatur imprimis hoc ulcus, ut, qui sua etiam sponte ignorantiam hujus artis profitentur, nihilominus tamen sibi persuadeant, incognita se refutare posse, quia sc. judicant esse falsa, cum ridiculum sit, falsum quid dicere, idque sibi incognitum fateri, cùm judicium veri & falsi necessario oriatur ex præcognitis.

ASSERTIO VERÆ ASTROLOGIÆ.

DUo autem sunt præcipuè hominum genera, cum quibus præsente sermone mihi confligandum est. Unum est eorum, quæ prædictiones & divinationes Astrologorum omnes & in universum rejiciunt & damnant, apertè à natura astrorum alienissimas esse facultates movendi & afficiendi hæc inferiora negantes, & propterea cœlum serenum aut pluviosum ex astrorum & Planetarum motu prævideri non posse, impium quoque & superstitiosum esse ajentes, Orionem appellare nimbosum, Arcturum pluvium, Caniculamque fervidam, item Stellas quasdam calefacere, humectare & quasdam mali, quasdam vero boni influxus esse. Vanam itaque & impiam esse Astrologiam, Astrologorumque prædictiones concludunt, ut, quæ legibus divinis & humanis sint damnatæ plerumque incertæ & falsæ, à patribus quoque, ut Epiphanio, Augustino, Basilio, Chrysostomo, aliisque refutatæ & in exilium relegatæ, quin & Christanorum Imperatorum legibus prohibitæ, ut patet ex codice lib. 9. titul. 18. qui est de maleficis & Mathematicis. Adde, quòd & impii Imperatores, ut Tiberius & Diocletianus, urbe pelli jusserunt tales Mathematicos tanquam Reipublicæ pestes. Postremò adducunt Alphonsum Regem Arragonum, qui,

qui, licet maximi fecerit Astronomos, liberalisque extiterit in omnes bonarum artium cultores, Astrologos tamen in sua aula non toleravit. His & similibus omnem futurorum πρόγνωσιν certitudinemque Prognostici Astrologici prosterni & labefactari persuasum habent. Verùm prolixè hos refutare, nec hujus est loci, nec instituti etiam mei. Unum tamen præteritum non oportuit, in quo uno veritatis robur consistit & fundamentum contra omnes illos frustrà & inscitè intentatos arietes. Saniores Astrologi per fatum Astrologicum non intelligunt illud, quod firmiter ligat & nectit actiones omnes, eventusque ad siderum vim, posituramque Stellarum, non intelligunt, inquam, & commendant illam Astrologiam, quæ genituras hominum Stellis alligat, & voluntates nostras illis mancipat, quæ eventus omnes ex astris derivat, quæ significatis astrorum tanquam edictis aut decretis prætoriis homines astringit, sicut olim fuit Chaldæorum & Ægyptiorum, qui vanis commentis artem & cœlum repleverunt, ut omnium hominum fata, omniumque, quæ eveniunt, causas è cœlo deducerent, qui primos homines non instinctu solùm diaboli, & assensu liberæ voluntatis ruisse in peccatum, sed etiam siderum sinistro impulsu ac positu, asseverârunt. Hanc Astrologiam ipse cum Patribus, & omnibus sanioribus Astrologis & Philosophis damno & impugno, ut perversam, vanam & superstitiosam, nec non ordini divino contrariam, dico ordini divino: Nam cùm solus Deus futurorum habeat notitiam perfectissimam, ut cui sint omnia præsentia, sequitur, eam Astrologiam, illosque Astrologos, qui omnes ex astris eventus pervestigari & pernosci posse firmiter statuunt, qui sine fide in Deum ex astris ut numinibus pendent, qui quærenda in & ex astris consilia esse & auxilia imperitioribus persuadent, in exilium rectè relegandos, & ad orcum usque damnandos esse. De hac Astrologia intelligendi sunt omnes textus S.S. Levit. 19. & 20. Deuter. 4. 13. & 17. Esai. 47. Jerem. 10. & plures alii. Item August. in lib. quæst. veter. & nov. Test. 115. de doctrin. Christ. à cap. 17. usque ad cap. 23. Lactantius l. 2. c. 14. Euseb. de præpar. Evangel. l. 15. c. 1. & 2. Chrysost. in orat. de fato Basil. Homil. 6. in Hexaem. Sic & Philosophi & Medici, nec non verba Juris Canonici & Civilis. Intelligitis igitur, quænam sit vana & prohibita Astrologia, quæ sc. Pythonem Delphicum λοξὰ responsa & ambigua oracula dantem, & Pythonem Chaldaicum habet autorem. Sed quid hæc ad Astrologiam Christianam, quæ Stellarum explicat & inquirit naturas atque proprietates & effectus, quæ veræ & eruditæ Physices pars est, & ex prævisis, comprehensisque beneficio Astronomiæ, Stellarum motibus positu, configurationibusque, futurorum & secutorum effectuum, ceu ratiocinatio quædam est atque deductio, non commentitia, sed extructa de consentientibus veræ ac eruditæ experientiæ testimoniis, constans demonstrationibus τὸ ὅτι, id est, ex effectis contextis. Unde necessariò sequitur, veram esse artem & doctrinam de cœlestibus effectibus, & vitæ etiam humanæ utilem, quæ duo præcipuè in artis definitione requiruntur. Atque hîc primum peto, quod æquissimum est, ne in artem conferantur artificum errata, de quibus in fine aliquid addam. Hoc unum verò non omittendum, quod etiam apud doctos arti

Nn 3 fidem

fidem derogare detur, videlicet in hac infinita casuum mundanorum varietate, artem ipsam omnia non prævidere: unde negant homines, etiam eruditi Astrologiam esse artem, hoc est, universalem & perpetuam existere doctrinam posse ex particularibus paucorum eventuum observationibus: quasi verò aut medicina morbos curet omnes, aut politica sapientia omnes Rerumpubl. tempestates prospicere, mederique omnibus incommodis posset. Et tamen concedendum est, & multa utriusque artis esse vera & firma præcepta, & ad vitam utilia. Sic etiam sunt hujus divinatricis veræ quædam & perpetuæ significationes, pauciores fortasse, quam medicorum. Nam hæc ars versatur in rebus, quas Deus procul removit à conspectu nostro & sensibus, & cùm hominum temperamenta moresque dijudicet, vaticineturque de futuris maximarum in vita rerum mutationibus, divinitas quædam esse videtur. Quapropter, etiamsi non sint tam multæ hujus artis demonstrationes, quàm cæterarum leviorum artium; tamen propterea spernenda non est, nam magnitudini hoc ejus & sublimitati tribuendum. Et quidem tantò majori curâ, quantumcunque est hujus artis, quod superi hominibus monstrârunt, conservari debet, eoque majori studio intendenda mens est in has significationes, quæ experientiâ compertæ sunt & observatæ: nam harum maxima vis est, & multiplex in vita utilitas. Inepti certè sunt & fatui, qui falsis persuasionibus ornare artes & amplificare student. Ingenuè fateor, non omnium eventuum significationes esse compertas, idemque tamen affirmo constanter: multas esse certas minimeque fallaces significationes, quas si quis observârit, magnum ad regendam naturam, & plerosque impetus fortunæ gubernandos, adminiculum habebit & auxilium. Extenuat hanc artem & Favorinus apud Gellium, & dicit pauca quædam prævideri παχυμερέστερον, & rectè quidem: nam hoc ipso, quod dicit παχυμερέστερον, amplissimo præconio ornavit artem, siquidem quædam in natura & moribus præcipua animadverti posse asserit, ex quibus homines sagaces & eruditi plurima postea judicare possunt. Videmus in moribus, quàm multa conjiciantur ex uno aliquo gestu aut cachinno. Ita cùm certa signa & notæ quarundam præcipuarum rerum sint impressæ naturæ, multæ ex his postea conjecturæ sumuntur. Sed fortassis Astrologiam artem dicendam non esse, hîc aliquis objecerit, si tantùm constaret conjecturis. Nam ars est eorum, quæ non fallunt. Respondeo, hanc ipsam artem, ut Medicinam & Politicam, primùm certis observationibus constare, postea ex his multas esse ortas conjecturas. Videt Astrologus in Genesi alicujus diros positus atque aspectus Planetarum, significantes audaciam, animi crudelitatem, præposteros mores, inquieta & turbulenta consilia: quibus infaustis significationibus, quæ quidem sunt certæ, conjicere licet, futurum talem seditiosum, habiturumque tragicum vitæ exitum. Ita insignia quædam in temperamentis & moribus παχυμερέστερον judicari possunt, quæ non fallunt.

Non igitur propterea aspernenda ars est, quia non omnia prævidet. Quàm certè sunt pauca in cæteris artibus optimis, ut jam nihil de Medicina, nihil de Politica dicam. Num ideo tota doctrina de Meteoris vituperanda est, quia paucas habet demon-

demonstrationes: In agricultura quàm sæpè fallimur, num ideò non excolendi agri? Quin potiùs utendum artium beneficio & adminiculo, & considerandum, quousque humana mens progredi possit. Si quis contempletur mirificum consensum superiorum & inferiorum, eorundemque ordinem & harmoniam, fateri eum oportet, modò dicta non esse de nihilo. Atq; hoc respondendum necessarium esse duxi ad vulgare & puerile convitium, priusquam de arte ipsa aliquid adderem. Est a. initio definitio Astrologiæ constituenda, ut eam à superstitiosis divinationibus separemus. Est enim pars eruditæ Physices, docens quos effectus astrorum lux in elementis & mixtis corporib. habeat, qualiaq; temperamenta, quas alterationes, & inclinationes excitet. Et quia inclinationibus sæpè studia, consilia, casusque respondent, ideo horum quoq; significationes aliquas monstrat. Quod si constabit sidera habere aliquos effectus, planè concedendum erit, hanc artem esse Physices partem, perinde ut prædictiones Medicorum. Nec ego nunc de hac arte prolixè disputabo, sed unum Galeni oraculum in hac causa adducam, qui graviter reprehendit illos, qui negāt inferiora corpora affici à luce cœlesti, atque Sophisticum esse, manifestam negare experientiam. Ergo fatetur se experientiâ victum tribuere magnam vim luci cœlesti in corporibus inferioribus. An dubium est, vices æstatis atque hyemis effici Solis accessu & recessu, Solisque lucem calefacere & desiccare? Hæc si manifesta sunt & perpetua in his duobus clarissimis sideribus, cur cætera putemus frustrà esse condita? Si generales agricolarum & Medicorum regulæ ad Lunæ incrementa & decrementa præscriptæ, nihil habent absurditatis aut impietatis, si possunt & debent quædam actiones ad Lunæ cursum institui, ut in cædendis lignis, serendis & plantandis quibusdam stirpibus aut plantis, in detrahendo sanguine, vel per sacrificationem, aut venæsectionem, unde Lunam diligentiores Medici observant, quid, quæso, prohibebit, quò minùs etiam ad reliquorum Planetarum motum actiones possint dirigi & institui? An non, dic, amabo te, mihi, manifestis in rerum natura experimentis constat, attestantibus etiam idipsum Aristotele, Plutarcho, Plinio, Gellio, imò ipsis artis hujus osoribus, carnes expositas Lunæ citiùs putrescere, quàm in Sole, propterea quòd calor Lunæ sit mollior & languidior, humoresque non exiccans, sed tantùm resolvens. Infantes etiam lunæ ostentati ac subjecti, quia, humorum pleni, solent convelli, humoribus commotis, & qui in Luna decubuerunt, capite non probè tecto, quasi attoniti surgunt, humoribus scilicet cerebri per Lunæ radios diffusis. Eadem de causa ostracea senescente Lunâ tabescunt, quæ adolescente illâ & augescente gliscunt, teste Gellio l. 20. c. 7. Præterea in arboribus & stirpibus Lunæ calor humorem nativum resolvit & colliquat. Unde fabri ligna plenilunio cædere vetant: at eâdem decrescente, cùm sc. jam deteritur lumen, ajunt cædi optimè materiam, quæ tunc arescat, nec carie computrescat. Cælius Rhodig. l. 2. c. 3. Præterea noctes plenilunio calidiores esse tradit Aristoteles propter Lunæ lumen, unde contingit pisces ad aquarum superficiem commeare. Hippocrates quoque ait, aërem nocturnum Stellarum luce subtiliorem fieri, aliquantumque calidum, generationique & vitæ accommodatum.

Cæl.

Cæl.Rhodig.c.16.l.24. Sed & Aristoteles tempus frigidius & humidius esse affirmat Lunâ decrescente, quàm eâdem crescente, l.4.de gener.anim.c.2. Et Lunam in priori dichotomia plus excalefacere atque humectare quàm in sequenti, in qua lumen tendit ad defectum. Consentit cum his etiam Plinius l.2.c.99.& 191.& cap 99.ubi hominis etiam sanguinem cum lumine Lunæ augeri minuique docet. Postremò etiam maris fluxum & refluxum ad eandem Lunam referunt Philosophi & Astronomi, Strab.l.3.Plin.l.2 c.97.Ptolom.l.2.Τετραβιβ. Aristoteles l.de mund. Plutarchus l.3.de plac.in fine. Addo his omnibus autoritatem D.Basilii, quem tamen pars adversa, ut maximum suæ opinionis patronum, pro se adducit, qui beneficas istas Lunæ vires deprædicat his verbis: Animalium corporibus, cæterisque è terra nascentibus non mediocriter conducunt Lunæ mutationes. Nam alio modo corpora, decrescente ipsâ, aliter crescente ipsâ afficiuntur. Cùm enim minuitur, fiunt rara atque inania: cùm verò crescit, adque plenum properat orbem, rursum replentur, propterea quòd humorem quendam cum calore mistum in profundum usque ipsis immittit. Declarant hoc ita esse, qui sub Luna dormiunt, quorum laxa spatia capipitis opplentur superfluo humore, tum recens jugulatæ pecudis carnes, quæ impressione Lunæ celeriter mutantur, itemque animalium cerebra, & animantia marina, quæ sunt humidissima, arborumque medulla. Præterea affectiones aëris istis Lunæ mutationibus subjacent, sicut testantur repentinæ procellæ, quæ circa novilunium plerumque à serenitate & tranquillitate ventorum oriuntur, quando & flatu nubes exagitantur, sibique occursant? item æstus maris accedentes recedentesque partim in Euripis, partim in Oceano, quos accolæ observarunt, Lunæ exactè sequi circuitus. Nam Euripi secundùm Lunæ facies, in alterutram partem per vices recurrunt. In coitu verò ne minimum quidem temporis quiescunt, sed in agitatione & libratione continua versantur, donec rursus emergens Luna quandam vicissitudinem fluxus ac refluxus præbuerit. Ac occiduum mare æstus sustinet nunc subsidendo, nunc rursum inundando, proinde ac si respirationibus Lunæ retrotraheretur, iterumque expirationibus ejusdem ad proprium statum retruderetur. Hæc Basilius verè & rectè. Nam si tanta est sideris vis in vastum & magnum Oceanum, negari non potest, ejusdem etiam influxus in cerebra & humores animalium. Nec verò dubium est, ut Solis & Lunæ, ita & cæterorum Planetarum lumen variare tempestates, aëremque ac corpora nostra variis modis disponere & afficere. In quod longis seculorum ætatibus experimenta perpetua testantur. Videmus enim & animadvertimus insignes conjunctiones, ut Saturni, Jovis & Martis, &c. insignes habere effectus. Videmus concursum Planetarum in humido signo humidas tempestates ciere. Et possem infinita exempla proferre, si tempus & necessitas postularet. Cùmque hæc ita sint, quâ fronte & pertinaciâ audent homines illi asseverare, Deum Stellas in nullum alium condidisse usum, nisi ut lucerent noctu, & faciem quandam hominibus atq; animantibus præberent, ornatuq; suo nos, tanquam signa divinæ providentiæ, de sapientissimo architecto, commonefacerent, ad quæ omnia

mnia præstanda Sol & Luna satis fuissent. Non igitur frustrà conditas esse Jovem, Martem, cæterasque Stellas, sed singulas peculiaribus viribus à Deo esse ornatas, quas in sublunarem mundum ejaculantur, statuendum est. Testatur hoc Hippocrates, cùm tempestates excitari scribit & variari siderum vi & impulsu, nec hoc tantùm, sed dissimilitudinem etiam regionum, ingeniorumque ac morum in diversis regionibus à cœlestibus causis oriri. Dignus locus Hippocratis est, qui observetur, in lib. de aëre, aqua & locis, cùm dicit, oportet Medicum astrorum ortus & occasus considerare, præcipuè verò Canis, Arcturi, Plejadum; morbi enim in his diebus maximè judicantur, alii sanè perimunt, alii desinunt, aut in aliam speciem statumque mutantur. Vide lib. 2. Aphoris. & Galen. in 3. Comment. lib. 1. epidem. Ætius etiam Medicus deditâ operâ id observâsse visus est lib. 1. c. 164. cùm dicit, 25. Septembris fit æquinoctium autumnale, quod triduum maxima aëris præcedit tempestas, quare cavere jubet, ne à 15. die Septembr. usque in 24. venam incidamus, aut pharmaco, vel quovis alio vehementi motu corpus tentemus. Has certè temporum & partium anni mutationes, ad morborum vulgarium cognitionem & curam, ac de his prognostica, interest Medici observare, quas Sol, Luna, reliquaque sidera, ob signiferi circuli obliquitatem, ob quam à nobis vel recedunt, vel etiam ad nos accedunt propiùs, radiorumque diversas in sublunaribus rebus & locis reflexiones ac refractiones, cœlesti illo suo & vivifico lumine & calore efficiunt, qui elementorum qualitates, resque sublunares excitat, fœcundat, vivificat, conservat, ac sub concavo orbis Lunæ pro infinita materiæ subjectæ varietate, diversos ac penè infinitos producit effectus. Testatur quoque idipsum manifesta experientia. Nam lumen Planetarum est dissimilis influentiæ & virtutis, Saturni melancholicum, Jovis temperatum & εὔκρατον, Martis cholericum, Solis vivificum, Veneris humidum temperatè, Mercurii siccum, Lunæque humidum intemperatè. Hæc igitur, variè posita, miras efficiunt mixturas, ut cùm in medicamentis variæ miscentur herbæ, in cantu voces. Quæ omnia cùm ita sint, constat, artis Astrologicæ initium verum esse & certum, videlicet lumen cœleste magnam habere vim in elementis & mixtis corporibus alterandis & temperandis. Hæc breviùs proposui, quoniam hominibus doctis satis probata esse arbitratus sum. Utilitatem porrò Astrologiæ quod attinet, neminem adeò debilitati cerebri esse existimo, qui negaturus sit, in medendo conducere Siderum observationem. Cùmque de hac re scripserint alii prolixiùs & eruditiùs, nolo esse prolixior. Quanta enim, quæso, utilitas est non solùm in ægrotis corporibus, sed multò magis in Rebuspublicis, considerare maximarum mutationum causas seu significationes, ut accommodare ad ea nostra queamus consilia, arteque ac ratione incommoda mitigare saltem, si non avertere. Verè enim inquit Plato, Siderum circuitus efficere varias vices, non solùm animantium corporibus, sed etiam universæ naturæ rerum, vitæ hominum, Imperiis & Rebuspublicis. Quemadmodum autem agricolis præcipitur, ut tempestatum signa observent, ita in Republica Magni viri mutationum signa intelligere debent & considerare. Et quidem in scriptis politi-

cis colliguntur sæpè signa sumta à moribus & voluntatibus, sicut medici morbos ex intemperantia aut corruptione humorum prædicunt. Unde magnis & prudentibus viris magnopere prodest, cœlestia etiam signa observare & animadvertere, ut regere aliqua ex parte fortunam & cavere sævas tempestates possint. Rectè enim dictum est:

Qui sapit, ille animum fortunæ præparat omni,
Prævisumque potest arte levare malum.

Si enim significationes istæ considerandæ non essent, non etiam divinitus in cœlo forent scriptæ ac pictæ. Cùm autem Deus has notas & signa cœlo impresserit, ut Rebuspublicis denuntiarent ingentes casus, calamitates, excidia, impietas certè est, & cyclopica impudentia, animos ab hac observatione prorsus avertere. Eclipses, Conjunctiones, Cometæ, aliaque prodigia, quid sunt aliud quàm Oracula Dei, quibus minitatur vitæ hominum ingentes & calamitosas mutationes. Hæc si quis contemnit, Dei monitiones spernit, invertitque naturæ ordinem, & labefactat certitudinem actionum & mirandorum operum Dei, quæ contemplari & intelligere, ex certorum signorum objectu, sapientia est, Deo verboque ejus non repugnans. Quemadmodum enim in agricultura, in navigationibus, non est irreligiosum observare tempestatum prognostica, quæ Christus etiam ipse considerare jubet, Luc. 12. ita quoque in administratione Rerumpublicarum impium non est, naturales animadvertere significationes, quas Deus proposuit, ut vigilantiores nos reddat, & curam in nobis acuat. Sed videamus etiam mores privatos. Si quis naturæ suæ inclinationem intelligit, is bona facere, vitia vitare diligentiâ & ratione potest. Verissimum enim est, quod ait Ptolomæus, Sapiens anima adjuvat operationem cœlestem, quemadmodum optimus agricola arando expurgandoque adjuvat naturam. Hoc latissimè patet in cura valetudinis, in deligendo vitæ genere, studii, in suscipiendis negotiis vel aptis, vel ab ingenio abhorrentibus. Si parentes filiorum interdum suorum naturam satis perspectam haberent & cognitam, flectere etiam meliùs fera & inquieta ingenia ad moderationem possent, eosque sine Præceptoribus ac morum informatoribus ad Academias exterasque regiones perlustrandas non mitterent. Quàm multi sunt, qui calamitosum vitæ exitum experiuntur in juventute? quos scilicet Martis in ascendente tempore horæ natalis infaustus positus ad immoderatos & iracundos animi impetus affectusque disponit, unde ignorantes hanc dispositionem oriri à malo positu Martis, sine ullo respectu Honesti, in quævis etiam pericula se præcipitant. Quod si præscivissent, Martis in dicto loco inclinationes & significationes, refrenare etiam ac compescere effrenatos animi impetus potuissent, Deumque orare, ut Sideris infaustam ac funestam inclinationem, si non avertere planè, mitigare saltem vellet. Dic mihi, quisquis etiam es, an sit impium, an superstitiosum, an contra bonos mores, hunc in modum divinare ex astris? Non negabis, nisi livore planè impeditus. Philippus Macedo Rex, cùm animadvertisset in filio Alexandro non quidem pravam, sed asperiorem & impatientem imperii naturam esse, videretque

eum

eum non pati domitorem aſperum, cœpit conſilium, doctrinâ & Philoſophiâ flectendi eum ad ſuavitatem & comitatem, hacque ratione adeò excoluit illam naturam, ut in ipſo victoriarum curſu vix quisquam fuerit unquam humanior ac moderatior. Et ita prodeſt videre & cognoſcere, quò quemque natura ducat, ut ſcilicet diſciplinâ conveniente ad virtutem flectatur, & à vitiis abducatur.

Hactenus de illis hominibus, qui Aſtrologiam planè homine Chriſtiano indignam cenſent, unde plauſtris etiam argumentorum & ſpiculorum adversùs eam proceſſerunt, quæ quidem tantò ſunt acerbiora & virulentiora, quò quisque eſt hujus divinæ artis imperitior.

Sequitur altera turba hominum, qui omnium hominum fata, omniumque, quæ eveniunt, rerum cauſas protinus è cœlo deducunt, nec cavere ſibi à vi & poteſtate Stellarum quenquam poſſe arbitrantur, Stellasque eſſe tela & arma fati, cujus arbitrio efficiantur cuncta. Inter hos primi fuerunt Chaldæi, quorum ſuperſtitioſæ Siderum obſervationes & prædictiones meritò reprehenduntur. Hos deinde ſecutum eſt ſtolidum Aſtrologorum vulgus, quod profana ſua ſortilegia, improbasque, & ob variam ſuperſtitionem damnatas prædictiones, ſub Aſtrologiæ nomine & titulo occultârunt. Sed quoniam ex præcedentibus ſatis conſtare arbitror, quid inter veram ſeu ſanam, & inter profanam ſeu Ethnicam Aſtrologiam, inter ſuperſtitioſas item ac eruditas prædictiones interſit, nolo hîc eſſe longior. Dum autem calamum abjicere in animum inducerem, occurrebat Calendariographorum quorundam hujus ævi περιεργία, ac ſuperflua ſedulitas, dum nimis audacter de particularibus quibusdam eventibus pronuntiant, ita ut à Chaldæorum prædictionibus non multum interdum abeſſe videantur, dum Principes proſcribendos, vel morituros, comitia celebranda, magnas fœminas in partu occubituras, disputationes futuras causâ religionis, hæreticum aut Prophetam novum exoriturum, omitto has & ſimiles formulas, Germania tibi cave, Guliacum tibi cave, Haſſia vigilet, Principes ſint circumſpecti, ac providi, dum, inquam, hæc & ſimilia, quorum effectus pendet magnam partem ex voluntate & arbitrio humano, ita audacter prænuntiant, non tantùm Ethnicam illam Aſtrologiam exoſculantur, ſed etiam Chriſtianæ ac eruditæ nitorem ac ſplendorem iniquant & obſcurant. Quid enim ad comitia celebranda, novique hæretici aut Prophetæ exortum aſtra? Unde mirum non eſt, quòd in ipſam artem tot convitia, tot acerbæ cavillationes tamque indignæ calumniæ expuantur, ob ſcilicet eventuum falſitatem, erroresque, quos tamen non artis, ſed ſuperſtitioſorum artificum eſſe proprios, quilibet prudens facilè animadvertit. Unum igitur hîc peto, quod æquiſſimum eſt, ne in artem conferantur artificum errata. Prognoſtica tempeſtatum quod attinet, illorum fateor poſſe eſſe prognoſin & certitudinem, unde etiam ea non impugno, ſed conſtitutiones univerſales ad particularia hominum fata, ſeu particulares rerum eventus reſtringi poſſe & deduci, adhuc non videtur mihi Aſtrologicæ veritati conſentaneum. Cùm enim effectiones Siderum vel in amplos aëris, terræque extendantur tractus, regiones, oppida, urbes, vel ſolis hominum corporibus

 impri-

imprimantur, unde duæ Astrologiæ partes existunt, universalis, & specialis, quæ Genethliaca corrupto nomine dicitur, quomodo ex constitutione universali poterit Astrologus prædicere Principis alicujus obitum, vel prægnantis abortum aut mortem, si propriam ejus genesin ignoraverit. Verùm, ut hæc meliùs intelligantur, repetenda hoc loco quædam sunt de prædictionibus universalibus, quæ effectus quantitate distinguùntur, unde duæ oriuntur species, magna & levis. Magnam appellat Ptolomæus l. 2. de judiciis astrorum c. 1. text. 4. quæ omninò præter naturam est, ut inundatio, bellum, pestis, sudor Anglicus. Levem, quæ secundùm quidem naturam est, sed quantitas immutata, ut immodicæ nives, grandines, pluviæ, æstus, annonæ caritas. Vocat autem Ptolomæus effectus majores & magis universales, quæ potentiores & magis universales habent causas, quarum etiam scientia prior est minùs universalibus. Ut, si esset constellatio, quæ Marpurgo significet maximam felicitatem, & sit alia, quæ toti Hassiæ bellum indicet exitiale, hîc Astrologus non potest ex constellatione, quæ spectat Marpurgum, divinare felicitatem, quam totius regionis calamitas esset perversura? Non majora magisque universalia sunt præferenda particularibus, cum hac tamen cautela, quòd causarum universalium quædam sunt potentes, quædam debiles. Potentes cum potentioribus, & debiles cum debilioribus debent conferri; semper enim generales sunt propriis efficaciores, & generaliores minùs generalibus. Unde diligenter annotandum, quòd debilis constitutio universalis non poterit vincere validam propriam, ut si constitutio universalis pestilentes denuntiet & significet morbos, eadem tamen non sit validissima, aliquis autem ex propria genesi & revolutione debeat valere optimè, tunc is vel non ægrotabit omninò, vel leviter saltem afficietur: sin autem constitutio universalis sit validissima, licet ex propria genesi quis ægrotare non debuerit, ægrotare tamen potest, propter constitutionem universalem, quæ particulari est potentior. Ex quibus palàm fit, non posse Astrologum prædicere ex universali constitutione mortem Principis vel Regis, nisi, quæ dicta sunt, accuratè perpenderit. Sæpè autem propria Principis genesis ignoratur. Sequitur igitur, ejusmodi prædictiones esse ludicras & inanes. Dabo aliud exemplum melioris doctrinæ gratiâ. Sit hoc anno futura pestis Francofurti multos interfectura, quidam verò hîc Marpurgi ex morbo laterali decumbens eodem anno moriturus est ob constitutionem propriam, dico, faciliùs illum evadere posse à morte, qui decumbit Marpurgi, quàm fieri, ne pestis multos occidat Francofurti, quia comparatio constellationis universalis ad incertam multitudinem, est comparatio ad proprium effectum, sicut geneseos propriæ ad eum, cujus est genesis. Unde pestem Francofurti plures occisuram verius est, quàm alterum ex morbi laterali moriturum, quia causa, ut dictum, universalis comparata ad effectum proprium, potentior est, quàm propria comparata ad eum, qui laborat pleuritide. Quòd si verò comparatio instituatur utriusque constitutionis ad hominem eundem pleuriticum, tunc oportet sic distinguere Astrologum: Vel enim genesis ejus est valdè conjuncta cum universali constitutione, & tunc universalis etiam constitutio potentior

tentior eſt & certior, vel parùm conjuncta eſt cum univerſali conſtitutione, & tunc propria prævalet univerſali. Ideoque ille, qui ægrotat tempore peſtis, & moritur, habuit conjunctam conſtitutionem propriam cum univerſali: ſin autem evaſerit, parùm fuit conjuncta, aut propria geneſis omninò repugnavit: atque hæc cauſa eſt, cur peſtis tempore quidam etiam procul fugientes moriantur, quoniam ſcilicet diſpoſitionem propriam annexam habuerunt cum univerſali, vel etiam univerſali planè non repugnantem. Sic qui evaſit è navi, quæ ſubmerſa eſt, aut è prælio, in quo plurimi interficiuntur, habuit conſtitutionem repugnantem ſubmerſioni, quamvis illa evaſio ſine periculo non fuerit. Verùm hîc incidit quæſtio multorum animos in ſuſpenſo tenens, quâ Lutherus etiam legitur Philippum Melanchthonem ſæpè per ſarcaſmum exagitâſſe, an qui ſubmerguntur in navi, aut in prælio interficiuntur, hoc eis contingat ex propria geneſi, an verò id tribuendum ſit horæ ingreſſus in navim! Item, an, ſi in navi ſit unus, vel etiam plures, quibus propria conſtitutio & geneſis denuntiat eo tempore, quo navim conſcendunt, ventiſque ſe committunt, ſuffocationem in aquis, an, inquam, hujus unius, an etiam trium cauſa, tota navis cum multis aliis, quibus nullum aquæ periculum ex propria conſtitutione fuit metuendum, ſit interitura? Cui quæſtioni ex Aſtrologicis principiis ſic eſt occurrendum. Licet genituræ hominum, quid cuique eventurum ſit, plerumque decernant, tamen in conſtitutione univerſali & magna, ut navi ſubmergenda, civitate deſtruenda exercitu profligando, neceſſariò etiam ii quandoque intereunt, qui cum univerſali conſtitutione nihil habent commune: ſi qui autem evadunt, ii dominum & præſidem genituræ vel habent potentiorem Domino univerſalis conſtitutionis, vel præſes genituræ eſt etiam Dominus univerſalis conſtitutionis, maximè verò ſi fuerit beneficus; ſi enim maleficus fuerit, ſervabitur quidem, ſed paulò tamen pòſt calamitoſam experietur hypoſtrophen. Sic qui exit patriâ ſuâ peſte afflictâ, evadit periculum, niſi habeat geneſin annexam conſtitutioni, quæ reſpicit patriam, ut ita futuris eventibus maximè etiam aliquis ſubjiciatur ſecundùm naturam & diſpoſitionem loci, in quo habitat. Eſt enim omni ſcientia dignum hoc, quòd omnis homo, ubicunque natus ſit, illius loci habeat annexam conſtitutionem, quoniam Stellæ verticales & altitudo poli ſunt eædem illi & loco, in quo natus eſt. Univerſales tamen conſtitutiones & cauſæ hominibus ſingulis, ut huic Principi, Socrati, Platonive applicari non poſſunt; nam generales conſtitutiones impetus ſuos & vires effundunt in multitudinem incertam, quod manifeſtum eſt ex ipſis eventibus; nam in quibuſcunque calamitatibus publicis videmus interire multos, affici verò paucos, ſed non perire, ut in peſte ægrotare, in civitatum direptionibus ſpoliari, capi, vel vulnerari, plures etiam evadere omninò illæſos, ac ſi nihil perpeſſa eſſet civitas ipſa. Ut igitur contingant effectus, neceſſe eſt, ut propria geneſis concordet cum civitate, in qua vivit ille, cujus eſt geneſis. Non enim afficiuntur homines à generalibus conſtitutionibus, niſi afficiatur civitas: unde quilibet ferè poteſt ejusmodi generalia infortunia evitare, mutando regionem & civitatem, (hoc notabis) niſi ſit mutuus

Oo 3 conne-

connexus per ascendens, & infortuniorum significatores ac promissores. Patet igitur, universales constitutiones non sufficere ad divinandum de hominibus singulis, quia non semper conveniunt cum loco, in quo habitat homo ille, tum etiam, non semper tam validæ existunt & potentes, ut propriam alicujus genesin seu principium genethliacum vel avertant, vel disponant secundùm naturam suam, hoc est, constitutionis universalis.

Atque hæc pro ratione instituti de constitutionibus universalibus dici oportuit, in quibus, sicut & in prognostico genethliaco, moderationem summam adhibendam esse censeo, prædictionumque certitudinem, de secuturis ad Stellarum effectiones mutationibus, aliarum & superiorum quoque causarum mentione, restringendam & verecundè moderandam. Pius enim Astrologus non evagatur extra cœli Pomœria: non affirmat ea, quæ à potestate astrorum oriri non possunt, nec miscet sortes, & ejusmodi divinationum genera, quæ Ptolomæus vocat ἀναιτιολόγητα. Interim tamen multa judicari posse, & judicata esse ex positu Astrorum affirmat, de valetudine corporum, ingeniorum diversa natura, multisque in vita casibus, quarum rerum consideratio plurimum conducit prudentibus, in officio constitutis, & ad Reipublicæ gubernacula sedentibus. Magni certè interest scire, quo quis loco cœli tempore genituræ habuerit omnes Planetas; plurimum enim id conducit ad vitæ actiones, animique motus moderandos. Mars in angulo occidentis cum Luna quoties fuit multis calamitosus? Saturnus in eodem loco quoties fuit multis funestus? Si vellem per geniturarum variarum exempla procedere, dies me deficeret. Si multi scirent locum Saturni vel Martis tempore geniturarum suarum, vehementiores animi impetus sæpè refrænarent, mentemque ipsorum domaret respectus honesti. Sapientis igitur est aspicere naturam, major tamen sapientia est, adjungere Rectorem Deum, ut, si quid mali aut astrorum positus aut inclinatio naturæ minitetur, sciamus, Deum velle & posse, piis tamen precibus exoratum, moderari eventus & mitigare. Huic sit honos, gloria & potestas in secula. Cæterùm, eodem, quo Astrologiam allatravit, ore allatrat quoque Chiromantiam, artem scilicet divinandi ex signaturis manuum, earumque longitudine, brevitate, latitudine, crassitie, subtilitate, continuatione, discontinuatione, fracturis, inscisuris, &c. Hæc enim omnia sunt probabilia signa conjuncta cum natura rei, ex quibus habitus ac dispositio principalium in corpore membrorum cognoscitur. Ars igitur prædictionum, quæ extruitur & procedit ex causis naturalibus & ex his ratiocinatur de effectibus, seu quæ ex causis universali experientiâ certò cognitis, extruit prædictiones de secuturis effectibus, quibus eventus etiam respondent (nisi divinitus vel potentioribus causis impediantur) minimè rejicienda est & contemnenda. Verùm de hac alibi à me scriptũ est prolixiùs. Dignus est, qui hîc inseratur locus. Arist. l. 1. de animal. c. 15. Pars, inquit, interior manus vola dicitur, carnosa est, & scissuris vitæ indicibus distincta, longioris scilicet singulis aut binis ductis per totam, brevioris binis, quæ non longitudinem totam designent. Hæc Arist. Indubitatis autem experimentis observatum est, cordis

robur

robur vel debilitatem nativam, per ramum vitalem malè vel benè expressum, cognosci. Unde brevis conspectus & malè formatus significat semper virtutis cordialis defectum, ob quem linea vitalis ad debitum locum protendi nequit. Sed de his satis. De cæteris divinet D. Robertus.

AD THES. XIII. ET XX.

MIRE æstuat D. Robertus circa imagines, cùm tamen ipse imaginum superstitiosarum sit cultor fidelissimus, ut suprà demonstratum est: bruta ejus fulmina & inania coruscamina non pertimesco. De imaginibus & sigillis licitis suprà satis prolixè, quò lectorem remitto. D. Robertum doceret de naturæ mysteriis sentire modestiùs, nec nugas appellare, quæ scriptores antiquitate & gravitate venerabiles, religioneque & eruditione laudabiles comprobârunt & confirmârunt, quod certè æquo animo ferendum non est, quasi mendacii aut fabulamenti speciem habeat curatio vulnerum sine remedio applicato, quasi solus D. Robertus omnibus illis sit perspicacior, ut hanc rem non factam, sed fictam, non historiam, sed fabulam esse animadverterint. Rectè autem asseritur in Tractatu meo, virtutem annulorum & imaginum temperamento & manifestis qualitatibus ascribi non posse; virtus enim ista in annulis, sub certa constellatione factis, à superiorum dependet influxu, non elementari materia. Nam annuli isti & imagines, licet influentia & virtute cœlesti sint instructæ, nihil tamen operantur & movent per se, scilicet fabricæ aut figuræ, sed ratione virtutis cœlestis. Quemadmodum enim res naturales virtutes suas formasque consequuntur à virtutibus cœlorum, sic etiam artificiales imagines nullam ab arte quidem virtutem hauriunt, sed quicquid in iis virtutis occultæ est, ab astris est impressum, motionesque in aliis rebus excitat per effluvia radiosa, eodem modo, quo factus est influxus & impressio. Hæc, tantùm abest, ut naturæ sint contraria, ut nihil sit ei convenientius. D. Robertus sapiat, non quantum vult, sed quantum potest.

AD THES. XXX.

NOn eos accuso impudentiæ, qui naturæ arcana abditasque rerum causas non rimantur, sed qui eas investigare nolunt, impudenterque derident, ac ineptè cavillantur: hæc est stolida illa turba sensuum externorum judicio mancipata, ac terrestrium qualitatum cœno immersa, cœlestium corporum vires parùm curans, Magnetismum in natura, & Sympathismum vix ac ne vix quidem attingens. D. Robertus est hujus farinæ, quem jubeo habere saniorem mentem, cujus morbum sarcastica odioque plena hujus thesis clausula satis prodit.

AD THES. XXXVII.

QUIS *docuit Gryphum te Doctor scribere? nescis,*
Quòd pueros γρῖφον *lingua Pelasga docet?*

AD

AD THES. XXIV. & ſequentes. Item 31. & reliquas, ad finem usque.

SI quis D. Roberti libellum accuratiùs inſpexerit, deprehendet, eum totum ad conviciandum & criminandum eſſe conſutum, multa ambitioſè quoque & ſine ratione in eo dicta, οὐδὲν πρὸς ἔπος, ἀπροσδιόνυσα πάντα, omnia ad rem nihil, & ἁμαξιαῖα ῥήματα, nec non hypenemia ova. Silentibus aliis D. Robertus loquitur, imo quod probant illi, hic improbat, plus ſcilicet unus D. Robertus ſapiens & videns, quàm cæteri. O miſerum! Omnes videmur nobis Saperdæ, feſtivi, belli, cùm ſimus copreæ. Verùm æquo animo audienda ſunt imperitorum judicia, ut rectè Seneca, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemtus. Sed concludamus tandem & demonſtremus, quod concluſum & demonſtratum oportuit, non tam propter veritatem eruendam, quàm ipſum lectorem, in cujus potiſſimum gratiam hoc reſponſum eſt adornatum. Quomodo autem vulnera ſine remediis curentur, accuratè ſibi demonſtrari cupit D. Robertus theſ. 31. & theſ. 24. quaſi Oeſtro punctus mihi inequitat atque inſultat, quaſi omnia ponam nuda, & ſine ullo rationis vallo. Non eſt ita, mi lector: ratio incluſa in meis verbis, licet preſſim. Sed quid ego poſſum, ſi D. Robertus non educit? Nunquid ego Prometheus ipſius menti? Si oculos mentis probè aperuiſſet D. Robertus, ſpiritus Magnetici toties decantati naturam, vires & actiones rectiùs percepiſſet, aliterque longè judicâſſet. Oedipodionium ipſum eſſe oportuiſſet, & potuiſſet forſan, niſi nimis curioſè & ſubtiliter ſcrutatus fuiſſet τὰς ἐν ᾅδου τριακάδας triceſimas in orco.

Griphos me ſcripſiſſe & ænigmata, hoc eſt, intricata, objicit. Non inficior, ſicut nec hoc, errare me poſſe, (quod turpe non eſt, initium enim ſapientiæ: verùm errores fovere, dementiæ eſt) ſed D. Robertum veris argumentis erroris me conviciſſe, planè nego, id quod ex ſequentibus, quæ pro Magnetica vulnerum curatione, ſine griphis, ſine ænigmatibus in medium afferentur, fiet manifeſtum, & quidem per axiomata & principia quædam partim ex Philoſophia & Phyſica communi, partim etiam Magnetica depromta, (non certè triobolari & in vulgus nota) quibus poſitis, rectèque intellectis, veritas, me etiam tacente, triumphabit.

1. Proprietates in rebus naturalibus eſſe occultas, mirabilium operum, cauſas effectrices, graviſſimi autores publicis ſcriptis confeſſi ſunt experientiâ convicti.

2. Earundem quoque concordantias non ab elementis, ſed cœlitus per Stellarum radios in materiam inſeri, imprimique mediante ſpiritu ſeu animâ mundi genericâ, communiſſimâ, myſticâ, ſecretiſſimâ.

3. Unde omnis res, ſeu individuum, cùm incipit eſſe, ſub determinata conſtellatione, accipit mirabilem quandam virtutem operandi vel patiendi, præter eam, quam habet à ſpecie.

4. Id enim oſtendunt operationes variæ lapidum & plantarum, nec in ſpecie, nec in genere convenientes, non à materia variè diſpoſita, ſed vario influxu formâque diverſa oriundæ.

5. Omnia

5. Omnia mundi corpora per medium quoddam vinculum ſunt connexa, quo mediante naturas invicem mutuant & mutuantur.

6. Natura enim non copulat extrema ſine medio; ut corpus & animam: anima primum movens eſt, corpus per ſe ad motum inefficax, & ab ipſa anima longè degenerans: ergo opus eſt medio, quod ſit quaſi non corpus, ſed quaſi jam anima, ſeu quaſi non anima, & quaſi jam corpus. Hoc tertio anima corpori conjungitur.

7. Hoc ſpirituale medium neceſſariò requiritur in macro & microcoſmo: nam hoc medio virtutes & formæ cœleſtes inſunt corporibus craſſis, mirificasque iis largiuntur dotes.

8. Quemadmodum igitur animæ noſtræ vires per hunc ſpiritum tanquam per tertium membris adhibentur, ſic virtus animæ mundi per ſpiritum univerſi dilatatur per omnia, ita, ut ne minimum etiam, quod in rerum natura reperitur, ſpiritus hujus ſcintillâ careat, licet virtutis continere videatur admodum exiguam particulam.

9. Differt tamen hæc virtus ſecundùm perfectionis gradus; quæ enim res plurimum hujusmodi ſpiritus hauſerunt, acceperunt, eæ admirandis virtutibus magis pollere animadvertuntur. Hujus ſpiritus beneficio omnes abditæ proprietates & qualitates propagantur & infunduntur in herbas, lapides, metalla, & animantia, per Planetas & Stellas Planetis ſuperiores.

10. Actiones igitur manifeſtæ & ſenſiles à qualitatibus manifeſtis unde etiam modus efficiendi manifeſtus eſt & evidens, occultæ per Sympathismum, Aſtralismum, Magnetismum & Theamedismum exercentur & perficiuntur. Hæc & ſimilia, qui non percipit, nec intelligit, maneat, quæſo, intra limites modeſtiæ agnoſcat tenuem ingenii ſui ſuppellectilem, priusque convaleſcat mente, quàm ad pugnandum & contradicendum publicè proſiliat, quod aſininæ ruditatis & portentoſæ jactantiæ ſignum eſt.

11. Nam in hoc myſterio ſcire oportet, ſmaragdus, cui aſtro ſit ſympathetica, turcoſia, adamas, rubinus cujus aſtri ſint gemmæ? Magnes cui aſtro ſit cognatus? Roſa cujus aſtri planta?

12. Ex communi ſiquidem iſta cognatione & convenientia, quam comitatur arcana naturæ continuatio, fit, ut quævis materia aptè & concinnè præparata alliciat ad ſe formam ſibi competentem, atque ſic Magnes attrahit ferrum, & hoc modo, hoc eſt, per Sympathismum ad vulnus propagatur, quod ei in unguento, quo inſtrumentum eſt delibutum, ſympatheticum eſt & cognatum, interveniente & dirigente actionem & effectum communi ſpiritu per omnia fuſo.

13. Neque enim neceſſe eſt, ut unguentum, quod ſanat, ſanabili applicetur in ſubſtantia, ſufficit enim ſi vis ejus ad ſanabile perveniat.

14. Aſſerere igitur elementa & qualitates univerſam ſubſtantiam rebus gignendis communicare & conferre, cœlum verò, ſine quo elementorum nulla eſt efficientia, otioſum eſſe ac feriari, hominis eſt temerarii, & cœleſtia parùm curantis.

15. Multa enim occulta, ſenſibusq; non obvia, Olympici iſtius habitaculi cives

operantur astraliter per Sympathismum & Theamedismum, quæ ex motu luceque explicari non possunt.

16. Plurima quoque sunt in mundo & natura corpora, quæ mutuò & citra ullum visibilem & sensibilem contactum sese afficiunt, actionesque suas exercent & perficiunt ex longo etiam intervallo, unde hîc contactus facilè distinguitur à contactu propriè dicto, quo corpora se contingunt superficiebus immediatè concurrentibus, qualis est pugnus ad oculum: prior astralis & Magneticus est in lupino, cichorea, & Sole spectabilis.

17. Nulla actio naturalis effici potest, nisi agens vel corpore, vel virtute, vel qualitate aliquâ, rem, quam efficere vult, tangat, prout cœlum hæc inferiora motu & luce calefacit.

18. Quin & substantiæ incorporeæ vim habent efficiendi, non corporeæ tantùm, ut cùm lux à Sole, calor ab igne, frigus ab aqua producitur.

19. Nec actio & passio fiunt per agentis in passum penetrationem, nec per partium agentis in meatus passi ingressum, sed per contactum duntaxat.

20. Omnis tamen actio ex victoria activæ alicujus virtutis super alterius resistentiam oritur.

21. Et nihil quicquam agere potest, nisi vel in actu formali, vel eminentiæ, vel virtuali; hîc enim triplex agendi modus à Philosophis celebratur.

22. Omne quoque agens, cùm agere cœpit, non ad inferius seipso movet, sed ad sui consentaneum: apparet hoc in animantibus, in quibus non in plantam cibum mutat nutritiva virtus, sed in carnem.

23. Quibus rebus inest alicujus qualitatis, vel proprietatis excessus, ut caloris, frigoris, audaciæ, timoris, iracundiæ, vel quævis alia passio aut virtus, hæ res ad talem qualitatem, actionem, passionem & virtutem maximè movent & provocant.

24. Unde tanta est rerum quarundam naturalium potentia, ut non tantùm cuncta suâ virtute afficiant, verùm etiam præter hoc infundant ipsis consimilem potentiam, per quam hac eadem virtute ipsæ etiam cætera afficiant: quemadmodum in Magnete videmus, qui lapis non solùm annulos ferreos trahit, sed vim ipsam ipsis etiam annulis infundit, quâ hoc idem efficere possunt, quod Magnes. Exemplum mirabile audi, amice lector! *A Magnete aliquoties abstractus Mercurius vivus per distillationem ita impraegnatur virtute Magneticâ, ut, cùm aliàs involet aurum, eiq; se applicet, ipsum etiam auri corpus in mensa certo spatio dissitum, motu locali cogat ad se transire, manente nihilominus appetitu naturali Mercurii ad aurum. Miranda certè Magnetis vis, Mercurium ita impraegnans, ut aurum quasi influentiâ quâdam vincat.*

25. Sic igitur occultarum qualitatum præsidio & ope amicitias exercent & inimicitias naturæ rerum: his alliciunt ad sese & quasi manibus rapiunt, cognata & sibi simillima, vel adversa repellunt, quædam quidem propinquo contactu, quædam fomite, quædam ex intervallis. Neque id faciunt, si intercedat distantia, vibratu

bratu trajectu ve atomorum ad res cognatas, aut eorundem obviantium inter se concursu ac recursu, sed vis continente quasi & continuatâ alteratione medii diffusa, ubi pertingit ad rem cognatam, aut contrariam, virtutem similem sustentat & conservat, contrariam & repugnantem oppugnat aut destruit, aut aliter etiam officit pro naturarum & virium ratione & conditione. Nam, ut Sympathia aut Antipathia sese exerat, inter res cognatas & differentes, analogia ut interveniat est necesse, primò ex facultate agentis, secundò aptitudine patientis, & tertiò applicatione: quæ rursus medium conveniens, contactumque vel materialem, vel spiritualem requirit.

26. Patet jam occultarum & materialium qualitatum differentia, quarum illæ tantæ sunt potentiæ & penetrationis, ut, quoniam formis sunt propriores, mirando modo in res, diversissimis à se disjunctas intervallis actiones suas extendant atque diffundant, hæ verò materiæ adhærentes crassiores sint & ignaviores. Illarum exigua quantitas magnum satis præstat effectum, viresque ob divinum formæ robur magnas, harum non item.

27. Quicunque igitur nescit distinguere, vel distinguere non didicit, inter Sympathias & Antipathias rerum, unde Sympathismus & Theamedismus, nec non inter attractionem electricam & Magneticam, unde Magnetismus, & horum omnium causam esse Astralismum, hoc est, inter actiones elementorum, horumque qualitatum, viresque, proprietates, & seminaria astralia, & hæc omnia uno, divino & continuante spiritu contineri, conservari, continuari: denique qui ignorat, plantas, radices, metalla, spiritus, lapides, astra & animalia, divino quodam vinculo cohærere & conspirare, obque id actiones multas perficere sine primarum qualitatum adminiculo, & præterea cuilibet rerum speciei peculiare astrum, ut polum Magneti, à divina mente esse consecratum, ut ita quælibet planta, lapis, & metallum certo astro sit sympatheticum, qui, inquam, hoc ignorat, is in toto hoc negotio planè cæcutit.

28. Similitudinis enim, nexus & cognationis inter res naturales ortus & origo est virtus cœlestis & astralis, naturis sublunaribus, pro sua cujusque conditione & dispositione, infusa, quâ mediante vis & proprietas quædam quorundam corporum formis implantatur, corporaque inter se connectuntur, atque cohærent: hinc, inquam, hinc mirandarum actionum causæ eruendæ.

29. Quapropter meritò reprehendendi sunt, quinimo commiseratione digni, qui evolvere rerum causas non valentes superstitioni asscribunt assensum. Intentiùs enim singula modò dicta considerans, facilè animadverteret, quâ ratione vulnera curentur sine remedio. Qui sensus habent minùs exercitatos, modum curationis putant esse supernaturalem & Magicum. Non est ita, mi lector. Magicus dici rectè potest, & Magneticus, sed non propterea supernaturalis. Syllogismus talis est. Quicquid non perficitur ope primarum & tactilium qualitatum, Magicum est & supernaturale. Talis autem est curatio vulnerum Magnetica, quoniam modus hujus curationis non est evidens & manifestus, & fit citra contactum propriè dictum. Ergo. Propositio-

positionem laborare turpi fallaciâ consequentis apertè declaratur axiomate 6. 7. 8. 9. & præcipuè 10. ac 12. ad quæ lectorem remitto. Et tam elumbis est totus Syllogismus, ut indignus sit, in quem vel punctus impendatur: ad altiora igitur. Quæcunque in cœlo complicata & explicata cernuntur, in cæteris quoque sublunaribus potestate vitali continentur, à quibus actiones istæ proficiscuntur. Sic æstatis, hyemis, veris, autumnique Sidera in terra continentur, aqua & aëre, quæ nisi conspirarent cum astris firmamenti, steriles certè cœlestium essent impressiones, sterilis Solis influxus, nec vitalis, sed demortuus: mutuâ enim cœlestium cum sublunaribus conspiratione & familiaritate totius naturæ fœcunditas stabilitur, reciprocâque impressionum vicissitudine nexus conservatur, harum enim legibus vitiatis sterilitas, erroresque & defectus in natura sequuntur. Et qui negat influxiones astrorum dirigi ad singularia, non intelligit naturæ continuationem, multò minùs, quomodo vulnus curari possit sine remediis adhibitis, & vulnerato etiam absente per aliquot milliaria. Et si quæratur porrò, quæ naturæ virtus in momento per spatium aliquot milliarium possit ferri & propagari citra alterationem & dissipationem à ventis, ad locum vulneratum, respondetur, fieri hoc per Magnetismum & vim Magneticam attractivam, quæ est in primo ente siderali, per medium aëris aquæ & terræ influente, iterumque emergente, ut operetur spiritualiter per medium aëris. Et vis hæc ita intrinseca est spiritualibus principiis aëri communicatis, ut ei nulla violentia adimi possit. Nam inter omnes res naturales, inter quas est Sympathia, semper est vinculum, quo mediante & interveniente unius virtus defertur ad alterum, ita quidem, ut licet spatium sit maximum, citra ullam tamen alterationem nec ventis dissipetur, nec aëre etiam vasto, humido vel frigido rapiatur ac discutiatur, sed propter naturalem cognationem & nexum conservetur atque continuetur, cùm in tota rerum natura mutuæ ejusmodi affectiones sint conspicuæ. Ridicula quorundam objectio, & commiseratione digna est, odores & soni à ventis rapiuntur, discutiuntur, ergo etiam vis illa unguenti, quæ nullâ naturæ virtute per tantum spatium potest citra alterationem ferri. Connexionis falsitas patet ex præcedentibus. Licet enim,

Unà Eurusque Notusque ruant, creberque procellis
Africus, -----

semper tamen cichorium motum Solis insequitur, quia medium, Solem & plantam extrema disjunctissima conjungens, alterius est quàm ventosæ naturæ & originis, (ô Bœotica pecora!) unde nullis etiam vehementissimis ventorum flatibus impediri vel dissipari potest. Eodem planè modo virtus ex unguento exiens indissipabili promovetur vinculo ad vulnus, non ad lapidem vel lignum, quibus cùm nullum habet nexum & cognationem, sed virtute motoris ad vulnus se propagat. Puto hæc sine griphis dici, intelligique, rapaces & nemini parcentes Gryphi interim ringantur. Unde etiam curatio dicitur Magnetica, perficique per Magnetismum. Verùm nodus hic Gordius & difficultas multis videbitur inexplicabilis, unde diligentiùs etiam tanquam filo Ariadneo retexenda est, ut ambages in uno semel explicatæ nullum in cæteris negotium facessant.

In

In hoc negotio igitur & myſterio dexterius intelligendo, Magnetis virtutes & proprietates mirandas perſpectas eſſe oportet, atque probè exploratas. Magnes enim omnia cætera terræ corpora virtutibus longè antecellit, nam ad ejus corpora Magnetica corpora undique confluunt, illique adhærent, non ut excrementitius quidam humor, aut pinguior humidiorque corruptela evulſis quibusdam radicibus, ſed per homogenicam quandam & Magneticam virtutem ac naturam, quâ corpora omnia Magnetica uniuntur, ac etiam à ſe invicem diſſita ſe mutuò afficiunt & tangunt, ut ita Magnes in ſe habeat primarias efficientias totius conſpiratione præpotentes, vide actiones dirigendi, attrahendi, diſponendi corpora mutuo quodam naturæ nexu ſibi devincta. Atque hæc eſſe veriſſima, experiuntur ii, qui neglectis leptologiis, elenchisque ſcholaſticis, & inutilibus concertationibus, omnem ſuam operam, ſtudium, ingeniique vires, ad abditarum in natura rerum, & à judicio externorum ſenſuum remotiſſimarum contemplationem, cauſarumque inquiſitionem contulerunt. Atque hinc Magneticæ Philoſophiæ principia, quibus excelſa ingenia ſe oblectant, ut non ampliùs otioſis horridisque opinionibus eludantur.

Cæterùm ut æquus lector horum principiorum guſtum aliquem & fructum percipiat, in aditum priùs quàm adyta eſt introducendus. Quemadmodum autem in cœlo ac firmamento Aſtronomi binos conſtituunt polos, ſuper quibus immobilibus tanquam in cardinibus vertitur, ita etiam Magnes habet polos ſuos, borealem & meridionalem, h. e. natura in Magnete ordinavit certa & deſtinata puncta motionum & effectionum primarios terminos, actionumque & virtutum plurimarum limites ac moderatores. Videatur de hac re Guilielmus Gilbertus Londinenſis Anglus l. 1. c. 3. & 4. qui eruditè de viribus Magnetis ſcripſit & prolixè. Verùm illud, inquit, *imprimis ſcire oportet, quod non à Mathematico puncto robur lapidis dimanat, ſed à partibus ipſis, omnesque illas in toto partes, quò lapidis polis fuerint propiores, eò ſemper firmiores vires concipere, easque in alia corpora effundere.* Hi poli Magnetis firmamenti polos obſervant, ad eos ſe dirigunt, moventur, illisque famulantur. Inveniuntur autem in omni Magnete tam valido ac potenti quàm languido & imbecilli: illum maſculinum, hunc fœmininum Magneticæ Philoſophiæ Doctores appellant. Quamvis autem in omni figura, ſive ſit longa, plana, quadrata, vel trigona polos oſtendat ſuos, rotundus tamen & globoſus uſibus & experimentis eſt maximè idoneus & accommodatus. Sumatur igitur Magnes ſolidus juſtæ magnitudinis, durus, integer, & fac ex eo globum verſatili inſtrumento, quo rotundari ſolent cryſtalli aliique lapides, vel etiam alio inſtrumento, uti materia & firmitas lapidis poſtulat. Hic ita præparatus lapis, formamque arte orbicularem nactus homogenea firmamenti ſoboles eſt, ſtellarumque circa polos. Ut igitur poli Magnetis polis mundi inveniantur conformes, tene lapidem rotundum in manu, & pone acum vel filum ferreum ſupra lapidem, & moventur fines ferri ſupra centrum ſuum, ſubitoque quieſcunt, lapidem autem, quâ jacet & hæret filum, ſigna ochrâ, vel cretâ, moveq; fili medium ſeu centrum in alium locum, & ſic in tertium, ac quartum, ſemper ſignando lapidem ſecundùm

cundùm longitudinem ferri permanentis: lineæ autem illæ oſtendent circulos meridianos, vel meridianis ſimiles, quos omnes in polis lapidis concurrere eſt manifeſtum: (non ſecùs ac meridiani in polis firmamenti) ſic igitur continuatis circulis apparent poli, tam borealis, quàm meridionalis, & inter hos medio intervallo ducere licet circulum majorem pro æquatore, non aliter quàm in cœlo & ſuis ſphæris deſcribunt Aſtronomi, aut in globo terreſtri, Geographi; nam linea illa varii eſt uſus in Magneticis demonſtrationibus & experimentis. Quòd verò Magnes virtutem habeat ſeipſum in Boream & Auſtrum dirigendi, conſentiente vireſque conferente, ipſo cœlo (quamvis motus directionis in Auſtrum hactenus incognitus, nunc per magnas navigationes in auſtrinam mundi plagam, ſatis conſpicuus ſit) ſic demonſtratur. Magnetem polis inventis, colloca in vaſe ligneo rotundo, vel paropſide, eumque cum vaſe ſimul (tanquam in cymba nautam) pone ſuper aquam in vaſe aliquo grandi aut ciſterna, ut libere poſſit in medio fluitare, nec tangat ejus limbum, nec etiam ventis aër commoveatur, quibus motus naturalis lapidis impeditur: hic lapis tanquam in navi, in media ſuperficie aquæ tranquillæ & non fluctuantis poſitus, ſeipſum illicò cum vaſe deferente commovebit, & circulariter volvetur, donec Septrionalis ejus polus in Septentriones meridionalis in meridiem dirigatur. Pars enim lapidis in Septentriones inclinans Septentrionalem, in meridiem verò vergens meridionalem ejus polum oſtendit. Hactenus Gilbertus, & rectè quidem omnia, niſi quòd polos etiam naturales in globo terræ ad diuturnæ revolutionis motum diſpoſitos & deſtinatos conſtituit, & ita terram facit mobilem cum quibusdam Neotericis Saperdis.

Idem quoque l.2. c.4. de Electrica & Magnetica attractione ſcribit in hunc modum: (diſtinctio hæc ad Magneticæ curationis modum explicandum confert) Duo ſunt corporum genera, quæ manifeſtis ſenſibus noſtris, motionibus allicere videntur, electrica & Magnetica. Electrica naturalibus ab humore effluviis, Magnetica formalibus efficientiis, ſeu potiùs primariis vigoribus incitationes faciunt: forma illa ſingularis eſt & peculiaris, non Peripateticorum cauſa formalis, & ſpecifica in mixtis, non generantium corporum propagatrix, ſed primorum & præcipuorum globorum forma, & partium eorum homogenearum, non corruptarum propria entitas & exiſtentia, quæ primaria, radicalis & aſtralis appellari poteſt: hæc illa forma eſt, quæ globum ſuum proprium tuetur, & diſponit, taliſque in ſingulis globis, Sole, Luna & aſtris eſt una, in terra etiam una, quæ verè eſt illa potentia Magnetica, quæque primarius appellatur vigor. Magnes igitur ducit & trahit Magnetica, quæ ab ejus viribus vigorem avidè concipiunt, non in extremitatibus tantùm, ſed in intimis & meditulliis ipſis. Materialis autem iſte ingreſſus Magnetis in ferrum & Magnetica corpora non eſt; tunc enim, ſi firma, denſa & craſſa in medio eſſent interpoſita corpora, aut Magnetica in craſſiſſimorum denſiſſimorumque corporum centris eſſent incluſa, non paterentur ferrea à Magnete. Electrica effluvia ab omni denſo impediuntur, ita ut per flammas, vel juxta ſi flammula fuerit, non alliciant: at ferrum,

vigorem & motum habet à Magnete, (non secus ac ab unguento vim sanativam accipit vulnus) ita ut per medias flammas ad Magnetis corpus transcurrat, lapidique adhæreat. (Eodem planè modo per densissimum etiam aërem turbulentissimumque virtus sanativa deducitur ab unguento ad vulnus ob Magneticam naturam, quæ est in utroque, mutuumque & naturalem appetitum, qui est inter spiritum balsamicum, & spiritum universi) Sit enim flamma juxta lapidem, aut candela, appone breve filum ferreum, & cùm appropinquaverit, per mediam flammam ad lapidem penetrabit, nec lentiùs, nec avidiùs applicat ad Magnetem per medias flammas, quàm aëre aperto. Corporeum igitur non est, quod defluit à Magnete, aut quod ferrum ingreditur, aut quod à ferro expergefacto refunditur, sed Magnes Magnetem forma primaria disponit, Magnes verò ferrum sibi familiare simul ad formatum vigorem revocat & disponit, propter quem ad Magnetem ruit, & avidè se conformat, (mutuis scilicet viribus concorditer promoventibus) non enim vana & confusa est coitio, non corporis ad corpus violenta inclinatio, non lites hîc sunt & discordiæ, sed ille est concentus (ne mundus ruat) partium globorum mundi perfectarum & homogenearum ad totum analogia, & virium præcipuarum in illis convenientia mutua ad attractionem continuationem, positionem, directionem & unitatem. Adhuc Gilbertus loco citato. Facilè igitur apparet differentia inter attractionem electricam & Magneticam, ipsaque corpora electrica & Magnetica: illa enim à materia, hæc à forma magis invalescunt, quæ nobilitata plurimis virtutibus illâ longè est præstantior, & præpotentior, utpote carceribus quibusdam non rarò inclusa, quod exinde patet, quoniam nonnunquam attritu seu frictione excitari vim illam oportet, donec obscurè invalescat, effluviumque reddat. Vapidus autem aër, chartaque vel linteum interpositum motum in electricis impedient. Magnes verò sine frictione, siccus aut perfusus aquâ vel humore, tam in aëre, quàm aqua, Magnetica provocat, licet solidissima corpora, aut crassorum metallorum laminæ interponantur. Habet igitur, ut rectè quoque sentit Cardinalis Lusanus, ferrum in Magnete quoddam sui effluxus principium, & dum Magnes per sui præsentiam excitat ferrum grave & ponderosum, ferrum mirabili desiderio fertur etiam supra motum naturæ, (quo secundùm gravitatem debebat tendere deorsum) & movetur sursum, se in suo principio uniendo: nisi enim in ferro esset quædam prægustatio naturalis ipsius Magnetis, non moveretur plus ad Magnetem, quàm ad alium lapidem, & nisi in lapide esset major inclinatio ad ferrum quam ad cuprum, non fieret illa attractio: nam attractionis à Magnete, & spontanei motus à ferro motus mutuus est & particeps, & quidem ex attractione & spontanea motione, impulsioneque compositus quidam hic motus est, qui tamen rectè ad attractionem refertur, quod universum hujus motionis principium ab eodem est termino, ad quem eundem desinit, id quod est proprium attractionis privilegium. Attractionis igitur in Magnete causa est natura quædam & forma potentissima; nam Magnes trahit ferrum non sine causa Physica, & propter aliquod bonum, ut ita effusa ex Magnete effluvia,

halitus,

halitusq; ad alliciendum ferrum natura sua, propter amicum consortium, mutuum actum, & mutuum fructum properent, repulsusque ab halitibus aër, dum locum sibi quærit, reflectatur, reflexus impellatur, ferrumq; quasi sublatum vi quâdam transferre videatur, suâ alioquin sponte excitatum. Hæc igitur exactè qui intelligit, Magneticæ Philosophiæ peritus dicetur: qui verò in abditis rerum causis pervestigandis parùm desudârunt, nec, quas quæque res secretas & miraculosas vires habeat, intelligunt, hæc deludunt, verboque & facto in responsorum divinorum orthodoxian impingere eum, proclamant, qui in abditis ejusmodi rerum causis pervestigandis occupatur, vulneraque quædam posse curari citra ullam remedii applicationem instrumento tantùm, quo vulnus inflictum est, peculiari unguento, inuncto, defendunt. Hæc & similia, inquam, diabolica non sunt, licet vulgus ignorans causas putat diabolum esse ministrum vel autorem illorum, pessimo instituto citiùs ad hunc quâ ad Deum vel naturam laudabilia effecta & insigniter bona referens. Philosophum ita sentire non decet, sed causas ex effectis indagare solerter. Et si non potest ad singularia pervenire, sufficit, si sciat, juxta naturæ consuetum ordinem, perpetuumque ac continuatum motum ita fieri posse.

Quæcunque enim humanus intellectus cognoscit, eorum scientiam sibi acquirit ex præcognitis primis. Seu, necesse est, omne judicium sumi ex aliquo præcognito, sive id sit sensile, sive intelligibile. Nam à sensibus accipiuntur phantasmata, quæ fiunt postea objectum mentis, ex quibus consideratis oritur judicium veri vel falsi, & utriusque necessarii & probabilis. Quid enim judicem, cùm nihil, de quo judicandum sit, extet? quid intelligat mens deficiente phantasmate aut intelligibili? Fit autem illa præcognitio aut certo necessarioque, aut incerto & dubio modo: præcognitum certum est, cùm oculus cernit, hanc nivem esse albam: præcognitum incertum verò & dubium, judicium reddit fallibile. Unde scientia nulla, cognitio quidem aliqua, sed nullis rationum certarum & verarum principiis stabilita.

Jam causam unguenti rimaturis effectum necesse est esse notum. Nam effectus arguit causam. Proponitur ergo effectus unguenti exploratus, idque duplici argumento, nempe testimonio probatorum hominum, & virtute naturali, quam Philosophi est ostendere esse in natura & subjecto, etsi non in omni singulari ad effectum perveniat, aut non omni insit.

Ad factum contestandum faciunt illi, qui vel ipsi hanc curam usurpârunt, interfueruntque, aut ex fide dignis acceptum in monimenta transtulerunt. Nec opus est omnium, qui hujus curæ & meminerunt, & eandem etiam usurpârunt, virorum Gravitate, Pietate, eruditioneque præstantissimorum, ab omni superstitione alienissimorum, testimonia adducere. Possem nominare Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles, quorum autoritatem atque fidem in dubium vocare atque opprimere, impudentis est hominis, quorum constanti affirmationi plus fidei est habendum, quàm Jesuitæ novæ inficiationi. Quid? quòd inter ipsos Pontificios repe-

riuntur non pauci, qui scriptis publicis virtutem Magneticæ curæ, ejusque veritatem confirmârunt & vehementer approbârunt. In procinctu est Fr. Basilius Valentinus ordinis Benedicti, cujus verba, Tractatu de rebus naturalibus & supernaturalibus, Anno 1602. per J. Tholdium in publicum edito, (clarissimisque Doctoris Johanni Hartmanno & Joachimo Tanckio, Chymiatris, dedicato) cap. 1. vernaculo sermone scripto, digna sunt, ut hîc referantur: Damit ich mein Vornehmen weiter bestättige/ so sage ich also/daß auch viel Dinge in der Artzney zu erfinden sind / welche übernatürlich ihre Wirckung von sich geben / erzeigen und vollbringen / nach Magnetischer Form und Art würckende / durch eine anziehende spiritualische Krafft / so durch die Lufft an sich gezogen wird / weil die Lufft das Medium ist zwischen der Artzney und dem Schaden oder Gebrechen / gleicher Massen wie sich der Magnet jeder Zeit nach seinem Mittags-Stern sehnet und wendet / obgleich solcher Stern viel tausend Meil von ihm / so ist doch die Geistliche Wirckung und Liebe so mächtig zwischen diesen beyden / daß sie durch das Mittelband/ als die Lufft / zusammen gezogen wird / einer so grossen Ferne und Weite: Weil solche anziehende Krafft aber von den Leuten in gemein bekannt / so ist es nur zu einer blossen Gewonheit worden / wird auch allein darfür geachtet/und ferner keine Verborgenheit / wordurch solche wirckende Krafft ihren Ursprung von hat / in Acht genommen: Gleicher Massen können Schaden und Gebrechen curiret und geheilet werden/ obgleich solcher Mensch / der da bresthafft ist / und der Artzt / eine grosse Ferne voneinander sind / nicht durch Segen / Beschweren / und andere unbilliche Mittel / so wider GOTT und die Natur lauffen / sondern durch solche Mittel / darinnen die Magnetische anziehende Krafft stecket / solches zu vollbringen. Als wann ein Verwunder von dannen zeucht / und lässet das Wappen / damit er verwundet / oder von seinem Geblüt / so aus der verletzten Wunden gelauffen/dem Artzt/ und dann von ihm recht und durch gebührliche Mittel damit verfahren wird / wie man eine Wunde zu verbinden pfleget / so wird er ohne allen Zweiffel wahrhafftig gesund / und ist keine Zauberey / sondern allein wird solche Heilung vollbracht durch die anziehende Krafft der Artznepen / welche durch das Mittel der Lufft dem Schaden zugeführet und damit vereiniget wird / die Geistliche Operation zu vollbringen. Diese Reden werden manchem schwer düncken und ünmüglich zu seyn der Natur / und viel werden sagen / dieser Bericht laufft wider die Natur / dadurch werden noch erwecket hiernächst viel Leute / so solches disputiren / und einen Streit gegeneinander führen werden / ob es natürlich oder nicht / oder ob diese Cur eine Zauberey / die will ich also entscheiden / daß diese Cur natürlich ist / aber die Wirckung übernatürlich und Geistlich / weil sie alleine durch eine anziehende Krafft und unbegreiffliche Weise zugehet / und daß diese Weise zu heilen auch keine Zauberey seye / bezeuge ich hiemit / daß sie mit keiner Zauberey noch irgend einigen Mitteln vermischet ist / so da unnatürlich/und wider GOTT den Schöpffer / und sein heiliges allein seligmachendes Wort läufft/ sondern allein natürlich / aus ihren übernatürlichen / unsichtbaren / unbegreifflichen Geistlichen / anziehenden Krafft / welche ihren Originem und Ursprung aus den Siderischen empfangen / und ihre Wirckung durch die Elementa vollbringt. Letzlich probire ich gleich-

gleichfalls / daß diese Cur keine Zauberey ist / sintemal der Teufel lieber ein Gefallen trägt an allem Unglück deß menschlichen Geschlechtes / weder daß er einige Hülffe thun solte / zur Wolfart deß Menschen / welches ihme auch ohne das ohne Verhengniß und gnädige Zulassung deß lieben GOttes nicht müglich zu vollbringen ist. Es wäre noch viel zu schreiben von dieser Magnetischen Form / zu verhüten aber allerhand Irrthums / will ichs bewenden lassen und stillschweigen, biß ich de miraculis naturalibus, oder von den natürlichen Wunderwercken der Welt etwas gedencken werde. Die groben unverständigen Ingenia, die sich doch kluge Meister düncken der Philosophi, und ein jeder Mensch / so nicht vollkommen seine Sinne hat / weiß keinen Unterscheid hierinn zu finden / aber der Kluge / Verständige / wird das Natürliche vom Unnatürlichen wol zu distinguiren wissen. Latinè in gratiam lectoris ita hæc sunt versa. Ad confirmandum præterea meum propositum, in hanc ajo sententiam, multa in medicina posse reperiri, quæ hyperphysicè suam efficientiam de se edunt, indicioque sui produnt & perficiunt Magneticâ formâ, & tantùm operantia per vim spiritualem attractivam ab aëre attractam, quandoquidem aër est medium inter medicinam & affectum sive defectum, consimili ratione, sicut Magnes omni tempore meridianam suam stellam appetit adque eam se convertit. Quantumvis enim multis millibus milliarium ab ea distat, tamen spiritualis operatio & amor inter utrumque adeò est potens, ut per intermedium vinculum, nempe aërem, in unum cogantur tam longinqua distantia & intercapedine.

Quoniam verò attractrix hæc facultas & vis in vulgus est cognita, in meram abiit consuetudinem, & pro tali etiam tantùm habetur, neque ulla præterea attenditur vis occultior, unde & cujus beneficio hæc operatrix vis ortum sui sortiatur. Consimiliter possunt plagæ & vulnera curari ac persanari, quantumvis homo affectus & medicus longo inter se distent intervallo, non equidem per consecrationes, conjurationes, aliaque illicita & prohibita media, quæ in Deum & naturam impingunt, sed per ejusmodi media, quibus inest Magnetica, & attractiva vis talia perficiendi, veluti cùm vulneratus ex loco quopiam migrat, ac instrumentum, quo læsus fuit & vulneratus, aut etiam de suo sanguine, qui ex inflicto vulnere manavit, Medico relinquit, à quo, si rectè postea & per convenientia remedia cum eis procedatur, quemadmodum vulnera obligari consueverunt, sine omni dubitatione curatur ac sanatur affectus perfectè. Nec ulla est hîc vis diabolica, sed curatio ista per vim tantum attractivam medicamenti perficitur, quod per medium aëris plagæ adjungitur, & cum eadem ad spiritualem suam operationem perficiendam unitur. Multis hæc videbuntur difficilia, & naturæ impossibilia, dicentque plurimi, naturæ hos sermones adversari, quo fiet, ut excitentur paulò pòst homines, qui ista sint disputaturi, & in mutuum certamen descensuri, utrùm naturale hoc sit, necne? utrùm fieri possit, an non possit, an verò hæc cura sit diabolica? Hos ita informatos volo, curam hanc naturalem esse, sed modum operandi, supernaturalem & spiritualem, quia cura hæc per merum attractivum & intangibilem modum perficitur, ideoq; hanc medendi

dendi rationem nullam esse incantationem, nec veneficium, hoc ipso testatum facio, quia nulla cum incantatione, aut nullis prorsus illicitis mediis est permixta, quæ sint contra naturam, aut contra Deum creatorem, & sacrosanctum salvificumque ejus verbum, sed merè tantùm naturalia, ex sua supernaturali, invisibili, incomprehensibili, spiritualique vi, quæ originem suam & ortum ex siderali acceperunt, suamque operationem per elementa perficit. Postremò similiter confirmo, hanc curam neutiquam esse diabolicam, siquidem diabolus ad perdendum potiùs genus humanum quàm ei commodandum incitatur, quod etiam citra divinam permissionem impossibile est ei factu. Ac plura quidem scribenda superessent de cura hac Magnetica, sed ad vitandos omnis generis errores finem imponam, & silebo, donec de miraculis naturalibus mundi nonnihil sum commemoratus. Crassa & insipida ingenia hominum, qui tamen callentissimi Philosophiæ magistri videntur, omnisque homo, qui non perfectos habet sensus, nullam in his differentiam invenire novit, sed prudens ac intelligens facilè naturalia à supernaturalibus distinguet. Hæc Basilius.

Quisquis autem ille fuerit Basilius (monachus autem fuit & pontificius homo) rectè certè & eruditè de Magnetica vulnerum cura disseruit, & omnia, quæ in mei Tractatus editionibus de curationis modo habentur, tam congrue in sensu Basilianis respondent, ut ea me ex Basilii scripto (cujus tamen hoc primum anno, ante non visi, copia mihi facta est) transtulisse quis existimare possit. Sic veritas semper concordat. Unum tamen in Basilianis notandum, quòd modus, quo perficitur cura Magnetica, dicitur supernaturalis & spiritualis, propterea quòd non fit adminiculo primarum & manifestarum qualitatum, cùm aliàs æquè sit naturalis ac cura ipsa, licet nobis occultatus, hoc est minùs evidens ac manifestus.

Hactenus igitur rationibus & experimentis satis demonstratum esse arbitror, esse curationem vulnerum, quæ fiat sine remedii applicatione etiam ad distans: modus quoque ostenstus, ostensæ & causæ cum suis annexis. His qui ulteriùs contradicet (contradicet autem nemo nisi impudenter malitiosus, vel in Bœotum agro natus) maledicit, bellum indicit, nil consequitur aliud, quàm ut à livoris dente nitidius, à calumniæ fuligine splendidius, à multiplici examine & certamine probatius, rudentibus, ringentibus, contradicturis, hoc meum responsum sit evasurum. Quid enim multis? Effectus hujus curæ est certis experimentis patefactus. Ergo ad causæ investigationem rectè transitur. Hæc, quoniam multis abstrusior visa est & impervestigabilis, per incantationem curam illi perfici vociferati sunt. De efficiente igitur causa præcipua fuit dubitatio: nam de finali nullum est dubium, quia enim opus naturale est, alicujus gratiâ erit. Si enim fortuitus est impetus, frustrà de ejus fine sumus solliciti, talia enim temerè eveniunt. De efficiente igitur quæritur, sitne causa hujus sanationis in ipso vulnerato, an verò telo obligato, & ita quidem, ut ex potentia, ab aliquo actu existente provocetur; nam hæc in talibus fieri oportet, siquidem nihil movet seipsum. Illud præterea provocans, sitne vis aliqua naturalis, Magnetica, seu quæ instar Magnetis suum familiare dirigat, moveat, alliciat? Id verò ipsum est, amice le-

ctor, quod hactenus ostensum est, & demonstratum oportuit. Virtus scilicet Magnetica à telo, unguento delibuto, propagatur ad vulnus propter naturæ cognationem & continuationem, quam sequitur successiva impulsio per medium aërem, spiritu stellato, & primario quodam ac Magnetico vigore ac potentiâ impregnatum. In unguento est spiritus balsamicus, (in sanguine humano, mumia, & adipe humano potissimùm latens.) Hic excitatur seu potiùs evocatur à spiritu consimili sibique sympathetico, ut spiritu mundi stellato ad effectum singularem producendum. Hic spiritus evocans, dirigens, disponensque corpora ac res mutuo quodam naturæ nexu sibi devinctas, non est quivis, sed determinatus, is scilicet quo præsente & tangente, fit effectus, absente non fit, decedente cessat. Hic ergo prima motus causa agnoscendus est. Hic dirigit, deducitque vim sanativam in spiritu balsamico fixam ad vulnus. Sunt enim hi spiritus sympathetici, mutuoque se appetunt, & propter hunc occultum, naturalem tamen appetitum ad determinatum effectum cõspirant, ut ita in totum & verè dixisse liceat, Magneticam curam vulnerum fieri per meram virtutum transplantationem, quam efficit & perficit appetitus inter spiritum balsamicum & spiritum mundi. Sed premo, nec ultrà divulgo hoc arcanum. Habes, amice lector, quæ visum mihi respondere. Et spero nihil omissum, quod propriè ad rem faciat. Si quid autem in D. Robertum lusi aut jeci, (quod tamen modicè à me factum) ignoscet, & feret æquo animo lascivus ille provocator pauca non convitia mea, sed dicta. Bonis cordatisque viris sat me respondisse existimo, atque etiam ipsi D. Roberto, quem æternum salvere jubeo.

GOCLE-

GOCLENIVS HEAVTONTIMORUMENOS:

idest,

CURATIONIS MAGNETICÆ,

&

UNGUENTI ARMARII RUINA.

IPSO RODOLPHO GOCLENIO Juniore, nuper Parente, & Patrono;

nunc

CUM SIGILLIS, ET CHARACTERIBUS MAGICIS,

ultrò

PRORUENTE, ET PRÆCIPITANTE.

JOHANNES ROBERTI, SOCIETATIS JESU Sacerdos, S. Theolog. Doctor.

Memorandi, & miserandi casus spectator,

CUM FIDE DESCRIPSIT.

ET GOCLENII MAGNETICAM SYNARTHROSIN meram Ἀνάρθρωσιν esse ostendit.

Inspice versam pagellam.

Quisquis es, Magiæ, & damnatarum artium hostis:

Antequam ad hujus opusculi lectionem accedis, hæc pauca, sodes, audi.

I. Aliis quoque *Rationibus*, non modò Goclenii concessu, & *Prævaricatione*, CURATIO MAGNETICA, UNGUENTUM ARMARIUM, CHARACTERES MAGICI, hîc perimuntur.

II. AFFINITATIS JURE in hanc Tractationem venêre alii aliquot HECEBOLII, id est, LONGE JACULANTES MAGI, qui Goclenii ARTHRITICAM SYNARTHROSIN,

----- *pravis fultam male talis*,

Utcumque fulcire videbantur. De hoc grege sunt:

BOMBASTUS PARACELSUS,

JOH. ERNESTUS BURGGRAVIUS,

FRATRES ROSEÆ CRUCIS,

ALII, ut qui METALLARIÆ VIRGÆ Imposturam tuentur.

III. His recusa jam tertiùm, necessariò præmittitur brevicula illa ANATOME, quæ Goclenium ad pudendam Palinodiam adegit.

IV. GOCLENIUS, velit, nolit, CHARACTEROLATRIÆ, PRÆVARICATIONIS in propria causa, & PALINODIÆ, ad Tribunal DD. ACADEMICORUM MARPURGENSIUM & GIESSENSIUM, REUS peragitur.

Illustris-

Illustrissimo, atque Excellentissimo Domino,

Dn. FLORENTIO, COMITI IN BERLAYMONT, ET LALAING, &c.

Baroni in Hierges, Lens, Beaurin, Domino in Herchies, Haultepenne, &c. Aurei Velleris Equiti, à Consiliis status: Gubernatori, & Capitaneo Generali, Ducatus Luxemburgensis, & Comitatus Chiniensis, &c.

Domino suo Clementissimo.

*M*Odico libello grande PROOEMIUM *præscribere*, COMES ILLUSTRISSIME, *peccatum illud sit peccare, quod mordaci joco Cynicus Diogenes solens more suo vellicabat. Civibus ad vastam parvuli opiduli portam excubantibus: Heus vos, inquit ociùs valvas occludite. Quid otiosi stertitis, imminentis periculi securi? Quærentibus, Quid id periculi esset? Ne tantilla Urbs, ait, per tantas portas effugiat. Huic similes canes hodie non desunt, quorum morsus, ea quidem ex parte, effugiam, dum brevissimè indico, cur* TUÆ EXCELLENTIÆ *potissimum hanc meam opellam offerendam censuerim. Ut varia sunt, semperq; fuerunt hominum judicia, Argumentum quidam judicabunt alienum à* TUA *vel Professione, vel dignitate. Cum his adeò non sentio, ut ab ipso maximè argumento in hanc mentem impulsus sim.*

Videlicet variam impietatem, quam conor refutare calamo, Tu tot jam annos proculcâsti vitâ & exemplo. Cùm militiæ rudimenta sub magno illo Heroë, PHILIPPO II. *Rege Catholico poneres, cùm Ordines ductares, cum signa cum hoste conferres, cùm perduelles funderes, fugaresq;, denique cùm* TE *& fortissimum militem, & prudentissimum Ducem exhiberes: nunquam* TIBI *in mentem venit, ut vel Burggravium quempiam advocares, qui Magico susurramine arma* TIBI *excantaret; vel Goclenium, qui* TE *lapide marino donaret, avis marinæ imagine effigiato, cujus energemate sic corpus munireris, nullo ut ferro vulnerari posset. Quin potiùs meliorem Magistratum secutus, etiam sanguinem vitamq; ipsam* DEO, *Religioni, Regi fundere paratus illud Machabæi animo volvebas:* Moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. *Jam ubi eo ventum est, ut Urbes ac populos, non jam ferro & armis subigeres, sed legibus & virtute moderareris: in dissimili imperio* TIBI *similis, eum finem, ut decebat, habuisti propositum, quem præscribit Orator Romanus, Beatam civium vitam. Ut intimis animi* TUI *penetralibus hærere videretur, quod magno Principi magnus Vates apposite præscribit:*

Panoplo, p. 105.
Ung. Ar. p. 50.
1. Mach. 9. 6. 10.

Tu

Claudia. ad Honor. „ Tu civem patremque geras, tu consule cunctis,
„ Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna.

Testentur Namurcenses, Artesii, & modò Luxemburgenses. Non ingrediar hunc campum, qui me intra pagellas coërcui. Sat habeo dicere, Te *non per devios Goclenii calles ingressum, sed regia virtutis viâ ad gloriam grassatum esse. Si illum, aut*
Ung. Ar. p. 37. & 57. *de eodem grege alium audires, ad Regum favorem conciliandum* Tibi *præscriberet Solis imaginem in auro: ad honores Leonis figuram. Quin & ad Regnum, si aspira-*
p. 44. *res, recta* Te *duceret Æthiopis effigies equo fervido & spumanti insidentis. Fervidæ nugæ, & quæ nihil nisi impias ineptias despumant!*

Quid dicam de Legationibus, quas Magnorum nomine ad Magnos felicissimè obiisti? Nemo id rectè exequitur, qui non polleat ingenio, vigeat memoriâ, eloquentiâ
p. 37. *ad persuadendũ sit instructus. Priora duo à Mercurii imagine* Tibi *Goclenius, etiam*
pag. 58. *nõ rogatus suggereret. Quid mirum, cùm postremum, id est, Eloquentiam conferat figura Nycticoracis, quæ etiam hominem faciat scientissimum? At* Tu *hæc non Idolola-*
Sap. 10. v. 21. *tricis sigillis, sed illi meritò attribuis, qui etiam infantium linguas, cùm lubet, facit disertas, atq; adeò os quoque mutorum aperit. Neq; tamen* Tibi *defuit Illustriss. Parentis* Tui *instructio, &, quod caput est, per exempla manuductio. Cujus Viri qui virtutes & maximè illam admirandam, in paucis, fidem* Deo, *Regiq; constanter præstitam non novit; is in Belgio nostro nihil novit. Sed non immergo me in hoc virtutum mare, quod cum tali Parente tanquam altero Jasone feliciter* Tecum *enavigârunt, tanquam totidem Argonautæ, tot Illustrissimi Fratres* Tui. *Ut de cæteris nihil dicam, qui jam cum cœlestibus beati micant; Tu certè ita feliciter navigâsti, ut seriò* Aureum Vellus *retuleris; atq; adeò aliis illud obtuleris. Et quidem scio magnanimum Heroa, Philippum Bonum, Jasonem cum Argonautis spectâsse, cùm eum Ordinem primus Autor institueret. Sed ausim dicere,* Te *non minùs; multò etiam plus hausisse ex* Vellere Gedeonis, *cœlesti* Rore, *madente; quem ego gratiam* Dei *interpretor, & quæ ad homines est, (ut sic dicam) Gratiositatem.*

Hanc gratiam, cum reliquis, quas plenâ in Te *manu Numen effudit, idem augeat: faxitque, ut porrò Potentiss. Regi, Sereniss. Principibus, Ducatui Luxemburgensi, cui Gubernator praees, quam hactenus operam in animosa ista senectute præstas, diu præstes! Ita optant voventq; boni omnes, & inter cæteros minima nostra Societas* Jesu, *quæ* Te *fautorem Patronumq; munificum pridem experitur. In quibus ego minimus sperare audeo,* Te *huic etiam libello favorem, patrociniumq; commodaturum: si non aliâ ratione; quod ut ante tetigi, nefarias artes detegit, & stylo configit, quas Tu pridem animo, & Catholicâ pietate, longè animosiùs Alexicaco illo Poëtarum Hercule, jugulâsti. Luxemburgi, Gubernationis* Tuæ *Urbe capitali. Anno Christiano, 1618. 3. Calend. Septemb. feriis SS. Felicis, & Adaucti, quorum beatis precibus semper sis Felix, & indies pluribus cœlestibus donis augearis, Amen.*

TUÆ EXCELLENTIÆ

Servus, in Christo, minimus,

Johannes Roberti, Societatis JESU Presbyter.

GOCLE-

GOCLENIUS HEAVTONTI-MORUMENOS.

PROLOQUIUM.

SYnarthrosin tuam, Rodolphe Gocleni, diu & avidè expectavi, & studiosè quæsivi. Sed hactenus nullâ diligentiâ exemplar consequi potui. Tandem mihi affertur ab amico. Lætus accipio, ratus, me aliquid inventurum, nobili illâ Epigraphe dignum. Sed de quantâ spe decidi!

Πάντα κόνις, καὶ πάντα γέλως, καὶ πάντα τὸ μηδὲν.

Synarthrosin expectabam, & reconcinnatos, post diram illam Anatomen, *Articulos*. Sed video, Penthei instar discerptos miseros *Magnetismos*,

---- *Atroque fluentia dabo*

membra. Denique crudeliùs laceratam *Magneticam Curationem*; fœdiùs effusum *Unguentum Armarium* à Goclenio suo *Parente*, quàm nuper ab *hoste* Roberti: ollâ quoque ipsâ diffractâ, & dissipatis fragmentis. Non dicam dolo. Puditum est, & miseritum *unguenti*, & *unguentarii*.

Suaviter tibi fingis, me *per Anatomen tractatus tui persuasum mihi habere, nominis immortalitatem adipisci* addisq;, fore, ut *eam mihi non invideres, si Anatomiam meam feliciter expedivissem*. Gratiam tam liberali animo tuo. Sed, crede mihi, nimium tibi blandiris, qui putes, aliquid gloriæ, nedum *immortalitatem*, quemquam consequi posse ex librorum tuorum confutatione; Longè alia mihi mens, & visâ tuâ calamitosâ *Anarthrosi*, obstinabam æternum tecum silentium, sed subiit tot miserorum, à te, tuique similibus in fraudem actorum, justa miseratio; quibus judicavi hoc tribuendum, ut liquidò perspicerent, te hactenus fumos vendidisse pro flamma, & tenebras pro luce, quas, quò plus calami tui flabello illustrare conaris, eo efficis densiores. Video te inter Scriptores puerum esse prorsus (judicabunt Academici tui) aut etiam imbellem *fœminam*: sed tamen eam ob causam, quam dixi visum est, damnato, hac etiam vice, silentio, tuam Synarthrosin, non dissecare denuò, sed dissectam jam frustillatim, ostendere, ac sic illam formicis ipsis differendam projicere.

---- *Namque etsi nullum memorabile nomen*
Fœmineâ in pœna est, nec habet victoria laudem,
Extinxisse nefas tamen, & sumsisse merentis
Laudabor pœnas, ----

Alioquin enim hanc

Pellem rodere quis velit caninam?

Dixi, *Ostendere jam desectam*, Nam tu, me non expectato, ipse carnifex fuisti

huic tuæ proli, quam, dum luci edidisti, lacerâsti, & dissipâsti. Audires saltem monentem bonum Poëtam:

Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.

Plauderes tibi domi, nec calamo & typis tuum dedecus, cum Academiæ tuæ dedecore produceres. Nunc, quis tui misereatur, cùm in malo tuo ipse triumphes, illudque orbe audiente jactes?

---- Si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædent.

At in te quadrat illud iterum ejusdem:

Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent Equites Peditesque cachinnum.

Equidem cachinnum non tollam. Sed in re tam ridicula,

Innocuos permitte jocos, cur ludere nobis
Non liceat, licuit si jugulare tibi?

Jugulâsti, inquam, cum *Curatione*, & *Unguento* tuo, etiam famam tuam, si quam hactenus inhonesta eruditione consecutus eras. Id faciam, ut tam clarum sit,

Quàm Solis radii esse olim, cùm sudum est, solent.

Tu patienter audi, quem tam impotenter incurristi. De *ordine* scribendi hæreo, cùm tu nullum servaveris. Vocas tu quidem librum tuum *Synarthrosin*: sed nihil usquam tam ἄναρθρον. Nulli usquam *Articuli* suo loco, Nam passim tibi.

---- Velut ægri somnia, vanæ
Finguntur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ ----

Conabor tamen in re inordinatissima methodum aliquam sequi in gratiam Lectoris; & ut faciliùs appareat tum aliis, tum maximè Academicis, num, quod polliceor, id rectè præstem: nempe,

GOCLENIUM NIHIL MINUS PRÆSTITISSE,
quàm quod
SYNARTHROSEOS EPIGRAPHE POLLICETUR.
Quin potiùs
CONTRARIA OMNIA.

SECTIO I.

Libri Gocleniani Epigraphe.

I.

SYNARTHROSIS] Bellum vocabulum, & aptum, ut responderet meæ ANATOME. Laudo ingenium tuum in inveniendo. Sed cum planè efficere

cere nequiveris, quod ea vox præ se fert, dolenda est fortuna tua; & eò magis, quò illam minùs agnoscis. Apparebit hoc clarè infrà. *Sectio 1. Epigraphe.*

2. MAGNETICA] Cur sic vocas? An sculpsisti in *Magnete*, tanquam in cedro, *æternaturam?* An atramentum *imprægnâsti* (agnosce vocabulum valdè tibi amicum) liquore, arte tuâ è *Magnete*, destillato? An potiùs, quia defendis *Curationem Magneticam*? Hoc, ut arbitror, dices. Sed hac ratione omnia *Magnetica* dici poterunt, quæ ad eam defensionem quoquo modo conferunt: & tu inprimis GOCLENIUS DOCTOR MAGNETICUS. Sis sanè, non invideo. Objicies fortè, me quoque *Metamorphosin* meam vocâsse *Magneticam*. Fateor. Sed meminisse item te oportet, additum esse, *Calvino-Goclenianam*. Quod videlicet è tuis *Magnetismis*, & Calvini Sapientiâ tota ea *Transformatio manâsset*. Ut taceam, me in tali opere, jus habuisse jocandi.

3. OPPOSITA *Anatomiæ*] Si latratus tuos spectem, & linguæ petulantis *Magnetismos*, verum scribis: Sin doctrinam aliquam solidam, quæ parvam illam *Anatomen* quoque modo labefactet; nugas agis, potiùs *Apposita* est, quàm *Opposita*: potiùs *propugnat*, quàm *oppugnat*. Pòst docebo.

4. INFAUSTÆ *Anatomiæ*] Verissimè hoc Epitheton adjungis. *Infausta* planè fuit *brevis* illa *Anatome* tuæ *Curationi Magneticæ*, fregit fuliginosam ollam tuam, *Unguentum* tuum ostendit esse affine illi, quo utuntur Canidiæ equitaturæ, non in Arundine longa, sed in *furca*, aut *barbato & olente caprarum marito*. *Infausta* tibi, & nomini tuo *Anatome*, quæ liquidò ostendit, te tuis Auditoribus Academicis propinâsse vappam pro vino, & dirum venenum pro pharmaco alexicaco. Itaque me quoque lubente, & probante, dicatur *Anatome* illa *Infausta*, sed *Goclenio Doctori Magnetico*.

JOHANNES ROBERTI, D. *Theolog. & Jesuitæ*] Quid sibi vult illud ET, mi Rodolphe? mira connexio! Sic ego deinceps possum te vocare D. Medicinæ, & Calvinistam.

PRO DEFENSIONE *Tractatus, de Magnetica vulnerum curatione.*] Oppugnâsti miserum Tractatum, & conculcâsti. Itaque ut es homo eximiè Latinus, censeat quis, te DEFENSIONIS voce usum eruditiore quodam, & rariore significatu; ut DEFENDERE hoc loco sit ARCERE, PELLERE, ut in illo Latini, & boni vatis:

Defendit æstatem capellis
Usque meis, pluviosque Ventos.

In tuam postea perniciem, Lectorem rogas, Ne judicet ex perspecta una, atque altera pagella. Neque cogitas, quantò plura legantur, tantò te graviùs judicium tuæ ineptiæ subiturum. Id faxo, quotquot te, & me legent, manifestò animadvertant.

SECTIO II.

Gocleniana ad Viros Nobiles Præfatio.

Sectio 2. Præfatio.

VAldè fœcundus es in tuis Dedicationibus. *Tractatum* tuum *de Unguento Armario*, duobus Nobilibus Viris inscripseras: jam, duplicato in tua *Synarthrosi*, pagellarum numero, & longè ultra duplum, multiplicatâ vanitate; duplicas numerum Nobilissimorum Virorum, quibus fumos tuos *Magneticos* obtrudis. Illorum erit videre, quo animo id accipiant. Sed quoniam me apud illos, tanquam *Calumniatorem*, calumniosè criminaris, spero, eos tam nobili mente præditos, tam æquo, integro, incorrupto esse judicio; ut post virulentam tuam accusationem, meam quoq; justissimam defensionem audituri sint. Quod eos per illam ipsam Nobilitatis suæ Eminentiam rogo. Sed jam tua præfantis verba audiamus.

SI UNQUAM *in lucem exiit, vel exiturus est liber, qui patrocinium, atque tutelam requirat, contra antiquas lupas, rapacitate horrendas, certè hic meus est.*] Veriùs hoc scripsisti, quàm fortè putabas. Tam debilis, languida, delumbata, clinica, febriens, denique podagrosa, & *arthritica Synarthrosis*, nullis satis fulcris, nullis patrociniis, nullâ tutelâ sustineri potest. Itaque suadeo, ut tu, tam peritus artifex, tuo libro tam miserè è Podagra decumbenti, appendas *sigillum Piscium, in auro vel argento sculptum.* Nam id *ad Podagram curandam, indubitanter valet.* Agnoscis verba tua in *tractatu Unguentifico.*

PROPALAM *ausus in me ementiri, mihique imponere sententiam*] Unum hoc est è præcipuis capitibus, à me contra te disputandis. Itaque non debet expediri in *Præfatione.* Est in ipsa *Synarthrosi* commodior locus.

Sed satis de *Præfatione* Goclenii; illius jam *Synarthrosin* videamus. Hanc suam Prolem ut commendaret Parens Goclenius ipso initio, ait, se *non dubitare, quin Lector rerum & verborum* PONDERA *ac veritatem sit probè examinaturus.* Satis magnificè de seipso. Sed hoc illi per me liceat. Mihi vicissim per ipsum, PONDERA illa, *ad veram veræ Rationis libellam examinare.*

SECTIO III.

Parasceve Gocleniana ad Synarthrosin.

I.

DAbo operam, ut nihil omittam eorum, quæ quoque modo ad rem facere videbuntur, id est, vel pro Tractatu de Magnetica curatione Goclenii; vel contra meam Anatomen. Quæ extra rem plane erunt (pleraque

talia

talia sunt) indicabo tantùm, ne timore, aut incuriâ prætermissa videantur. *Sectio 3. Parasceve.*

2. ANATOMICUS *est Johannes Roberti.*] Ad *Parasceven* hoc spectat. Sic voco, quæcunque à Goclenio Tractationi ipsi & *Synarthroseos* argumento præmittuntur. Sunt autem ea ita sine ordine, sine methodo, sine connexione posita, & pleraque tam extra rem, ut ea Goclenius somnians potiùs puero somnianti dictâsse videatur, quàm vigilans, & animo præsenti scripsisse. Adeò ubique natat, repetit, incipit, hæret, interponit, denique ex quovis nihil, & ex nihilo quidvis conficit. Videant, si dignantur, DD. Academici. Hoc tamen rectè, quòd me hîc vocat Johannem Roberti. Sic vocor. Sed hujus mox oblitus, perpetuò deinceps me vocitat Robertum, quo nomine nunquam fui. Sed nullam in eo pono contumeliam, & memoriæ lapsum lubens agnosco, & ignosco.

3. HOMO, *cui unum hoc studium, litigare.*] Hoc puerile è Lipsio furtum, ut alia plura. Res in Calvinistas quadrat, & eximiè in te, ut tua *Synarthrosis* ostendit, & ex illâ ego postea clarè.

4. TOT *furiosa convitia in Tractatum meum projecta esse deprehendi.*] Gravissima, quæ in libello illo reperies, sunt, quòd Tractatum tuum vocavi Idolomagicogoëticum, & Idolomagicomaniacum: quæ non nego esse gravia, sed convitia esse nego. Jure aliquid suo nomine afficere, Gocleni, convitium nunquam existimatum est. *Imagines* illæ vecordes, & *Sigilla* Ragaëlis, & sociorum minùs non merebantur, quàm has nuncupationes, cùm & Magiam vetitam contineant, & Idololatriam, & Goëticam. Tu certè non multò honestiùs de illis jam loqueris in tua Synarthrosi. Nam vocas *merè ac verè superstitiosas.* Addis *vix*, *ac ne vix quidem posse illas citra superstitionem usurpari, & impietatem.* Fateris in iisdem esse *dementiam*, *antiquorum deliria*, *vanitatem*, *absurditatem*; reperisque esse *superstitiosas*, *impias*, *illicitas.* Iterum vocas *superstitiosas & impias veterum Imagines*; quin etiam addis clarè, *te fateri*, *eas evolvisse ex Idololatrorum* (verbum hoc tuum est) *Scholis, antrisque.* Atque ideo ingenuè agnoscis *Tractatum tuum continere superstitiosa, & DIABOLICA.* Vide, an hæc multò suaviùs, dicantur, quàm quæ ego dixi. Scio, te jam negare, te ea sigilla probâsse, asseris potiùs improbâsse, ut jam ante in Præfatione. Sed suo loco tam clarè ostendam tuam in illo Libello fuisse sententiam, quàm unquam Sol Marpurgi luxit. Jam mihi satis est, quæ tu vocas in me Comitia, eadem in tua Synarthrosi de iisdem contineri.

5. NEC MIHI SOLUM, *verùm aliis etiam præclaris viris non pepercit Anatomicus, dum in Calvinum, ejusque asseclas malitiosè, & sine ulla causâ invehitur. Sed de hac invectiva suo loco.*] Ergo suo loco respondebimus, D. Go-

Sectio 3. Parasceve. cleni. Hîc tamen ostendendum, non *sine ulla causâ* illud, quicquid est invectivæ, scriptum fuisse. Cùm scribo, amo brevitatem, (secùs ac tu, qui miseros tuos liberos, asinorum înstar, oneras argumento alieno, ut planum faciam) nec omnia dico, etiam, quæ rectè dici poterant. Minùs etiam, cùm Theses, easque breves, scribo: minimè omnium, cùm brevium Thesium partem, ac BREVEM *Anatomen*, ut vocavi meam. Itaque etsi *Calvinum* obiter, ejusque doctrinam tetigi, causam quidem non clarè dixi; non tamen defuit, quam dicerem, eaque gemina. Altera est, quòd, cùm *Magiam damnatam* damnarem, meritò *Hæresin* tetigi, quæ rectâ viâ ad eam ducit, eamque, ut mater filiam, parit. Itaque nil mirum, si *Calvinum, Hæreseos Antistitem*, nominavi, & *Calvinistas* ejus Asseclas. *Nominavi*, inquam: nam vix aliud in Anatome gravius ipso eorum *nomine*, in eos dictum invenies. Porrò, cùm scirem te *Hæreticum*, mihi Catholico non deerat causa, te quoque tangendi, quod tamen non feci, nisi aliquoties *joco*, eoque ex re ipsâ nato. Nec intelligo, quid tibi in mentem venerit, ut diceres, me tibi *non pepercisse*. Evolve diligenter iterum iterumque libellum meum, ubique invenies tuum nomen cum honorifica littera D. quam tu vel *Dominum*, vel *Doctorem* interpreteris licet. Hoc adeò verum est, ut, etsi in tua *Synarthrosi* inhumanissimè me habeas; tamen, naturali quâdam & tacitâ humanitatis lege, idem D. mihi vicissim reddideris. Habeo gratiam. Scito tamen, id fuisse, quasi ingenti fellis vasi, mellis guttulam, mitigandi causâ affunderes. Hæc de priore causa, quam non ita subticui, quin satis clarè insinuaverim in Anatomen illis verbis: *Ut omnibus innotescat, ex hæresi prodire Idololatriam, & cæteras, quas dixi, pestes.* Altera causa, *Calvinianam hæresin* tangendi, eaque justissima mihi fuit, quòd tu, *Medicus, & Magus* (id enim fateris, & laudi esse putas, etsi perperam negas, *Magiam* tuam esse *damnatam*) *Theologiam* tamen *Catholicam & Religionis* res vellicaveras, & virgulâ censoriâ, tanquam sacrorum aliquis Antistes, notaveras. Quæris, Ubi? in Unguentifico tuo Tractatu, ubi margo habet: *Exempla vera superstitionis.* Quænam illa dicis? Contextus: *Superstitione, & vanitate non caret, cùm aqua benedicta bibitur contra infirmitatem, & spargitur ad fertilitatem,* & infrà: *Portare crucem per campos in vere circumquaque contra tempestates.* Deinde *Uti denique exorcismis, & conjurationibus, quæ absque superstitiosa aliqua Ceremonia adhiberi non possunt.* Salve bone Censor. Tune hæc tam graviter, *Sutor ultra crepidam*, imo ultra pileum, & caput, idque nullâ aliâ ratione, nisi vel hæresi tuâ, & malevolentiâ in Catholicos, stimulante; vel ut ex comparatione incurabilem *Curam* tuam *Magneticam* extolleres: & ego Theologus Catholicus,

---- *Grande nefas, & morte piandum,*

Scilicet, censebor admisisse, si de *superstitione* scribens, vel olidam tuam ollam

lam, pede impacto, evertero; vel non magis ex infami *patibulo*, *& rotá*, *Sectio 3.*
quam ex *Calvini* doctrina, impletam oſtendero. *Paraſceve.*

Poſtquam quædam balbutiviſti, quibus videris velle ſignificare, quid, & quâ ratione reſponſurus ſis, hoc Oraculum ſubjungis.

6. PRÆMITTAM AUTEM IN *hujus Examinis frontiſpicio primò generalia quædam, quæ quamvis ad* τὸ ἔργον PARUM FACIANT, *juvabunt tamen lectorem in judicio.*] Nihil planè juvant, ſi quis rectè judicet. PARUM ad rem facere, ingenua confeſſio eſt, fuiſſetque magis, ſi dixiſſes, NIHIL facere. Sunt, quæ præterea ad iſtud tuum *Oraculum* jure annotem. Ais, te *præmittere in frontiſpicio, quæ ad* τὸ ἔργον *parùm faciant.* At ego invenio, te non *præmittere* modò, ſed & *immittere*, & perpetuò *admittere*: nec in *frontiſpicio* modò, ſed totâ miſerâ Synarthroſi: neque *quædam*, ſed *plurima*, atque adeò pleraque: neque *generalia* tantùm, ſed & multa *particularia*. Quippe ſic intelligetur, quod in Proloquio meo poſui, *Te in tua Synarthroſi nihil minus præſtitiſſe, quam quod ejus Epigraphe promittebat.* Æquus Lector, rogo, hanc moleſtiam mecum devoret.

7. SUFFICIT MIHI, *ſi, quod factum oportuit) reſponderim epanorthoticè, dialyticè, exegematicè, & didacticè.*] Mihi quoque hoc utique ſufficeret, ſi modò feciſſes, mi Gocleni. Fateris tu quidem, OPORTUISSE, & facilè credam, te voluiſſe: ſed heu miſeriam! nihil, nihil horum usquam in tuo libello apparet. Adeò ut poſſit quis propemodum ſuſpicari, te Græcas has voces attuliſſe, tum ut admirationem, & eruditionis opinionem conſequereris apud imperitos: tum verò, ut iidem te arguere non poſſent, quòd promiſſa minimè præſtitiſſes, cùm quid promiſiſſes, non intelligerent. Sed ades animo. Ego arguam, ego oſtendam.

SECTIO IV.

Sigillorum Abdicatio.

I.

GOCLENIUS OMNIA, *quæ de Imaginibus objicit D. Robertus, non in rem ſunt, ſed in opinionem, imo ſunt ab opinione, cùm ſenſiſſe aut ſcripſiſſe me voluit, quæ per ſomnium* NON SENSI, NON SCRIPSI, *& ita ſenſum non à me ſumit, ſed affert, mentemque aliquam mihi affingit ex ſua mente. O vipera, ô anguis!* [O miſerum Lipſium, cujus byſſum, ſine ulla reverentia ſic immittis ſciſſili tuo palliolaſtro.] *Tantum enim abeſt, ut aliquid fidei tribuam illis imaginibus, quarum authores perhibentur Ragaël, Chaël, Thetel, Hermes, & Pſeudo-Salomon (ſic enim rectè eum appellat D. Robertus) ut etiam* MERE *ac* VERE SUPERSTITIOSAS *dixerim.* Paulò infrà: SENSUS *meorum verborum eſt, vix, ac ne vix quidem poſſe illas citra ſuperſtitionem &* IMPIETATEM *uſurpari.*

Priſco-

Sect. 4. Sig. Abdic. *Priscorum imagines recito verbis illorum*, SENSU NUNQUAM MEO. *Nec propterea eas Tractatui meo inserui, ut D. Robertum, vel alios, docerem simili dementiâ, cum antiquis* DELIRARE, *sed ut absterreantur, propositâ earundem vanitate, & absurditate.*

Superstitiosas, & Idololatrorum ex Scholis, Antrisque imagines illas Priscorum evolâsse fateor: sed me approbare, & approbâsse nego.

ROBERTI. Magnâ me molestiâ liberas, Gocleni, tam ingenuâ confessione. Scis, me *Anatomen* meam sic conclusisse, dum judicium generale fero de tuo Tractatu Unguentario: *Quæ priore parte de* CHARACTERIBUS *scripsisti, de fanatica impietate sunt.* Hoc, si me ursisses, meum erat aliquantò apertiùs, & fortè fusius, probare. At tu non modò mihi concedis, sed ultro etiam Epitheta cumulas, quæ si ego posuissem, quid in me non declamâsses? Jam ante collegi, quæ in *Imagines*, filiolas tuas suavissimas, plenâ manu, justa congeris vituperia. Ea ego admitto, & si opus, & exigis, meâ Syngraphâ confirmo, paratus semper ea tueri. Sed quòd neges, te in tuo *Tractatu de Cura Magnetica*, easdem *Imagines* approbâsse, intolerabile prorsus est. Pudor te adigit, cùm tam clarè ostenderim, iis inesse *Idololatriam, Magiam, Divinationem, Præstigias, Onirocriticen, Necromantiam, Blasphemias.* Sed frustrà tergiversaris. Liber tuus in manibus est, & fortiter clamat, TE ASSERUISSE, idque multipliciter, & cum plausu; quod modò, clarè convictus, NEGAS, & DETESTARIS. Loquor autem non modò generatim de omnibus sigillis superstitiosis (cujusmodi plura adhuc tua Synarthrosis tuetur) sed & distinctè de illis, quæ à Ragaël, Chaël, Thetel, Hermete, & Pseudo-Salomone prodita, jam mecum damnas.

SECTIO V.

Goclenius Characterum Diabolicorum serius Assertor.

ERgo Sol meridie non lucet? Ergo Goclenius ausus negare, & mihi necessitas imponitur probandi, quod totus Mago-Calvinistæ liber inculcat? Nulla plenior probatio, quam Magicum Tractatum recudisse. Sed absit. Non dignabor eo honore doctrinam, ex *Idololatrarum antris* emersam. Sat erit, ex Goclenio attulisse, quæ Goclenium potenter revincant.

Hîc ego vos, DD. Academici, si usquam alibi, attentos, & vigilaces volo; vos Judices deposco, has probationes ex ipsius Goclenii verbis, & Confessione sumtas, vestro Calculo subjicio. Tu interea, Gocleni, tace, & erubesce. Tuas loquendi partes verbosè admodum egisti in Tractatu & Synarthr. Meæ jam vices sunt. Ergo cum ex tuo Scripto Probationes mihi sumendæ sint, faciam fere ordine ipsius tui Scripti,

I. Probatio. Tract. Ung. sic scribis : Nullæ *hîc audientur nugæ, nulla ænigmata, nulla commenta, fabulosum nihil, insulsum nihil, sed augustissima naturæ Magnalia.* Hæc tu de toto tuo Tractatu, ad tuos Auditores quos compellas. Quòd si Nihil *fabulosum, nulla commenta* tuo Libro insunt, sanè nec Imagines Chaëlis, *fabulosa aut commentitiæ* censendæ sunt, quæ non obiter libro tuo insunt, ubi concludis: *Hactenus de Imaginibus Magicis priscorum sapientum.* *Sectio 5. Gocl. Chæ. Af.*

Prob. II. *Ragaël, Chaël,* & reliqui ; quos jam reiicis, tibi dicuntur *Antiquissimi* Sophi, & Doctores, nullo verbo, nullâ syllabâ additâ, quæ significet, eos vel *Dementes,* vel *Deliros*; quod jam primum in ore, & calamo D. Goclenii natum est, postquam id mea *Anatome* extorsit, & ipse metuit, ne, si non mutâsset, unus ex illis haberetur. Sed quantò honestiùs, simpliciter lapsum agnovisset, & in viam rediisset, quàm frustrà contenderet, se nunquam aberrâsse ! Hoc non modò Academici, sed quivis non nimis obesâ nare, facile videbit.

Prob. III. De iisdem *Ragaelis*, aliorum *Sophorum* sigillis ais : *Multarum, mirandarumq; virium esse perhibentur.* Cur non addidisti, falsò perhiberi? *Superstitiosa* esse, & *Diabolica.*

Prob. IV. *Si magna cum* Reverentia, *&* Devotione *gestentur.* De iisdem sigillis tibi sermo est. Pupugit te Anatome, quæ hunc locum merito tibi objicit. Respondet Synarthrosis, *Sciat æquus lector, non ex meo, sed alieno sensu id scriptum esse.* Valdè abuteris patientiâ æqui lectoris. Verba tua sunt; neque id negare audes, aut potes. Quid credet lector, nisi *sensum* esse, quem verba offerunt ; & ejus esse, qui verba fundit? Hâc ratione cogere posses ægrotum curæ tuæ commendatum, ut cùm præscribis Rhabarbarum, intelligat Brassicam ; & cùm ovum, farcimen porcinum. Gocleni, suadeo, ut proprium Lexicon cures tuorum sensuum.

Prob. V. Cùm Devotionem commendas, Parenthesi includis hæc verba : *Sed absit superstitio.* Ridicula extremum in modum est Synart. quæ ait, horum verborum sensum esse, Vix, *ac ne* Vix *quidem, posse illas Imagines citra Superstitionem, & Impietatem usurpari.* Quæso, festina excudere *Lexicon sensuum Goclenianorum.* Si tamen tibi licet, inusitatos, atque adeò planè contrarios sensus vocibus affingere. Nam per tuam te politioris litteraturæ eruditionem oro, in quo unquam Authore ejusmodi illius Parenthesis sensum notâsti? Fac, quæso, nos participes. Gratiam habebimus. De *contrario* sensu nobis liquidò constat, eoque perpetuo. Quid enim opus dicere, Absit, si *abesse* non potest ? Cùm quis de se aliquid dicit, quod ad laudem pertinere videtur, & addit, *Absit arrogantia*, hoccine dicere vult, *Non posse abesse arrogantiam*, sed se profiteri, id arroganter à se dici ; an potiùs planè contrarium, se dicere, & dictum velle sine omni Arrogantiâ,

Sect.5.Gocl. Cha. Ass. etsi Arrogantiæ speciem habere videri possit, & ab aliquo invido aut malevolo sic exponi? Agam tecum hîc liberaliter. Elige ex his sensibus, utrum voles. Si prior arridet, mecum facis, & fateris, te sensisse, *Characteres* illos *Ragaelis*, & reliquorum tuorum *sophorum, posse usurpari sine Superstitione, & Impietate*, quod tamen jam negas: si posterius, aduerte animum, quid contra te, non ego, sed tu ipse, laquei nectas, quo reticulo implicers. In Tractatu tuo unguentifluo prædicas *Liquorem potabilem à te confectum, vertiginoso cerebro sanando.* Poteram antea animum inducere, tibi ut crederem. Sed jam me cogis, dicere puram, putam esse JACTANTIAM, quoniam in Parenthesi addis, ABSIT FUCATA JACTANTIA, id est, ex tuo sensu, *Abesse non potest; sine Fucata Jactantia, vix, ac ne vix quidem id à Goclenio dici, aut prædicari potest.* Eruditi Academici, per animi vestri æquitatem, æquum judicium date.

PROB. VI. Verba tua sunt: *Inter vetustissimi, & SUMMI illius Ragaelis* ARCANA. Verba, inquam, hæc tua sunt, non aliena. Si non ita sentiebas, cur sic scripsisti? Cur non potiùs vocâsti, Impostorem, Superstitiosum, Impium?

PROB. VII. *Chael unus ex filiis filiorum Israel, antiquissimus Doctor.* Potest Gocl. dicere, hæc verba esse *aliena*, non sua. Nihil moror. Illius erat, hoc indicare, ne suos Auditores in errorem induceret. Dicere, inquam clarè debuit, fuisse *Delrium.* At id ne insinuavit quidem. Ergo iterum tenetur.

PROB. VIII. Cùm inter Hermetis Imagines diabolicum quendam annulum fieri docuisset; addidissetque, *Qui hunc annulum in die Solis, ante exortum ipsius aspexerit, omnes inimicos suos vincet. Sed oportet gestantem vestiri albis vestibus, à columbina carne abstinere*: ad hæc ultima verba, margini appinxit litteram N. quæ sine dubio valet, *Nota.* Quæro, cur? Si non sentiebat seriò, rem esse magni momenti, atq; ideò *Notandum.*

PROB. IX. Simile N. habet margo, ubi alteri deliro annulo vult addi *linguam Passeris, & Upupæ, & sanguinem hominis.*

PROB. X. *Thetel vetustissimus Doctor.* Si sic sentis, Gocleni, cur in Synarth. negas? Sin aliter, cur hîc non corrigis & dicis, *Nequissimus impostor*? Certè imponis ipse.

PROB. XI. Ubi iste Pseudo-Salomon impiè docet *somniare*, & post alias nugas, jubet *lanam nigram inter paleas tritici, capiti supponi*; bonus Gocl. iterum ad oram suum N. refert, tanquam quod magni referebat.

PROB. XII. Simile N. similis impietatis nos monet, ubi præclara Triga *Arietis, Leonis, & Sagittarii, hominem reddunt Deo & hominibus gratum, facundis, ingeniosum.*

PROB. XIII. *Hactenus* (inquit Gocl.) *de imaginib. Magicis Priscorum Sapientum.* Dico ego, *Impiorum Magorum*: & tu jam idem agnoscis in tua

Synart.

Synart. Conaris rem mitigare. Ais, *quasdam ex his* imaginibus *extructas esse ex principiis Magicæ Philosophiæ, hoc est*, inquis, *veræ, & naturalis magiæ, non Goentiæ, & Necromantiæ*. Addis: *Certum esse, Superstitionem in multis per abusum irrepsisse*. Meras tenebras offundis. Ais, *quasdam*, nec dicis, Quas? Ais, *in multis*, nec addis, *in quibus*. Sed Prudens Lector facilè notat, te tergiversari. Nullam dicis *superstitiosam*, sed tantùm, *in multis superstitionem irrepsisse*, idque per ABUSUM, quod etiam confirmas addito versiculo: Sect.5.Gocl. Cha. Aff.

Usus habet laudem, crimen abusus habet.

Eò denique res redit, ut doceas, *Non esse superstitiosas Imagines; sed in quibusdam, utendi modum esse talem*: nempè, *si quis cum superstitione ad malè agendum eas referre velit*, ut loqueris. Et tamen in tua Synarthrosi, te excusare, & terribile illud Anatomes ferrum evadere conaris, dum verba vel tua, vel tuorum *sophorum* ais te *accepisse de quibusdam, non de aliis*. Sed, bone Gocleni, non quæritur, quid jam dicas, sed quid in Tractatu dixeris; neque, quomodo jam explices, sævâ necessitate coactus; sed, quomodo te explicare consentaneum sit, si viri gravis instar, tuis verbis, & scriptis stare velis.

PROB. XIV. Sive aliquas, sive omnes *insanorum Sapientum* tuorum *Imagines* improbes, quæro à te, Cur nusquam auditores tuos monueris, Quænam probandæ, quæ improbandæ essent? Item, Cur non separaveris probas ab improbis? Habebas videlicet omnes eodem loco, eadem dignitate. Scio nullas quicquam pertinere ad tui libri argumentum de Unguento Armario, & Curatione Magnetica; sed si volebas addere ad imprægnandum librum tuum; poteras idem facere, ostensâ *Antithesi* potiùs, quàm *Consensione*; Ex qua aliud consequeris nihil, nisi ut omnes intelligant. Quemadmodum ex tua ipsius Confessione *Characteres* illi ex *Idololatrarum* ANTRIS *evolârunt*; ex eiisdem ANTRIS fœtidam tuam cum UNGUENTO OLLAM emersisse. Nisi ad hanc meam Quæstionem clarè, & accuratè respondeas, (non mihi, sed *Academicis*, ad quorum tribunal te voco) tamquam certum pono, Te ideò nihil horum tuis Auditoribus indicâsse, quòd sentires, ut verba tua sonant, & ego jam Argumentis quatuordecim ostendi, ex ipsâ re petitis.

Porrò alia mihi Argumenta restant, quæ idem probabunt, quod illa: propterea quòd, cùm jam *Ragaelica* sigilla te rejicere fingas ob Impietatem Diabolicam; alia tamen admittere, quæ vel præcedunt, vel sequuntur Quinionis illius deliramenta; quod, inquam, nulla causa erit, cur hæc rejicias, illa admittas. quæ ejusdem impietatis liquidò tenentur. Dubito, an satis intelligas, quid velim. Dico ergo clariùs, & breviùs: Admittis apertè sigilla æquè impia, atque sunt Ragaëlis, & Collegarum: Censendus igitur es, æquè hæc approbare, atq; illa. Hoc deinceps ostendo.

Sectio 5. Gocl. Chaäß.

PROB. XV. Ubi valdè seriò ex tua mente loqueris, ais, *quibusdam individuis, pro singulari complexionis gradu, siderum influxum, & impressionem congenitam; addisq́; sic omnino statuendum esse.* Inspice, sodes, & agnosce. Sed illud simul, quod sequitur pro exemplo: *In Austria Gemelli, solis objectis ad januam corporis lateribus, seras aperiebant. Quod certè,* inquis, *admiratione non caret.* Ita tu ibi. Cæterùm, si historia illa est de *Gemellis*, non fabula, tam hoc Diabolicum est, quàm pleraque deliria *Chaëlica,* quæ jam damnas: itaque frustrà tu illam vim ex *siderum influxu* esse fingis. Dices, meipsum fingere, qui tam audacter hanc sententiam feram. Eamus ad DD. Academicos. Imò eamus ad ipsum D. GOCL. qui de seipso judicet, seipsum damnet, & ut passim in aliis, ita hîc sibi ipsi fiat *Heautontimorumenos.* Agedum, lepida *Synarthrosis*, Parentem tuum excita, & veriore *Magnetismo*, ejus redintegra Articulos. Maximè, inquit. Audite Academici: habetis Reum fatentem. (Fœtentem, mihi calamus scripturiebat, cogitanti, opinor, de olla) ita Professor vester: OMNI CAUSA, & RATIONE NATURALI CARET, *quòd ad Magorum præsentiam,* FORES, *aliave loca* CLAUSA, *repente* PATEFIANT. Gocleni, inspice Judicum Urnam; invenies vel tristem litteram C. vel nigrum THETA. Sed fer magno animo, passus graviora.

PROB. XVI. Multa ponis, quæ dicis, *In* EXPERIMENTIS *esse.* In iis, etiam illud est, *Ranarum oculos, ante Solis ortum erutos,* VIVIS *illis in* AQUAM DIMISSIS, *collo alligatos, pellere tertianas febres.* Quid Ranarum oculi circa febres possint, equidem nescio: potest esse, ut pellant. Cæterùm, ut de tempore *ante Solis ortum,* nihil dicam; certo certius est, nihil quicquam ad medicinam corpori applicatam, pertinere, an miseræ Ranæ *vivæ* sint, an *mortuæ*, in *aqua cæcæ natent*, an *videntes igne assentur.* Oculi corpori conjuncti, aliquid fortè possunt: sed nec Ranæ, nec aliud quicquam *Separatum*, titivillitium ad sanitatem confert. Itaque illa *in aquam dimissio,* vel ridicula est; vel si quid videtur efficere, ex *Diabolico pacto* efficit: id est, non ipsa agit, sed ejus vice Cacodæmon. Infrà id clarius fiet, cùm *Unguenti* tui vanitatem excutiam. Nam illud huic simile est.

PROB. XVII. Similem vim ad easdem *Tertianas* pellendas, tribuis *unguium* PRÆSEGMINIBUS *in pedibus & manibus febricitantis,* (sic tu loqueris) *si* CANCRI VIVI *dorso superligentur, cumq́; eo in* AQUAM FLUENTEM *projiciantur.* Gerræ germanæ, lyræ, lyræ. *Præsegmina unguium* semel decisa, nihil refert, quò deveniant, urantur, an mergantur: à Cancro, an à Ciconia; Neptuno, an Vulcano consecrentur. Nihil, inquam, hoc ad corporis vel incolumitatem, vel morbum. Effectio, quæ vanè expectatur, vel frustrà expectatur, vel à Deceptore spiritu est.

PROB. XVIII. Similis vanitas est, cujus virum cordatum, & maximè Medicum, & Medicinæ Professorem, pudere oportebat, quòd nugaris,

Talpa

Talpæ VIVENTIS *dentem odontalgiam sanare contactu.* Tolle illud VIVENTIS. Nihil hoc ad rem, *dente* semel evulso. *Sectio 5. Gocl. Cha. Aß.*

PROB. XIX. Evadis *Ariolus, Theangelide*, inquis, *in Libano Syriæ, Babylone, & Susis Persidis proveniente, potâ, homines* DIVINARE. Hoc, si est, *Diabolicum* esse, ipse fateris eodem Tractatu, iterum te judica, & condemna. Audite, Academici: *His Magiæ speciebus imbuti* (Goëtiæ, & Necromantiæ) *multa faciunt, quæ* NULLO MODO *per causas & media naturalia effici potuerint, sed necessariò referri debent ad substantiam aliquam* INCORPOREAM, *quæ occultè cum ipsis Magis operatur.* Mox pro exemplo addis: *Manifestant etiam quædam occultissima, & quæ humanâ eis ratione nota esse non potuerunt.* Lepidus es, qui quod paulò antè cum plausu docuisti, ut naturale; pòst à *substantia* INCORPOREA, id est, à *Diabolo operante* esse ais. Quia te novi in re simili, suspicor futurum, ut dicas, priore loco, non tuam esse, sed Plinii doctrinam de *Theangelide.* Sed vicissim à me audies, tuam meritò censeri, quam ponis, nec refutas, aut damnas; & multò magis, quòd cohæret cum illo tuo. *In* EXPERIMENTIS *est*, quòd paulò antè tibi objeci §. 16. Item, quòd dicis COMPERTUM esse. Denique quòd mox subjungis: *Non prætereunda hîc, quæ Plinius recenset, de mira quarundam herbarum* EFFICIENTIA, *&* VIRTUTE. Harum herbarum tertiam ponis *Theangeliden* tuam cum sua *Divinatione.* Videte, prudentes *Academici*, an non sit Goclenius, quod dixi, ARIOLUS.

PROB. XX. Videte item, an non sit IDOLOLATRA, dum scribit, *herbam in capite* STATUÆ *natam, alligatam in lino ruffo, capitis dolores sedare confestim.* Dic enim Gocleni, si fortè certa ligna, aut lapides ejusmodi herbam producere possunt, quæ Cephalalgiam mitiget, quid refert, *statua* sit, an *truncus*? Si Catholicus quispiam hoc doceret, quid non clamares tu, & tui Symmystæ! At tu interea succinis illi *hortorum* infami *Deo* canent:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Quum faber incertus, scamnum, faceretnè Priapum,
Maluit esse deum, deus inde ego, furum, aviumq;
Maxima formido ————

Tu adderes, Et dolorum capitis POTENS AVERRUNCUS. Sed vide, ne tuus ille *ficulnus deus* tua veneficia prodat, & videat, ut apud eundem Vatem, *Canidiæ, & Saganæ.*

PROB. XXI. Aliam *herbam* nobis proponis *Æthiopidem*, cujus TACTU ais CLAUSA OMNIA APERIRI. Hanc *herbam*, ubi colliges, nisi in horto ejusdem *Priapi*, qui graviter queritur, se prohibere non posse vetulas illas magistras tuas.

Quin ossa legant, HERBASQUE NOCENTES.

Sect.5. Gocl. Cha. Ass. *Herbas* tu hic studiosè colligis. *Ossa*, si non colligis, at, quod inhumanius, *frangis*, ut inde *vesnam concretam* educas. Scis, quid præcipias, de CALVARIA FURIS SUSPENSI, *& in aëre derelicti*. Tu enim certè non *relinquis*. Sed hoc aliàs, De *herba* tua scire velim cur majore vi naturali polleat ad *Clausa aperienda* quàm Magi, quibus id *naturaliter* competere posse negas, ut indicavi §. 15.

PROB. XXII. Repetis tamen simile delirium dicisque, *Æmilianum Scipionem Carthaginis patefecisse portas peculiari* HERBA.

PROB. XXIII. Hæc omnia, quæ præmisi, te seriò approbare, & maxima in veneratione habere, significas illis verbis *Magnetico* auro scribendis: *& quis occulta naturæ insignia omnia attigerit? Quis verò causas hîc explicare unquam valuit? aut quæ saltem fuit conjectura, omnia hæc experiundi?* Deinde raptus in sanctam admirationem, concludis per Patheticum Epiphonema: *Verè Numinis cujusdam muneri hanc inventionem acceptam ferunt naturæ prudentes*. Tu videlicet inter illos es.

PROB. XXIV. Proximè subjungis. *Atqui ex hoc fundamento pendent quoq; Physicæ Ligaturæ*. & infrà: *Sic in Sympathiis occulti aliquid venerari licebit, quod ad aliquod malum amovendum vel expellendum vires habeat socias. Socius* iste *occultus*, quem *veneraris*, Gocleni, quis est alius, nisi NUMEN illud QUODDAM, quod paulò antè memorabas? Sed quodnam illud? *Princeps* nempè TENEBRARUM *harum*, atque ita occultus. Si doles, me revelare, tantò magis *filius es* TENEBRARUM.

PROB. XXV. *Divinum* aliquid affers. *Mirabilis est Sympathia illa inter metalla, &* DIVINAM VIRGULAM, *seu bifidum illum surculum ex corylo decisum, quo metalli venas auri argentiq; feraces explorant. Frustrà certè quis hic ad manifestas qualitates confugit*. Tecum planè sentio, quod ad hæc quidem ultima verba. Ne *occultæ* quidem *Qualitates* ullæ sunt, quæ hîc aliquid præstent. Est tamen aliquid *occultum*, quod tu in tua Synarthrosi MYSTERIUM vocas: ego clariùs, DIABOLORUM. Sed hoc, quia non tuum modò, sed multorum est dogma; & quia longioris, minimè tamen difficilis, tractationis est, infrà discutiam. Academici interim benignè expectare dignabuntur. Sed nihil opus expectare, aut calculum suspendere in eo, quod sequitur, utpote liquidæ impietatis.

PROB. XXVI. *Jaspis* SACRIFICIA DIIS *reddit accepta*. Quæro, si hæc *idololatria* non est, quænam sit, vel unquam fuerit? Audio Goclenium meum respondentem, se pro hac sententia attulisse *Orpheum, Theophrastum, & Proclum*. Audio. Sed ita attulit, ut *suam* eorum authoritate sententiam confirmare voluerit. Legat, qui volet, aliud non extorquebit, nisi utatur *Lexico vocum, & Sensuum Gocleniorum*.

PROB.

PROB. XXVII. *Ad Mysterium tuum explicandum non parùm lucis afferre ais, & veritatis & in* EXPERIMENTIS NON FALLACIBUS *esse, operationem aliquam esse, & virtutem annulorum, confectorum ex auro, argento, aurichalco, aut quovis metallo*, STELLÆ, *cujus quis virtutem sibi conciliare cupit*, DEDICATO. Hîc iterum aperta IDOLOLATRIA est, aut ede *Lexicon*. Sect. 5. Gocl. Cha. Ast.

PROB. XXVIII. Ut historiam authenticam scribis, & credere te, tamquam magnum *Mysterium*, significas, *Gygis fabulam*, qui *diabolico Annulo* usus, INVISIBILEM se reddebat. Dico audacter, *Diabolicum* fuisse *Annulum*. Nam, si res ipsa non loqueretur, tu ipse loqueris in Synarthr. ubi clarè ais, DÆMONIS ARTE *Gygen se* INVISIBILEM *reddidisse*. Quæso, DD. Academici, hîc vigiles, attenti, æqui estote. Quod non dubito. Si autem auctarium vultis, meus *Goclenius* eundem *Gygis Annulum*, in Synarthrosi vocat INCANTATUM.

PROB. XXIX. Non modò ex tua sententia loqueris, sed extraordinariam pietatem ostendis, dum ais, *E mirabilibus causis naturalibusq; effectis mirabilem* DEI *potentiam agnoscendam & prædicandam*. Hæc rectè, & piè, si talia *mirabilia effecta* attulisses, à *Natura* profecta. Sed tu ejusmodi proponis, quæ faciunt, ut Dei *Patientiam* potiùs miremur (etsi Potentiam non negamus) qui te tuique similes Impostores tam benignè ferat. Nam illi pietati tuæ statim subjungis: *His ita præstratis, pro vita salubriter producenda*, HONORIBUSQUE, *ac* DIVITIIS AUGMENTANDIS, JOVIS *sigillum, atque* IMAGO *fabricatur, sculpiturq;*. Dico iterum, execrandam esse IDOLOLATRIAM, quantumcunque eam *larvâ causæ & effecti* NATURALIS inducas. Quod ut certò Academici cæterique Lectores intelligant, atque adeò manu tangant, attendant oportet, quid *Goclenius* per JOVEM, ejusq; Imaginem, intelligat. JOVEM *in natura* scimus esse *Stellam ex Errantibus unam*. Unde ejus *Imago*, *sive Sigillum*, non aliter pingi, fingive potest, quàm vel *Saturni*, vel *Veneris*, vel *Mercurii*. At *Goclenius Iconolatra* egregius, *Deum*, DEUM, inquam, inde facit, vel à Gentilium stultitiâ factum, accipit, & adorat. Negas, Gocleni? nam video te & frontem, & nares corrugare. Probo in Margine ponis hæc verba: PLANETARUM SCULPTURÆ; & in Contextu, initio à *Saturno*, facto, doces, quemadmodum *Planetæ sculpendi*. Eo videlicet consilio, ut, cùm tot *sculpturas* hactenus præscripsisses, Lector ne dubitaret, quemadmodum exprimendæ essent. Jam de *Jovis sigillo ita narras*: JOVIS *Imago est hominis sedentis in Solio virgam tenentis unâ; alterâ verò pilam; seu tenentis* IDOLUM *Cancrum, vel Piscem, & ante pedes habentis* AQUILAM.

Sect.5.Gocl. Cha.Ast. Hæc tu non improbas. Subjungis tamen: *sed apud* MAGIÆ *Doctores aliter figuratur. Hominis enim figuram sculpunt, cum* ARIETINO *capite, rugosis calcaneis, subtili pectore, quæ si lapidi, maximè Krabati insculpatur, gestantem reddit* FORTUNATUM, *amabilem*, RELIGIOSISQUE *gratum, extollitque ad honores, & dignitates.* Apage MAGIÆ DOCTOR, cum tuo CORNUTO DEO; apage cum FORTUNA, & RELIGIOSIS ac *religione* tua impiissima. Cùm Naturalem causam & effectum hîc fallaciter obtendas, ubi in *Jove*, id est, *Stella naturali*, habes Arietis caput, cum cæteris tuis *Diabolicis nugis*? Faciliùs credam, tibi hoc caput esse, quàm Stellæ. *Academici*, iterum hîc vestram æquitatem expecto.

PROB. XXX. Eâdem vestrâ æquitate, videbitis, & judicabitis, quæ Rodolphus vester habet. Ubi ponitur Imago MARTIS contra TIMIDITATEM, *& Pusillanimitatem*, & VENERIS *ad* LÆTITIAM & VENUSTATEM *comparandam.* Porrò *Veneris Imago. Mulier est, cum magna veste, & stola, manu tenens* LAURUM, *&* POMA, FLORESQUE. *Mars* verò *figuratur vel cum vexillo in manu, vel cum lancea, aut alio instrumento bellico*: SEMPER *tamen* ARMATUS *& aliquando* EQUESTER. Quid hæ figuræ commune habent cum *Stellis*? Ab Ethnicis sunt, cum quibus noster Goclenius est *Polemolatria*, &, proh pudor! PORNOLATRA.

PROB. XXXI. Sed hæc jam fœtent. Addamus ad extremum, quod Goclenius Extremum fecit prioris partis sui *Tractatus Unguinifici. Ad Ollam* suam venturus, ait. HACTENUS *de admirandarum, & occultarum in* NATURA *actionum principiis & causis. Reliquum nunc est, ut suprà propositæ Quæstionis explicationem ex commemoratis istis* PRINCIPIIS DEDUCAMUS. Certè qui sic loquitur, si quid sapio, significat, se omnia illa, quæ præmisit, (& inter cætera *Figuras, Imagines, Characteres, Sigilla*) ex animi sui sententiâ posuisse: sic ut in iis, tamquam firmis fundamentis, *Prægnantis* quoque *Ollæ* firmitudo consistat.

Atque ita habetis, Doctissimi Academici, ejus, quod ostendere institueram, PROBATIONEM DECADES TRES, & cum Auctario. Ex quibus omnibus liquidò concluditur, Quod hujus Sectionis initio posui. Quicquid agat, quicquid, pudore victus dicat, aut fingat, quam se cumque in partem vertat, evadere non posse, quin sit, & censeri debeat.

GOCLENIUS CHARACTERUM DIABOLICORUM SERIUS ASSERTOR, ET PRO ARIS, ET FOCIS PROPUGNATOR.

SECTIO

Sectio 6. Gocl. Cha. Aſ.

SECTIO IV.
Sigillorum Gocleniacorum ruina.

De impiis *Sigillis*, *Imaginibus*, *Characteribus*, aut quocunque alio nomine cenſeantur; adhuc tractata ſunt capita duo. Alterum, quædam ex illis jam à *Goclenio* damnari in *Synarthroſi*, quod magna mea cum voluptate illi extorſit *Anatome*. Alterum, fruſtrà eum tergiverſari, & conari perſuadere, ſe nunquam ea approbâſſe, cùm plus triginta argumentis manifeſtò reus teneatur. Reſtat jam tertium, ut, quando bonus *Rodolphus*, quibusdam palàm abdicatis, alia tamen defendere conatur, jam oſtendam, fruſtrà eum laborare; & hæc quoque non minùs quàm illa, vel *Diabolica* eſſe, vel certè *nugatoria*, & ipſâ vanitate vaniora.

Ac ſi hoc ſolum quæreretur, ut oſtenderem, cujusmodicunque illa ſint in ſeſe, à *Goclenio* tamen defendi non poſſe, ſi ſuis principiis ſtare velit; rem factam jam haberemus. Nam proximâ Sectione paſſim (maximè §.27.&29.) apertè probatum eſt, plerisque ſuis *Characteribus* ſine execranda *Superſtitione*, atque adeò *Idololatria*, non uti. Sed ego ampliùs hâc occaſione cogito. Cùm enim videam hanc veluti ſtrumam & peſtem in plures, etiam in ſpeciem doctos, & prudentes, vulgari; quantum aſſequi potero, dabo operam, liquidò ut perſpiciant, quantum à vero aberrent, etiam qui ſine omni mala malitia, ejusmodi *Sigillis* vel utuntur, vel quoquo modo fidem adhibent. Ordinis autem, & Methodi alicujus ſervandæ gratiâ, priùs *Authoritate*, tum deinde *Rationibus* ea explodam: ut ſic, utroque Tibicine, quo niti videri poterant, ruente, ipſa quoque ruant, & omnium hominum non omninò vecordium, pedibus conculcentur. Voluminis juſti, nec modici, res ſit, ſi quis fuſè rem iſtam tractare aggrediatur: ſed ego, pro meo inſtituto, & more, quàm potero breviſſimo compendio, eam expediam. Quod igitur primùm ſpectat ad

AUTHORITATEM.

Sigilla iſta ſemper damnârunt, & damnant viri quique graviſſimi, & Theologiæ & Philoſophiæ peritiſſimi, tamquam *Cacodæmone* authore, ex Orco emerſa, in Orbem invecta. Antequam eos produco, ne meus Goclenius tenebras offundat, clarè ſignifico, me loqui, non modò de *Sigillis* alicujus Chaëlis, & ſimilium, quæ jam Goclenius mecum damnat: ſed omninò de omnibus *Goclenianis*, quæ ille quandoque vocat *Veras*, & *Phyſicas Signaturas*, quandoque *Imagines ſub certis Aſtris ſculptas*, aliàs, *Imagines, ex Magicæ Philoſophiæ, hoc eſt, Veræ, & Naturalis Magiæ principiis extructas.* Authorum igitur, qui has damnant, & ut Diaboli inventa execrantur, agmen ducat.

Sectio 6. Sig. Gocl. ruina.

1. S. AUGUSTINUS, magnum Ecclesiæ lumen. Hic lib. decimo de Civit. DEI, cap. undecimo, contra *Porphyrium Platonicum* disputans, post multa, etiam hujus impietatis eum reum agit, & ego, ex eo, meum, Goclenium, Porphyrii imitatorem. *Quod ei videtur*, inquit Augustinus, (nempe Porphyrio) *Herbis &* LAPIDIBUS, *& Animantibus, & sonis certis quibusdam, ac vocibus, ac* FIGURATIONIBUS, *atque figmentis: quibusdam etiam observatis in* COELI CONVERSIONE MOTIBUS SIDERUM, *potestates idoneas variis* EFFECTIBUS EXEQUENDIS: TOTUM *hoc*, (arrige aures, Gocleni) *ad eosdem ipsos* DÆMONES pertinet, LUDIFICATORES ANIMARUM SIBIMET SUARUM, *& voluptaria sibi ludibria de hominum erroribus exhibentes.* Et eodem cap. extremo, easdem nugas vocat MALIGNORUM DÆMONUM LUDIBRIA, *&* SEDUCTORIA IMPEDIMENTA, *quæ* VERA PIETATE CAVENDA *sint.* Hæc vera pietas non est tua, Gocleni, qui in tuo Unguentario libro *mirabilem Dei potentiam in his Dæmonum Ludibriis agnosci vis, & prædicari.* Hæc ex Augistino, *Latinæ* Ecclesiæ sidere fulgidissimo. At in *Græca* simili jubare lucet.

2. S. CHRYSOSTOMUS, qui & simili spiritu tuam istam detestatur impietatem. Audi illum hom. 8. in Epist. ad Coloss. contra te & tui similes tonantem: SUPERSTITIOSA *illa, quæ ægrotis applicantur, etiamsi mille modis philosophentur, qui quæstum ex ipsis faciunt*, IDOLOLATRIAM *tamen sapiunt.* Tum se *antiquum Catholicum* ostendens, procul à Calvinianis & Goclenianis hæresibus, addit: FIDELIS? *Crucis signaculo utere. Dic: Hoc duntaxat habeo scutum, hoc solum pharmacum, aliud ignoro.* Infrà: *Ista sunt insidiæ* DIABOLICÆ *ad occulendam* SEDUCTIONEM, *& ad porrigendum sub melle, venenosum pharmacum.* Iterum paulò pòst: *Et crux quidem Christi dehonestatur; Elementorum verò* (audi Unguentarie Characteristice) SUPERSTITIOSI CHARACTERES *præferuntur.* Hæc, quoniam Græca ad manum nō erant, descripta sunt ex interpretatione Wolfgangi Musculi, Editione Basileensi, anni 1539. quæ tibi suspecta esse non potest. Tertio jam loco audiatur.

3. S. THOMAS DE AQUINO, Doctor Angelicus, & Theologorum Scholasticorum illustrissimus Antesignanus, qui 2. 2, q. 96. a. 2. hanc vanitatem, tum S. Augustini loco, paulò antè à me, producto, tum etiam validissimâ ratione refutat, concluditque verbis istis, quæ sufficiunt occludendo blasphemo ori Impostorum, nisi tam vastâ impietate patêret, ut & *Ponant in* COELUM OS *suum, & lingua eorum transeat in terra* (Ps. 72. v. 9.) his inquam, sententiam concludit. *Unde etiam* IMAGINES, *quas* ASTRONOMICAS *vocant, ex operatione* DÆMONUM *habent effectum, cujus signum est, quod necesse est, eis inscribi quosdam* CHARACTERES, *qui naturaliter ad nihil operantur. Non enim est figura actionis* NATURALIS *principium.* Satin' hoc clarè contra te? Sed audi, quod sequitur, ut intelli-

telli-

telligas, quid distent istæ Ragaëlicis. Pergit: *Sed in hoc distant* Astronomicæ Imagines à *Necromanticis*, *quòd in Necromanticis fiunt expressæ invocationes, & præstigiæ quædam. Unde pertinent ad expressa pacta cum Dæmonibus inita. Sed in aliis Imaginibus, sunt quædam Tacita Pacta, per quædam Figurarum seu* CHARACTERUM SIGNA. Ita D. Thom. cum B. Augustin. suavis est *Rodolphus* meus, qui utrumque citans, ubi *Taciti Pacti* mentione se fodicari sensit, magna scilicet cum reverentia respondit; *Falsum, imò* FALSISSIMUM. Et ut majorem authoritatem minori opponeret, RECTIUS, inquit, *Rabbi* MOSES *ille Ægyptius lib. 1.* PERPLEXORUM Tibi relinquimus *Perplexa*, Gocleni, quæ Hereticorum, & Magorum, & *Judæorum* sunt: nos aperta, plana, Catholica sequimur. Ut à Græco Patre ad D. Thomam; ita à D. Thoma ad Græcum Patrem redeamus, & à recentiore ad antiquiorem. *Sectio 6. Sig. Gocl. ruina.*

4. S. BASILIUM *Magnum*. Sanè *Magnum*, & Eruditione, & Sanctitate. Qui, dum de Sideribus disputat, (Hom. 6. in Hexaëm.) & interpretatur, quemadmodum ex divina jussione sint in *Signa*, indignabundus in vanitates istas *Astrologicas & Goclen.* excurrit. Lepidè autem eos irridet, qui cùm exactissimè singula temporis momenta considerent in hominum Nativitate, non attendunt tamen, dum quis nascitur, momenta propè infinita præterire. Unde, *Cùm fieri non possit,* (inquit hic Sanctus) *ut tempus illud exactissimè quisquam attingat; variationeq; vel brevissimi temporis fiat, ut totâ viâ penitùs aberretur; deridendi profectò non mediocriter esse videntur, tam ii, qui studio hujus indulserūt artis, quàm in ratione rerum,* NUSQUAM ESSE CONSTAT, *quàm ii qui biantes ab illorum ore pendent intenti.* Dicat quis mihi: Quid hæc contra *Characteres Goclenii?* Multum. Nam cùm tam seriò, præcipiat, *certis horis* eos sculpi non animadvertit, dum sculpitur, *horam* non expectare, sed fluere, & prorsus effluere. Sed tamen si quid clariùs & magis propriè ad *Characteres* quæris ab hoc eodem Patre, Accipe Homiliâ in Ps. 45. *Unus tibi pusio*, ita, *ægrotat? quaquaversum circumfers oculos, requirens incantatorem, aut certè eum qui* SUPERVACUOS, VANOSQUE CHARACTERES *seu* FIGURAS, *puerorum innocentiū collo circumliget.* A *Patribus* transeamus ad JURA, quamquam nec sic à *Patribus* abimus, sed dum *Patres in Jure* loquuntur, geminatâ authoritate tantò magis res confirmatur. Audi igitur, quàm clarè simul, & graviter

5. S. ISIDORUS Causâ 26. q. 5. *Characteristicam* istam impietatem damnet. Cùm quædā præmisisset de vario Magorum Maleficorum genere, ut de *Necromanticis, & Hydromanticis,* subjungit: *Ad hæc omnia supradicta pertinent* LIGATURÆ *execrabilium remediorum, quæ ars non commendat Medicorum: seu in Præcantationibus, seu in* CHARACTERIBUS *suspendēdis, atq; ligandis. In quibus omnibus ars* DÆMONUM *est quædam pestifera Societate hominum &* ANGELORUM MALORUM, *exorta. Unde hæc cuncta vitanda sunt* CHRISTIANO *& omni penitùs* EXECRATIONE *repudianda atq; damnanda.* Transeo jam, à Corpore *Juris* ad Corpus

6. THEO-

Sectio 5. Gocl. Cha. Aß.

6. THEOLOGICÆ FACULTATIS PARISIENSIS. Extant hujus damnatione confixi, *Articuli* ad *Superstitiones Diabolicas* pertinentes, quorum 21. sic sonat: *Quod* IMAGINES *de ære, plumbo, vel auro, de cera alba, vel rubea, vel alia materia, baptizatæ, exorcizatæ, & consecratæ, seu potiùs execratæ, secundùm prædictas artes, & sub* CERTIS DIEBUS, *habent virtutes mirabiles, quæ in libris talium artium recitantur.* Ita *Articulus*. Sequitur, *Censura*, paucis, sed gravibus, & claris verbis concepta. ERROR *in* FIDE *& Philosophia* NATURALI, *&* ASTRONOMIA VERA. Ne tibi hîc plaude Gocleni, quòd neq; *Baptismum*, neque *Exorcismum*, neque *Consecrationem*, aut *Execrationem* adhibeas. Nam, ut taceam, quod satis *Execrationis* est, *Metalla* STELLIS DEDICARE, satis apparet, eo ipso, quòd *Errorem in Philosophia* esse aiunt, indicare voluisse, nullum posse esse effectum NATURALEM ab hisce *Imaginibus*, non modò ratione *Exorcismi*, *aut Consecrationis*; sed nec ratione IMAGINIS aut *Characteris*, nec ratione CERTORUM DIERUM, aut ASTRORUM: quod tamen totum Goclenianum est. Esse autem in his *Tacitum cum Dæmone* PACTUM, docent iidem Parisienses, articulo 3. *Intendimus*, inquiunt *esse* PACTUM IMPLICITUM *in omni observatione superstitiosa, cujus effectus non debet à* DEO, *vel* NATURA *rationabiliter expectari.* Hæc illi, anno 1398. die 19. Septembris. Cum his Parisiensibus Theologis, vulgò sentiunt reliqui omnes vel *Theologi, vel Philosophi Catholici*, qui hoc argumentum attigerunt. Hos brevitatis causâ nominabo tantùm; neque omnes, sed eos, qui rem videntur tractâsse accuratiùs; asscriptis etiam librorum locis.

7. THEOLOGI, & PHILOSOPHI sunt, THOMAS SANCHESIUS libr. 2. in Decalogum, cap. 40. numero 50. MARTINUS DELRIO lib. I. Disquisitionum Magicarum cap. 3. qu. 1. & cap. 4. q. 1. & 2. GREGORIUS DE VALENTIA in Secunda secundæ, Disput. 6. quæst. 13. puncto 2. FRANCISCUS SVAREZ Tom. 1. de Religione, libr. 2. de Superstitione cap. 15. numer. 18. & seqq. LEONARDUS LESSIUS lib. 2. de Just. & Jure, cap. 43. Dub. 10. num. 63. & cap. 44. Dub. 2. num. 12.

8. JURISPERITI verò tractant, & damnant eosdem damnatos *Characteres* in Summis suis, & ferè, verbo, *Superstitio*. Ut ANGELUS num. 2. SYLVESTER quæst. 10. TABIENA quæst. ultim. FUMUS in Armilla, numer. ultim.

Sed hos, & similes, meus *Goclenius* non magni videlicet faciet. At ego non soli *Goclenio* hæc scribo. Non deerunt fortè alii, qui tales viros non putent insuper habendos. Sed si *Goclenius* rationem aliquam habere velit Eruditionis, atque etiam Pietatis, & *Religionis*, alios habeo, ipsi aliquantò similiores, quorum extra ordinem, honoris ergo Ductor sit.

9. CALVINUS, cujus opinionem & nigrum in *Goslenii, pulli sui*, caput,

calcu-

calculum, ignorabam equidem, fateor: sed ingenuitati ipsius *Goclenii* debeo acceptum, quod didici. Cui eo nomine & gratiam habeo, & lubens referam, si liceat. Eò etiam magis, quòd non solùm *Calvinum* nobis suggerit, sed pluribus ejusdem sanctitatis Collegis stipatum. In Synarthrosi *Goclenii* verba sunt ad verbum. Ut *verùm dicam*, CALVINUS *ipse cum* PLURIBUS ORTHODOXIS, *Curationem illam vulnerum Magneticam*, *tamquam* NON NATURALEM, *improbat*, *Magneticæ sc. istius Philosophiæ* ÆQUE IGNARUS, *ac D. Robertus*. Iterum atque iterum gratiam habeo, *D. Gocleni*, & majorem haberem, si & *plures* illos *Orthodoxos* nominâsses, & *Calvini* locum indicâsses. Sed dices, me præproperè hoc *Calvini* & *Orthodoxorum* tuorum testimonio abuti, cùm non contra *Characteres*, sed contra olidam *Unguenti Ollam* militet. Imò, mi *Gocleni*, etiam *Characterum* Præstigias jugulat. Non enim negabis, efficaciam, & effectionem *Characterum* esse *Magneticam*, & à Philosophia, non communi, & *Sensuali*, (uti tu vocas) explicari, sed à *Magnetica*. Atqui tua assertio est, *Calvinum, cum pluribus Orthodoxis* illis tuis, MAGNETICÆ *Philosophiæ* prorsus esse *ignarum*. Dico *prorsus*, quia *æquè ignorant*, ac miser ROBERTUS, quem tu passim pro *Bœotico* pecore traducis. Cæterùm è *pluribus orthodoxis*, quos memoras, attingam fortè aliquos, dum sequentes commemoro. *Calvinum* ergo sequatur. Sectio 5. Gocl. Cha. Ast.

10. BODINUS, qui, cùm ipse erroribus scateat, tamen, lumine naturæ, *Characterum* usum non modò pro vano habuit, sed & pro Diabolico: palàm etiam questus, Principes Christianos quandoque iis fidem habere (lib. 2. Dæmonom. c. 1.) Verba ejus nulla pono, quod Exemplar Latinum nullum sit ad manum, sed solùm Germanicum, Argentinæ expressum à Jobino anno 1586.

JOANNES GEORGIUS GODELMANNUS Jurisconsultus bene doctus, sed hæreticus, & Catholicæ Religionis calumniator acerbus, libr. 1. cap. 8. variè, & multis hanc insaniam falsam exagitat. Quid dicam de

11. JOANNE ERNESTO BURGGRAVIO, *Neost. Palatino*? Qui etsi hæreticus, & Diabolicæ Magiæ compertus, atque adeò *Characterum Dæmoniacorum* assertor; tamen quo tu, *Gocleni*, modo, iis uteris, eos damnat in suo *Achille panoplo*, tamquam à *Dæmonibus Ludificatoribus* profectos.

MARCUS ANTONIUS ZIMARA, & ipse hæreticus, cordatum planè hac in re *Anti-Goclenium* exhibet in *Tractatu* suo *Magico*. Nam cap. 6. *Corpora*, inquit, *sive Figuræ cœlestes, nullum habent influxum, seu efficaciam efficiendi, & operandi in Figuras &* CHARACTERES *à Magis dispositos*. Unde pòst addit, *Imagines ex Metallo, ad certas Constellationes, fabricatas, vel certo* CHARACTERE, *aut figurâ efformatas sub certis diebus, non habere efficaciam*.

 De-

Sect.6.Sig. Goclenius ruina Denique conclusio ejus est: *Hoc asserere fidei repugnat, blasphemum est, Physica, & Astronomiæ contrariatur.* Similia habet cap. 8. ubi & de *Annulis & Sigillis Magicis* ait, IDOLOLATRICUM *iis cultum intervenire.* Addit denique, *Si quis effectus sequatur, effici* OPE DÆMONUM. Extremo hac in classe loco mihi ponatur.

12. CÆSAR LONGINUS qui cùm vellet inclarescere, nec haberet, opinor, quod suum ederet, alienas quisquilias nuper edidit, quas vocavit *Trinum Magicum.* In iis est etiam *Tractatus Unguentarius* mei Goclenii. Itaque videbatur quasi necessariò de eius doctrina, non nisi cum honore locuturus. Sed longè abest. Nam in Præfatione, cùm dixisset, *Characteres istos, veterum, recentiorum quorundam doctorum virorum encomiis in cœlum sublatos* (in his est & Rodolphus, cui non modica — *pertentant gaudia pectus*, dum

Se quoq; Principibus permixtum agnoscit Achivis) subjungit, *se eorum usum judicare cum periculo esse conjunctum* Scin', quo periculo? *ne non cedant gerentis usui circa* HOSTIS HUMANI *insidias.* Sed jam satis authoritatum. Tempus est, ut veniamus ad

RATIONES,

quas item, quàm brevissimè potero, proponam, neq; omnes, sed & paucas, & optimas. Sit igitur

RATIO PRIMA ex horum *Characterum Auctoribus.* Nam, cùm optimi quique eos damnent, qui tueatur, præter paucos miserè ab aliis seductos, neminem invenias, nisi, quos constet, aliis quoq; in rebus, vel apertè *damnatis Superstitionibus* deditos; vel alioqui morum improbitate insignes. Ut taceam, quòd pleriq; vel *Gentiles*, & manifesti *Idololatræ*: vel Heretici fuerunt, aut sunt etiamnũ. In his facilè primas tenent attoniti illi, & atra bile perciti

PLATONICI, ut PORPHYRIUS, *Jamblichus, Proclus, Psellus.* Ut alios sileam, *Porphyrii* proprium elogium est, IMPIUS. S. Augustinus sæpè hanc illius impietatem arguit. *Bodinus*, nec ipse admodum pius, eundem vocat *Magistrum in* ARTE DIABOLICA. (Dæmonom. libr. 2. cap. 1.) Reliqui ut plurimum toti sunt in deliriis circa DÆMONES bonos, & malos; nempe à MALIS decepti. Jam ex Recentioribus, quid magis vel impium, vel delirum.

14. PARACELSO? qui his Characteribus, ut aliis impietatibus, scatet undiq;. Sed de hoc oportuniùs & pluribùs infrà, ubi de Unguento Martiali.

FAUST, (quem vulgo *Doctorem* Faust vocant, & erat verè impietatis Doctor) dedecus Gentis suæ, & tot animarum Prædo, *Characteribus* totus erat intentus, ut narrat vitæ Author, Francofurti à Spies excusus.

CROLLIUS in sua *Basilica*, ut aliis in impietatibus, ita in hac, *Paracelsi* est indivisus *Achates.* Ante hunc fuit

AGRIP-

Agrippa, qui Occultam, id est, *Diabolicam Philosophiam* scripsit: nec oblitus est *Characteristicæ insaniæ*. Unde hauserit, si quis dubitet, cogitet Nigrum *illum* Camen, qui ei assiduus erat congerro. *Sectio 6. Sig. Gocl. ruina.*

Arbatel, (quicquid id est hominis, aut monstri) in Tartareos suos *Aphorismos* (Aph. 17.) Goclenianos *Characteres* retulit. Qui de hujus impietate dubitat, videat præclara illa Aphor. 24. 44. quæ mihi non lubet propalare, cùm potiùs æterno silentio damnanda sint. Redit jam

Joannes Ernestus Burggravius antea productus contra *Goclenium*, nunc pro illo: nec tamen pro illo. *Characteres* quosdam rejicit, uti diximus, & rectè; sed quosdam probat, nec rectè. (Panoplo, nec tamen pro Goclenio, quia non ab *Astris* virtutem iis attribuit, sed à Mentali *impressione*, & Intellectuali Signatura, *quæ operatrix*, inquit, *est in Characterem Ideis virtus*, & postea addit vim esse ab Impressione, & Phantasia (ô planè Phantasticum Philosophum!) *quæ est in eo, qui* Fidit *istis* Lineamentis. Satis clarè. Ut & alia multa in eodem libro; & alio execrando Codice, cui *Biolychnium* nomen fecit. De quo utroque scripto illud certò dici potest, aliquot seculis non prodiisse doctrinam, quæ magis

Digna, Tardipedi deo dicari
Infelicibus ustulanda lignis.

Sed infrà iterum nobis memorabitur *hic Ernestus*. Plures produci possent: sed omnium instar sint

15. Fraterculi illi, qui se Roseæ Crucis vocant, quorum Parens FR. CR. inter alia scilicet admiranda, etiam Mundum Minutum *omnibus motibus Magno respondentem fabricatus est*, atque adeò rerum Præteritarum, Præsentium, & Futurarum *compendium*. Ita *Fama* hujus sanctæ *Fraternitatis*. Hi demum *Characteribus* utuntur, Gocleni. Scis, quam efficaciter? In *Antro* illo, in quo *Hyperdiabolici* illius Necromantici sepulchrum, post centum viginti annos, inventum referunt, *Fornix, etsi à Sole nunquam illustrabatur, clarè tamen splendebat ab* Alio Sole, *qui id à Sole didicerat, fixusque erat in centro ipsius fornicis.* Quid simile vel *Judæorum Talmud*, vel *Alcoranus Turcarum*? Sed alia habent, quæ ipse Sol meritò aversetur, ac ideo illis suum *Infernalem Solem* relinquat. Relinquamus & nos, aliâ iterum occasione revisuri.

Jam quis ab his similibusque *Authoribus* (ut primam Rationem concludam) aliquid boni profectum putet? quis non potiùs *superstitiosa* judicet ista de *Characteribus*, dogmata, cùm eorum talem videat in reliquis esse doctrinam? Certè, qui aliquid cordis habet, ut minimum sollicitudinem, & timorem concipiat, ne quid improbitatis sit in eo, quod sic videt probari ab improbis; à probis improbari.

16. Ratio

Sect.9.Gocl. Cha.Aſt.

16. PROBATIO SECUNDA petitur ex *Similitudine* horum *Characterum* cum aliis, quos ipſe Goclenius *Diabolicos* eſſe ultrò concedit. Tales *Ragaëlis*, *Chaëlis*, & aliorum à Goclenio relatorum. Tales, ſub quibus, in *Annulis* PAREDRI alligantur. Ejusmodi *annulum* miſera muliercula Magdalena geſtabat, à Dæmonibus obſeſſa, in quo ſculptum *Noctuæ caput in circulo*, oculato teſte Sebaſt. Michaëlis in Hiſt. admirabili, 18. Jan. 1611. Gocleni, eſt hic tuus *Nycticorax*, quem Salomonis, ſcilicet, authoritate nobis commendat Tractatus tuus. Tales *Hexagoni*, & reliqua *Diabolica ludibria* apud Delrium lib 6. Disquiſ. Magic. cap. 2. ſect. 1. q. 1. Tales, apud Apuleium (lib. 4. de Aſino) CHARACTERES *ignorabiliter litterati*. Tales apud *Jamblichum*, cap. 33. Tales PORTENTOSÆ FIGURÆ *in æris Cyprii lamina* apud S. *Hieronymum* in vita Hilarionis cap. 16. Tales iterum apud *Apuleium* (lib. 11. Aſini) *libri ignorabilibus litteris prænotati. partim* FIGURIS *cujuscemodi animalium*. Denique Diabolus non contentus, *Characteres* ſuos aliis Dei Creaturis inurere, aut inuri curare, etiam *humanis corporibus* inſcribit, eorum, qui per *Veneficii ſolemnem profeſſionem* ſe illi ſingulariter addicunt. Conſtat hoc & *Sagarum* frequenti confeſſione, & experientiâ eorum, quorum interfuit, id explorare. *Tertullianus* libr. de Corona milit. & de Baptiſmo, docet, id à *Cacodæmone* factitari, tamquam Dei *Simia*, qui animas fidelium per *Baptiſma* ſuo *Charactere* ſignat. In hanc ſententiam digna ſunt recitari verba antiquiſſimi Martyris *Hippolyti*, (orat. de conſummatione mundi) ubi de *Diabolo* in Extremis ſæviente ait; *Adducet eos ad adorandum ipſum, ac ſibi obtemperantes* SIGILLO SUO NOTABIT. Idem multò diviniore authoritate nobis affirmat dilectus Diſcipulus (Apoc. 13. 16.) ubi tantam Diaboli CHARAGTOMANIAN indicat, ut *nemini licitum futurum ſit vel emere, vel vendere, niſi qui habuerit* χάραγμα τοῦ θηρίου. Hæc cùm ita ſint, nonne meritò hominibus cordatis, ſi non impetu damnati, ſaltem *ſuſpecti* eſſe debent CHARACTERES illi *Aſtronomici*, quos tuetur *Goclenius*, cùm tam ſimiles ſint illis, quos ipſe juxta nobiscum damnat? Id tantò veriùs cenſeri debet, quòd ipſe *Goclenius* plerosque ſculpi vult ſpecie *Idolorum*, ut Jovis, Martis. Longè aliter eximius ille Regum JOSIAS, qui cùm *abominationes* omnes ſtudioſè tolleret undique, etiam FIGURAS *Idolorum, quæ fuerant in terra Juda, & Jeruſalem, abſtulit.* (4. Reg. cap. 23. v. 24.) Reliquæ deinceps rationes percurrantur breviùs. Sit ergo

17. RATIO TERTIA. *Characteres* iſti *Aſtronomici* vim ea agendi, quæ perſuadere nobis vult *Goclenius*, nec à *ſeipſis* habent, nec ab *Artifice*, nec ab *Aſtris*, nec ab his *omnibus*, aut aliquibus conjunctis: Itaque nusquam habent, nullam habent. Non, inquam, habent à *ſeipſis*, aut ſua natura, quia efficiuntur ex ſola *Compoſitione*, *Ordine*, *Figura*: atqui Goclenii confeſſio, & verba ſunt: (Ung.) *Figura, Numerus, Magnitudo, Situs, continuiq́; Solutio*

nullius

nullius sunt actionis principia. Est hæc sana, communis Philosophia, & qui ali- *Sect. 5. Gocl.* ter sentiat, ejus sit ostendere. Non etiam ab *Artifice*, quia ejusmodi *Chara-* *Cha. Ass.* *cteres* tantùm sunt à *mentis Idea*, quæ foris, & in alienis corporibus nihil agit: nisi fortè sequi velimus *Burgravii* stolidissima deliria, qui in suo *Panoplo*, & vires *Characteribus* inesse vult ab Imaginatione & *Phantasia*; & *Armis* indidem conciliat (ut sic dicam) *Impenetrabilitatem*, & *Inviolabilitatem*. Addidi, Nullam item vim accedere ab ASTRIS, quia id hactenus à *Goclenio* & aliis tantùm asseritur, non etiam probatur: itaque pro *figmento* tantisper habendum est, dum aliter ostendatur: & ego paulò pòst verè *figmentum* esse ostendam. Denique non ab his OMNIBUS hauriri quicquam dixi, aut aliquibus; quia ubi tres ad symposium conveniunt, quorum nemo quicquam habet, tam omnes tres, quàm singulos, esurire necesse est.

18. RATIO QUARTA. Ut de virtute ab *Astris* impressâ pressiùs loquamur, etsi negandum non est, à *Cœlis* & *Stellis* multa imprimi corporibus inferioribus; id tamen non fit pro nostro arbitrio, aut artificio, aut præscripto, sed merè *naturaliter*. Itaque si huic lapidi *Saturni* Stella hoc illudvè illâ aut istâ horâ accedit, nihilo plus mínùsve accedet, ex eo, quod *Characterem* aliquem inscripserim, sculpserim, pinxerim: nihil, inquam, planè ad rem facit, etiamsi CHARACTER esset ipsi STELLÆ quàm simillimus. Qui aliter docet, probet, aut nugator sit, non Philosophus. Explicari id clarissimè potest ex FIGURIS, quas *lapides* ipsi *naturaliter* habent. Fingamus, *Magnetem* vim quandam singularem habere à *Stella Martis*. Quis unquam dixerit, eam vim majorem minoremve esse ex eo, quod *Magnes* ROTUNDUS sit, aut QUADRATUS, aut HEXAGENUS? Quòd si nihil ad rem faciunt figuræ, quas ipsa NATURA dedit; quid ARS humana possit? *Gocleni*, dum ista narras, facis te Astrorum Pædagogum, &, cùm *Doctor* sis, facis te *Pharmacopolam medicamentorum cœlestium*. Addo, Nihilo plus accedere Lapidi virtutis cœlestis à *Venere*, ex eo, quod in Lapide ejus pingatur *Character*; quam accedat eidem Lapidi *vis urendi*, quòd in eo *Ignis* delineetur. Nunquam, aut tu, aut alius quispiam aliter ostendet.

19. RATIO QUINTA. Hactenus ago, ut qui concedat, *Characteres* à *Goclenio*, aut aliis *Charagmatopœis*, simillimos fingi *Astris* cognatis. At longè aliter est. *Astra* intelligamus jam vel stellarum aliquot conjunctionem, quæ *Imaginem* aliquam videatur efficere: vel singulas seorsim *Stellas*. Priore illo modo, quis non videt hominum voluntate, docendi tantùm causâ, & observandi, eas *Imagines* fictas, quas vocamus *Constellationes*? Potes negare, *Gocleni*, cùm primi *Astrologi* certas aliquot Stellas vocarent *Ursam Majorem*, & *Minorem*, æquè potuisse vocare *Equum*, & *Asinum*,

Sect. 7. Arg. Gocl. fol. aut *Vaccam*, & *Vitulum*? Item quod vocârunt *Vulturem*, potuisse vel *Corvi*, vel *Milvi*, appellatione designare? Jamsi posteriore modo sumamus Astra, *Unam*, inquam, aliquam *Stellam*, Quænam ratio fingi potest, cur *Saturni Stellæ*, quoad externam speciem, similis censeatur depictus *Vir senex, falcem tenens, habens barbam non multum pilosam*? (Ung.) Quis dubitat, ejusmodi Imagines ab iis primùm excogitatas, qui ut *Deus* ea *Astra* coluerunt? Quod si nulla est *similitudo*, quid causæ est, cur *Saturni Stella* virtutem suam Lapidi cuipiam facilè, & prolixè communicet, si *senis* illius *figuram* gerat potiùs, quàm si gereret Davidis Goliatum fundà sternentis, aut felis cum improbo musculo parùm gratum ludum ludentis? Explica hæc, sodes, mi Gocleni.

20. RATIO SEXTA. Age, & hoc tibi demus, Magnam esse inter *Cælestes*, & *Terrestres illas Imagines*, Cognationem, Amicitiam, Communicationem. Unde hoc constat? aut unde, quando, per quem primùm constare cœpit? Toties vocas qualitates quasdam OCCULTAS. Certè si quæ *occultæ* sunt, istæ *cælestes* sunt. Quis tibi aut sociennis tuis revelavit? aut quod initium esse potuit hujus cœlestis cognitionis? Nisi *Anatome* te coëgisset tuum illum Athorem vocare PSEUDO-SALOMONEM; jam posses ad SALOMONEM confugere, & ei revelationem factam comminisci.

21. RATIO SEPTIMA. Denique fingamus, illam vim, quam fingis, verè imprimi, ut fingis; cur præterea affingis, eam vim sic impressam, deinceps in Lapide *perseverare*? Ignis lapidem calefecit, aut ferrum etiam candescit. Remoto igni, utrumque ad frigus suum redit. At Saturnus, si eidem Lapidi *Gocleniacam* qualitatem impressit; transeat licèt ejus *hora*, ipse sub terram demergatur, permanet ea *qualitas*, & *Gestantem reddit potentem, cum* CONTINUA *Potestatis* AUGMENTATIONE. Nilne pudet, ô Doctor Magnetice, hujus vanitatis?

Has rationes non invitus patiar examinari à *Goclenio Patre tuo*. Audio enim adhuc vivere, & eum esse, cujus non pauca Philosophica scripta extant, quorum quædam videre mihi contigit. Crede mihi, alius vir est, quàm tu ejus filius. Utitur ille *Methodo*, & *ratione*. Utraque tibi in solidum deest. Non dubito, quin bonus senex cum pudore tuas quisquilias legat. Sed quid faciamus? vetus est illud:

HEROUM FILII NOXÆ.

SECTIO

SECTIO VII.

Goclenii Argumentorum pro Characteribus solutio.

Sect. 7. Argum. Gocl. sol.

VEREOR, ne in hac Sectione *Prævaricator* videar in propria causa, & tibi potiùs dare operam. Nam nulla tu habes *Argumenta*. At ex altera parte, quia valdè ubique tibi plaudis, & hinc inde videri vis habere; ponam *larvas* illas *Argumentorum*, easque detraham, ut sub singulis appareat vera VANITATIS, & INANITATIS species. Ergo, primùm videamus, quid nugeris in Myropolio tuo; tum, quid fingas in Synarthrosi.

1. ARGUMENTUM I. *In Experimentis non fallacibus est, operationem aliquam esse, & virtutem Annulorum.* RESP. *Fallacißima* sunt *Experimenta.* Nam aut nihil illi *Annuli* præstant, vel præstant OPE DÆMONUM, ut paullò antè audisti dictum à Marco Antonio Zimara, & legeras in mea Anatome §.42. Cæterùm, si durum tibi videtur, ita præcisè negare, memineris, cùm tantùm ponis tua, nec probas maximè tam absurda, & impia, aliâ solutione opus non esse.

2. ARGUMENTUM II. *Non* OMNIA VANA *esse elicitur, quæ de Cura Characteristica. Non, inquam, planè vana.* RESPONDEO. Omninò, omninò, Planè, planè *vana*, imò vanissima, vel aliter proba. Tibi affirmanti tantum, non credimus. Tantam fidem non meretur Doctor CHARACTERISTICUS. Tu ipse, cum dicis, *non omninò non planè*, satis clarè indicas, te agnoscere aliquam *vanitatem*. Atqui scito, esse maximam.

3. ARGUMENTUM III. Margo nos monet attendere, illis verbis: *Quomodo Characteres sint efficaces.* Videamus ergo modum. In Contextu, postquam de herbis earumque Medicinis quædam dixisti tuo more, id est, quæ nil ad rem, subdis: *Gemmarum Miracula quis non obstupescit?* mox: *Præsertim si* CERTIS *sub* CONSTELLATIONIBUS *sculptæ, Imaginibusq́, ac Signaturis impressæ fuerint, & signatæ.* RESPON. Iterum asseris, nec probas. Iterum nego, & reprobo. Urgebis, te probâsse. *Planè* VANUM *est*, inquis, *quòd quidam putant, effectus Gemmarum quarundam provenire vi Magicâ, nec naturales esse.* Estne hoc *probare*, Gocleni? Et tamen ora libri tui impudenter: *Taxatur quorundam* VANITAS *&* INSCITIA. Tu aliorum, quam fingis, taxas: sed tua solius seriò apparet, ac te *vanißimum, & ignorantißimum* ostendit. Consule *Patrem* tuum, cujus Judicii si guttam haberes, non ita miseras chartas tuæ ineptiæ CHARACTERIBUS conspurcares.

APPELLO hîc eundem PATREM tuum, cum cæteris ACADEMICIS,
s omnes rogo, ut hîc mecum attendant, & notent tuum execran-
quo tuas *superstitiones* probandi modum, quo passim, imò perpetuò
das n scriptis uteris. Animadvertent te perpetuò *disparata* ex *disparatis*
tuis i probare.

Sect. 5. Gocl. Cha, Ass. probare. Et quidem non raro, quod Conclusioni præstruis, æquè falsum, impiumque, atque ipsa est Conclusio. Ejusmodi est, cùm toto passim tuo Tractatu mirabilia nobis CHARACTERUM *miracula* obtrudis; & ex iis concludis, *Unguentum Armarium curare vulnera, quibus non applicatur.* Aliàs, ponis tu quidem vera, certa, testata, ut Lapidum, Herbarum, Animalium mirandas qualitates, à DEO, & Naturâ iis inditas: sed, tamquam, si nunquam *Dialecticæ Ratiocinationis* vestigium videris, inde effici putas, ut CHARACTERES tui mirâ vi polleant. Logi. Sic agis toto tuo passim, ut dixi, libro. Sed hîc semel visum est monere, quòd, ad probandas tuas SIGNATURAS, ais: *innumera possunt non tantùm Gemmarum, sed etiam Plantarum experimenta coacervari.* Nihil tu quidem aliud agis, nisi *coacervare*, sed nihil ad τὸ ἔργον. Vis, ostendam Sole ipso clariùs? Accipio exempli causâ aliquid certum, & concessum ex te

Contactâ tridente torpedine marinâ, piscatoris manus obstupescit: Concludit Goclenius:

Ergo CHARACTERES *certis sub* CONSTELLATIONIBUS *sculpti, admirandas habent virtutes.* Vestram fidem, *Gocleni Pater*, vosque cæteri *Academici*, hoccine est *Dialecticè argumentari*, & probare? Cogite, sultis, hunc *Doctorem* ejusmodi Probationes redigere in Syllogismos rectè concludentes: & ego palàm profiteor, me vicissim optimâ formâ syllogisticâ hanc argumentationem concinnaturum:

Asina Balaam locuta est:
Ergo *Goclenius Junior est Doctor Characteristico-Magneticus.*

4. ARGUMENTUM QUARTUM. *Quis negare potest*, DIVINITUS *aut* GENII *alicujus virtute, aut etiam causis accidentariis, & fortuitis, posse produci effectum* SIMILEM NATURALI? Jam vir es, Gocleni, Laudo. Planè negari id non debet. Sed te vicissim negare non decet, DIVINITUS non futura supra naturam *Miracula*, tuâ, & tuorum *Characterum* causâ: &, si id fieret, jam non fore, causas & effectus NATURALES, quod tu tamen nobis vis persuadere. De *fortuito*, sileo, & te quoque silere par est. De *virtute alicujus* GENII ultro tibi do, Quicquid effectus à tuis *Characteribus* esse fingis, id à DAMNATO GENIO esse, id est, à CACODÆMONE. Itaque hoc quidem Argumento, me quoque assentiente, *vicisti*. Plaudo tibi.

5. ARGUMENDUM QUINTUM. IMAGINUM *sub certis* ASTRIS *Sculptarum effectus Naturalis omninò est: Ergo causam quoque naturalem esse necesse est.* RESP. Paullò antè dixi, te non invito, Causam esse DÆMONEM, non *Characteres*, & *Sculptilia*, quæ adoras, aut in iis *Dæmonem*. Id insinuant verba, quæ proximè apponis, dum ais, *Causam* illam esse *occultam*, & *abstrusam*, quicquid tu tergiverseris.

Alia

Alia *Argumenta* non reperio in tuo *Tractatu*, quæ ad hæc referri non possint: & quicquid id est, quod usquam dicis, dicis tantùm, nec probas. *Sect.5.Gocl. Cha. Ass.*

Quid in *Synarthrosi*? pudet incepti, & promissi. Dixeram, me visurum, quid *Argumentorum* pro *Characteribus* in *Synarthrosi fingeres*. Datâ operâ usus sum *fingendi* vocabulo, quòd scirem, nihil esse solidum. Sed ubi accuratiùs inspicio, nihil, nihil planè invenio, saltem probabiliter, & cum aliquo judicio *fictum*. Recognosce hoc mecum, Gocleni; Vosque Academici, si placet, attendite.

6. Si usquam in *Synarthrosi* credibile est, aliquid afferri pro *Characteribus Goclenianis*, maximè id esse oportet, ubi *Goclenius* novam Epigraphen ponit, & Charactere distincto: *De Imaginibus, Sigillis, & Characteribus in genere*: aut ubi ita: *De Sigillis, & Characteribus Magicis in specie*. Sed priore loco, nihil invenio, nisi quòd Goclenius *Chaëlica*, *Ragaëlica*, & similia *Sigilla* abdicat, qua de re suprà actum. Posteriore, ubi accuratiùs aliquid expectari par erat, & proprium, (quippe, IN SPECIE) filiolus tuus, ô *Gocleni Pater*, peregrinatur, tamquam vertigine circumactus, per *Magiæ* considerationem, idque & in genere, & valdè IN SPECIE, quippe, qui valdè curiosè recenset, *quid possint Magi Diabolici*: & valdè minutè varia *damnatæ Magiæ nomina* enumerat. Itaque nil mirum, si ea enumeratio & curiositas permultas paginas ferè ei occupat, in quibus nihil invenio de *Characteribus in specie*, præter *Arnoldi Villanovani Sigilla*. Visne Gocleni, ut hæc *Sigilla* pro argumento sumamus? age fiat. Simul respondebo, quod adeò urges, Cur Arnoldi hujus, superstitionumque ejus nusquam meminerim. Argumentum in gratiam tui sic formamus.

7. ARGUMENTUM SEXTUM. *Arnoldi Villanovani Sigilla sacerrima* nusquam à Johanne Roberti damnantur: ergo nec *Gocleniana* damnanda sunt. *Palmarium* tibi hoc argumentum putas. Itaque in eo mirificè triumphas, te, pavonis instar, magnificè circumspicis, misero Roberti inequitas. *An ignorat D. Robertus?* inquis. *Quid ad hæc D. Robertus?* *Verè Terentianum illud in eum quadrat: Egomet indico meo miser, qui sorex, hodiè perii. D. Robertus videat, ne probrosa sua in me invectio sibi ipsi opprobrio sit: intueatur igitur seipsum.* Deinde. *Ac etiam cesso, ne D. Roberto fiam Archilochus.* Magnam omnino tuam esse oportet hoc in Argumento fiduciam, qui sic velut ansatus incedas, & *basilicè* te inferas. Sed quæso, quid tibi in mentem venit? Sumne ego Arnoldus Villanovanus? cur igitur me toties Robertum vocas? Si non sum, cur *intuear meipsum*? cur *meo indicio perii*? cur te *Archilochum* patiar? Scio, quid velis. *Catholicus* fuit *Villanovanus*: ego, Laus bono Deo, itidem sum: itaque quicquid ille admisit, mihi luendum est. Itane verò? Vos appello, *Academici Juris Antecessores*. Hoccine Juris est? Hac quidem ratione, sicubi ignavus miles, desertor, transfuga, in Principis

Sect. 7. Argum. Gocl. sol.

Exercitu deprehendatur, plectatur strenuissimus quisque eius commilito, & pro *Jude Ischariote, Thaddaus.* Quid opus multis? si inter Calvinistas usquam erit fur, latro, veneficus (& mirum, si nihil unquam tale) *Goclenius ex sua sibi lege suspendatur, in rotam agatur, exuratur.* Absit hoc quidem, mi Gocleni: sed tamen vides, quid ex tua argumentandi ratione confici possit. Sed ne me tergiversari dicas, breviter & clarè tibi de istis sigillis RESPONDEO, deque eorum Authore. 1. *Arnoldum* istum hactenus ignoravi, neque me id fateri pudet. Non sum omniscius: defuerunt meliora, quæ me honestè occupatum tenerent. Adde, me multa multò meliora ignorare, quibus malim dare operam. 2. Impia *Sigilla* quæcumque, & *Characteres*, similes tuis, damno, & detestor, tamquam inventa, & strophas Diaboli. 3. Hæc, quæ *Villanovani* esse ais, illius sint, necne, æquè mihi est incompertum, atque ipse Author. Multa tribuuntur iis, quorum non sunt. Sed fac esse illius. 4. Cujuscumque sint, *doctrina certè est execranda*, æquè ac Chaëlis, vel tua. Authorem judicare non est meum. Domino suo stat, aut cadit. Neque te damnavi in Anatome, sed doctrinam tuam. Sed *Pontificius* fuit, inquis, & *Pontifici* notus. Quid tum? neque à Religione, neque à Pontifice eam impietatem didicit. *Judas* major fuit, & majori notus, familiaris, domesticus: & tamen quid designaverit, scimus. Sunt apud Catholicos, fures, Gocleni, sed & patibula sunt, & laquei. Satin' clarè hoc tibi, & ingenuè? 5. *Arnoldi* hujus, & Superstitionum ejus, nusquam meminit *Anatome*, (hoc tu maximè urges) fateor. Sed primum jam dixi tibi, me ante visam tuam Synarthrosin, ea sigilla ignorâsse. Deinde, censesne, breviculo illo libello potuisse, aut debuisse omnes Superstitiones includi? næ *Ilias* evasisset. Tu Gocleni, sic soles tuos libros *impragnare*: non imitor. Denique tecum mihi res erat, cujus libellus in manus meas tam commodè inciderat, ut indicat Anatome, ipso initio. Ecquid jam tibi factum satis de Arnoldo? spero. Dum intentiùs scrutor tuam *Kakarthrosin*, unum adhuc conatum tuum reperio argumentandi, quem, ut videas, me candidè agere, ecce pono.

9. ARGUMENTUM SEPTIMUM. *Licèt nec materia, nec quantitas corporum sit activa, tamen neutra impedit activitatem formæ, & virtutis cujusdam sublimioris.* RESPONDEO. Nemo hoc negat, Gocleni: sed quid hinc infers? Ut de Materia taceamus, *Quantitas* & inde orta figura, non impedit, sed nec allicit, nec efficit actionem ullam naturalem, nec effectum promovet, nihilo magis, quàm impedit. Itaque hoc Argumento dare nobis videris, quod volumus, & abdicare, quod tu volebas. Ac sic, ut passim toto libro tuo sis tibi ipsi, quod hic meus liber te vocat, HEAUTONTIMORUMENOS.

ALTERA

Sect.8.Gocl. Ung. Ass.

ALTERA PARS,
DE VNGVENTO ARMARIO,
ET
MAGNETICA CVRATIONE.

SIcut calamitosus *Tractatus* Goclenii de *Magnetica vulnerum curatione* inscriptus, nihil minus agit, quam quod Inscriptio præfert; sic podagrica *Synarthrosis* miserius quovis clinico, aut paralytico deposita, cùm profiteatur *Defensionem Tractatus de Magnetica vulnerum curatione*; Atque id ita inconstanter, & interruptè, ut etiam studiosè quærenti, ægrè reperiantur. Ego tamen, quæ studiosissimè quærens, invenire potui, ponam, quàm potero clarissimè; ita ut Goclenium ultrò videar juvare, licèt aliter de meritum. Non est autem animus hîc repetere, quæ in *Tractatu Magnetico* scripsit; tum quòd plus satis in Anatome eorum sit vanitas ostensa; tum quòd infrà aliquid addetur: tum quòd in *Synarthrosi* nihil ei curæ fuerit, ut vel *Anatomen* confutaret, *Tractatum* suum tueretur. Solum enim vel eadem repetiit, (quod huic homini quasi fatale videtur, & aliquo Astralismo, aut Magnetismo, per Characterem malignum, impressum) vel pauca quædam nova, aut novâ ineptiâ, expressa, effutivit. Ea jam videamus.

SECTIO VIII.
Gocleniana Vnguenti Armarii Assertio.

HIc Rhodus, hic saltus. Hæc illa est Goclenii *Helena*, pro qua paratus videtur —— *denos certare per annos*. Hujus *Olla* gratiâ (nam *Olla Goclenio est Helena*) tot *Characterum* figmenta conficta: hujus causâ tot aliæ lyræ, & deliria delirata: hujus denique causâ geminus liber, *Tractatus*, & *Synarthrosis*, tam monstruosa prole *impragnati*. Sed *prægnatione* infelici, & quam nulla sequatur *partitudo*, nisi informis fœtus, & *abortiva mola*: frustrà nitente, & parturiente simul, atque obstetricante infortunato parente Goclenio qui magna ausus, & *Iovem* imitatus ex cerebri sui utero, dum parturit *Minervam* parit OLLAM. Videamus ejus conatum.

GOCLEN. *Nemo credet, deliria esse, quæ Goclenius tradidit de Vnguento Armario, nisi qui cerebrum in calcaneis gestat, non in capite.*

ROBERTI.

Sect. 5. Goc. Cha. Ass. ROBERTI. Hoc quidem nullum est *argumentum*, sed mera assertio, eaque perquam superba, & acerba. Sed accipio, & ultrò concedo, *In quantum pro.* Hæc formula quid sibi velit, si fortè ignoras, quære ab *Antecessoribus* Marpurgensibus. Accipio, inquam, ut ex *Rodolpho Goclenio, Calvinista*, concludam, CALVINUM, *cum pluribus* ORTHODOXIS, id est, sine dubio, ejusdem *Calvini* Asseclis, *nihil habere cerebri in capite, sed gestare in calcaneis*. Perge hoc pede Gocleni.

2. GOCLENIUS. *D. Robertum deceret, de Naturæ* MYSTERIIS *sentire modestiùs, nec* NUGAS *apellare, quæ scriptores Antiquitate, & gravitate venerabiles*, RELIGIONEQUE *& Eruditione laudabiles comprobârunt, & confirmarunt; quod certè æquo animo ferendum non est, quasi mendacii, aut* FABULAMENTI SPECIEM *habeat Curatio Vulnerum sine remedio applicato; quasi D. Robertus solus omnibus illis sit perspicacior.*

ROBERTI. Hoc sanè Argumentum est, nempe ab *Authoritate*. Vellem, *Goclenius* suos *Authores* nominâsset. Viderem, quid mihi respondendum. Quos ego novi, de iis postea agam ex professo. Interim, ne hîc nihil dixisse videar, de *Authorum Antiquitate* respondeo, difficile fore Goclenio meo, ostendere, hoc *Unguentum* fuisse ante *Paracelsum*, nisi doctior est Unguentarius Crollio, de quo infrà. De RELIGIONE verò scit Goclenius, quid me sentire par sit. Sed & ego scio, quid ipsum deceat. Ne vereâre, Gocleni, ne *Augustinum* tibi aliquem, aut *Chrysostomum* afferam, ut antè de tuis *Characteribus*. Non afferam. Neque tu magni fortè faceres. Alium habeo, quem non potes non facere maximi. Quo loco CALVINUM habes in *Religione*, addo & in *Eruditione*? Cave, sis, impiam vocem miseris contra tuum *Patrem*, & *Patriarcham*. Tuum est sentire, quod sentit *Beza* (*in Calvini Imagine*) qui audacter illum proximum facit *Apostolis*. Hic ergo divinus Vir quid de tuo *Unguento*, tua *Curatione*? Nempe *cum pluribus Orthodoxis* (nota & hîc horum *Religionem*) *Curationem illam vulnerum Magneticam, tamquam non naturalem improbat.*

GOCLENIUS. *Quomodo vulnera sine remediis curentur, accuratè sibi demonstrari cupit D. Robertus.* ROBERTI. Planè quidem, Gocleni: nihil est, quod à te audire malim. Frustrà sum. Nihil sequitur, nisi convitium in me, quod ut elegantiùs vibrares, & validiùs, verba iterum ex Lipsio furatus es, tamquam arcum. Sed nimis ignavus *Procus* es, ut *Ulyssis* hujus Arcum tendas. Magis placet tua ingenua confessio ubi ais:

3. GOCLEN. *Griphos me scripsisse, & ænigmata, hoc est, ænigmata objicit. Non Inficior, sicut nec hoc, Errare me posse; verùm errores fovere, dementiæ est.*

ROBERTI. Placent hæc, uti dixi, & planè ingenui sunt homines, & honestatem amantis. Sed ita, *si præstentur reipsâ*. Tu sic videris velle. Sed nimium tibi sumens, tamquam si *Aristoteles* quispiam sis, aut longè suprà, incipis

incipis fundere Axiomata, sine alia ratione, pleraque, nisi, quòd tibi, & tui similibus sic videtur. Sunt & multa ita generalia, ut non magis *Unguentum*, & *Curationem* tuam *Magneticam* tangant, quàm vel asini aures, vel cercopitheci caudam. Distinctius est, quod Axiomate 13. nobis persuadere vis, ubi ais: *Sect. 8 Gocl. Ung. Ass.*

GOCLENIUS. *Neque necesse est, ut Unguentum, quod sanat, sanabili applicetur in substantia: sufficit enim, si vis ejus ad sanabile perveniat.*

ROBERTI. Quousque asseres, nec probabis? Priorem partem hujus tui Axiomatis ex mea Anatome sciebas à me negari, & hoc maximè peti, flagitari, urgeri, ut eam probares. At tu te fortè præclarè probare existimas, addito, *Sufficere, si Unguenti vis ad Sanabile perveniat.* Tuum illud SI, sententiam facit *pendentem*, &, ut in Scholis vocamus, *Conditionatam*. Sic quidem, tamquam vera, admitti potest, ut hæc: Si *Aquila cornuta esset*, *& quadrupes*, *monstrum esset*. Sed absolutè, vanitatem hujus vides: & ego æquè tuæ. Nego itaque tui *Unguenti vim ad vulnus usquam pervenire*, *nisi substantia applicetur.* Expectabam equidem, ut id probares sequente *Axiomate*. Sed ne conaris quidem, nec illo, nec tot aliis, quibus nescio, quæ generalia ponis, partim certa, & plerisque omnibus Pilosophis admissa; partim delira de tuis *Sympathismis*, *Magnetismis*, *Theamedismis Astralismis*. Poteras addere *Delirismos*, *Nugacismos*, *Gerrismos*, *Atrabilismos*, quæ omnia compendio vocare liceat GOCLENISMOS: Sed Axiomate demum 29. mentio tibi redit tuæ *Ollæ*. Audiamus.

4. GOCLENIUS. *Intentiùs singula modò considerans*, FACILE ANIMADVERTET, *Quâ ratione vulnera curentur sine remedio. Qui sensus habent minùs exercitatos* (in his est CALVINUS) *modum curationis putant esse supernaturalem, & magicum. Non est ita, mi lector.*

ROBERTI. Planè *sensus minimè habent exercitatos*, qui *supernaturales Magnetismos* tuos putant. Nec ego illos novi. Tuus *Calvinus* sit, per me licet. Ego *Diabolicos* puto. Modum explicavi in Anatome, §. 43. Inde pete. Sed eorundem inexercitatorum nescio, unde emersum Syllogismum nobis affers ibidem.

GOCLENIUS. *Syllogismus talis est: Quicquid non perficitur ope primarum & tactilium qualitatum, Magicum est, & supernaturale. Talis autem est Curatio vulnerum Magnetica, quoniam modus hujus Curationis, non est evidens, & manifestus, & fit citra contactum proprie dictum. Ergo. Propositionem laborare turpi fallaciâ consequentis, apertè declaratur Axiomate 6. 7. 8. 9. & præcipuè 10. ac 12. ad quæ lectorem remitto. Et tam elumbis est totus Syllogismus, ut indignus sit, in quem vel punctis impendatur.*

5. ROBERTI. Tecum planè sentio, Gocleni, in hujus inepti Syllogismi

Sect. 8 Gocl. Ung. Ass. gismi damnatione. Et quoniam in utroque tuo libro, Tractatu, & Synarthros. ad extremam usque nauseam inculcas illas propositiones.

1. *Proprietates & qualitates occultas esse in rebus Naturalibus, non tantùm primas, & manifestas:*
2. *Per illas quoque, non per has tantùm, fieri actiones Naturales:*
3. *Cœlos, & Sidera agere in res sublunares:*
4. *Agere autem non tantùm motu, & lumine, sed & aliis qualitatibus occultis:*
5. *Necessarium non esse semper in actionibus naturalibus, contactum Corporeum, sive substantiæ, sed in quibusdam, sufficere contactum virtutis:*

Has, inquam, aut iis affines Propositiones inculcandi, cùm finem nullum facias; ut semel te absolvam, CONCEDO eas OMNES, & ultrò tibi do. Addoque, non minùs esse Philosophiæ *Aristotelicæ*, quàm *Magneticæ*: imò ab illa primùm propositas, & probatas. Proinde illam non gignere Philosophos illos, quos in tuo Tractatu SENSUALES vocas. Sed hoc tibi non concedo, non do (attende, sodes, diligenter, & sedulò observa:) ex iis effici, ut Unguenti tui vis ad vulnus remotum, eo modo, quo ineptè credis, & ineptiùs nobis persuadere vis, deferatur. Neque id unquam obtinebis, quicquid *Magnetismorum*, aut *Astralismorũ* in subsidiũ vocaveris. Meri sunt *Goclenismi*. Tuum igitur est probare, quod affirmas, non meũ, rationem reddere negationis. Faciam tamen id obiter in gratiam Lectoris.

Qui concedit *multa* in uno aliquo genere, non necesse est, ut concedat *omnia*: & ubi non *omnia*, nemo cogit, ut in hoc, aut isto *particulari* concedar, nisi aliundè apparet. Exempli causâ, (ut in re affini ostendam) negari nequit, quin corpora *multa*, etiam gravia, per aërem, motu locali *sine superstitione* ferri possint. Videmus enim hoc in avibus, in saltu animantium terrestrium, in projectione lapidum, in excussu sagittarum. Sed tamen si *trivenefica* aliqua *Canidia*, *scopis* invecta, aut *hircino dorso*, deprehendatur, *Unguento delibuta*; nunquam ei credetur, (quicquid hominum *Ollæque* suæ fidem inclamet) eam esse illius *Unguenti* vim, ut motum illum naturaliter moliatur, & perficiat. Si enim hoc admittamus, quodnam deinceps erit Superstitionis genus, quod jure repudiare possis? Pari ego ratione. Etsi *proprietates* quædam rerum sint *occultæ*, & reliqua vera sint, quæ quinque illis Propositionibus concessi, nego tamen in CHYDROPODIO GOCLENIANO ejusmodi aliquid esse, cujusmodi persuadere frustrà tentat. Probet igitur, non tantùm asserat, Goclenius, aut ne vexet eos, qui *Unctuosa* illa *Miracula* non credunt. Hæc, quæ paulò fusiùs jam dixi, dixeram brevius in brevi mea Anatome, ac proinde Goclenii erat, sua probare diligentiùs in Synarthrosi, quæ profitetur *Defensionem Tractatus de Magnetica Vulnerum Curatione*. Si locum requiris, Gocleni, habes in Anatome. § 27. At defendis tu mox, & pulcrè ita explicas:

6. GOCLE-

6. GOCLENIUS. *Si quæratur porrò, quæ naturæ virtus in* MOMENTO, *per spatium* (Attende Lector, vosque inprimis, DD. Academici:) ALIQUOT MILLIARIUM, *possit ferri, & propagari, citra alterationem, & dissipationem à ventis, ad locum vulneratum,* RESPONDETUR, *fieri hoc per Magnetismum & viam magneticam attractivam, quæ est in primo ente Siderali, per medium aëris, aquæ, & terræ influente, iterumque emergente, ut operetur spiritualiter per medium aëris. Et vis hæc ita intrinseca est spiritualibus principiis aëri communicatis, ut ei nullâ violentiâ adimi possit.* Sect. 8. Gocl. Ung. Ass.

ROBERTI. Si hoc non est fingere, & *Delirismos* fundere, cum *Goclenismis*, quid sit, nescio. Jam tria elementa Magnetismis cōfodiuntur. Felicem ignē, qui altiorem regionem occupârit! Nam alioqui nec ipse evasisset Gocleniū

MAGNETIS *lato torquentem hastilia ferro.*

Sed ista, cujusmodicunq; sint, asseruntur à Goclenio, solemni ejus more, non probantur. Satis igitur mihi dicere, NEGO. Videamus, quid ad probationem dicat

GOCLENIUS. *Licet unà Eurusq; Notusque ruant, creberq; procellis Africus, semper tamen Cichorium motum Solis insequitur. O Bœotica pecora! Eodem plane modo virtus ex Unguento exiens, indissipabili promovetur vinculo ad vulnus, virtute Motoris ad vulnus se propagat. Puto hæc sine griphis dici, intelligiq;.*

ROBERTI. De *Griphis* postea. Certè non dicuntur ista *sine magnis deliriis.* Neque verò intelliguntur, ne à te quidem, qui fingere pergis sine ulla probatione. Ac proinde iterum æquo animo accipe unicum NEGO. De virtute tui Unguenti loquor. Nam de *Cichorio* & *Sole* alia prorsus res est. Si enim *Cichorium* consideres, neque *proficiscitur* ad Solem, neq; *qualitatem* ullam aut vim eò *mittit*. *Sol* verò, *Luna*, & *Astra*, (quod semel te notare velim) deniq; *Cœli, & Cœlestia, Agentia sunt Universalia*, ut ex vera & antiqua Philosophia pridem didicimus, antequam audirentur tui Magnetismi. Cumq; sint eo nomine à DEO, omnium Opifice, creata, & constituta, *ut Terrenis præsint*, illustres ad id minus acceperunt *Qualitates*, & ita omnibus notas, ut nemo sit, qui dubitare possit. Ridiculum autem planè est, tuam *Ollam* comparare *Cœlo*, & tuum *Unguentum Soli*. Proinde rectè feceris, si eos, qui Goclenismis tuis non statim assentiuntur, non protinus, contumeliæ causâ (saltem reverere tuum Patriarcham CALVINUM:) vocaveris *Bœotica pecora*. Alioqui facies, ut dicamus, te scribere *Bœotismos, & Asinismos.* Sed ad alia.

GOCLENIUS. *Proponitur effectus Unguenti exploratus,* DUPLICI ARGUMENTO, *nempe testimonio probatorum hominum, & virtute naturali, quam, Philosophi est, ostendere, esse in natura & subjecto.*

ROBERTI. Quis hîc non expectaret *duplex Argumentum*, cùm tam clarè id pollicearis? At ego nec *simplex* invenio, quantumvis seriò quærens. Anhelabam audire PROBATOS *illos homines.* At tu pompaticè declamans, ut circumforanei illi *Myropolæ*, quos Germani *Dentifragos* vocant, ais:

Sect. 8. Gocl. Ung. Ass. GOCLENIUS. *Possem nominare Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles, quorum authoritatem atque fidem in dubium vocare atque opprimere, impudentis est hominis, quorum constanti affirmationi plus fidei est habendum, quam Jesuitæ novæ inficiationi.*

ROBERTI. Cogitabam latebras, auditis tot *Heroibus*: aut certè componebam me ad audiendum *Diplomata Cæsarea, & Regia,* ea, quâ par est, reverentiâ. Sed heu Goclenismum solâ jactatione validum! POSSEM *nominare*, inquis, IMPERATORES, REGES. Unum saltem produxisses. Quantò magis providus miles ille Comicus, qui mendaciter jactans pugnam,

Quâ sexaginta millia hominum uno die
Volaticorum manibus occidit suis:
interrogatus,
An obsecro, usquam sunt homines volatici?
cautè respondit.
Fuere, verùm ego interfeci ———

Si aliunde tibi prudentia deerat, ab hoc certè mutuam sumeres, Gocleni, & diceres, *Potuisse* quidem te *Magnos* illos *Testes* producere, atque etiam voluisse, sed magno tuo incommodo, VOLATICOS fuisse, AVOLASSE. Honestius hoc, quàm dicere, te *occidisse*. Sed ex tot illis, estne credibile, nemini uni *alam* fuisse *luxatam*, aut *decurtatam*, ut fugitivum retineres? Si quando redierint, mi Rodolphe, ecce quomodo capias, *Fœminam, tenentem in una manu avem, in altera piscem, in Crystallo sculptam, scias valere ad capiendas* AVES. (Ung.) Hac fortè arte cœpisti hanc *aviculam*, quam tamquam in cavea venalem circumfers, &, ut faciliùs vendas, *præconem* duabus linguis agis, *Germanicâ, & Latinâ*:

8. GOCLENIUS. *In procinctu est Fr. Basilius Valentinus Ordinis Benedicti.*

ROBERTI. Infelix aucupium! Gocleni, Imperatores, & Reges captas, & post multum sudorem, consumto visco, fractis laqueis, & retibus, capis MONACHUM. Amicam scilicet, tibi avinculam. Pudet *Characteris & Fœminæ avem piscemq; tenentis.* Quid tibi diceret *Calvinus*, si adhuc viveret; quid *plures Orthodoxi* tui, qui fortè adhuc vivunt, si audiant, item *Orthodoxum*, ipsis præferre *Pontificium*, & *Monachum unum*? Sed quæres, quid ego ad hoc dicam? Tria verba Gocleni. Vide, quæ suprà dixi de *Arnoldo Vilanovano*. Si hic *Basilius* illi similis, æquum est ei *Sirempse legem esse*. Hominem non tango, quem non novi. Doctrinam damno, quam scio esse execrandam. Cæterùm *Basilius* iste asserit ut tu; nec probat, item ut tu. Unam *rationem* videri vult afferre, quam non dissimulo, ne malè audiam.

9. GOCLENIUS ex BASILIO Monacho, *Confirmo, hanc curam neutiquam esse Diabolicam: si quidem Diabolus ad perdendum potiùs genus humanum,*

num, quàm ei commodandum, incitatur, quod etiam citra divinam permissionem impossibile est ei factu. *Sect. 8. Gocl. Ung. Ass.*

ROBERTI. *Stramineum* Argumentum. Quasi hoc non sit hominem perdere, pro momentanea *Corporis* salute, *Animæ* & *Curantis*, & *Curati*, peccati perniciem afferre sempiternam. Dicat ipse *Goclenius* sententiam contra hunc suum *Monachum*. Meministi, Gocleni, te, inter *damnatæ Magiæ* species, referre *Pharmaciam* (Synarthr.) *Veneficiis usitatissimam, quâ Pharmaca noxia, &* SALUTARIA, *mira &* DIABOLICA, *vi præparant: quorum* SALUTARIA *malis incussis medentur?* Meministin hæc? Ex his ergo responde tuo Teste Basilio.

Pervenimus ad §. alium, Synarthroseos Goclenianæ; cùm interea neque pro *Characteribus*, neque pro *Vnguento Armario* aliud extundi potuerit, quàm quæ studiosè collecta hactenus recensui. Dico, *nihil aliud*, quod *Argumenti* vicem habere queat. Nam, & *Characteres*, & *Vnguentum*, & eorum admirandæ *vires* sæpius proponuntur, laudantur jactantur incredibili fastu, & plausu. *Modus* etiam fingitur, 600. *Griphis*, & ænigmatis intricatus. Sed quoniam, quæ de hoc *modo* passim sparguntur, duabus pagellis ferè colliguntur: ne tamquam concessa interpretetur meus Rodolphus, quæ peculiariter refutata non viderit, hîc ostendamus, hunc MODUM non habere modum, neque ullo modo intelligi posse ab ingenio hominis, nisi vagantis extra omnem humanum modum. Quod est, non tam INTELLIGI, quàm fanaticè FINGI. Et, ne Goclenius parùm honesto modo tractari queratur suum MODUM, demus illi, honoris ergo, propriam sectionem.

SECTIO IX.

Magneticæ Curationis Goclenianæ Modus.

1. ROBERTI. Dic igitur, age Gocleni optime, & compendio nobis collige MODUM, quo patratur ingens illud *Naturæ Miraculum*, illud *Mysterium* (sic tu vocare soles) *Curationis Magneticæ*, quod in *Tractatu* proposuisti; quod in eodem explicare conatus es; quod in *Synarthrosi* defendere voluisti. Nam de successu, scis, quid sentiam, & vidisti, quid scripserim. Jam avidè ausculto.

GOCLENIUS. *Virtus sc. Magnetica à telo, unguento delibuto, propagatur ad vulnus, propter naturæ cognationem, & continuationem, quam sequitur successiva impulsio per medium aërem, spiritu stellato, & primario quodam, ac Magnetico vigore ac potentiâ impregnatum.*

ROBERTI. Cedo, ubi usquam dixisti, quia sit illa *Virtus Magnetica*,

Sect. 9. Mag. Cur. Gocl. Mod.

aut ubi es ſaltem conatus dicere? Atqui cùm illa *unica* hoc tuo in *Myſterio*, omnia tibi perficiat, maximè hoc explicandum erat. Nam ex antiquiſſimo & omnibus conceſſo Axiomate, *In omni Tractatione, primum eſt, indicare, quid id ſit, de quo tractatur.* Sed ex te, de tanta re, neque in *Tractatu*, neque in *Synarthroſi* quicquam audire potuimus, niſi, Eſſe *occultam quandam Qualitatem.* Fruſtrà mihi dices, in aliis item multis rebus, eſſe itidem *occultas qualitates*, quas nemo facilè definiat. Fateor enim ego hoc: Sed hoc quoque ſcio, *ab omnibus concedi*, ac ſic probatione non egere. Tua, cùm nuper ſit inventa, & *Calvinus* ipſe, *pluresq; alii Orthodoxi* eam negent, probanda erat, & quidem valdè authenticè. Tu putas, te probare ab *Effectu*; at ego ajo, *Effectum* illum, ſi usquam apparet, eſſe à *Cacodæmone*. Et tibi repeto, nunquam fuiſſe *Veneficam*, quæ non queat idem dicere de *ſua Olla*, & *Unguento*, quod tu de *tua*, & *tuo*. Sed pergo in verbis tuis.

Hæc igitur *Virtus Magnetica*, qualiscunque ſit, *à telo*, inquis *propagatur ad vulnus.* Meminiſti, me in *Anatome* quæſiviſſe à te, Quomodo hæc Virtus, cùm *Accidens* & *Qualitas* eſſet, poſſet *ſine ſubjecto eſſe*, *exire*, *ſe effundere*, &, quod hîc ais, *Propagari?* (§. 33.) Id ſi fingendum erat, minimè tamen à *Calviniſta*, qui nec *Deum omnipotentem* id poſſe putat in EUCHARISTIA. Cur non ſaltem aliquid tentâſti dicere? *Epigraphe* tuæ *Synarthroſeos* te ad id obligabat, quæ *oppoſita eſt infauſtæ Anatomiæ*, *pro defenſione Tractatus* tui. Cur non oſtendebas, *Anatomiam* in hac *Quæſtione*, eſſe *Infauſtam?* cur non *defendiſti Tractatum* tuum? Nam, quòd tibi perſuadeas, id factum per tua *Axiomata*, nugæ ſunt. Scis, quid in ſcholis clamari ſoleat, *Ad formam*, Legiſti illud:

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis.

Et dum te de his agere par eſſet,

Tu Cannas, Mithridaticumq; bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Cinnas, Mariosq; Mutiosq;
Magnâ voce tonas, manuq; totâ:

Nonne meritò, cùm ſimilia ἀπροσδιόνυσα fundas, ſimilem adhortationem expectas,

Nunc dic, Poſthume, de tribus capellis?

Tu ipſe agnoſcebas in tua Synarthr. tibi *reſpondendum Epanarthoticè, Dialyticè, Exegematicè, & Didacticè*; addisque, Quod factum *oportuit*. Ubi feciſti, aut conatus es? Hoccine eſt *reſpondere*, cùm quæritur, *Quomodo Qualitas propagetur ſine ſubjecto*, nihil dicere, niſi idem *Propagari*, & interea pro arbitrio, fingere *Axiomata*? Magnam facis injuriam tuis Lectoribus, & in primis *Academicis*, quos tam ſtolidos putas, ut hæc non animadvertant. Et interea cum *Bavio* & *Mævio* tibi plaudis, & miſerum Roberti,

alios

aliosque, qui tua *Mysteria* non adorant, audacter vocas *Bœotica pecora*, nihil vel attendens, vel pensi habens, quòd *Calvinus*, cum *pluribus Orthodoxis*, eodem *Asinino honore* censeatur. Igitur tu, *Philosophus Magneticus*, minimè laborans, quomodo illa *Propagatio* fiat, dicis tamen nobis *cur fiat*, aut potiùs fingis, nempe. Sect. 9. Mag. Cur. Gocl. Mod.

2. *Propter naturæ Cognationem, & Continuationem. Cognationem* intelligis, ut opinor, quòd & in *Telo*, & in *Vulnere* sit ejusdem hominis *sanguis*. Sed non nôsti adhuc omnia *Mysteria Magnetica*. Certè non scis, quod jam dicam: aut, si scis, malitiosè dissimulas, ut faciliùs vendas putidas tuas merces. Quid illud est? Constat esse, qui neque *Telum* curantes, quo vulnus factum; neque *sanguinem*, neque Goclenii fictam *Cognationem*, ubi vulneratum sanare *Magneticâ Curatione* aggrediuntur, *Tripodem* domi suæ obligant, & totam *curationis* œconomiam in illo perficiunt, cùm is *tripus* nunquam vulnus, aut vulnèratum attigerit, aut aliâ ratione ei cognatus sit. Satis est enim esse à Diabolo, tanquam *Signum*, ad id destinatum. Idem contingit, Gocleni, in *deligatione*, aut *Inunctione* tui *Teli*. Sed Cognatio ab eodem Diabolo prætenditur, ad *superstitionem*, velut *larvâ*, occultandam. Quod plerisque in rebus ejusdem farinæ fieri amat. Quòd si hoc fortè requiris, scito, æquè succedere *Sanationem*, ac tibi cum tua *Cognatione* succedit. Parùm enim curat Cacodæmon, quid adhibeatur, quid non, dummodo decipiat. Hæc de *Cognatione*. Porrò quòd *Continuationem* adjungis, planè intolerabile est. Sic quæcunque aliquâ ratione cognata sunt, facies *continuari*, quantumcunque loco distent. Et tamen hæc deliria non probabis, nisi stolidis *Axiomatibus*: & nos *Bœotica pecora* erimus, nisi tibi protinus credamus. *Catholicæ Ecclesiæ* tui *Concalvistæ* fidem omnem abrogant, nisi quæcunque proponit, *Scripturis* probet, idque ita, ut Scripturas pro suo ingenio, & affectu, interpretentur: & nos *Asini* erimus, si *Rudolpho Goclenio*, ubi aliquid somniaverit, non statim assensi erimus. O *Asinumum*! Jam, quoniam non satis tibi esse videbatur *Cognatio*, & *Continuatio*, adjungis:

3. QUAM SEQUITUR SUCCESSIVA IMPULSIO. Quænam? A quo? Ad quid? Si enim est *Continuatio*, quid opus *Impulsione*? Aut quid impellas Virtutem à Telo ad Vulnus, cum ea Virtus ab illo ad istud *continuetur*? Dices, me stolidum esse, qui non capiam, quid velis. Tuum erat clariùs loqui, præsertim cùm promiseris, te tuum *Mysterium* facturum MANIFESTUM, idque SINE GRIPHIS, SINE ÆNIGMATIBUS. Hanc tuam *Impulsionem*, addis, fieri PER MEDIUM AEREM. Quid facias, ubi alia corpora occurrunt, ut ingentes montes, aggeres, muri? An & hæc omnia IMPRÆGNATA sunt? nam *Aërem* dicis SPIRITU STELLATO, *& PRIMARIO quodam, ac* MAGNETICO VIGORE, *ac* POTENTIA IMPRÆGNATUM. Ut video, non uno puero gravidus est aër, sed gemellos gerit, nempe SPIRITUM

STEL-

Sect. 9. Mag. Cur. Mod.

STELLATUM, & PRIMARIUM MAGNETICUM VIGOREM. Si verum amas, tu, aut Paracelsus, aliusve tui, aut illius similis, *Pater* est utrique huic Proli, simulque *mater*, *& obstetrix*. Sed *spiritus* ille *ventus* est tuæ *vanitatis*: *Vigor* autem *alacritas* & impetus ad *fingendum*, & *fumos* orbi vendendum. Sed necdum finis Figmentorum, adhuc spargis *fumos*, at semper sine *Flamma* aut claritate. Audi, Lector.

4. GOCLENIUS. *In Unguento est spiritus Balsamicus (in sanguine humano, mumia, & adipe humano potissimùm latens) Hic excitatur, seu potius evocatur à spiritu consimili, sibique Sympathetico, ut spiritu mundi stellato, ad effectum singularem producendum. Hic spiritus evocans, dirigens, disponensque corpora, ac res mutuo quodam naturæ nexu sibi devinctas, non est quivis, sed determinatus, is sc. quo præsente, & tangente, fit effectus, absente non fit, decedente cessat.*

ROBERTI. Utinam & tu *cessares*, Gocleni, aërem, & Lectoris aurem *imprægnare* tuis nugis. Nam quem finem facies fingendi, & nugandi sine ulla probatione?

In Unguento est spiritus Balsamicus, inquis. Nego esse; quid affers, quo convincas? Scito, ubi *Goclenius* aliquid dixit, nobis non sufficere, αὐτὸς ἔφα. Et cui persuadebis, esse, cùm, quid id sit, quod dicis, nemo intelligat, ac ne tu quidem ipse? Sed qualiscunque est hic *spiritus*.

Excitatur, ait Goclenius. *Dormiebat* videlicet, aut *torpebat*, ex quo in *patibulum* aut *rotam*, cum suo *fure* actus fuerat, & credibile est laborâsse gravi *vertigine*, & non levi Apoplexiâ, à tot ventis, aliisque cœli injuriis perflatum. Juva, Gocleni, *liquore* illo tuo *potabili*, qui prodest *Vertiginosis*, & *Epilepticis*. (Ung.) statim excitabitur. Atqui hoc non sufficit, ait Goclenius: nam etiam.

5. EVOCATUR. Non dicitur, unde, aut quò; sed suspicari licet, *A telo, ad vulnus*. Dicitur tamen, à quo *Excitatore*, aut *Evocatore*, videlicet.

A SPIRITU CONSIMILI. Totus *spiritualis* es Gocleni. Sed spiritus habes vel *adipatos*, & *patibulario unguento* immersos; vel *volaticos*, & aëri innerrantes. Non dubito, quin ii sint, quos Apostolus vocat *Spiritualia nequitiæ in cœlestibus*. Et cùm dicas, *spiritum* istum esse pingui illi *Consimilem*, rectè censebimus, qui in *Unguento* tuo latet, eum esse, qui *Unguentum Veneficis* præscribit, ut ipsæ quoque per aërem vehantur. Nec malè quadrat, quòd illum vocas

Spiritum Mundi. Nam ibidem idem Doctor Gentium ejusmodi *spiritus* vocat *Mundi Rectores, Tenebrarum harum*. Inde illæ Tenebræ, Gocleni, in tuis *Mysteriis*, in tuo figmento, & Fumo, quem vendis. Non emo. Excæcavit te, & tui similes. Is videlicet est EFFECTUS SINGULARIS, ad quem *producendum*, alterum ab altero *spiritum evocari* somnias. Quid habes, quod præterea de hoc spiritu *Evocatore* narres? Etiam

DIRI-

DIRIGIT, DISPONITQUE CORPORA, ET RES. Quantum deest, ut hunc tuum *spiritum* DEUM facias, ac sic te iterum *Idololatram* probes? Nam attribuis illi *Providentiam* Divinam. Sed dic, quæso, Quis ille est, *spiritus*? NON EST QUIVIS, inquis. Non sanè: neque enim est Michaël, aut Gabriel. Sed cùm dixeris, Quivis non sit, expectamus multò avidiùs audire, *Quis sit*. Audite, Academici, responsum dignum Philosopho: Est *Sect. 9. Mag. Cur. Mod.*

DETERMINATUS. Hoc adhuc valdè *indeterminatum*. Nam quivis singularis spiritus *determinatus* est. Sed quot sunt tales? Nomine, quæso, suo exprime, aut idoneâ descriptione. Jam tandem:

6. IS SCILICET: Hæc formula accuratissimam designationem nos expectare jubet. En habes:

QUO PRÆSENTE, & TANGENTE, FIT EFFECTUS, ABSENTE NON FIT, DECEDENTE CESSAT. Quid est ludere Lectorem, si hoc non est? Ignorabamus antea, quis ille esset spiritus; qui tam miranda patraret. Volebamus doceri. Tu accingeris, & magno molimine verborum, rem tantam nos jubes expectare. Tandem ad Quæstionem illam (cogor enim repetere, ut clariùs *Gocleniana Sententia* appareat) Quis spiritus tam mira patrat? respondes: *Ille ipse, qui patrat*. Hoc enim denique valet ille ambitus tuorum verborum, nisi quòd, quò pluribus, eò dicis obscuriùs. Sed ego Dei *Sapientiam* hìc admiror in tua *hallucinatione*; qui fecit, ut veritatem pronuntiares; sed alio planè sensu, quàm volebas. Attende. Dixeram in *Anatome*, tuo *Mysterio Magnetico* alium non esse Mysten, quàm *Diabolum* (§. 42. 43.) Tu jam idem dicis, licèt inscius. Iterum te moneo, Attende. Tractatus tuus pollicetur ipsâ Epigraphe, *Curam sine remedii applicatione*. Ideo haud dubiè, quod nemo homo remedium *Vulneri* applicet, sed tantum *telo*. Quia tamen prorsus intelligi nequit, magna, & periculosa vulnera sanari *sine remedio applicato*, verissimè dixi §. 43. *Diabolum* remedium adhibere. Tu, prævaricator in tua causa, mihi favens, etsi invitus, & veritate cogente verè tibi factus HEAVTONTIMORUMENOS, idem mecum dicis: cum hinc quidem fatearis, NON APPLICARI REMEDIUM; inde tamen dicas, esse SPIRITUM *quendam* DETERMINATUM; QUO PRÆSENTE, & TANGENTE (ô potentem vim veritatis!) *fit Effectus, absente non fit, decedente cessat*. Lector, qui meam *Anatomen* non legit, consideret, annon Goclenii hæc verba, bellè conveniant cum istis meis, §. 43. *Cacodæmon irridens, & subsannans Unguentarios istos*, ADHIBET IPSE *interea clanculum* REMEDIA ALIA, *callentissimus medicinæ omnis*. Nonne est hoc, *spiritu præsente, & tangente fieri Sanationem; absente, nihil fieri?* Inculcat hoc etiam magis verbis sequentibus:

GOCLENIUS. *Hic ergo* (nempe spiritus) *prima motus causa agnoscendus est.*

Sect. 9. Mag. Cur. Gocl. Mod.

ROBERTI. Planiſſimè. Nam ſine *Diaboli* opera, & Remediorum Naturalium, quæ applicat, vulnere putrefacto, *Vulneratus* peſſum iret.

GOCLENIUS. *Hic* (ſpiritus) *dirigit, deducitq́, vim ſanativam*

ROBERTI. rectè, *undecumque vim* illam, ſive Medicinam accipiat. Eſt enim Medicus peritiſſimus. Nec illi opus *Character* tuus (Ung.) ſive *hominis Figura, ſtantis, ac tenentis faſciculum herbæ, collo appenſum, cum groſſitie renum, & amplitudine Spatularum*, qui *Character Medius* MAXIMAM *præbet* GRATIAM. Non placebit tibi, ſat ſcio, hic Commentarius, cùm dico, *undecunq́ Medicinam accipiat*. Nam tu definis:

GOCLENIUS. IN SPIRITU BALSAMICO *Fixam.*

ROBERTI. De *Vi ſanativa* loqueris. Etſi dixi, illam *undecunq́,* à Diabolico ſpiritu accipi, tamen nolim tecum contentiosè agere. Ultrò tibi do, fieri poſſe, ut in *ſanguine humano, mumia, & adipe* aliqua vis ſit ad ſananda aliqua vulnera. Viderint Medici, & Chirurgi. Atque ita fieri poteſt, ut tuam *Ollam* quandoque Diabolus non dedignetur, etſi ad illam nullo modo alligatus eſt. Sed quòd fingis, *Unguento in telo manente, ſpiritum Balſamicum, ad vulnus migrare*; concedam, te non fingere, ſi viciſſim mihi des, ſpiritum illum eſſe *Cacodæmonem*, quem antè dixi, ADIPATUM, & Myropœum. Sic aptè quadrat, quod de duobus iſtis ſpiritibus repetis:

8. GOCLENIUS. *Sunt enim* hi SPIRITUS SYMPATHETICI, *mutuoq́ ſe appetunt, & propter hunc* OCCULTUM, *naturalem tamen appetitum, ad determinatum effectum conſpirant.*

ROBERTI. Optimè omnia. Nec excipio, quòd ais *appetitum* horum *ſpirituum* eſſe *naturalem.* Nam etiam Diabolis eſt ſua *Natura corrupta*, eſt & ſuus *pravus Appetitus.* De his ſpiritibus, & Goclenio eos ſequente dicere licet, & concludere cum Apoſtolo (1. Timoth. 4. 1.) His *noviſſimis* & corruptiſſimis *temporibus diſceſſiſſe quosdam à fide, Attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum.* Hæc de *modo Curationis Magneticæ* ſic tandem compendio colligit, & per ἀνακεφαλαίωσιν concludit miſerè à *ſpiritibus erroris deceptus*

GOCLENIUS. *Ut ita in totum, & verè dixiſſe liceat Magneticam Curam Vulnerum fieri per meram virtutum transplantationem, quam efficit, & perficit Appetitus inter ſpiritum Balſamicum, & ſpiritum mundi.*

ROBERTI. Hactenus, Rodolphe Gocleni, putavimus te eſſe *Medicum, Chirurgum, Pharmacopœum*: ſed jam videmus, te eſſe etiam *Hortulanum*, qui plantes, & *transplantes*, non *arbores*, ſed *virtutes*, adjuvantibus videlicet *ſpiritibus Deceptoris.*

Hic licebat mihi defungi, Lector optime: quippe confectum mihi eſt, quod cum Goclenio ſusceperam prælium. Quo eventu vidiſti. Duo

capita

capita sunt, quæ in Tractatu suo de Magnetica Curatione tractanda susceperat; *Characteres*, & ipsa *Curatio Magnetica* per *Unguentum Armarium*, Utrumque caput infelicissimè fuisse tractatum, ostendit *parvula Anatome*. Goclenius, tamquam apiculæ aculeo eâ stimulatus, doloris impatiens, effudit *Synarthrosin*, quâ eadem duo capita incudi reddidit, sed tam irato Vulcano, ut tota materia cum scintillis, Cyclopibus tundentibus, dissilierit, & in atram fuliginem abierit. *Sect. 10. Test. Cont. Ung.*

Nam quòd ad *Characteres*, sive *Imagines* attinet, ultrò Goclenius concessit, esse *merè ac verè superstitiosas, dementes, deliras, vanas, absurdas, ex Idolorum antris emersas*; *Diabolicas denique*. Et quanquam voluit quasdam tueri, tamen partim ex ejus principiis, partim ex testata aliunde veritate, ostensum clarè est, *esse damnatis* illis planè *geminas*.

Curatio verò *Magnetica* ita miserè curata ab illo est, ut cùm antè *ægrotaret*, jam planè sit *mortua*, & infelicibus *spiritibus* insuper commissa. Itaque defungi iam licebat, uti dixi. Sed, ut suprà, cùm ex ipso Goclenio, verè *Heautontimorumeno*, ostendissem, *Characteres* prodiisse ex officina *Cacodæmonum*; aliunde nihilominus eandem veritatem, illato lumine vel *Authoritatis*, vel *Rationum*, illustravi: sic modò, postquam Goclenius abundè contrà seipsum testimonium prævaricator dixit: faciam, ut alii itidem dicant, atque ii firmissimorum *Argumentorum* vallo probè muniti.

SECTIO X.

Testimonia contra Unguentum Armarium, & curam Magneticam.

I. NOVITIUM inventum est, *Gocleniana* ista cum *Unguento* suo *Olla*. Itaque propriè & distinctè ab *Antiquis* Authoribus nihil contra illam expectari potest. Nam quæ ante *Bombastum* non facile fuisse ostenditur, contra eam frustrà ab *Augustino* aliquo, aut *Cypriano*, petas testimonium. Itaque contra recentem superstitionem, recentibus contenti erimus. Neque referre putabimus, Catholici sint, an hæretici: nam & illos ego merito allegare possum; & hos Goclenium rejicere non decet, quippe *Fratres suos*. Sed cum recogito, *Catholicos*, qui clarè, & *distinctè* de hac superstitione egerint, vix invenio. Invenio tamen, qui commentitias illas, & à Diabolis inventas actiones rejiciant, quibus Agentia *particularia, & sublunaria* in objecta *procul dissita*, sine ullo certo termino, interjectis etiam aliis

Sect. 10. Testim. cont. Ung.

multis, & vastis corporibus, agere dicantur. Itaque rectiùs in propriam Sectionem, quàm id Argumentum meretur, rejiciam. Cæteros ergo jam ponamus, vel manifestè hæreticos, vel mihi, quoad fidem, ignotos. Et quoniam quorundam libri ad manum non sunt, eorum locos dumtaxat, & mentem indicabo.

SCHENCKIUS libro 5. *Observationum Medicarum Observat.* 238. Cùm de hâc Cura loqueretur, Titulum fecit Observationi; *Prodigiosa Vulnerum Curatio.* Quo titulo satis ostendit, se non existimare esse naturalem, si *Teli inunctionem* spectes. Citat autem hic Schenckius

D. ESAIAM MEUCHSNERUM, qui aliquid publicè ediderit, nec ne, me latet. Hic porro Esaias dicit se habere à

QUODAM Quis hunc nôrit? Imo, quis non jure credat, neque hunc QUENDAM voluisse cognosci, quòd res esset ejusmodi, ex qua nihil aliud expectare posset, nisi opinionem *damnatæ Magiæ* (nam alioqui, fecisset, quod Goclenius, prodidisset se, gloriatus fuisset) neque Esaiam ausum fuisse nudè ponere sine indicatione sui Authoris, (etsi obscurâ, ut ejus famæ parceret) ne Author ipse tam diabolici inventi videretur: Neque denique Schenckium in suo opere extare voluisse hanc Impietatem, quin & *Prodigiosam Curationem* vocaret; & à se ad Meuchsnerum rejiceret? Horum trium religio mihi incomperta est.

2. CARDANUS, variis de causis de *Magia* non immeritò suspectus, quid de hoc patibulario unguento crediderit, nescio. Ejus mentionem facit lib. 2. *de venenis cap.* 6. Sed ita, ut neque se legisse usquam dicat, neque unde acceperit. Tantum dicit, FAMA EST. Hoc ostendit, ante *Cardanum* rem parùm fuisse notam, aut vulgatam; & initio, fuisse NEGOTIUM *perambulans in* TENEBRIS (Ps. 90. 6.) ut ferè solent, quæ à *Principe* TENEBRARUM. Talis est Tartarea illa *Fraternitas Roseæ Crucis*, cujus superioribus annis prodiit liber cum Epigraphe, FAMA *Fraternitatis.* Sed de hâc infra.

3. ANDREAS LIBAVIUS, *hæreticus*; sed in Medicina nomen aliquod consecutus, Librum scripsit hoc titulo: *Tractatus Physicus, de* IMPOSTORIA *vulnerum per* UNGUENTUM ARMARIUM, *sanatione, Paracelsis usitatâ.* Ex hoc nihil aliud modò est ad manum. Neque est opus. Nam sicut *Ex ungue* quod ajunt, *Leonem* ita *ex Epigraphe Librum.*

4. CALVINUS, notum Inferis; augustum Hæreticis nomen, quo loco *Unguenti Gocleniani Ollam*, quo *Magneticam Curationem* habet? Dicat Goclenius ipse *Heautontimorumenos.* Synart. *Ut verum dicam,* CALVINUS IPSE, *cum pluribus Orthodoxis Curationem illam vulnerum* MAGNETICAM, *tamquam non naturalem, improbat, Magneticæ sc. istius Philosophiæ æquè ignarus, ac D. Robertus.* Alibi hoc relatum est commodè. Sed hîc omitti prorsus non debuit, loco proprio. Probo illud: δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά. Si attendisti, Lector, adduntur hoc loco à Goclenio

5. PLU-

5. PLURES ORTHODOXI, quos haud dubiè intelligas *Calvinistas*, quos simul cum *Parente*, & *Patriarcha* suo, *frater fratres*, parùm fraternè & honestè rejicit. Sed videlicet, ut vulgò ajunt, *Amicum esse oportere usque ad Aras*, ita Goclenius Amicus, Consanguineus, Affinis est usque ad OLLAM. Hi *plures Orthodoxi*, quoniam nobis ignoti sunt, censeantur nomine *Anonymorum*. Sunt & alii *Sect. 11. Aut. Ung. Cur.*

6. INCERTI AUTHORES apud magnum alium virum, quem *Goclenius*, ut *Heroem* æstimet licet. Is est *Joann. Ernestus Burggravius*, antè mihi nominatus, & postea nominandus; qui cum ad cœlum usque Goclenii *Ollam* in suo *Redivivo* extulisset proximâ pagellâ ita scribit: *At non istud vi occultâ, & contactu incorporeo Magnetico fieri, etiam qui* NON INDOCTI *habentur vulgò, contendunt*. Et paulò pòst: *Ceremonias esse* CONFICTAS *in speciem, &* DELUSORIAS. Jungamus his ex *Goclenio* iterum, (Ung.)

7. ERUDITOS, *qui naturaliter id fieri posse* PLANE NEGANT. Item indidem

ALIOS, *astruentes*, *Ceremonias Magicas esse*, *Impostorias*, *Ludicras*, *& ad speciem Confictas*. Sed de hoc genere hæc sufficiant.

SECTIO XI.

Authores, & Laudatores Unguenti Armarii plerique vel apertè improbi, vel meritò suspecti.

1. UT antea *Characteres Goclenianos* rejecimus, tum aliis rationibus, tum quòd (paucis exceptis, miserè in fraudem inductis:) quotquot eos vel finxissent, vel laudassent, homines fuissent, vel *hæresi*, vel *Magiâ* infames: sic mihi visum modò ostendere, *Unguentum Armarium*, & *Magneticam Curationem*, inventum esse *Diabolicum*, pluribus quidem Rationibus; sed præ aliis, ostendendo, cujusmodi hæc *Curatio* habuerit, inter homines, *Authores*. Omnino enim credibile admodum evadet, nihil boni esse posse, quod viri minimè boni, primi invexerint: potissimùm, si præcipui Sectatores, & tutores, vel sectâ, vel doctrinâ, vel moribus, similes fuerint Authoribus. Igitur ad rem. *Author*, etsi *Diabolus* censendus est, inter homines tamen primus hoc *Unguentum*, & hanc *curationem* prodidit

2. PARACELSUS, de quo, cùm plusculum habeam, quod dicam, propriam illi Sectionem dicavi. Hîc tantùm, quantum res feret, probabo, ante illum, neminem Unguenti meminisse. Si erro, authores erroris mei habeo *Paracelsistas* illustres, & *Ollâ Goclenianâ* inunctos. In *Basilica* sua *Chymica*

Sect. 11. Aut. Ung. Ar.

vocat *Osvvaldus Crollius Unguentum Sympatheticum* PARACELSI. Quid aliud causæ putem, quàm, quòd eum Inventorem existimârit? In eadem sententia esse *Libavium*, ex illis verbis colligitur, paulò antè relatis: *Paracelsis usitata.* Sicut enim Aristotelici, quæ docent, ab Aristotele accepisse censentur; ita hic. Nec alia mens *Joann. Ernesto Burggravio*, dum in sua *Lucerna* vocat *Curam Magneticam ex mumia* PARACELSI. His magnis, hac quidem in re, Authoribus potiùs credo, quàm *Goclenio* meo, qui *Paracelsum* non *Authorem*, sed *Illustratorem, & Amplificatorem*, agnoscit (Ung.) ac interim neminem anteriorem indicat. Quinetiam *Baptistam à Porta*, idem cum Crollio sensisse, ibidem addit, lib. 8. c. 12. *Refertque*, inquit, *ad Autorem Paracelsum.* Sed nota est *Goclenii* jactantia vanissima. Meminimus, illum suprà minatum nobis *Imperatores, Reges, Principes*: ac mox in aciem induxisse *unicum Monachum*. Bruta fulmina. Maneat ergo, secundùm *Cacodæmonem*, hujus superstitionis primum Authorem fuisse Paracelsum, hominem rogo dignissimum, ut non ita multò post clarè apparebit. Huic adhæret

3. OSWALDUS *Crollius Veteranus Hassus*, tum totâ suâ passim doctrinâ, tum hac unctâ Magneticâ. Videatur ejus *Basilica, Francofurti* edita, *impensis Godefridi Tampachii* maximè pag. 278. & seqq. Hic homo, nisi *delirio* excusetur, *Paracelso* impietate planè geminus est. Optandum quidem, ut ejus *Basilica* igni expietur; sed si cui est in manibus, qui nihilominus lecturus sit, quæ dicimus, intelliget, si *Præfationem admonitoriam* legerit, *Paracelsi* impietatibus refertissimam. Porrò de nostro *Unguento Armario*, & ejus usu, incredibile est ei, qui non legerit, qualia deliret, pag. 278. quomodo *Telum* inunctum servandum, & observandum: quàm accurata *signa* edat valetudinis vel invaletudinis hominis vulnerati, longè licèt absentis. Sequitur

4. JOANN. ERNESTUS BURGGRAVIUS, propter duos sacerrimos libros, infrà propriâ Sectione memorandus; Qui ut multas alias nugas, ita *Armarium Unguentum* deprædicat mirificè, tum in Panopolo, pag. 84. tum in Lucerna, pag. 123. Qualis autem, & quàm pius sit, ex fructibus ejus mox cognosces.

5. BAPTISTA à PORTA, si Goclenio credimus (Ung.) hoc Unguentum probat lib. 8. cap. 12. Verùm, quia editionem illam videre non potui, nihil addam, nisi hunc Scriptorem, pridem, & multifariam meritum, ut apud pios, & intelligentes, de *impia Magia* sit suspectus. Alii sunt plures, qui etsi apertè, quod sciam, hanc tam securam *Curam* non deprædicant; censendi tamen sunt ejus fautores, quòd similia quædam *Agentia, procul*, item, ut Olla Goclenii, *vim suam jaculantia*, venditent. De his, suo loco. Sed quod aliquoties verissimè dictum est, esse hujus fœtidi Unguenti primarium *Authorem*

6. DIABO-

6. Diabolum, ex simili intelligi posse videtur,(etsi sponte ex eo id sequitur, quod neque *naturaliter* quicquam efficit, ut ostendam; neque Dei *peculiari privilegio*, per se, aut beatum Angelum, ordinariam *Naturæ* effectionem transcendentis) ex simili, inquam, intelligitur Diabolus *Ollæ Goclenia Author*. Quid ni enim, cùm sine controversia Author sit *Ollæ*, & *Unguenti*, quo perunctæ *venefica* per aëra feruntur? Utrumque *Unguentum* est,& utrumque requirit Sanguinem Humanum. De suo Goclenius fatetur. De altero *Gaudentius Merula*, lib. 1. Memorabilium. cap. 13. *Unguentum Lamiarum fieri compertum est, Pinguitudine puerorum.* Et passim idem docent, qui ex publicis earum confessionibus id didicerunt. Eo distant hæc *Unguenta*, quòd per illud volent (scio, *Unguentum* nihil ad rem facere *Cacodæmon* vehit) aut volare fingantur *veneficæ Mulierculæ*; at per hoc *venefica qualitas*. Sect. 12. Bombast. Parac.

SECTIO XII.

PHILIPUS AUREOLUS *Bombastus Theophrastus Paracelsus Magnus ad Hohenheim, Eremita Philosophus, Medicus, Theologus.*

1. Satin' hoc est *Nominum*? Satin' *Epithetorum*? Minimè verò satis. Alia in eum congeruntur Elogia. Mirifica sunt, quæ mentitur de eo *Crollius Præfatione Admonitoriâ*, p. 63. & seqq. Sed compendium ejusmodi mendaciorum edidit inter alias suas lyras, ex Acherunticis *Fraterculis* unus, Adamus Haselmeyer, Epistolâ ad ff. R. C. adjunctâ *Famæ infami*. Nam pag. 89. Germ. *Francofurti* 1615. hæc fanaticus delirat: *Beatissimus Eremita*, & Sophorum Monarcha *Theophrastus Paracelsus, Magus*. At pag. 99. & 100. planè *arreptitius* videtur, ut credas, non tam ipsum, quàm *Satanam*, illius *Fraternitatis Caput*, ejus ore loqui. Judica, Lector. *Theophrastus* inquit, *verus sublimis Monarcha fidelium sophorum convivii Domini 4. Esd. 2. qui est in longa vita Paradisi, Ecclesiast. 44. juxta sapientiæ suæ thesauros, Isa. 45. cujus doctrina recta, & sine macula, in æternum florebit cum sapientibus dei, Sap. 4. & 6. neque diaboli infernalium portarum ei poterunt prævalere.* Quibus ultimis verbis, (ut cæteras Blasphemias omittam) manifestè *æquat Bombastum Christo*, qui super Petram-petrum sic *ædificavit Ecclesiam suam, ut Portæ Inferi non sint prævalituræ adversùs eam*, Matth. 16. 18. Hæc & similia insana Encomia, videamus, quàm rectè in *Eremitam* istum conveniant, sive *Vitam* ejus spectemus, sive *Doctrinam*.

DE

Sect. 12. Bombast. Parac.

DE VITA BOMBASTI PARACELSI.

2. PRIMUM nemo negat, quin Paracelsus fuerit *Alchymista*, atque adeò vel omnium, vel multorum Coryphæus. Atqui de *Alchymia, & Alchymistis*, ipsa *Fama Fraternitat.* (audiat delirus Haselmeyer eos ad quos scribit, & vocat Unbetriegliche/ id est, decipere nescios, Jesuitas:) in universum ita loquitur, ut vocet IMPIAM MALEDICTAM *Aurificinam.* pag. 47. multaque addat ibid. & 48. 49. quæ *Paracelsum* non minùs deprimant, & collutulent, quàm illum ineptus iste adulator extulit, & ornavit. Et ne parùm esse videatur, quòd de tota *Alchymistarum* natione sic scribant, de ipso *Bombasto* (pag. 24.) ita pronuntiant: THEOPHRASTUS DISSOLUTE, & SOCORDITER VIVENDO (mit freyen und unachtsamen Leben) TEMPUS SUUM AMISIT. Audin miser Haselmeyer/ quid de tuo sublimi MONARCHA, *fidelium Sophorum*, judicent faterculi tui, prorsus decipere nescii? Alium audiamus, historicè scribentem rem sui temporis, quam coràm videre potuit, quam partim à *Domesticis* ipsius *Bombasti* audivit. Dico autem

3. CONRADUM GESNERUM, qui in *Enumeratione Alphabetica Scriptorum Chirurgiæ*, littera T. hæc ad verbum: *Theophrastus Paracelsus nostro tempore vixit, qui Veterum omnium placitis contemptis, multa nova in artem Medicam inducere conatus est, & Medicinam per diversas Helvetiæ, Germaniæ, & Poloniæ Regiones, vagabundus exercuit, dum pecunia careret: quâ medicâ acquisitâ Vino, & Ludis deditus (ut constans fama est) nemini medebatur. Dæmone utebatur Familiari, ut ex ejus discipulo audivi: Vir naturâ, & Eloquentiâ, quàm litteris, & studio doctior. Prorsus* INCONSTANS, *nunc* THEOLOGUS, *nunc* MEDICUS, *nunc* MAGUS: *sæpe* COMPOTATOR, & ALEATOR *inter* RUSTICOS. *Latinè nihil edidit ob* IMPERITIAM *linguæ.* Hactenus Gesnerus editus Tiguri anno 1555.

4. At non omnia nôrat Gesnerus: nec libros Paracelsi legerat: alioquin plura de illo addidisset. Ego quidem non dubitem hanc Propositionem, ubilibet terrarum defendere,

NEMINEM *unquam fuisse Magum, Necromanticum, Veneficum, si Bombastus non fuit.*

Neque id opus, anxiè *alienis* testimoniis probare, cùm *ipse de se* non modò testimonium dicat, sed ultrò ea scribat, & jactanter vulget, quæ horum omnium, & plurium eum manifestum teneant. Paucis ergo illis de Vitâ hujus Trivenefici delibatis, pauca item ex plurimis, tamquam Exempli causâ ponam.

DE DOCTRINA BOMBASTI PARACELSI.

Sect. 12. Bombast. Parac.

5. CLaritatis causâ, impia ejus Dogmata proponam per aliquot *Propositiones*, quæ apertè in ejus libris continentur.

PROPOSITIO I. *Quatuor sunt genera hominum, qui ab Adamo originem non ducunt, quorum alii Igne vivunt, alii in aëre, alii in terra, alii in mari. Vocantur hi Nymphæ, Sylvani, Salamandræ, &c.*

PROP. 2. *Sermonem, & reliqua omnia homunculi isti habent cum reliquis hominibus communia; excepto, quòd animam habent mortalem.*

PROP. 3. *Ineunt conjugia cum Hominibus, qui ab Adamo ducunt originem, & Liberos procreant.*

PROP. 4. *Per istiusmodi conjugia efficiuntur eorum animæ Immortales, & participes redemtionis Christi.*

PROPOS. 5. *Tales homunculos esse, certum est. Nam Bombastus eos vidit, & familiariter cum iis egit; videnturq; frequenter ab aliis.*

PROP. 6. *Morborum Hyperphysicorum curatio frustra à Natura petitur, sed petenda est à Dæmonibus per applicationem Sigillorum, & Characterum.*

PROP. 7. *Nihil refert, à quo remedium petatur, modo curetur æger, etiamsi ab Immundo spiritu. Hoc enim Scriptura ipsa approbat, ubi ait:* salutem ex inimicis nostris.

PROP. 8. *De Curatione morbi, Magico artificio inflicti nihil est in Avicenna, nihil in Galeno, qui, ut non scripserunt, ita nec sciverunt de his rebus quicquam. Debent igitur Medici quandoque accedere vetulas,* SAGAS, *rusticos, circumforaneos, & ex iis artem istam addiscere. Nam hi de istis rebus plus sciunt, quam Academiæ Professores omnes.*

PROP. 9. *Etsi hæc rideant Academiæ Professores; tu tamen iis utere forti Imaginatione, & effectum experieris.*

PROP. 10. *Si quis super naturali morbo, aut dolore vexetur, Magico remedio malum tolli debet, quali est introductum.*

PROP. 11. *Ejusmodi Curationes Magicæ non sunt contra Deum, quia iis utimur, non ad perniciem hominum sed salutem.*

PROP. 12. *Fac ceream Imaginem similem Ægroto, adhibitâ certâ fide, & vehementi imaginatione, fore, ut per illam sanetur. Adde Magicas precatiunculas, ac denique Imaginem in ignem conjice. Liberabitur æger. Hæc omnia audacter crede, & fac, neque flocci facias, quid ad hæc dicant Theologi.*

Vide, Lector, *Editiones Basilicas*, cum dogmatibus diabolicis. At ne putes, quicqam illi à me affingi, Libri, ex quibus hæ Propositiones sumtæ, sunt, *De Philosophia ad Athenien. De occulta Philos. De Philos. magna. De cœlesti Medicinâ. De morbo caduco, De Hyperphys. morb. De vita longa.*

Sect. 12. Pombast. Par.

6. Quid ad hæc ais, D. Gocleni? Objicis mihi Villanovanum, cum quo nihil mihi unquam fuit negotii, cujus doctrinam nunquam secutus sum: & vis tamen, me fecisse, & docuisse, quæ ipse. *Paracelsus* PRIMUS AUTHOR est tui Unguenti, *primus figulus Ollæ tuæ*: Tu gratulabundus ejus doctrinam amplecteris, sequeris, vulgas, jactas, pro Mysteriis habes. Denique Hippocratem, Galenum, *Celsum* præ hoc *Paracelso*, nihili facis. Si *Propositiones* istas probas, tamquam *probas*, ostende tuum illud pium os *Academicis tuis*; & vide, an te, *ut probum, probent*: Sin rejicis, utique id facis propter impietatem. Agnoscis ergo, impium esse Authorem tui Unguenti, aut certè, ut tecum loquar, *Illustratorem, & Amplificatorem.*

7. Tales impietates faciliùs credam, illum illustrâsse, & amplificâsse, quàm *veram Medicinam. Conradi Gesneri* judicium antè audisti.

8. Accedit ad hanc *impiæ Medicinæ novitatem, verborum* peregrina vanitas, & tenebricosa *obscuritas*, ex qua, exceptis scilicet, *Initiatis*, non magis expedias, quàm ex *Nocte Ægyptiaca*. Non invidemus iis hanc *Sapientiam*, ac ne miramur quidem. Quin potius miseramur, & cæcorum istorum vices dolemus. Loquor autem, ne quis à mente mea aberret, de *Pseudo-Alchymistis*, de quibus, purgandi mei causâ, infrà agam distinctiùs. Cæterùm, inter mira inventa *Bombasti*, unum videtur esse, quod huic *obscuritati* oportunè medeatur, *lumen perpetuum*. Hæres, Lector? Seriò loquor, præstaret ille modò seriò, quod promittit. Non tenebo te suspensum diutiùs. An. 1582. Petrus Perna excudit Paracelsi Manualia duo, in quorum posteriore, pag. penult. leguntur hæc ad verbum: *Distilla ex sanguine tuo, vel* STERCORE *tuo, oleum, & fac cochiam ex alumine plumoso: post fac ardere. & ardet tam diu, quamdiu vives. Probatum est.* Utilis lucerna, sed fœtida. Utilior hæc pagella proximè anteriore. Inscriptio est, DE STERCORE. Tum sequitur: *Prima aqua ejus* (:stercoris:) *deponit maculas faciei. Ultimum oleum ejus, quod exit, si accendis*, NON CONSUMITUR IN ÆTERNUM. Rectè dixi hanc utiliorem; nam altera cum Bombasto moriebatur; hoc autem nobile vasculum TRANSIT AD HÆREDES, Et natos natorum, & qui nascentur ab illis *in omnes generationes*. Meretur utraque elogium non vulgare. Catullus nobilis Poëta, *Volusii*, nescio cujus, *Annales* celebravit noto illo versiculo:

Annales VolusI, cacata charta.

Non teneor honestiùs loqui de *Bombasti Lucernis* quàm Bombastus ipse locutus est. Itaque *æternis* illis ejus *ignibus*, æternum hoc Elogium facili, & spontaneâ eat Parodiâ, BOMBASTI FACULÆ *cacata* FLAMMA.

SECTIO

Sect. 13. Io. Ernst. Burg.

SECTIO XIII.

Io. Ernestus Burggravius Neostadius Palatinus.

1. STO promissis. Dixi antè, me huic homini *propriam Sectionem* servare. Quanquam meritò corrigam, & dicam, non *homini*, sed *libris* ejus, & *doctrinæ*, hanc Sectionem dicatam. Nam *hominem* amo, non modò communi illo nomine, quòd *homo* sit, sed propter *Eruditionem* non vulgarem, & linguæ tum Latinæ, tum Græcæ cognitionem. Doleo, ejusmodi ingenium, *peregrinationibus*, & *Pseudo-Chymicorum* cognatione, in tranversum sic actum, ut multa vulgaverit, quæ æterno silentio obruta oportebat. Hoc nomine in eorum Authorum numerum mihi venis, *Burggravi*, quos assero, Goclenio, ejusque Magneticæ Curationi nequaquam esse honori. Patere igitur, te rogo, ut, in gratiam tui, tua tibi vitia indicem, quoniam neque emendabis, nisi scias, neque scies, nisi indicata: ut, si macula turpis faciem tibi ignoranti deformaret.

2. Principio omnium horum malorum fontem vereor esse *hæresin*. Si tamen *hæreticus* es. Libri tui ostendunt potiùs esse *ambiguum Religionis*, &, proprio verbo, ἀλλοπρόσαλλον: Certè duas Religiones laudas, toto cœlo diversas. Præfatio tui *Biolychnii* Nuncupatoria, in *Julio Principe, Herbipolensi Præsule*, meritò laudat (pag. 25.) RELIGIONEM. Sed quid sibi vult, quòd *Achilles* tuus in Dedicatoria, alium Dynastam item à *Religione* extollit, qui nec ipse unquam diffitebitur, se longè ab *Julio* illo, in *Religione dissidere?* Quid te esse credam, cùm tam diversa video prædicare? Alia loca sunt, ex quibus conjectare liceat: sed omitto.

3. Jam Libros tuos inspicienti cuivis, sunt, quæ meritò admiretur, tibi, homini prudenti, & erudito excidisse. Non exagitabo singula acerbè: proponam tantum nonnulla, & Tibi, Lectoriq; relinquam consideranda.

Ingenuum in primis est, sed in te pugnat, quòd fateris passim, *non posse satis intelligi*, nedum *explicari*, quæ doces. Et tamen doces, & tantâ fiduciâ doces. Satis mihi fuerit, unum locum afferre ex *Lucerna* tua, & alterum ex *Achille*; atque utrumq; maximè pro me, & maximè contra Goclenium. Prior est ubi de Unguento Armario, quod *Illustre* vocas, dicis, Sanationem ab illo perfici ARCANO MYSTERIO. *quod* NEMO *unquam satis prodet* (nedũ pepo ille, qui tamen putat, se per sua Axiomata hoc Mysterium *manifestũ fecisse*, adeoque *sine griphis, sine ægnimatibus*. Synar. *quidquid in abditas causas de hoc ipso disquirunt*. Addis: *Et vidimus conjecturas quorumdam, accuratas sanè: sed rationes illæ, quantulũ est, quod persuadent homini Philosopho?* Et mox *Diviniores for-*

Sect. 13. Io. Ern. Burg.

narum vires sunt, quàm ut nos ductu Rationum (audi Axiomatographe) *eas investigemus.* Heu, *Burggravi!* Hæc tu tam clarè, nec tibi in mentem venit, paullò ulteriùs progredi, & ipsissimam veritatem enuntiare, nempe *Divinitatem* illam esse, quam adorant *Idololatræ*; *Satanam*, inquam, aut aliquem *Angelum ejus?* Dixi antea Goclenio, quod tibi modò simillimo modo, posse quamvis *Veneficam* de suo *Unguento* philosophari, quo delibuta,

Hoc, veluti pennis, audet se credere cœlo,
Ignotum per iter. ———

Posterior locus est in *Achille* tuo, quâ, quantulum deest, quin concedas, & ultrò profitearis hoc, quod jam dicebam, *Satanâ authore Curationem Magneticam perfici?* Nam cùm de eapse *Cura* loquereris, verba tua sunt: *Qui in abstrusissimis arcanæ rerum omnium Parentis penetralibus supra vulgi captum perspicit, iisq., occulto modo utitur, & vulgò incredibilia præstat, quæq; non nisi malorum geniorum quos Paredros vocant, adminiculo, subsidioq; edi videantur, ille Magus est.* Ingenuè prorsus, nisi quòd geminum mantellum Diabolicæ fraudi obtendis, dum & *Naturam* fingis intra *penetralia* sua hanc vim celare; & ignobile *vulgus* insinuas, præ stupore ista non capere. Nam contra planè habet. *Vulgus* enim facilè his assentitur, neque magnopere laborare solet, *quomodo* sanetur, dum sanetur. *Eruditi*, pleraque ejusmodi dum inscipiunt, hærent, dubitant, inquirunt, reperiunt, damnant. Hoc tu negare non potuisti. Agnosce iterum verba tua. *At non istud vi occultâ, & contactu Incorporeo* (necessariò hic Diabolus implicatur, qui haud dubiè incorporeus est) *Magnetico fieri, etiam qui non Indocti habentur vulgo, contendunt.* Paullò pòst: *Cætera verò, quæ adhibentur, ceremonias esse confictas in speciem, & delusorias.* Nihil verius hoc sensu *non Indoctorum.* Atque utinam tu *non indoctus* (talem te agnosco) his accederes. Sed procul te abesse ostendis, dum subdis: *Falsi sunt, & Infelices.* Infelix Burggravi! Pluris facis *Goclenium*, ne Grammaticæ quidem gnarum, nec periodum Latinam scribere doctum, quam non pudendo furto ex Lipsio describat, quàm viros *non indoctos?* At si rationem saltem aliquam afferres. Nihil tale. Quin potiùs pro omni ratione.

4. INCREPATIONES acres adhibes, & Erudito homine indignas. Ut illâ ipsâ pag. 85. *Miseri Naturæ plagiarii, & Scholasticarum gerrarum crepitacula.* Et in Lampade pag. 95. *Erunt forsitan, qui de fastuosis superciliosorum quorundum Philosophastrorum subselliis prosilient.* Modestè, Burggravi. Non meministi, te Illustrissimum *Julium* Herbipolensem Præsulem, in tua *Nuncupatoria* laudâsse, præter cætera, à *Prudentia & Sapientia?* (pag. 25.) Atqui Magnus hic Princeps ad suam *Prudentiam*, & *Sapientiam* pertinere existimavit, ejusmodi Viros in Academiæ suæ subselliis collocarē, quos tu contumeliosè *Philosophastros* vocas. Iidem tamen (pagel. 96.) *Anseres* sunt tibi, *Olori* scilicet, qui meros *Uniones* canis. Parum dico, dum te

Olorem

Olorem dico, *Suflridus* Poëta tuus, Spagyriæ Sirenophœnicem te prædicat. Equidem non invideo. Sed parùm dulcis tibi cantus est, dum Philosophos appellas, qui *Veteris* Philosophiæ retinentes, tibi ac tui similibus *Spagyricam* relinquunt. Monueras teipsum in Præfat. *Lucernæ* (pag. 18.) post effusam in illos, parùm decenter, bilem, illis verbis, honestæ mentis indicibus: *Sed intra terminos modestiæ.* At hos *terminos* quantum transgrederis, in *Panopolo* tuo (pag. 82.) dum disertis verbis, tui moniti oblitus, ita declamas: *Quicquid est tuarum, sive è Stoa, sive è Peripato argutiolarum, non paribus sophismatum strophis, & involucris diluam; sed scommate vel è stabulis, vel è triviis petito.* In hac quidem argumentandi ratione spagyricâ, cedimus tibi palmam. Nam, ut ille ait, *Contendere durum est Cum victore.* *Sect. 13. Io. Ern. Burg.*

5. Ac sic vel non tutum fuerit, vel non operæ-pretium, aliquot alia capita librorum tuorum persequi, quibus honestæ tuæ Eruditioni maculam inussisti, non facilè eluendam, nisi honestâ *Palinodiâ*, quam feliciter tibi præivit vir & doctissimus, & tibi, vel teipso judice, amicissimus. Conjectas, scio. Ego non ita multò pòst clarè tibi illum nominabo, nec sine proprio ipsius testimonio. Sed capitum, quæ jam dicebam, indiculum tantùm tibi hîc ponam, omissâ longiore tractatione: quoniam pleraque omnia in Goclenii mei confutatione vel jam jacent, vel jacebunt.

Obscuritatem & Difficultatem tuorum inventorum inculcas; in quo astutiam tuam notamus. Illâ enim, ut velo, tectus lates aut latere speras. Si intelligi nolebas, multò rectiùs tacuisses.

Secreta tua haberi vis, nec vulgari profanis scilicet. Cur ergo libros scribebas? Et quid sunt nisi fucus, tum Lucerna tua, tum Panoplia, quibus nemo uti queat?

Malignè censeat quis, te & *obscuritatem*, *difficultatemq;* prætendere, & petere *silentium*, in *Lucerna* potissimùm, quam sine magno vel verborum vel apparatus circuitu clarè concinnare docet *Paracelsus* tuus, oleo vel ex sanguine, vel ex *stercore*, distillato. Tu nimium apparatum adhibes ad rem tam facilem, tam olidam.

6. Minus tamen est, (ne te graviùs accusare videar) quàm primus libri tui aspectus præ se ferat. Nam argumenti jejunitate coactus, fecisti, quod Goclenius: Paucissima propriè ad rem; plurima extra rem attulisti. Quod idem etiam in *Redivivo* tuo fecisti.

Illud pessimum, quòd varia undique congerendo, quæ parùm ad rem faciant, superstitionibus illis tuis, ut sic dicam, *Capitalib.* alias aspersisti. Itaque cùm *Lucernas* concinnares, *Arma* cuderes, interea *Goclenianam Ollam*, *unguine* addito, *impragnasti*: *Patavinam urnam* approbâsti, nihili pendens, ipsammet litteratam de se cecinisse, se esse

PLUTONI SACRUM MUNUS———

Sect. 13. Io. Ern. Burg.

At non malè te monuerat laudator tuus, aureum nomen, *Goldmannus*, dum monet;

Urbs Patava Olibii ne jactet FICTILE FICTUM.

Quid quòd *Characteres* quosdam rejicis, & prudenter damnas; & interea alios nihilo minus Diabolicos admittis & probas? Mitto alios. At per fidem tuam, quomodo tibi persuadere potuisti, abesse execrandam superstitionem ab illo *Charactere*, qui *in Circulo descriptus Muscas glomeratim convolantes congregabat*? Scis, *Beelzebub* esse *Deum Muscarum*? hic illas congregabat, non vanissimus *Character-Nihil ille nec ausus*, *Nec potuit*. Si persistis in errore, vide, ne, præter famam, etiam Patriam amittas, & *Accaronita* fias, pro *Palatino*: nam BEELZEBUB fuit *deus* ACCARON. Sed aliquot adhuc tua σφάλματα annotemus.

7. Probas plures in homine *Animas*, & apertè unam (ex deliriis, lib. de LUNATICIS *Paracelsi* LUNATICISSIMI) quæ BRUTAM CREATURAM HOMINEM EFFICIT. Talis fuerit *Paracelsus*. Tibi ominari nolim, & nemo non brutus sibi optet.

Ponis *Animas* in iis quoque, quæ vulgò in anima habentur, ut in *stellis*, & in ipso *mundo*. Error est pridem explosus.

Porrò *Cura morborum Magnetica*, quam Biolychnio adjungis, conjuncta *Cura Vulnerum Magnetica*, facit, ut frustrà sint omnes Medici, omnes Chirurgi, omnia medicamenta, omnia emplastra. Non appono modum, ne quis ex me discat, quod in *Bombasto*, & in te seriò detestor. Quòd dixi, frustrà fore illa, hinc intelligi licet: Goclenius sanat *Vulnera citra ullum dolorem, & remedii applicationem*: Tu facis, ut *morbi nullâ potione medicâ, aliisve sumtis Pharmacis sanentur*. Quis igitur malit molestias, sumtus, dolores, incertam curationem?

Verbis tribuis mirabiles effectiones, etiam longo pòst tempore, quam transierunt. Verba das.

Imaginationem & Phantasiam magna posse fingis, etiam in aliena corpora, etiam in multos annos. Phantasticum est.

8. Sat multa de Parergis. Princeps Argumentum in *Lucerna* tibi ipsa *Lucerna, jugiter vivens cum eo, cui accenditur Mysticè*, inquis. Miserum *Mysterium*, cui *Mystes* non alius, quàm illusor Diabolus, ut & huic *Lucernæ Sinensi*. An. 1610. in Sinarum urbe Nanciana (narrant Religiosi homines, qui ibi degunt) *Lucerna* erat similis tuæ, quæ vel non extingueretur, vel extincta, etsi ægrè, mox, nullius adminiculo, recens conciperet incendium. Ad eam visendam, cùm pueri aliquot convenissent, litterarum studiosi, plerique Ethnici, conversi ad quendam Christianum, Antonium nomine, æqualem suum, Heus tu, inquiunt, jactas *Religionem* tuam *Christianam*. Agedum, ejus præsidio hanc *Lucernam* extingue, sodes. Puer annuens, & signo

gno Crucis muniens sese, facilè extinxit. Sed Cacodæmonis operâ cùm red- *Sect. 13. Io. Ern. Burg.*
accenderetur, indignatus Neophytus, ridentibus cæteris, ita eam denique extinxit, ut frustrà essent, quotquot eam reluminare conarentur. Crede mihi, similem fore tuam, si usquam ea extaret.

9. Si ingenuus esse vis, mi Burggravi (spero te velle) non ægrè hæc *monita* feres, aut, si ita vocare lubet, has *censuras*. Censes ipse graviter tuis libris aliorum *superstitiones*. Non æquum feceris, si tibi credi voles, tam peregrina afferenti sine ullis *Rationibus*: maximè cùm ipse id ultrò prædices non semel. De ipsa tua *Lucerna*, en tua verba (pa. 127.) *Experimentis hac, & talia constant, non logodædalis ambiguarum rationum enuntiationibus.* Velim à te scire, si quivis *Veneficus* de quovis suo *veneficio* idem diceret, quid illi objectum velles? Idem tibi objicito. De eadem tua *Lampade*, clarius est tuum illud, p. 118. *Cur, homine anima agente, Lampas simul vitam & flammam efflet, non in promptu magis quidem meo judicio sit expedire, quàm &c.* At ego facilè expedio, *Diabolus efflat, qui & aluit.*

10. Antequam *Lucernam* desero, notandum mihi horrendum sacrilegium tui *Goldmanni*, qui hanc tuam Acheronticam *Lampadem* præfert divinæ illi *ampullæ*, quæ *inexhaustum per totam secla liquorem* servat. At nefarius hæreticus vetat eam prædicari, & ad te conversus ait:

Æternam solus tu tradis Lampada mundo. Quid dicam huic Adulatori? *Similes habent labra lactucas.* Nunquam carmina pangat, nisi ad hanc *Lucernam*.

11. Sicut *Perpetuum lumen* præbet *Lucerna* tua, Burggravi, sic perpetuam tutelam *Armatura* tua. Id est, vel non præbet, vel *Diabolo* operam dante, præbet. Præcipuum præsidium video tibi esse in Phantasia, & Verbis, quæ usque eò valida & acuta habes, ut ferrum, chalybem, Electrum penetrent, intraque ejus viscera se condant, & illud *impenetrabile* reddant. Ægrè mihi credetur, nisi tuâ hîc verba apposuero, quæ adhiberi vis ad *Armorum fabricam*. Pag. 105. ita præcipis: *Ad incudem & fabricam stabis obfirmato animo, & Imaginatione fortiter elevatâ, & affectu exaltato: tum voce iracundâ, asperâ, infractâ, raucâ, minaci, atroci, hoc est, Martiali: tum oculis ad Basilisci obtutum intensis operi irradia, & Martialiter aspira tali Carmine:*

Auspicio Martis bene cedat Fabrica, & Artis,
Arma mihi cudo, celo aspirante secundo,
Quis possit duri vis nulla nocere metalli.
Sed pavor, & terror perturbet, mentis & error,
Hostem acie in cuncta, ut nequeat consistere puncto.

Mox addis: *Inspira fortiter, & anhelitu ei incumbe Martiali, repetitis, quoties operi congruum, numeris:*

Ut lupus ignavos nocturnus territat agnos,
Ut timidus sævos exhorret Dama Molossos:
Sic quoq; præcipitem incutiant hæc arma timorem.

Sect. 13. Io. Ern. Burg. *Iterum hîc aspirandum, & inspirandum operi Martialiter:*

Contrà præsente ut nequeat consistere mente.
Irrita tela dabis, quicunq; minabere nobis.
Obvius his armis, quiq; ibis, abibis inermis.

Hîc Martialiter, ut poteris, iterum inspirato, & repetitis inter Pyracmonas, numeris, fortiter ingemina:

Hac veluti flammâ mollescit Martia lamna:
Hoc veluti flictu Electrum durescit, & ictu:
Sic quoq; mollescant, & pectora dura liquescant,
Præq; metu rigeant, pavidoq; tremore fatiscant.

Et talis quidem est, inquis, *ab Imaginatione Martialis inspiratio, cujus nemo vires refutat, nisi qui in omnibus Arcanis profanus Hospes est.* Ita tu.

12. Ægrè mihi persuadeo, te hæc legere vel audire sine pudore. Ego quidem neminem adhuc inveni, quin *rideret ad vecordiam, ringeretur ad impietatem.* Non attendis, cui illam ferream, ut sic dicam, *Impenetrabilitatem* attribuas? cui? Nempe tuæ *imaginationi*, quæ *somnio* est quam simillima. Cui? *Voci*, quæ est *momentanea aëris percussio*, cui? *aspectui*, qui fit non *emittendo* quippiam, sed *admittendo*. Postremo, cui? *aspirationi, inspirationi, anhelitui*, qui, quid aliud est, quàm *fumus* quidam à pectoris foculo protrusus? De his tamen tu agis, tanquam si sint *fusile* aliquod *Electrum*, quod reliquis Metallis misceatur, iisque potissimam vim tribuat. Fingunt fuisse, nescio cui, Ferream Vocem. Tu multò plus dicis, nec fingere videri vis. Nam dum loqueris, erunt verba tua non ἔπεα πτερόεντα, (ut aliis hominibus, atque adeo Heroibus, ipsisque Homericis Diis) sed tamquam si

—fluat Æs rivis, Auriq; metallum
Vulnificusque Chalybs vastâ fornace liquescat.

Et tamen *qui ingentes has vires refutat, Profanus hospes est.* Equidem in talibus *Sacris* non invitus sim *Profanus.* Sed jam sat multa tecum, Burggravi, si priùs & LUCERNÆ tuæ & ARMORUM concinnationem tuis ipsius verbis, ut pulcro compendio, conclusero. In Nuncupatoria tui Biolychni pag. 21. loqueris de tui similibus, id est, ut ego interpretor, de quibusdam *Pseudo-Alchymistis*, in hunc modum: *Magni Ostanis hæredes sunt illi spagyri, qui* (VULCANO Diabolicus hic est) *Artium omnium Inventori* (sic hic Diabolus Divinitatem sibi vendicat) *tam chari sunt, ut ejus beneficio* (vide cujus tu & Goclenius sitis Beneficiarii) *quidlibet benè educant è quolibet.* Verissimum de Te fratribusque tuis, judicium, nisi quòd illud QUIDLIBET tandem est NIHIL. Jam claudenti mihi hanc Sectionem, aurem vellicas, & objicis pro utroque tuo libro magnum nomen, magnum testem, Amicum tuum RARO VIRIUM INGENIO, ut eum prædicas in Achille tuo. p. 55. Hic ille est, quem paulò priùs dicebam, tibi præivisse nobilem

Pali-

Palinodiam, MARCELLUS inquam FRANCKHEIM, I.U.D. Consultissimus, Scientiarum, Linguarumque scientissimus, cujus est ad tuum *Achillem* ἐπίκρισις ϛοχαϛικὴ, & ad te Epistola, præmissa *Lucernæ* tuæ. De hoc, Burggravi, ne nimis tibi plaude. Ignorare non potes, eum *Religionem* mutâsse, & *Catholicæ Ecclesiæ*, cujus, per Baptismum, membrum factus erat, per hæresin avulsus, sese obedientem filium reddidisse. Sed addo alterum, si fortè ignoras. Idem cùm hæresin abjuraret, *raro* illo, quo illum esse dicis, *ingenio*, & judicio (sed in primis Divinâ gratiâ cælitus illustratus) vidit, *superstitiones* illas tuas, & similes, sibi relinquendas. Id ut liquidò non tibi modò, sed omnibus constet, & maximè *Pseudochymicis*, describam hîc Epistolam ejus ad ARNOLDUM à BOECOP. Societatis Nostræ Religiosum, cujus *autographum* penes me habeo, quæ sit vice *Palinodiæ* & Augustini exemplo, *Retractatio* duarum illarum, quas dixi. Ponam autem, ipso Authore non nolente: quoniam aliter minimè probandi exempli res sit. Et quidem integram dabo, uti eam exaravit, ne nimium mihi sumpsisse videar in alieno opere, si quid meo judicio truncavero. Quamquam quæ de Holtzemio (quem ego virum nullus novi) non magnopere ad meum institutum facere videantur. Quæ verò de me, ignoto prorsus, & hactenus non viso, nimis benevolè aspersit, non agnosco. Sed audiamus ipsum. *Sect. 14. Marcel. Franck. Abdic.*

SECTIO XIV.

MARCELLI FRANCKHEIMI. V.C.

φλυαρολογίας Pseudo-Chymicorum abdicatio. Epistola ad Arnoldum à Bœcop, Soc. JESU.

Arnoldo Honorio à Bœcop τῷ παναρίςῳ ἀρχαιοτρόπως τῇ ἱερολογίᾳ ἐντρίβειν, καὶ εὖ διάγειν.

1. N*On indelectatum me Petrus Holtzemius Medicinæ Professor in Ubiorum Academia, dimisit facetâ illâ sui hellebori essentiâ: apud quem ipsa Euphrosine, Aglaia, Pasirythmie, Gelopœia, omnesque Charites sint inficetissimæ: quâ Helleboropœus ipse nescio quas in me dicturus affanias, sibi ipsi corporis superiora purgavit, ne quid humoris melancholici, vel biliosi, ad domicilia usque animi (ut Agellianâ dicam Phrasi) redundaret, & lepores istos cum Gratiis perturbaret. Sed non lubet* ἀντιρρητορεύειν καὶ ἀντιφάρμακον *reponere. An isto, quo scribis casu,* ὦ ἀντάδελφε, καὶ δύο δή μοι τῶν γνησίων τ' ἀδελφῶν καὶ ἀγαθῶν ἀντάξιε, *meum silentium unius itemq; alterius hebdomadis, tibi indicio possit esse, mei à tuo discrepantis judicii, super editis olim in gratiam Burggravii epistolis? Si compromittis in Paulum nostrum, cecidisti istâ tuâ conjecturâ.* Qui tacet, *inquit,* non utique fate-

Sect. 14. Marcel. Vranek. Abdic.

tur, sed tamen verum est, eum non negare. *Quod civilis Sapientiæ consultus ille videtur ex altioris scientiæ perito Siracho nostro hausisse, ubi ait:* ἐστι σιωπῶν, οὐ γὰρ ἔχει ἀπόκρισιν. *Si litteras non unas repetis, vides in tuam sententiam me non abripi, sed ad nutum duci. Et quidem utar avidè istâ occasione, quâ superstitionum omnium Exverras parat edere Societatis vestræ Theologus, cujus Dissertationem de superstitione, Theologicam, ad me Kal. April. M. DC. XV. Augustâ Trevirorum ablegâsti. è qua ut ex ungue leonem, sic ingenium æstimo Viri illius acre & rarum: qui stilo suo penitus Goclenium transfixit, & reliquit occisissimum. Cujus ego modestiam pluribus hîc non onero.*

Ipsa mihi oportunitas non potuit opportunius Advenire ——

quàm hoc viri, quod ais, institutum, præsertim cùm aliquid publicè pro innocentia mea dicendum sit adversus libellum illum famosum, quem in me potissimùm, ut colligo, edidit ille Medicus, qui cap. 1. ubi Christianus, prudens, & honestus vult haberi, me in Barathrum detrudit illorum, qui ex fraude, fallaciis, mendaciis toti constant. & cap. 2. eundem me videtur rejicere in secundum, quòd statuit, genus hominum, cui non tribuit quidem nihil litterarum: sed à desperatione ad Medicinam ivisse ait, convitiis multis. Imò verò mox in tertium genus hominum vult deportatum, quòd DEUM *immemorem fraudis sperare, oblitum melioris famæ, res superstitiosas pro veris medicamentis, toti mundo, quod Apostatæ Judæi circumforanei solent, obtrudere contendit: idq; eò loci, ubi hoc Ciceronis monitum sibi ipse præscribit; ut primò acerbitate careat monitio: dein' objurgatio contumeliâ careat. Sed hoc ipso bilem sibi recolligit, quòd irasci proprium sit Peripateticorum, adeò, ut qui non possit exacerbari, vir non sit. Quo impetu Peripatetico, eò processit, ut me inter illos errores abjicere, qui ex prosapia Caini, &c. titulo Doctorali illicitè gaudent, &c. nihil pensi habuerit. Cap. autem 8. non satis illi fuit, dicere, meas aures occlusas veritati: nec recordari, conscientiæ bene actæ vitæ memoriam esse jucundissimam: itemq; me (: ad instar sc. Phormionis illius ridiculum, qui coram Annibale, nescio quid de re bellica, disputavit:) arrogantiâ & verborum meorum pompositate ebrium existimare, id mihi deberi, ut quicquid dixerim, aut scripserim, id ipsum, velut eruditum, omnes suspicere, & approbare: nisi vulgo persuadere satagat, me neque jus, neque bonum, aut æquum scire: tum verò & Dardanarium esse,* καὶ κακοδαιμονοκρατούμενον, *qui medicinam non divinum, sed Magicum esse munus credat, &c. Quid agis, mi Holtzemi? loqueris non tantùm ligna (unde Gentilitium tibi nomen) sed & lapides, & cruces, & ignes, ubi* ἰλιάδα τινὰ ἀσεβημάτων καὶ καθαρμάτων *in me declamitas. Quid ego contra? non agam tecum summo jure, quo intestabilis ex lege jubetur esse, imò verò capitali supplicio l. unic. C. de fam. lib. plectitur, non tantùm is, qui libellum famosum edidit; sed & is, qui inventum non corruperit, vel igni consumserit, sed vim ejus manifestârit. Age verò, cùm ab eodem Imp. Val. d. l. cautum sit, ut hujusmodi libellus alterius opinionem non lædat, & ego* ἀπάθειαν *tibi Peripatetico, ut apparet, inexploratam*

serio

ſeriò meditor, non ex Zenonis, ſed Catholicâ Chriſti diſciplinâ edoctus, pœnâ talionis non experiar. Imò verò injurias, etſi atrociſſimas multas, ne quidem ad animum revocavi ſemel, qui nec civiliter, nec criminaliter adverſus te agere cuperem. Sect. 14. Marcel. Vranck. Abdic.
Ex Satyrographo ſine bile & ſatyra liceat mihi tuâ pace verum dicere:

> Diluis Helleborum certo compeſcere puncto
> Neſcius examen vetat hoc natura medendi.

Fidem tuam, mi Bœcop, non incuſo virum, nec ad helleborum, quod eſt olim in Anticyra, citiùs meliùs properare jubeo, ſed excuſo, quia pronus eſt in affectum illum lapſus, ex Pindaro meo:

> ἁι δὲ φρενῶν ταραχαὶ
> παρέκλαξαν καὶ σοφόν.

Vt enim oculus, in quem phlegma illapſum eſt, non perſpicit; ſic mens, in quam affectus:

> Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

In me fecit impetum? non magis ſuccenſebo, quàm ſi impegiſſet in me cæcus aliquis, nec adeò ſum delicatulus, ut malim à me repellere, quàm in viam reducere. Firmiorem offendit, quàm ut aurulâ quadam vocis inconſultæ inaniſſimâ, & papyro impelli poſſet: armatiorem, quàm ut pertingeret, quid dicam, penetraret? Vt Socrates, Diogenes, & alii olim Philoſophiæ ſcuto; ſic ego legis Evangelicæ clypeo illas res, quas vulgus pro intolerandis habet injuriis, & ob quæ Græci bellum Trojanis moverent; ut autumni folia, rejicio. Si quid moveor, in hoc uno eſt, ejus vicem doleo, qui iſto ſuo de me judicio tam graviter fallitur: cujus ego nebulas facilè diſſipo, vel perrumpo luce iſtâ hujus conſcientiæ, cujus mihi teſtis DEUS, *& tu, cui hæc ſcribo, cum paucis bonis. qui mihi theatrum hoc orbe toto auguſtius.*

Ad ἀνακεφαλάιωσιν *Epiſtolæ, quam* Biolychnio *præmiſit amicus quondam meus* Joann. Erneſtus Burggravius, *cum redaccingo me, in hoc reperio verſari me, ut pro Chryſopœia coner aliquid, &* θαυματοποιίαν *quorumdam admirer ſine dolo malo. Imò verò crediderim licèt, ſic vulnus ſanari poſſe citra remedii applicationem, ut morborum ſanguinis derivatione, virtute illâ, quam ajunt, Chemiſtæ Magneticam; an idcirco Sexcentoplago nomen indetur mihi, aut verberea ſtatua ero Holtzemio? Cætera enim facti & ſenſus alieni ſunt, quem ego præſtare non teneor.*

In EPICRISI, *quæ Achilli Redivivo præmiſſa eſt, pro Panoplia illa Burggravii, dico aliquid &, ſecutus Platonicos, Arabes & Italos quosdam, Ptolemæum, Aphrodiſæum, Porphyrium, Artephium, Thebithum, Pomponatium, Mizaldum, tentavi, neſcio quid, contra Hippocratem, Galenum, Jureconſultos, & Theologos multos; ac potiſſimùm contra diviniſſimum Aquinatem, & Gregorium de Valentia: ubi contendunt, Imagines Aſtronomicas naturaliter ad nihil operari; easq́; non aliâ quàm Dæmonum malorum cooperatione, ad aliquem effectum, vi ſuâ quadam pollere, quod à me quo ductu conſilioq́; factum ſit, ne moleſtum ſit paucis intelligere.*

Sect. 14. Marcel. Franck. Abdic.

Incidit ante annos IIX. circiter in Batavia, & ante annos VI. iterum in Gallia in me Joann. Ernest. Burggravius ille, & nescio quid ἀγλαίσματος καὶ διακοσμήσεως à stilo meo petebat sua Pyrotechniæ, & arcanis nescio quibus Eleusiniis spagyricis: quorum ille penes se κέρας ἀμαλθείας mihi persuadebat. Ego, qui, virgulâ quâdam divinâ, repertum mihi hominem opinabar, festinato aliquid σημειογραφεῖν, in Chaos illud Philosophicum, & in Apodyterium Naturæ Universalis inhiare, omnia ex præscripto concinnare, nihil intactum relinquere, ille contrà mihi spem ex spe nectere, varia polliceri; quæ referre nihil attinet. Qui candidè curateq; legit utrumque Logismum meum, videt subitò nihil non tributum amicitiæ; superstitioni nihilum: nisi quòd re inexploratâ, superstitiosiusculè habui amicitiam, quam Germanus ille tum mihi deferebat, & ego nimiùm candidè accipiebam, cùm debuissem antiquum illud cogitare, νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιςεῖν. Quod, dum ageres Herbipoli, non te fefellit. Repete, sis, tuas litteras, quas Nonis Sextil. anni M. DC. XIII. ad me emisisti, & agnosce verba tua. Sed nec ego tam stolidus sum, ut judicium illud tuum aliò traham, quam in gratiam Burggravii tui, cujus amicitiæ ergo id te ingeniosè magis, quàm ex animi sententiâ posuisse certus sum, *& apta numero meas, quas edidi ad te VI. Eid. Sept.* τοῦ θεανθρωποσωτῆρος *M. DC. XIII. agnoscis illa verba, quæ ex iis exscribo?* ἐπίκρισιν illam, quam laudas? ago gratias, quòd ames adeò, ut tuum illud alioqui solidum judicium adeò in nobis sub amoris pondere vacillaverit, quòd hoc uno saltem constans fuit, ubi meam ab Aquinate illo Sancto reprehendis dissensiunculam. Tibi verò quid in mentem venit? Dic seriò Bithumné cum Bachio commissum putasse? an me Pygmæum cum Hercule? Quid me χύτραν πρὸς πέτραν; Illud tamen si liceat pace Divi Magni, hactenus senserim; Imagines Astronomicas non pollere suâ vi, ex operatione malorum Geniorum: sed influentiis modò commensurationis sociatos etiam effectus edere congruos. Quod si non est; haut pro ista mea opinatiuncula servos ad pilleum vocavero. Et odi ego

—ὁμῶς αἰδαο πύλησιν

ἐνςάτας illos, quos vitâ citiùs quàm sententiolâ exueris. De me, verus es Delius. Sic argutari libuit in amici gratiam. *Plurium ἀμοιβαίων, quas uterque habemus, non recito argumenta, quibus idem, quod dixi, clarè adfirmo: nempe, quòd nugas illas Chymicas, gerras germanas, & ædepol lyras lyras, ut jam olim deservi, ita nunquam seriò adseruerim, cujus rei testem habeo φέγγυθον, quem nos dicimus omni exceptione majorem, quod ego jurato jure in supplementum probationis illius semiplenæ porrò ausim confirmare.*

Pro Burggravio, etsi quid agat, jam triennium, quo à me abfuit, aut ubi agat, non habeam dicere, istud me sponsore, si tibi sum idoneus, habeto; nihil ipsum dolo malo pro superstitione tentavisse: sed hoc, quicquid est inusitatæ paraturæ, in Biolychnio & Achille, in vulgus editum, quo se quoq; posset Tollere humo. Facilè venaturam naribus facis, quid rei sit reliquum.

Quod

Quod in mea causa, ut ex te jam olim scivisse autumo, sic ex me nunc istâ occasione quam scribis, sciat pervelim Eximius ille Societatis Vestræ Theologus Johannes Roberti, quem, ut par est, non laudo, quòd neque ipsi audire volenti sit, ac me dicere supervacuum. Cujus Viri ungue, & obeliscis, erratorum pœnas luat, quicquid est in istis schediis Alchemisticæ φλυαρολογίας; quam ego eo animo, quem dixi, antè edi passus sum, quàm itum est in sensum, & consensum Ecclesiæ universalis ἀρχαιόπλουτον omnis veritatis, quam non vident quotquot Circes istius Reformaticis, seu Transformaticis, Novatrice tacti virgulâ, sic obbrutuerunt, ut non magis formæ pristinæ velint restitui, quàm Grillius ille, de quo est apud Plutarchum, qui rationibus ab Ulysse permoveri non potuit, ut in hominem redire cuperet. Vale, & hoc age, ne Burggravius olim, & jam nunc fortean meus, cum Paracelso, Goclenio inter stryges, & Telchinas vapulet. VI. Eid. Octobr. Gregor. M. DC. XVI. τοὺς οἰκείους φίλους προσαγόρευσον ὡς ἀπ' ἐμοῦ. Zutveniæ olim nostræ Sect. 14. Marcel. Franck. Abdic.

Tuus ὁλοψύχως:

Marcellus Franckheimius.

Hactenus Epistola magni illius Viri, & magni Amici tui, *Burggravi*, quem neque nunc amorem in te desinere vides. Lubet ex hoc amico benè tibi ominari. In Epistola ad te, præmissâ tuæ Lampadi, optat tibi initio εὐζωίαν, & εὐπραξίαν. Spero fore, ut clemens ille DEUS, qui illum benigno oculo respexit, te quoque respiciat, & utrumque, Hæresi, & φλυαρολογίᾳ abdicatâ, tibi concedat. Nec abhorret à pio meo omine, quòd εὐπραξίαν tibi vovet περὶ τὰ χυτικώτερα. Nam etsi id vocis accepit pro ea re, quam tum tractabas; longè tamen nobiliore intellectu accipi nihil vetat. Scis quo? Nihil est, quod vel savius animis nostris infundatur; vel ipsos animos & mentes, & corda nostra in DEUM diffundi promptius faciat, quàm ipsius DEI GRATIA, & CARITAS, quæ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν. (Rom. 5. 5.) Utinam sic ampliter diffundatur in tuo Corde, ut ego opto in meo. Hoc tam ex animo voveo, quam illam ipsam gratiam, & caritatem mihi adesse, me roborare, & tandem ad illam *Gloriam* deducere, in qua faxit Gloriosus ille DEUS, ut aliquando te videam, & tam felicem mutationem æternùm gratuler. Amen

SECTIO XV.

Actio in Distans.

1. SAtis cum Burggravio actum, Ad te redeo, Goclemi, quamquam à te non abii. Sed, quia pridem animadverti, te non esse ex acutissimis, etsi alios *Bœoticos* vocare soles, ne me fortè tuo more vagari censeas;

 velim

Sect. 15. Actio in Diſtans.

velim memineris, me Sect. 11. enumeràſſe *Authores* aliquot, qui præ cæteris *Unguentum* tuum *Armarium* probâſſent: idque eo fine, ut intelligerent Lectores, à talibus nihil admodum boni fluere potuiſſe. Ex iis cùm eſſent *Paracelſus*, & *Burggravius*, duabus deinceps ſectionibus de iis breviter actum eſt. Et quoniam poſterior duobus libellis ſuis nihil habebat ſolidius authoritate *Marcelli Franckheimii*, Sect. 14. ea illi & ſimul tibi, tuæque *Ollæ* ademta. Pergamus jam aliis rationibus oſtendere tui *Unguenti* impiam vanitatem.

2. PRIMA, & capitalis ſit, hac Sectione tractanda, Quod nullo modo vel NATURA rerum patitur; vel hominis ingenium aſſequitur, ut fœtidum illum *Unguentum* in hominum *procul abſentem* agat, ejusque vulnus.

Scio, Quæſtionem eſſe apud Philoſophos, & Theologos, *Sitne aliquod Agens, quod in corpus Diſſitum agat*. Sed & hoc ſcio, vulgo à pluribus, & ſapientiſſimis in utroque genere, id negari, adeò ut & *Angelos* velint adeſſe rei, in quam proximè agunt (id eſt, à qua actionem inchoant) etiamſi non neceſſariò adſint vel poſtremæ ejus parti, vel corporibus deinceps cohærentibus: & ipſum Deum proximè adeſſe omnibus rebus probent, ex eo, quod in omnes res agat. Hæc, qui accuratè tractata & explicata velit, videat Noſtrum *Franciſcum Suarez* in Metaphyſicis, tom. 1. Disp. 18. ſect. 8. Me fuſiùs de iis agere neq; inſtitutum patitur, neque propoſita mihi brevitas. Et fruſtrà meo Goclenio hæc talia proponam, qui & diſertè profitetur, ſe *Senſuales* Philoſophos (: ſic vocat, quotquot *Pſeudochymicas* nugas non ſequuntur:) ſtolidos, & miſerandos cenſere; & hactenus in ſcribendo & reſpondendo ſic ſe gerit, ut ſpes non ſit, eum decimam quamq; partem percepturum eorum, quæ hanc in rem afferenda ſint. Tamen, quia omitti non poteſt, quin aliquid ſaltem breviter indicetur, afferam Authores præcipuos, & Argumentum, ut ſic dicam, fundamentale.

3. AUTHORES ſunt Ariſtoteles 7. Phyſic. cap. 2. & lib. 1. de Gener. ca. 6. iisdemque locis Interpretes. Tum D. Thom. 1. par. q. 8. art. 1. & 3. contra Gent. c. 68. Iisdem locis Cajet. & Ferrarienſis, & alii. Capreolus item, Durandus, Richardus, Albert. & vulgo omnes in 1. ſent. diſt. 37. Sed potiſſima Authoritas eſt *Divina Scriptura*. Hoc voluit magnus Doctor Gentium, apud Sapientes Areopagitas de DEO diſputans (: Act. 17. 27.) ubi ait: *Quærere Deum, ſi forte attrectent eum, aut inveniant*, καίτοιγε οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα. Eum propè *nobis adeſſe* probat, quia *in nobis operatur*: ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καί ἐσμεν, *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus*. Item Pſalm. 138. cùm dixiſſet Propheta, *Si aſcendero in cœlum, tu* ILLIC ES, *ſi deſcendero in infernum*, ADES, v. 8. mox v. 10. ſubdit: *Etenim* ILLUC *manus tua deducet me*, ὁδηγήσει με, *&* TENEBIT *me*, καθέξει με *dextra tua*. Vides, Lector, quàm diſertè DEUM mortalibus *adeſſe* oſtendit, ex eo,

quòd

quòd in iis *Agit?* Atque adeò significat non *Acturum*, nisi ADESSET. Et tamen stolidi erimus Goclenio, nisi credamus, *Ollam* ejus etiam ibi *Agere*, unde longissimè *Abest*. Quanto ego rectiùs: *Diabolus* in vulnus illud agit, in quod Olla, tanto intervallo remota, nihil potest: Ergo, ut Olla abest, ita Diabolus adest? Tantum de Authoritate. *Sect. 15. Actio in Distans.*

4. RATIO verò potissima ea mihi esse videtur, Quòd cùm *Operari* sequatur ad *Esse* (ut Philosophorum phrasi utar) ubi *Esse* non est, intelligi nequit esse *Operatio*. Sicut enim, quod planè non est, nihil omnino agere potest; ita quod Constantinopoli, quod in Conclavi tuo, quod ad vulnus tuum non est, ἀδύνατον est, ibi operationem suam exercere. Intelligendum autem, debere Agens adesse *immediatè immediatione suppositi*, ei Subjecto, in quod primum recipitur Actio, sive proximæ ejus parti. Ut cùm Lucerna aërem illustrat, necesse est, Lucernæ flammulam, à qua Lux diffunditur, proximam aëris partem immediatè attingere. De immediatione porrò, quam vocant *virtutis*, nulla est difficultas. Fatentur enim omnes, Agens sic immediatè attingere quodvis patiens, in quod agit, quantumvis supposito sepositum. Sed hæc immediatio nunquam est sine illa priore. Hæc doctrina adeò est certa, ut ille Argumentis alioqui redundans Aristoteles, satis tamen putaverit, eam sine omni Argumento ponere, contentus EXPERIENTIA, quæ in rebus Naturalibus mille rationum instar obtinere debet. Hinc etiam consentiunt omnes, sicubi VACUUM esset, nullam in remotum corpus patrari posse Actionem, quòd videlicet deesset, quod Actionem immediatè reciperet. Hinc ubi corpus occurrit, incapax Actionis, aut Effectus, cessat Actio, quæ alioqui deinceps in dissitum corpus facilè ferebatur; solum, quia id corpus Actionem recipere, & propagare non potest. Exemplum clarum est, si januam objicias lumini, quod à Lucerna; Cessat enim Illuminatio. Sic Lunæ corpus Soli objectum Eclipsin nobis parit.

5. Cùm autem Creata omnia FINITAM quandam vim obtineant, & alia aliis majorem minoremve; efficitur, ut aliorum ulterius pertingat Actio; aliorum brevioribus terminis coerceatur. Philosophi vocant cujusque SPHÆRAM ACTIVITATIS. Hinc major ignis majorem aëris portionem calfacit, majorem lumine collustrat.

Illud etiam addendum, quod suprà tetigimus *Cœlestia* corpora, ut tantò nobiliora, & ab Authore suo eò creata, ut *præssent diei & nocti* (Gen. 1. v. 16.) aliisque modis Inferioribus prodessent; ad id viribus quoque ab eodem summo DEO, donata fuisse amplioribus & qualitatibus eo, ut ita dicam, *Regno* dignis. Itaque Sol, quantumvis sit dissitus, tamen *non est, qui se abscondat à calore ejus*. Psalm. 18. 7. Habent item eadem Corpora *Sphæram suæ Activitatis* multò ampliorem.

Nihilo-

Sect. 15. Actio in Distans.

Nihilominus etiam ipsa, lege illâ tenentur, quam dixi, ut agere in aliud non possint, nisi proximè attingant id, unde agere incipiunt. Et quidem id intelligendum de *præsentia & contactu corporeo*, ubicumque agens *corporeum* agnoscitur.

6. His ita positis, tanquam certissimis, sunt quædam circa Ollam Goclenianam, quæ nemo intelligat, aut intellecta figmenta nemo probet. Proponam distinctè paucæ.

I. Fatetur Ollifragus, *Nullam actionem naturalem fieri, nisi agens vel corpore vel virtute, vel qualitate aliquâ, rem, quam efficere vult tangat* (Synar.) & tamen *Unguentum curat vulnera sine Remedii Applicatione*. Gocleni, *Ollifragium* facis. Faciliùs evaderes, si dixisses, sine *Unguenti* applicatione.

II. *Non potest Physicum agens* (inquit idem, Ung.) *agere in extremum, quin priùs agat in medium, cùm omnis actio Physica agat per contactum*. Porrò Unguentum, ut PHYSICUM agens venditat Myropœus ubi pollicetur, se facturum, ut *appareat* NATURÆ *admirabilis majestas*. Unde & *Medium agere debet, & per* CONTACTUM. Quod etsi ego non deducam, ipse disertim ponit. *Inter telum obligatum*, ait, *& Vulnus* CONTACTUM *fieri, nemo inficiaturus est*. Et tamen immediatè pòst: *Cùm principiorum hîc actio* CORPOREA *non sit*, CONTACTUM CORPOREUM *etiam requiri opus non est*. Novum *Ollifragium*.

III. SPHÆRA ACTIVITATIS huic fœtori assignatur, cui, exceptis corporibus Cœlestibus, omnia agentia Naturalia meritò invideant. Quodnam Agens novimus sub cœlis *Igni* violentius? Tamen, redeat Trojanum aut Saguntinum incendium, ardeat quicquid est usquam Sylvarum, nunquam tanta flammæ fuerit rabies, nunquam ea vis, ut, non dicam urendo corrumpere quicquam possit; sed modicè calfaciendo fovere, quod vel modico miliari distet. Et tamen (proh *Unguenti Armarii* vim martialiter armatam!) Ollæ Gocleniæ coagulum, UNUM, DUO, vel PLURA MILIARIA *vulneratum absentem sanitati restituit* (Ung.) Concinit Burggravius in Achille, pag. 84. ubi ægrum ponit PLURIMORUM *milliarium intervallo dissitum*.

——— Credat Judæus Appella,
Non ego. ———

Frustrà mihi videor, quid contra hæc dicturus: quoniam posuisse, satis refutâsse est

7. Et quid opus pluribus disputare? Omnes ejusmodi *Hecebolias* actiones, tamquam *Diabolica Magiæ* compertas, damnavit pia, provida, & erudita Antiquitas, & Plurima ejusmodi apud *Agripam* lib. 1. & 2. Occul. Phil. quis pius, aut prudens sine stomacho legit? Ne illud quidem, quod sibi ait, cum *Trithemio* fuisse commune, ut *absenti, quantumvis procul*, animi

sui

ſui ſenſa, neſcio quo occulto ſcilicet Myſterio poſſet aperire. Qua in re, cæterisque damnatæ, & meritò damnandæ Steganographiæ nemini cordato homini ferendis ſuperſtitionibus, fruſtrà eundem Tritemium purgare conatur nuper Archimandrita quidam; ſi modo ex SCRIPTIS Scriptor judicandus eſt. Nam animum noverit ille καρδιογνώστης. Quis item dubitet, non niſi veneficum eſſe, quod Nider in formicario refert, improbâ beſtiolâ ſub domus limine abditâ, factum eſſe, ut honeſta materfam. ſepties abortiret, itemque omnia ejusdem fœminæ pecora? Simili ratione Veneficæ, quamvis procul à Vaccis, *Lac* eis *ſubducere* ſolent, teſte Grillando. Nec diſſimile, quod teſtatur. Jo. Beetzius Carmelita de altera, quæ efficit, ut *alienum frumentum* per fiſtulam, quam manu tenebat, in *ſuum ſolarium* illaberetur. Audiverat de hoc maleſico Latinus Vates, qui Sect. 15. Actio in Dist.

——*Satas aliò vidit traducere meſſes.*

Vetuit idem Lex XII. Tabb. *Neve alienam ſegetem pellexeris.*

8. Sunt itidem *Magi Hecebolii*, & Goclenii cognati, qui *Imagines* fabricantur, easque vel compungunt, vel exurunt; ſicque *abſentibus* certum afferunt exitium. Vide Zonaram tom. 3. de Imagine Simonis, Principis Bulgariæ. De altera Ludovici Regis Galliæ, Genebrardum lib. 4. Chronologiæ; De Duffo Scotiæ Rege, Hectorem Boët. Notum hoc Diabolicum inventum Ovidio, qui de Medea:

Devovet ABSENTES, *ſimulacraq; cerea fingit,*
Et miſerum tenues in jecur urget acus.

Sic Horatius *Saganæ* & *Canidiæ* facta enarrans:

Lanea & Effigies erat, altera cerea, major
Lanea

Addit, *Ceream* illam, vice illius, cujus erat imago, malè habitam, ac deprecatam ſupplicia.

Cerea ſuppliciter ſtabat, ſervilibus, utq;
Jam peritura, modis———

Scelerati nimirum latrones hi tales *Iconopœi*, & nequiores publicis viarum inſeſſoribus. *Paracelſus* verò, *Magus* quidem non minùs, quàm illi, & deceptorum item ſpirituum mancipium; ſed hac in re tolerabilior, quod ut ſuprà vidimus (Sect. 12. Prop. 12.) *ægroti Imaginem ceream* confici & ipſe jubet, & *in ignem conjici*, ſed ut Ægrotum *liberet*, non *perdat*. Ubi jure dubites, quomodo miſera *cera* eumdem in modum conformata, & eodem liquata igne, *alterum ſanet*, *perimat alterum*. Sed mirari deſine. Neutrum facit *cera*; *Diabolus* utrumque. Neque dubitandum, quin *Goclenianum unguentum* æquè vulnerato homini occidendo ſit, atque excitando, ſi quis, pacto interpoſito, ita cum Cacodæmone conveniat. Et novit Deus, quid aliquando fiat.

Sect. 15. Actio in Distans.

9. Quod si quæras, Cur tandem Dæmon ejusmodi in res *absentes* operari videri velit? (videri, inquam, nam revera reipsa *præsens* adest, si quid operatur) Responsio est in promptu ut rei *novitate* tantò plures, tamquam *miraculo* attonitos, seducat. Sed illud præterea adverte. Semper Diabolus omnibus in rebus fuit Dei & Christi *simia*. Pleni sunt SS. Patrum libri hac observatione. Maturè incepit hanc sacrilegam affectationem, cùm cœli adhuc incola perniciosum sibi illud jactaret: *Similis ero Altissimo* (Isac. 14. v. 14.) De hac *Dæmonis mimica* elegantem libellum scripsit Illustris vis *Henricus à Monte acuto*. Cum igitur sciret, *Centurionis filium* à Christo *absente* sanatum (Matth 8. 13.) ne quid minus habere videretur, hoc sordidum Unguentum teterrimus Pharmacopœus commentus est. Alioqui, dic bonâ fide, Rodolphe Gocleni, cùm *Vulnus* ipsum in promtu est (neque enim semper vulnerati absunt) cur eo omisso mutum & brutum *telum* inungas? vel hoc solum ostendit, meras esse *imposturas*, & circumforaneorum Magorum ludos. Atqui, inquis, hac ratione sanatur Vulnus *sine dolore*. Ad pueros cum istis nugis, Gocleni, qui tibi credant. Infrà fortè iterum de hoc.

10. Redeo ad illas Diaboli actiones, quas *procul* jaculari se jactat. Earum duo exempla vulgo non omnibus nota, produco, eaque hodieque vigentia, non minùs, quàm *Unguentum Cacodæmono Goclenianum*. Alterum apud *Turcas*, apud *Sinas* Idololatras alterum. Prius narrat *Bartholomæus Georg. Hungarus*, peregrinus Jerosolymitanus, tredecim annorũ apud eosdem Turcas, servitute perfunctus. Extat ejus libellus Antverpiæ editus, anno Christi 1544. typis Copenii, & Carolo V. Imp. dicatus. Verba ejus, ubi de *Incantatione Turcarum* loquitur contra Christianos servos fugientes, sunt ista: *Habent* (Turcæ) *quoddam genus Incantationis, quo invitos trahunt. Nomen servi in schedula scriptum suspenditur in tabernaculo, vel domicilio servi: deinde diris verbis & devotionibus illius caput impetunt. Deinde fit vi Dæmoniacâ, ut fugiens putet sibi in itinere vel leones, vel dracones incurrere, vel mare, vel flumina contra se exundare; vel omnia tenebris nigrescere; isq; terriculis repulsus ad herum redit.*

Sinense colligitur ex impia & planc *Calvinistica* opinione improbissimi *Eunuchi Sinensis*, qui cùm sarcinulas *P. Matthæi Ricii*, Societatis JESU Sacerdotis *scrutaretur*, *Nullâ re magis, quàm Christi in cruce pendentis* EFFIGIE *visâ excanduit*: (Vide, Lector in homine *Gentili* animum *Calvinistæ*) *criminabatur, id spectrum ad Regem carminibus tollendum, proculdubio constructum. Cui enim videri possit, eam rem usum aliquem habere alium, quàm veneficorum imposturam?* Ita ad verbum P. *Nicolaus Trigautius* noster, ex iis locis redux (Expedit. Sin. lib. 4. cap. 11.) Planè hinc intelligimus, etiam apud illam Gentem *Imagines* eò comparari, ut *Absentes*, iis excruciatis, interficiantur. Nimirum Diabolus ubiq; Diabolus est, semper sibi similes: &, quod pridem profitebatur, adhuc facit: *Circuit terram, & perambulat eam.* (Job. 17.)

11. Neque verò pensi quicquam habet, sumatne, ad istas *Imposturas* suas perficiendas, *Imagines, Characteres, Verba, Unguenta, Lucernas*. Hoc unum quærit, ut seducat; quod si assequitur, satis est. Quod de LUCERNA tango, præteriri hoc loco non debuit. Nam insigne exemplum est *Præstigiarum Diaboli*, in procul *Dissitum* se agere fingentis, *Lucerna* illa *Burggraviana*, de qua sunt illa portentosa deliria in Biolychnio, pag. 89. & 90 *Incensum semel* (Lumen) *ardet jugiter, quoad homo ille, è cujus aptatur sanguine, vitalem ducit spiritum, atque eodem, quo eundem efflat ipse, horæ sive momento, sive punctistitio, simul cum eo extinguitur.* Magnum hoc: sed non satis. *Scito insuper*, inquit, *si flamma luculenta est, elevata, tranquilla, & immota; nihil homo iste, quod vel corpori vel animo grave sit aut molestum, sentit. Sin verò secùs habeat, & assurgens flamma variè scintillet, aut depressior sit aut nubilosa, & torpida; indicium tibi anxietatis, tristitiæ, cæterorumque Pathematum esto. Perpetuò enim ex congenitis Microcosmi influxibus astralibus, ac naturalibus inclinationibus, flamma ista pro statu, & habitu istius hominis, sive prospero, sive adverso emicat, & spectandam sese præbet.* O tetram, & Infernalem *Pyromantiam*! quæ vel *flammam*, vel *Lychnopœum* flammæ Artificem *Deo, cordium scrutatori*, æquat. Quid enim minus facit, qui, procul dissitus, hominis non modò *vitam* & *mortem* cognoscit, verum etiam intimi animi *affectus* & *Pathemata*? Mi *Burggravi*, quod ante rogavi, iterum rogo, Resipisce. Nec magis probanda, quæ de *Morbis* vel in *Animal*, vel in *frutices* transplantandis doces pag. 129. & 138. Sect. 15. *Actio in Dist.*

12. Sic Judæus alicubi in Germania Infantis ægroti *intimam tunicam* defodi in terram jubebat, &, eâ putrefactâ, morbum auferebat.

Sic *Erucæ*, olerum pernicies, necari perhibentur, si una *fumo* perimatur, & nescio, ubi suspendatur.

Sic *Verrucæ* curantur, si totidem cujusdam leguminis grana, certo panniculo involuta, & in viam conjecta, certo tempore ab aliquo inventa, tollantur, is enim simul Verrucas sibi habet.

Sic meus Goclenius, *Phantasiâ, & Imaginatione vim sanatoriam à Telo ad vulnus deducit* (Ung.)

Sic idem, miseris *Ranis oculos ante Solis ortum eruit*, easque cæcas *in aquam dimittit*, ut *Tertianas febres* sui Patientis curet (Ung.)

Sic idem, (ibid.) *vivum Cancrum*, *Præsegminibus Unguium febricitantis* onerat, & in *aquam fluentem* projicit, ut simul *febrim* mergat.

13. Quid dicam de sacrilega audacia Illius, quem testatur Marcellus Franckheimus (Epist. Biolychnio præmissâ, pag. 54. additâ correctione Erroris, ut in fine libr.) *in cujusdam Instrumenti indagationem curâ & cogitatione abire, & se reperturum sperare, quo extra Horizontem nostrum, in averso He-*

Sect. 15. Actio in Distans.

misphærio, ultra finitorem Hemisphæriorum, in Lunæ globo, ceu speculo objectas, & suis quibusque limitibus distinctas REGIONES, *velut* AD OCULUM *intueri, & quid rerum in iis de gravioribus* MOTUUM MUNDANORUM MOMENTIS *geratur* &c. POSSIT OBSERVARE. Bone Lector, non videtur tibi hic aspirare ad consortium magni Prophetæ *Elisei?* de quo Syrus ille ad Dominum suum; *Elisæus Propheta, qui est in Israël, indicat Regi Israël omnia verba, quæcunque locutus fueris in Conclavi tuo.* (4. Reg. c. 6. v. 12.) Imò manifestè majora appetit hic *Dædalus*, qui non scrutatur secreta unius CONCLAVIS, sed REGIONUM AVERSI HEMISPHÆRII. *Marcellus* in gratiam Amici tum scribens, ait, si excogitaverit hoc lepidum Instrumentum, fore, ut de eo liceat usurpare illud Maronis:

— Quem mox quæ sint habitura deorum
Concilia, incertum. —

At ego, ejus bonâ veniâ, corrigere ausim, & dicere, nisi sibi caveat Indagator ille, & damnosam curiositatem fugiat, certum esse, venturum in *Concilia deorum*, de quibus Rex Propheta: *Omnes dii Gentium*, DÆMONIA. (Psalm. 95. v. 5.) Nam jam nunc, cum eorum deorum Principe, quod in se est, *Circuit terram, & perambulat eam.* Proximus illis, qui ajunt:

Cœlum ipsum petimus stultitiâ —

vel illis, quos divinior Vates memorat, qui, *Posuerunt in cœlum os suum: & lingua eorum transivit in terra.* (Psalm 72. v. 9.)

14. Non minora pollicentur Thrasones illi, qui se vocant *fratres Roseæ Crucis*: quinetiam majora. Sed majore illi honore digni sunt, quàm ut sic obiter, & in transcursu perstringantur. Sectionem integram illis destinavi.

Extrema Diaboli impostura mihi hoc loco inter *Hecebolicas actiones*, memoretur VIRGULA, quam DIVINAM vocant. Sed quia hæc Sectio nimiùm jam mihi excrescit, & hoc genus fraudis latè patet, seorsim illud videtur tractandum.

SECTIO XVI.

Virgæ Metallariæ Idololatrica Impostura.

1. NE quis Lector hæsitet, Quænam hæc *Virga* sit, sciat; eos, qui terræ viscera scrutaturi, Aurumque, aut Argentum, aliudve malorum irrita-

irritamentum effossuri, ac interim soliciti, ne labores sumtusque frustrà impendant suos, Feraces venas inquirunt, tamquam Indicem habere hanc, quam dico, *Virgam*. Audi modum. *Certo tempore* BIFIDUM SURCULUM è CORYLO decidunt. Eum Fossor, aut ipse agri Dominus, aliusve, *utraque manu* certâ ratione tenet; & agrum obit. Quòd si Explorator in locum incidat, latentibus *Metallis gravidum*, mox INCLINAT sese *Virga*, & thesaurum indicat, tantum non dicens: *Hic siste, hîc fode.* Nihil dicam de vulgo fossorum, qui parùm solliciti sunt de rerum causis, dum effecta videant: ac sic facilè in fraudem aguntur. Mitto etiam multos honestos homines, qui nihil mali suspicantes, & animo simplici alios ex se metientes, hac item superstitione incauti implicantur, abjecturi, si fraudem intelligerent. *Sect. 16. Virg. Metal. Imp.*

2. Cum iis mihi negotium est, qui hac in re se sapere putant, qui admirabilem *Naturæ* vim hic agnoscunt, qui ultrò etiam Actionem hanc explicandam suscipiunt, & aliis *superstitionibus* fulciendis, hanc tam insignem & capitalem superstitionem è superstitionum numero, quod in se est, eximunt. Talis Goclenius, omnium superstitionum Hierophanta: qui (Ung.) illud rectè: *Frustrà certe quis hîc ad manifestas qualitates confugerit.* Planè, Gocleni, *frustrà*. Nulla hic MANIFESTA QUALITAS, sed OCCULTUS CACODÆMON. Hoc ita demonstrabo, ut tu quidem nihil habiturus sis, quod solidè opponas; credo autem, nec alius quispiam te acutior. Ac principio quidem, si spectetur

3. NOMEN ipsum, quid sibi vult, quod passim ab iis quoque, quibus probatur hæc VIRGA, dicitur DIVINA? Sic Goclenius, Ung. Produnt profectò, se REM ipsam ab antiquis Idololatris accepisse, cujus NOMEN ab iisdem acceptum, tam libenter usurpant. Notum est illud M. Tullii lib. 1. de offic. *Quòd si nobis omnia, quæ ad victum cultumq; pertinent*, VIRGULA, *ut ajunt*, DIVINA *suppeditarentur* &c. Porrò sive à *Mercurii Caduceo* id Proverbii ductum est, qui non intelligit utriusque impietatem, vereri potest, ne tactus sit Trivenificæ illius *Circes Virgâ*, & transierit ipse quoque cum Ulyssis sociis in *Grunnionum* Coloniam. Ego quidem nihil dubito, cum Metalla Virgâ istâ indicantur, & quasi evocantur, quin adsit idem ille *Mercurius*, (id est, improbus Magiæ damnatæ Magister Dæmon)

Qui VIRGAM *capit: hac animas ille evocat Orco*
Pallentes —— ut canit Maro,

Goclenius quispiam *evocat pallens aurum*, etsi sæpè vocatum rarò apparet. Sed tamen vocat VIRGAM DIVINAM. *Divinitatem* vidisti, quam non altiùs petere queas, quàm à *Pallade, Mercurio, Circe.* Si tamen

4. GERMANICUM NOMEN spectare libeat, FORTUNÆ *Divinitatem* hanc attribuas. Nam Germanis dicitur Glück-Rute/ ut præter com-

Sect. 16. Virg. Metal. Imp. munem usum testatur *Sebastianus Munsterus*, Monachus Apostata, in Editione Germanica Basileensi anni 1572. lib. 1. cap. 14. ubi aliorum Instrumentorum & hujus *Virgæ* imaginem ponit. Sed FORTUNÆ tribuere *Divinitatem*, an eorum sit, qui se *Christianos* vocant, quæratur vel ab illo, qui *Christum* ignorans, animosè nihilominus dicebat:

Nullum Numen abest, si sit prudentia: sed NOS
TE FACIMUS, FORTUNA, DEAM——

Id tu facis, Gocleni, & quotquot, in *Divinæ Providentiæ* contumeliam, stultè quod hujus est, stultissimæ DEÆ tribuitis. Negabis tu cum clamore, sed testimonium contra te dicit lingua tua, quæ & vile virgultum vocat DIVINUM, & eam DIVINITATEM disertè FORTUNÆ attribuit. Hæc de *Nomine*. Quid RES?

5. BACULUS est, VIRGA SURCULUS, FURCA. Voca, ut voles, dum intelligas. Quis tandem bruto & muto ligno tantam scientiam attribuit, quantam nec in centenis Sapientibus Viris reperias? Obibunt hi agros, montes, valles, solicitè considerantes omnia. Nusquam *Metalla* latere agnoscent. Et si quid suspicentur, fatentur ipsi, incertam esse conjecturam; idemque sæpè *Eventus* ostendit, quo non rarò frustrantur, labora sumtuque inaniter profusis. Obibit *Rudolphus Goclenius, furcifer* factus, id est, improbam *furculam* utrâque manu gestitans; & ipse quidem nihilo plus intelliget: sed FURCA sapientior illo, in vestigio jubebit sistere, ligonem sumere, fodere. Fodiet ille, & Thesauros reperiet, quos *Divinitati* suæ *Virgulæ* ascribet, & faventi *Numini Fortunæ*. Si clarè dicendum est, factus est miser, *Rhabdolatra*, & *Dæmonolatra*. Attende, Lector; pando tibi originem.

6. Moyses ille Legislator, *Baculo* sive *Virgâ* usus, mira patravit, Aquam in sanguinem vertit, Pulverem in Muscas; Mare divisit, & alia notissima omnibus. Omnia Dei voluntate & Potentiâ. *Cacodæmon*, solens suo more Dei *Simium* agens, ipse quoque *Baculis* & *Virgis* mira molitus est; etsi revera per illa nihil effecit, sed ea pro *Signis* tantum habuit. Tales *Virgæ* illæ, quas dixi, *Palladis, Mercurii*, *Circes*. Talis *Rhabdomantia Regis Babylonis*, qui *stetit in Bivio*, (ut miserè seducti *Metallarii*, in Agro cum bacillo BIFIDO:) nomine *Divinatio est*, Quo potissimum loco Metalla lateant?:) *commiscens* SAGITTAS. Ezech. 21. 21. Quantillum abest, quin VIRGA illa sit SAGITTA? Imò dicere ausim, esse ex iis, quæ Apostolus vocat (Ephes. 6. 16.) TELA *Nequissimi ignea*, quæ sic configat, sic exurat Goclenianâ Sapientiâ exultantes. Non dissimilis erat impietas *Chananæorum*, quorum ritus imitari vetat DEUS Levitic. 19. 26. quem locum *Rabbi Aben-Esra* paraphrasticōs explicans, ait: *Non facietis* EXPERIMENTA *per*

FIGURAS

FIGURAS (:en BIFIDUM:) *per* BACULOS, *per* OPERA, *per* MOTUS. *Sect. 16.*
Sic vertit Santes Pagninus. Gocleni, An cùm *Furculam* prætendens, circumis, non OPERARIS? non MOVERIS? Tu, aut Symmistæ tui nos vocatis, *Jebusitas*. Profectò, videris ex antiquorum JEBUSITARUM esse reliquiis, & ab illis stulta hæc EXPERIMENTA retinuisse. Sed hac re in *Metamorphosi*. Plura qui de Idololatrico *Baculorum* & *Virgarum* cultu desiderat, videat Cælium Rodiginum libr. 7. Antiq Lect. c. 29. Quorum omnium breve velut Compendium mihi complexus videtur Osee Propheta (: cap. 4. v. 12.) simulque eorum, quæ Goclenius, aliique de *Virgula* suæ *Divinitate* delirant: *Populus meus*, inquit, *in* LIGNO *suo interrogavit*, & BACULUS *ejus annunciavit ei*. Quid clarius, Gocleni? Sed nec illud obscurum, unde hujus stultitiæ origo. Audi: *Spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo.* Quære ab Academicis Scripturæ consultis, & dicent tibi, per ejusmodi *Fornicationem* intelligi *Idolomaniam*. Si tamen nihilominus pergis *Virgam* tuam *adorare*, & sic Vecordiam tuam nobis prodis, audi sententiam justissimam Sapientissimi Judicis (Prov. 10. v. 13.)

Virg. Metal. Imp.

Virga in dorso ejus, Qui indiget corde.

Rodolphe, crede bene monenti, & parce scapulis tuis.

7. Cæterùm non quivis *Baculus Goclenio adoratur*. Habet in vanitate sua delectum, & *cum ratione insanire* conatur. Debet igitur hic BACULUS, ut *Divinitatem* obtineat, ut *Fortunæ Virga* sit debet, inquam esse CORYLUS. Hic pauca sanè dixissem: & fortè hoc tantum ursissem, ut causam aliquam Goclenius proderet, cur potiùs *Corylum* requirat, quàm aut fagum, aut sambucum. Sed, ut hac etiam in re esset HEAVTONTIMORUMENOS, mira mihi narrat de *Corylo*, quæ, ne insuper habuisse videar, hîc ponam, & appendam. Scio esse magnas NUGAS, & indignas, a quæ verbo memorentur, nisi his nugis multi agerentur in *Superstitionis* Barathrum. Habet enim maximè hic locum illud sapientis: FASCINATIO NUGACITATIS *obscurat bona*. Sap. 4. 12.

Miratis fortè, Gocleni, quid mihi velim; aut quid moliar. Desine mirari, & audi, ac recognosce verba tua in Synarthros.

GOCLENIUS: *Mirabilis est virtutis viscum* CORYLACEUM, *seu colurnum. Unde in* CORYLO *enascens viscum*, SERPENTEM *album*, & GRANDEM *sub eo latitantem, velut custodem habere perhibetur. Quod quidem cùm primò audirem, inter fabulamenta retuli: postea tamen, ut crederem, certorum quorundam & bonorum hominum fide ac integritate sum adductus, &c.*

ROBERTI: *Mirabilem* esse *virtutem Visci Corylacei* asseris. Potest, ut ita sit. Nam *Mirabilia opera Domini.* Sed quid venit tibi in mentem id probare, quia GRANDEM SERPENTEM habet CUSTODEM? Reduces, credo, nobis brevi *pervigilem* illum Poëtarum DRACONEM, qui *aurea mala*

Sect. 16. Virg.Metal.Imp.

mala custodiebat. Adsit *Serpens* ille *Coryli*: cur ideo CUSTODEM censes? An *Aviculas* quaslibet Arbustorum aut Sylvarum *Custodes* dices, quòd in iis hæreant, in iis assiduè habitent? Sic nobis Cuniculos & Mures cavorum; ursos & Leones antrorum, Sues denique luti Custodes constitues. Sed tu historiam subjungis, quâ præclarè Custodelam hanc probari existimas.

GOCLENIUS. *Non procul ab oppido Allendorff, duobus non ampliùs miliaribus à Marpurgo sito, inter dumeta &* CORYLETA *etiam nunc cernitur* CORYLUS, *in quo, præter viscum,* SERPENS *de ramo pendens, visus est non semel aliquot ab hinc annis. Deciso visco, Serpens quoque non ampliùs apparere dicitur. Si hæc vera sunt, haud scio, an in Naturæ Majestate sit aliquid* ABSTRUSIUS *&* ADMIRABILIUS.

ROBERTI. Quàm promtus es ad fingendum *Majestates, & Admirabilitates*! Videmus quotidie *Feles* (: ne ad *Serpentes* confugiamus:) mirificè ad herbam *Calaminthaam* affectas, identidem illam quærere, &, si manendi copia non sit, propter circumpositas spinas, aut aliud munimentum; assidere tamen, circumire, agi, volvi, & revolvi miris modis; ut simias potiùs dicas, quàm Feles. Quis tamen hinc Majestates texuit? Quis Felem hujus herbæ *Custodem* fecit? At tu, qui tibi videris persuasisse, nihil tuis chartis illinendum, nisi mirificissimum, & tamen undique, è Cloacis quoque hauris, quicquid dixisti, primus admiraris, & Miracula inde concinnas. Audite, *Academici*, Goclenianas Consequentias: *Serpens è Coryli ramo pendebat*: ergo CUSTOS *est Visci è Corylo enascentis.* Item: *Deciso Visco, Serpens disparuit*: *Nihil igitur in Naturæ Majestate abstrusius, aut admirabilius.* Quanto rectiùs, qui dixerit: *Goclenius Nugas vendit: ergo est* NUGIVENDUS? Operæpretium autem est, audire, quò VISCUM illud devenerit.

8. GOCLENIUS. *Per circumforaneum quemdam illius loci, (: quod hominum genus plerumque Incantationibus solet esse deditum:) deciso visco, Serpens quoque non ampliùs apparere dicitur.*

ROBERTI. Sunt in his tuis verbis quædam, quæ expediat ab *Academicis* aliisque honestis viris considerari. Primum, *Allendorfenses* non magnas tibi gratias habebunt, qui dicas, *Id genus hominum plerumque Incantationibus solere esse deditum.* Nam sive, per *id genus,* intelligas *Cives Allendorfenses* atrox contumelia est in homines multos, qui censeant, nihilo te minus se esse honestos: sive *Circumforaneorum* potiùs genus notas; addidisti tamen, ILLIUS LOCI, nempe *Allendorfensis Oppidi.* Et sic non modò *Circumforaneum* illum turpiter dehonestas, (quem non novi quidem, sed fidenter assero, magnopere *Incantationibus* deditum, si te eo genere superat: verum & LOCUM ILLUM, cujus ais fuisse. Sed sunt fortè inter *Academicos*, qui, *Allendorfio* oriundi, de ea re videbunt. Ego non ulteriùs me misceo.

misceo. Tantùm addo, si, per *Circumforaneos*, eos indicas, qui sua Remedia oppidatim & vicatim exponere, & magnis clamoribus commendare solent: mirum esse, te ausum tam graviter & turpiter de iis judicare, cùm sis ipse Circumforaneus, tuorum Medicamentorum, & maximè *Ollæ Unguentiferæ*, ad ravim usque, deprædicator, & commendator. At imponunt ii sæpè Emtoribus. Scio. Sed quid tibi ostenderit Anatome, vide, quid hic libellus. Neque refert, quòd Marpurgi sedens vocem scholis tantùm loces. *Libri* tui (verè *Thrasones Circumforanei*:) tuam vicem funguntur. *Sectio 16. Virg. Metal. Imp.*

Alterum, quod in tuis illis verbis jure attendant *Academici*, illud est, Quòd manifestè indicas, *Viscum Coryli ad Incantationes valere.* Nam alioqui, quomodo cohæret, *Circumforaneum* illum, viscum abstulisse. Quòd *id genus hominum plerumque Incantationibus deditum sit?* Nemo sanus aliud hinc collegerit, nisi, *Abstulisse, ut ad Incantationes uteretur.* Et tamen (: ô iterum *veritatem* potentissimam, quæ tibi, vel invito, & ore & calamo quandoque excidit:) & tamen, inquam, subjungis duo, quæ te, *Virgamq́;* tuam *Divinam*, &, eâdem operâ, *Ollam* perimant. Audi, Lector, vosque in primis Academici.

GOCLENIUS. *Serpentem nos valere jubebimus, &* UTEMUR VISCO.

ROBERTI. Ad quid *uteris*, Gocleni, nisi ad INCANTATIONES, tamquam Collega illius *Circumforanei*, cui antè impingebas *Incantamenta*, quòd *viscum* illud *decidisset?* Aut ostende, quid aliud de Visco isto indicaris, cur eo uti velis. Hoc primum de te. Alterum de *Virgula Divina, Coryli filia, Visco*, ut tu velle videris, *imprægnatâ*, his verbis prodis:

9. GOCLENIUS. *Bifidus ille* SURCULUS ex CORYLO *decisus, quo Metallarii venas auri argentiq́; feraces explorant*, MYSTERIUM *subesse satis prodit.*

ROBERTI. Ecce iterum *Mysteria* funditas, dignus, qui dicaris omnium *nugacium Mysteriorum* ARCHIMYSTA, sicut inter alios non minimus audire vis *Alchymista.* Sed quod ad *Virgam Corylaceam* attinet, satis mihi est, quòd, cùm antè ad *Incantationes* valere docuisses, neque aliud prorsus de ea *Mysterium* nobis aperuisses, modò id *Mysterium* indicas valere, ad *Metallorum venas explorandas.* Itaque mecum dicis, Quicquid illud est, quod *Virga* tua *Divina*, hac in re, præstat, totum esse à *Diaboli Incantatione.* Neque refert, quòd DIVINATIO hîc potiùs apparet, quàm *Incantatio*: nam & per hanc illa sæpe perficitur; & utriusque *Mysterii* idem est *Mystes*, *Cacodæmon.* Manet ergo, & conclusum sit, & ex usu *Nominis*, &, quòd *Baculus* sit, & quòd è CORYLO, *Virgulam*, quam Goclenius vocat DIVINAM, omnem à *Diabolo* habere *Divinitatem.* At intercedit huic Decreto Goclenius. Est enim, inquit, non Superstitio, aut incantatio, sed *Mira-*

Sectio 16. Virg. Metal. Imp.

bilis Sympathia inter Metalla, & Divinam Virgulam. (Ung.) Sic solet bonus Rodolphus sua probare. *Asserit*, &c, qui non protinus credat, *pecus* est *Bœoticum.* Non movet me ista contumelia; sim sanè huic *Archimystæ*, & hoc, & quicquid illi aliud libido dictaverit; pergam tamen examinare hujus Virgæ Mysteria. Videamus ergo, quod hic ait de

10. SYMPATHIA. Sufficeret equidem mihi negare, Gocleni, quod tibi satis fuit asserere. Scis vulgatum illud, *Affirmanti incumbere probationem.* Sed addam aliquid astruendæ veritati, destruendæ superstitioni, & in gratiam Lectoris. *Sympathia* est quædam quasi amicitia, concordia, consensio duarum rerum, ob occultam qualitem in utraque latentem, quæ efficit, ut mira quædam animadvertantur effecta, quæ in aliis, non similiter cognatis, nusquam apparent. Exemplum, omnium consensu, sit in *Magnete, & Ferro.* Item in aliis, quorum ea, quæ dixi, *Effecta* alio referri non possunt, nec referri solent.

Porro ex hac doctrina velle quamvis *Superstitionem* tueri, & Orbi terrarum obtrudere, nomine *Sympathiæ*, est *insanientis sapientiæ.* Si possit *Vetula Lactis subductrix*, ubi alienæ vaccæ candidus liquor in ejus mulctra deprehendatur, protinus maleficium refutare, *Sympathiam* obtendere, quæ sit *inter ejus Mulctram, & illud lac.* At prudens, & æquus Judex ostendat, magnam vicissim esse *Sympathiam* inter *Ignem ultorem*, & illius Canidiæ sulcatam rugis *pellem*, quam ille valdè complecti velit. Talis Sympathia in miserabilem abit Antipathiam. Joculare hoc tibi videtur, Gocleni? Vereor, ne tibi tuique similibus, & cum Unguento, & cum Virga tua, simillimum malum accidat. Non omnes Ignes in hac via sunt, neque omnia Judicia. Est & locus, ubi *Ignis eorum non extinguitur* (Mar. 9. 43. 44.) DEUS benignus te ab illo custodiat, sed priùs ab *Hæresi*, & execrandis *Superstitionibus.* Sed propiùs ad rem. Non esset adeò mirum, si diceres, Virgulam illam Coryli *Sympathiam* habere cum *uno aliquo Metallorum.* Sed id fingere, neque ullâ ratione allatâ, de *tot Metallis*, quis feret? Quam diversa, &, in quibusdam Qualitatibus, pugnantia sunt, &, ut ita dicam, *Antipathica* Metalla! Et tamen vilis Surculus cum omnibus ita amicitiæ sanxit fœdera,

—— *& si conjurat amice,*

ut Aurum, Argentum, Ferrum, Æs, Electrum, Stannum, Plumbum, cùm primum, Goclenio præferente, eorum regiones attigerit, statim se illi prodant, & ipse vicissim tamquam salutans comiter, sese illis inclinet, aulicos mores, à Goclenio, opinor, Magistro, probè edoctus. Hactenus *Magnes* celebrabatur, quod mirabili Sympathiâ Ferrum ad se allectum complecteretur: sed nihil illud est, præ *Virgula* hac, quæ, non modò ad vanam recreationem Ferrum; sed ad ingentem Mortalium utilitatem

Aurum

Aurum quoque Argentumque latens prodit, & velut ex latebris educit. Neque dubites credere, cùm Goclenius non dubitet asserere. Neque obstat, quòd sit *Sectio 16. Virg. Metal. Imp.*

11. VENARUM ALTITUDO, ut plurimum, ingens. Nam & hanc penetrat Goclenii assertio, & ejus *Virgulæ Divinitas*. Et Magnes quidem Ferrum non trahit, nisi PROPE accesserit: Virga verò vel ad stadia aliquot distantia Metalla inclinatione veneratur. Parùm est, tantum distare; parùm, tantum spatium suâ vi superare. Penetrat quinetiam superingestas terrarum moles, & montes: nec repellitur ejus generositas, & invictum robur, *silicum*, aut cujusvis generis *lapidum* rigore, ac duritie. Superat tenella Virgula hæc omnia.

Fit via vi, rumpitq; aditus ——

Considerada quoque ista, de qua loquor,

12. INCLINATIO. Indicabam paulò suprà, Diabolum DEI *Simiam*, *Baculu & Virgis* DEI Magnalia sæpius voluisse æmulari. Versa erat, Divinâ vi, *Moysis Virga in Draconem*: Ne ea re impius Rex moveretur, mox adsunt *Malefici*, & *faciunt*, *ipsi quoque* (Exod 7.11.) *per* INCANTATIONES *Ægyptiacas* (Gocleniacas, nam docuit Rodolphus, Corylū pollere vi Incantandi) *& arcana quadam* (Mysteria Goclenia) *similiter*, *Projeceruntq; singuli virgas suas*, *quæ versæ sunt in Dracones*. Non est credendum, id verè factum, uti videtur sonare. Sed pro Virgis subjecit Diabolus Dracones, spectantium oculis per *Præstigias* deceptis. Egit nimirum ibi, quod à se requiri videbat: Serpentes exhibuit, ne minùs facere viderentur duo *Magi*, quàm fecerant duo *Sancti Fratres*. Ad hic *Virgam* adhibet, Virgam relinquit, sed *Serpentis* ei *flexum*, *& Inclinationem* tribuit; memor, se ipso nascentis Mundi exordio, optato successu cum primis parentibus nostris pugnâsse, *sub serpentis schemate*. Itaq; *Virga* non vertitur in *Draconem*; sed tamen *motu* suo imitatur *Draconem*, dum *flectitur*, & se INCLINAT. Dicat mihi *Goclenius*, *Serpentes* alios habere *motus*, neq; tantùm se *Inclinare*: fateor ego istud: sed neque omnia Dæmon exprimere debuit, quæ *Serpentum* sunt, ne se nimis apertè proderet: & tamen non *Inclinatur* modò *Virga*, sed ubi Diabolo expedire videtur, *aliorsum quoque agitur*. Testem habeo virum Nobilem, cui dubitanti, & huic superstitioni credere cunctanti, deniq; inter assensum, & dissensum fluctuanti, improba *Virgula* validè pectus percussit, cùm eam manu teneret. Attonito, & causam ignoranti, arridens *Propinquus*, Habes utique, inquit, Cognate, *Metalli* aliquid sub Thorace. Hoc *Virgula* ista sensit, & indicavit. Et de *Metallo*, ita erat: gerebat enim è collo suspensa quædam ornamenta aurea. At petulantem illum *Virgulæ subsultum*, ipsius *Ligni naturæ* tribuere, hominis fuit decepti, & propinquum decipientis, quod multis accidit sine omni mala malitia. Nos certò teneamus,

Sectio 16. Virg. Metal. Imp.

Serpentinos hos motus ab eo esse, quem Scriptura vocat SERPENTEM ANTIQUUM, qui est DIABOLUS, & SATANAS. (Apocal. 20. 2.) Quid si his adjungam, Gocleni, hanc, quam fingis, hujus *Surculi Energiam*, nunquam obsequi, nisi

13. CREDENTIBUS, aut certè de vanitate DUBITANTIBUS? Quæ res millenis Experientiis probata est. Atqui stultum est, nec Erudito homine dignum, existimare, *Naturale* id esse, cùm *Natura* semper sibi, quaque in re similis, semper eodem agat modo. Neque unquam auditum est, ex eo, quòd crederet quis, Ignem non adurere, manum ei impunè obtulisse. Qui aliud sibi persuadet, ab Antiquo Serpente decipitur. Huic tali suadeo, ut, quoniam non omni, quâ expediebat. Prudentiâ pollet, audiat Prudentissimum sapientissimumque Virum, Petrum Damianum(lib. de Parentelæ gradibus.) & hanc illius sententiam memori teneat mente. *Non detur cornu peccatori : nulla relinquatur audacia Vanitati. Vivat adhuc in Ecclesia ille Mosaicus* SERPENS, *qui* INCANTATORUM(Goclenii) COLUBROS *sorbeat. Vivat, inquam, spiritualis* PRUDENTIA, *quæ carnalis* VERSUTIÆ VENENA *consumat*. Jam sublato illo ordinario Magorum Asylo, SYMPATHIA, ineptæ aliquot, & vanissimæ Circumstantiunculæ quid efficere possint aliud, quàm ut Virgatorum vel Vanitatem prodant, vel Impietatem? Specta has tres, Lector, Figuram, Tempus, Modum. Bacillum istum oportet esse non qualemlibet; sed

14. BIFIDUM, FURCAM. Quid dicemus de hoc Gocleniano Mysterio? non invenio dignius aut nobilius Elogium, quàm si vocemus MYSTERIUM FURCIFERUM. Nec aliter decuit. *Servos* se profitentes Cacodæmonis oportuit *servilibus* denotari insignibus. Suspicari lubet, Infernalem istum Carnificem, qui *Furcillis* animas & corpora geminâ cuspide confodere & in præceps deturbare ardet, cum exosam maximopere habeat Christi salvificam crucem, quâ ipse præcipitatus est, hac suâ servili cruce, sive *Furcâ*, velle nihilominus, ut *simia* esse pergat, imitari admiranda opera, quæ per illam patrata sunt. Hinc hoc ejus commentum. Itaque ut plurimum ejusmodi ista *Furca* est; ut infra angulum, ad quem duo Cornua coëunt, portendatur porrò lignum, in speciem litteræ Pythagoræ Y. quæ ipsa ea est, in quam *Furciferi* agebantur; ut eruditè docuit atque etiam depinxit Lipsius. Dixi autem, UT PLURIMUM sic esse *Metallariorum Furculam*: nam non semper. Habeo etiamnum unam à quodam ad me allatam, qui multum eâ usus erat: ea productiore illo ligno caret, estq; planè quinta Latinorum Vocalis, V. Et tamen isti, qui utebatur, non minùs succedebat Metallorum inventio. Quippe non figura, sed *Pactum cum Cacodæmone*, totam illam Histrionicam investigationem fortunat. Aut dicat mihi Goclenius, si mysterium istud est in *Virga* in *Corylo*, aut ejus

Visco;

Visco; quid tandem attineat, lignum hoc esse, aut non esse γίδυμον? Præsertim cum τὸ διχρῦν, non terræ, sed scrutatori observatur. Tantum de *figura*. Jam *Sectio 16. Virg. Metal. Imp.*

15. TEMPUS, quo lepidum hoc Lignum secandum est, non equidem scio, quod sit. Sed Burggravius in Panoplo (pag. 95.) disertè ait, SECANDAM STATO TEMPORE. Quid aliud credam, nisi nugas esse, cujusmodi nobis vendit Goclenius, qui *tertianas febres* pellit, adhibitis *Ranarum oculis*, sed ANTE SOLIS ORTUM *erutis*. Fortè, ut omnia appareat esse à Principe Tenebrarum, Noctis meridie *furca* hæc erit desecanda. Postremum è tribus, quæ proposui, est

16. MODUS hac Virgâ UTENDI. In quo tantum positum est, ut asserant periti, si quid pecces, frustrà te esse in tota tua Exploratione. Quis igitur hic *Modus* est? Facilè credam, quædam esse, quæ ignorem, ut qui his sacris non sim initiatus. Sed hoc à peritis atque etiam ex picturis didici, *Utramque manum* adhibendam, & altrinsecus *Furcæ complectenda Cornua*. Si *Natura* adscribitur hæc Energia, dicat Goclenius Academicis, quid hoc ad rem facere naturaliter possit. Si quis Ciconiarum crepitaculo delectetur, optetque eas in tecto suo habitare; præscribunt nugatores, nescio, qui, Nidum illis struendum manu SINISTRA; tum enim & certò venturas, & constanter mansuras. Gocleni, probas hanc vanitatem; Vix audebis profiteri. Dic ergo, cur magis *utraque manus* ad hoc tuum δίκρανον *mysterium* postuletur? Urgete illum, Academici: quo acumine est, inveniet aliquid, quod respondeat. At si me quis roget, Cur tandem Cacodæmon id præscripserit? dicam primum, Meum non esse, ejusmodi Mysteria enucleare: tum, nihil pensi habere Diabolum, quid, aut quo modo agas, dum ipsi obsequâre: postremo, credibile esse, eum, utpote superbissimum, hoc *utriusque manus Symbolo*, Significare voluisse, cupere sibi dicari *omnia opera* nostra aut *omnem operum perfectionem*, quæ *manibus* exhibentur. Sic *Adorationem* postulat, omnium excellentissimam, quæ *operibus* præstatur. Optimus senex Jacob Patriarcha, cùm nepotibus suis *filiis Joseph benedixisset* (Hebr. 11. v. 21.) *adoravit Fastigium* VIRGÆ *ejus*. At Goclenius *Virgam Furcam è Corylo adorat*, dum eam MYSTERIUM facit. Porrò, sicut Jacob in Virga illa venerabatur potestatem Regiam filii sui, & adorabat DEUM, à quo Potestas illa erat; sic Goclenius, ebrius consideratione illius *Furciferæ Majestatis*, adorat *deceptorem Spiritum*, à quo est *Mysteriosus ille Virgulæ motus*. Quo minus mirum videri debet, si his sacris in sui honorem patratis, tam lubentes & frequentes adsunt

17. PAREDRI DIABOLI; qui nobis hanc de *Virgula Divina* tractationem, dignâ Coronide concludant. Agnosce Deos tuos, Gocleni.

Sectio 16. Virg. Metal, Imp.

Sunt, inquam, ad fodinas Metallicas frequentes *Diaboli*, *specie virunculorum*, *aut femellarum* (Pygmæos dicas) delectati haud dubiè, tam strenuo Fossorum, *Virgam* gestitantium, obsequio. Sed quandoque & mercedem promtam reddunt suis Cultoribus. Testetur *Georgius Agricola*, qui in opere suo de ReMetallica (*cap. de anim. subterran.*) quosdam ex iis ait *plerumque truculentos*, *& solo aspectu terribiles*, *ac Metallicis infestos*. *Talis* (inquit) *Annebergius dæmon*, *qui operarios ampliùs duodecim* FLATU INTERFECIT, *in specu*, *qui Corona Rosacea appellatur*, *eo nomine relictus*, *quantumvis argento dives esset*. Auderesne eò accedere cum *Furca* tua, Gocleni? Hæc & plura ex Agricola descripsit Münsterus libro primo Cosmograph. capite decimoquinto, ubi vocat *virunculos Montanos*, sed appellat etiam *Teufelin*, *Diaboliscos*; idque rectiùs & veriùs. *Paracelsi* impietas temeraria & temeritas impia eos audacter homines à DEO creatos facit, nec tamen Adami posteros, vocarique *Pygmæos & Gnomos*. Qua de re suprà diximus. Ob has, opinor, causas *Burggravius*, quantumvis & ipse mira & peregrina undique consectatus, non est ausus tamen hanc *Virgam*, *Divinitate Goclenianâ* donatam., approbare: sed dubiam reliquit in suo *Achille*, pag. 95. *Quod Virgula* (inquit) *sit ex Corylo secta*, *stato tempore cum Metallis occultum amicitiæ vinculum*, *alibi fortasse pleniùs dispiciendum est*. *Georgius Agricola* (lib. 2. circa finem) apertè damnavit. *Goclenius* tamen, vir fortis, satis in se uno virium esse existimans, non tuetur modò, sed magnus *Mystes*, *Mysterium* inde, & *Divinitatem* exculpsit: paratus, ut videtur, quicquid obstrepat Parœmia, *ex omni ligno*, *etiam* CORYLO, *sculpere Mercurium*. Si persistit, Gocleni, quod de Phyllide cecinit Corydon, de te licebit canere:

Goclen amat CORYLOS, *illas dum Goclen amabit*,
Nec Myrtus vincet CORYLOS, *nec laurea Phœbi*.

SECTIO XVII.

Acheruntici Fraterculi, qui se Roseæ Crucis vocitant.

1. PRæ his innocens videri possit & Goclenius, & Paracelsus. Nisi fortè Goclenius ex ipsis unus est: quod sine magna ejus injuria suspicari quis possit. Mentio mihi eorum (antè monui) futura est, quòd inter *Hecebolios* Magos omnium videntur audacissimi, unde magnopere eorum niti authoritate posset Goclenius, maximè cùm non unus aliquis vel alter sit, sed integra *Fraternitas*, eaque quibusdam dicta *Celeberrima & Felicissi-*

ma

ma) nisi ostenderetur, eorum apud bonos & prudentes viros authoritatem nullam esse oportere. Neque quisquam queri ex iis poterit, se à me inhumaniter haberi: quicquid enim dicam, in sectam dicam, non in homines, quibus, DEO teste, opto eandem ab eodem DEO felicitatem, quam mihi ipsi. Neque periculum est, ne quenquam nominatim tangam, cùm tam sint occulti, quàm ipsimet profitentur, ut mox dicam. Adde, quòd nihil fere de ipsis dicam, ne de *Secta* quidem, quòd ex eorum scriptis non hauserim. Quamquam pauca sanè mihi videre licuit: ac ferè illum tantum libellum, quem anno 1615. Francofurti Germanico idiomate edidit *Johannes Bringern.* Sunt autem in eo libello duo opuscula, ab ipsa *Fraternitate* conscripta, è quibus tantum haurire licet, ut *Mysterium* tam occultum quadamtenus fiat manifestum. Alteri nomen est FAMA *Fraternitatis*: alteri CONFESSIO *fraternitatis*. Ex his afferam, quæ hoc loco ponam. Sed priùs audiamus, quid de ipsa FRATERNITATE alii quidam senserint, in quorum judicia fortefortuna incidi. Sunt autem ferè ex iis, qui ad tam sanctam FRATERNITATEM *aspirant*. Ac primum extat cujusdam sordida Charta, titulo: *Sect. 17. Frat. Rof. Cruc.*

2. INSINUATIO *ad* FRATRES *Philosophiæ, quorum* FAMA FRATERNITATIS *edita, multis scandalum, pluribus stultitia, paucis verò expectatio, & votorum est summa.* Nonne eam sacrilegus æquat *Cruci Christi*, atque etiam verba ab Apostolo mutuatur? (1. Corinth. 1.18) Scripsit alius προσφώνησιν *ad Fraternitatem Roseæ Crucis celeberrimam & felicissimam, Parnassi Dominos Castaliique hæredes.* Mirum, nî Notarium egerat, cùm Musæ Testamentum condiderunt. In eadem *Prosphonesi* sunt etiam hæc: *Vos cum Patre & Fundatore vestro estis in id nati & prædestinati* OMNIUM PRIMI (nec Martyres excipit, nec ipsos Apostolos) *per quos sextæ ætatis mundi miranda innotescant mundo.* Et hæc: *Sunt sanè, qui oblationem & invitationem vestram jucundissimi* SOMNII *loco habeant: alii simpliciter* IMPOSTURAM *esse vociferentur. Mihi verò in mentem venire non potest, tantos tamque* PERFIDISSIMOS NEBULONES, *in rerum natura reperiri, quin in animum inducere possint, adeò turpiter imponere omnibus in universum Theosophiæ amatoribus, scribendo tam philosophicè, tamque* DIVINE (hîc etiam fingit Divinitates in nugamentis levissimis, & Magorum deliriis) *mentiendo verò, insidiando, & decipiendo tam* DIABOLICE. *Quâ certè imposturâ pestilentior non contigisset ab universali illa antiqui* DRACONIS *in Paradiso.* Planissimè rem acu. Rectè insistis. Sed turpiter cadis, cùm concludis: TOTUS *insisto vestræ pollicitationi, quam abjurata omni fraude* (quis hoc tibi dixit, mî homo?) *Sacrosanctam fecistis omnibus cũ integritate animi, et fide silentii sese vobis offerentibus.* Insinuationi, & Prosphonesi, jungamus *Apocalypsin Andreæ Hoberveschel, Hermeticæ Philosophiæ alumni, &*

Philo-

Sect. 17. Frat. Ros. Cru.

Philochymiatri, qui Famam Fraternitatis vocat *scriptum* MAGICO-CABALISTICUM. Facile illi concedam, ei scripto inesse utriusque generis vel vanitatem, vel impietatem. Sed præstat jam FAMAM de se loquentem audire; aut potiùs de Fraternitate, Afferam aliquot capita certâ methodo; quorum primum sit

3. NOMEN. Dicitur hæc nova Secta FRATERNITAS ROSEÆ CRUCIS. *Fraternitas*, inquam, ita, ut singuli vocentur FRATRES. Neque id quovis modo, sed, ut tanquam *Prænomen* ad singulas appellationes, eorum nominibus præponatur, *Frater Sophar*, *Frater Mustapha*. Fuit hoc in usu, estque etiam hodie Religiosis *Monachis*, idque in illis exagitârunt hæretici, ac nominatim *Buchananus*, qui contumeliosum poëma vocavit *Fratres* Sed Diabolus etiam hac in re *Simiam* suo more agere voluit. Cæterùm *fraternitas* est CRUCIS *Rosea*. Cujus nominis rationem non invenio apud ipsos. Si conjecturæ locus est, rectè dixerimus, *Crucem* usurpari, ut à Deo, & *Christo* potiùs, quàm à *Cacodæmone*, originem Secta sumsisse videatur, aut certè, ut habeat ipse quoque *Crucem*, sed SUAM, & milites, sub ea, tamquam *vexillo*, merentes. Unde cùm *Christi Crux* sit horrida, gravis, molesta; hæc est ROSEA & deliciosa. Sic suprà (Sect. 16. §. 17.) audivimus, mali Dæmonis flatu miseros Metallarios interfectos *in specu, qui Corona* ROSACEA appellatur, sive ROSENKRON, quod sanè parum distat à ROSENKREUTZ. Sed Rem videamus. Nomen non est tanti. Si Fraterculis credimus, non tam recens est hæc *Fraternitas*, quam imperitis videatur. Etsi enim jam primum innotuit; tamen CENTUM jam annos fuit, ut ipsi asserunt &

4. CENTUM ANNOS LATUIT. Cùm enim convenissent, & quædam scita conderent, inter alia etiam illud fuit, *ut de hac Fraternitate centum annos sileretur*. Credo, totum hoc esse mendacium, & patebit satis clarè ex iis, quæ subjungam. Sed quando ita volunt, & credibile est, aliquamdiu eos tacuisse, antequam *Famam* & *Confeßionem* ederent, causam latebrarum videamus. Nullam ipsi afferunt: sed notum est illud, *Qui male agit, odit lucem*. Quin & modò, cùm se prodere velle videntur, id ita timidè faciunt, ut non tam *Fraternitatem* mundo ostendant, quam ejus *Famam* nominent. Sic manent illorum pleraque dubia, & obscura,

Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in sylvis, ubi cœlum condidit umbra
Juppiter, & rebus Nox *abstulit* ATRA COLOREM.

Non potuit aptiùs describi horum Respub. Quid si sic voluit is, qui initio *divisit lucem à tenebris*,

Lux lucis, & fons luminis

Equ-

Equidem ita accipio. Hujus jussu olim *Angelus apprehendit Draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos mille, ut non seducat ampliùs Gentes, donec consummentur mille anni* (Apoc.20.2.3.) Ejusdem providentiâ hi seipsos *silentio & secessu* damnârunt, vel damnasse fingunt, non mille, sed *centum* annorum. Dum sic latuit, incognita planè fuit: jam ex parte prodita, ex parte cognoscitur: neque ampliùs, quàm ipsimet aperiunt. Videamus, ante omnia, hujus fraternitatis quisnam sit, aut fingatur *Sect. 17. Frat. Ros. Cruc.*

5. FINIS. Audi, Lector, & obstupesce. Sic illi in *Præfatione Famæ: Jam jam erumpit felix Aurora, post tenebras Saturniæ noctis, quæ beatam diem adducet: ad quam multi probi homines anhelant: ad cujus diei lucem omnes cœlestes Thesauri Divinæ sapientiæ, & omnium abditarum, & invisibilium rerum, quæ in Orbe Mysteria juxta primorum Patrum*, patescent. Viden', quid moliantur? Sed inter *primos Patres*, attende, quousque ascendant. In Confessione, pagel.69. *Deus*, inquiunt, *certò, & planè decrevit, Mundo, ante suum interitum, brevi secuturum, prorsus Veritatem, Lucem, Vitam, Gloriam tribuere*, QVALEM ADAM IN PARADISO AMISIT. *Sic peribit omnis falsitas, Mendacium, Tenebræ*, &c. Hæc omnia per hanc *Fraternitatem* fient: ideò mittuntur, hic eorum, quem quærimus, FINIS. Nec desunt, unde ista, quantumvis ardua, patrent. Mirabilis & omnibus seculis inaudita est eorum (uti prædicant, pagel.79.80.81.) *Sapientia, & Pietas.* Et quod ad *Naturam* attinet, eousque processerunt, ut OMNIA *Naturæ* BONA, UBIQUE *dispersa*, SIMUL *habeant, &* TRIBUANT. Hoc illis credat, qui fidem habet eorum Patri *Diabolo*, dicenti ad omnium Patrem (Luc.4.6.) *Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum, quia* MIHI *tradita sunt, &* CUI VOLO, DO ILLA. *Tu ergo si* ADORAVERIS CORAM ME, *erunt tua omnia.* An isti *adorari* non petunt, qui ab omnibus in omnibus sibi credi volunt, neque sua *Mysteria* examinari? Ostendam id paulò pòst. Sed huic tali *Fraternitati*, ad tantas res electæ, quisnam inter homines primus

6. *Author? Tenebrio* quispiam, mi Lector, id est, cujus nomen ipsi ejus filioli non aliter exprimunt, quam his literis. *Fr.*C.R. Tu interpretare, ut lubet. Interea de hoc, sic latente in tenebris, mira sunt, quæ prædicat. Referam compendio. p. 15. *Devotus, Religiosus, & Illuminatißimus Pater, Fr.* C.R. *natione Germanus, Fraternitatis nostræ caput, & Institutor; cùm à Parentibus pauperibus, etsi stirpe nobili editus ætatis suæ anno quinto, in Monasterium abstrusus fuisset, utramque linguam, Græcam, & Latinam, sic satis edidicit.* Mera hæc sunt figmenta. Sed tamen capiamus Mendacifigulos in mendaciis suis. Hinc primùm discimus, etsi aliunde satis constat, ante 220. annos, in *Germania* suum honorem fuisse *statui Religioso, & Monachali*,

Sect. 17. Frat. Rosf. Cruc.

quem isti caninis jam dentibus ubique lacerant. Atque inde etiam intelligitur, *Catholicam Romanam Religionem* obtinuisse, in qua sola viget & colitur *Monachorum* vita. Atque adeò hujus venerandi Patris Parentes, homines Nobiles, eidem Religioni Catholicæ fuisse addictos. Deinde & illud apparet, Non tam fuisse vel *ignorantes*, vel *vitiis deditos* Monachos, quàm isti calumniari solent; quandoquidem puer duas illas eruditas linguas apud eos facilè hausit. Sed addamus de eadem alia. Sequentibus aliquot pagellis reperio hæc. Multum hic fraterculus peregrinatus est. Sed *inter* TURCAS *maximè profecit, inde doctrinam suam hausit, & Damascum Jerosolymis prætulit. Fessam quoq; venit. Doctrinam Arabum, & Magicam* maximi fecit. Fuit & in *Hispania*, & apud *alias Nationes*.

7. Cur *Illuminatissimum* Patrem vocent, colligi licet ex iis, quæ de eodem produnt in sua Confessione, pag. 59. sic ajunt: *Meditationes nostri Patris excedunt, quæcunque à Mundi initio, vel ab intellectu humano, vel à Divina revelatione, vel Angelorum, & Spirituum ministerio, inventa aut excogitata sunt*. Ne mireris, qui hæc legis, nec *Prophetarum*, nec *Apostolorum* libros, nec cæteram *sacram Scripturam* excipi, cùm nec *Angelis* parcatur, nec ulli *Divinæ Revelationi*. Quis talis viri *ætatem* scire non desideret? indicant illam ejus filioli in sua Confessione, pagel. 67. *Natus* igitur *est* Fr. C. R. *anno* 1378. *Vixit annos* 106. Itaque obiisse oportet anno 1484. *Sepulcrum latuit annos* 120. de quo infrà: cùm etiam de *Antro* hujus *Fraternitatis*, & *Epitaphio* tam sancti Patris dicetur. De quo nihil jam addo. Veniamus jam ad ejus.

8. FRATRES, & *Socios*, Hi, *quot, & quales*? Nam si quæras, *Qui, & quibus nominibus*, frustrà sis: alto & sacro silentio ista teguntur. Quæ per eorum dignos Posteros nobis panduntur, hæc sunt. *Numerus Fratrum excrevit ad octo, omnes cœlibes, & qui* VIRGINITATEM VOVERANT. Sic Fama, pagel. Ita Hæretici, accerrimi Virginitatis hostes. Omnes hi *Fraterculi* liberi erant à FAME, PAUPERTATE, MORBO, SENIO, si credimus *Confessioni*, pagel. 61. Beneficio eodem fruuntur, qui hodie vivunt, & hæc scribunt.

Parùm hoc est. Initio hujus Sectionis monui, hos, inter HECEBOLIOS MAGOS, *omnium esse audacissimos*. Audi, quid se jactent posse in LONGISSIME DISSITA. Sic agnoscet Goclenius, me de istis meritò agere, tamquam ejus consortibus, & tantò sublimioribus.

Primò. Ex QVOVIS *loco*, QVÆVIS OMNIUM *Nationum opera, & consilia cognoscere possunt*. Ita Confessio, pagel. 61.

Secundò. *Librum habent, in quo* UNO *legere queunt*, QVICQVID *in* OMNIBUS *libris, est eritve, etiam* FUTURIS, *aut* POSSIBILIBUS. Hoc jam est *longè jaculari*, non modò ad *Loca remota*, sed & ad TEMPORA *remo-*

motißima. Quis *Prophetarum* ſimile unquam potuit? Oportet hos Fratres pridem in ſuo Libro legiſſe, quæ jam in hoc meo ſcribo: nam utique erat ſcribi *Poßibile*, quod ſcriptum eſt. Sect. 17. Frat. Roſ. Cruc.

Tertiò. OMNI HORA *ſic vivere poſſunt, ac ſic ab* INITIO MUNDI *vixiſſent & victuri eſſent ad* FINEM. Ibid. Vide, ut non tantum FUTURA *Tempora* properare cogant, ut ea iis adſint, antequam ſint; verum & PRÆTERITA quantumvis fugacia, & fugitiva, & jam in ſeriem eorum, quæ NON SUNT τῶν μὴ ὄντων, redacta, ESSE tamen cogant, & ſe ad talium Deorum tribunal ſiſtere. Qui hæc poſſunt, quid iis deeſſe poteſt? Nullæ ſanè Opes, nulla Potentia. Accipe hoc clarè:

Quartò. *Canendo poſſunt Uniones, & Gemmas ad ſe allicere.* pag. 62. Etiam *Spiritus.* Ibid. Neque quosvis minutos *Spiritus.* Nam *poſſunt & Principes Mundi commovere.* Ibid.

9. Hæc ſanè *Hecebolio* ſunt, Gocleni, & præ quibus tua *patibularis Olla* non niſi fœtor ſit, & horror. O qui dignus ſit, in talem *Fraternitatem* admitti! paucorum hoc eſt; neque quisquam eos agnoſcit, niſi ipſi *Fratres*, quorum eſt illa profeſſio: *Qui digni ſint admitti in noſtram Fraternitatem, agnoſcimus ex Regula noſtræ* REVELATIONIS. pag. 64.

At ſi *videre* ſaltem eos liceat; ne hoc quidem multis contingit. *Texit*, inquiunt, *nos* DEUS *nube ſuâ, ut nobis ejus ſervis, nulla vis inferri poßit.* Nec hoc tantum: *A nemine*, ajũt, *videri, aut agnoſci poſſumus, niſi habeat oculos* AQUILÆ. Ibid. Sed ut ad primos illos *octo* redeam, ſanitatis gratiâ pollebant, ita ut INCREDIBILIS *eos Ægrotorum accurſus impediret.* Fama, pagel. 26. Omnibus prudentibus meritò *incredibile* eſt hoc mendacium. At peculiare exemplum ponunt de *fratre I.O. qui in Anglia obiit, verſatißimo in Cabala, ut oſtendit ejus* H. *Hic*, inquiunt, *in Anglia celebris fuit, maximè cùm ibi Juvenem Comitem Nort folcium Leproſum curavit.* pag. 31.

Octo illis quàm multi ſucceſſerint, nobis non conſtat. Qui illis credet, facilè ſibi perſvadebit, *plurimos* vel jam eſſe, vel brevi futuros. Sic enim illi: DEUS *decrevit numerum noſtræ Fraternitates augere, & multiplicare.* Confeſſ. pagel. 62. Qui tanta poſſint, tanta promittant, operæ pretium fuerit, ſcire, quæ eorum ſit

10. RELIGIO. Etſi ſeipſos celant, hanc tamen non celant. Fama pagel. 45. *Agnoſcimus* DUO SACRAMENTA, *cum omnibus Phraſibus & Ceremoniis primæ Eccleſiæ* RENOVATÆ. Quænam illa *Duo* ſint *Sacramenta*, quænam *Renovatio*, quære ab *Inviſibilibus Fraterculis*. Nec aliam tenentur reddere de ſua RELIGIONE rationẽ, Credendũ eſt, eſſe probos. Sic enim ipſi teſtãtur: *Suſpecti eſſe nõ poſſumus de Hæreſi, aut, tanquã mali aliquid cogitemus, aut machinemur.* Confeſ. p. 55. Quòd ſi quis hanc *de ſeipſis* teſtificationẽ non putet ſufficere, ſingulare ſpeciem ſuæ *pietatis* edunt eâdem pag. dum, tamquã ſi *Synodum œconomicã in*

Sect. 17. Frat. Ros. Cruc.

Antro suo coëgerint, hunc *Canonem* scribunt: *Blasphemias Orientis & Occidentis, nempe Mahometu & Papæ, damnamus.* Ita illi, Papam cum Turca jungentes. Sed, memores, Reverendissimum *Patrem* suum, Doctrinam suam potissimùm à *Turcis*, ut suprà vidimus, accepisse; *Mahometem* quidem semel, iterumque & obiter, & dicis causâ, tetigerunt: at verò *Papam*, serio & vero in illum odio flagrantes, & sæpius & acerbè perstrinxerunt; imò rabido dente, quod in se fuit, lacerârunt. Minantur illi præterita, quæ jam fieri non possunt. *Certi sumus, ajunt,* Famæ pag. 28. *si* FRATRES *nostri* (loquuntur de octo primis) *hac clarâ temporum luce vixissent, aliter fuisse aggressuros Papam, Mahometem, scribas, Artifices, Sophistas.* Sic vocant *Theologos Catholicos.* Tum *fortitudinem & libertatem* suam jactant, in Præfat. Confessionis pag. 52. *Liberè, & sine periculo Papam Rom. vocamus Antichristum.* Si *Libertatem* vocant effrontem impudentiam & effrenem maledicendi libidinem, agnosco hic maximam *libertatem.* Sed quòd addunt, *sine periculo,* quid mirum, qui in tenebris lateant, & nec *nomina* quidem sua prodere ausint? Suadeo, ostentandæ virtutis, in *Hispaniam* proficiscantur, & *Inquisitioni* ora sua ostendant, atque ita orbi persuadeant, quod paulò antè jactabant, se DEI *Nube tectos, nullam vim* pertimescere debere. Necdum deserunt Papam. *Prophetiæ* quoque suæ spiritum excitant, & de eo dira vaticinantur. In Conf. pag. 66. *Interitus Papæ, ad hæc nostra tempora dilatus, jam imminet.* Sed persistunt, & iterum vaticinantur, adduntq; Vaticinio minas, & operam, tantùm non dicentes, se, tumultibus bellisque excitatis, Papam de gradu deturbaturos. Quid enim aliud sibi volunt illa verba in Confess. pag. 78. *Triplex cornu Papæ in nihilum redigetur?* QUA DE RE, post NOSTRUM CONVENTUM FUSIUS, ET ACCURATIUS TRACTABITUR.

Ubi hic *Conventus* erit, nisi in *Antro*? Quorum erit, nisi hominum in *tenebris* delitescentium? Quænam illa *fusa & accurata Tractatio*? Novit is, qui scrutatur renes & corda. Hæc de *Religione* horum Fratrum. Quid in

II. POLITIA, quem tandem Principem agnoscunt? Dicant ipsi. In Fama pag. 46. *In Politiâ agnoscimus Romanum Imperium & quartam Monarchiam pro nostro & Christianorum Capite.* Qui minus profiteri potuerunt, si se in *Imperio* tolerari optabant? multò magis, si augeri, si promoveri, si gratum sibi responsum optabant, uti petunt. Et tamen hæc sola *professio* Cæsari & Principibus sufficere, scilicet, debet, ut *Suspecti esse non possint, tamquam qui novi aliquid moliantur,* ut antè verba eorum, Lector, audisti. Ne tamen illis injuriam faciam, non dissimulo, eos, in animi subditi, & in Principem suum propensi, argumentum, *facultates* suas offerre; quod Principibus meritò gratum esse solet. Neque modicum aliquid offerunt. *Cæsari,* inquiunt, MAGNOS AURI THESAUROS *ultrò offerimus.*

Cor-

Confeſſ. pag 56. Sed cui id negotii Cæſar demandabit? quis, ubi, à quo exiget, cùm nemo vos aut ANTRUM veſtrum, ut ipſi jactatis, nôrit? Similia ac multò majora auſim ego vobis offerre, etſi nihil habeo. Dicam cum Poëta: **Sect. 17. Frat. Roſ. Cruc.**

Quicquid habent omnes, accipe, quomodo das.

Quærat curioſus Lector, Quanti tandem illi ſint *Theſauri*, quos tam *Magnos* ſe offerre ajunt? Audi illos, in Fama pag. 32. *Plus auri pollicemur, quàm Rex Hiſpaniæ ex utraque* INDIA *auferat. Europa enim prægnans eſt, & robuſtum puerum pariet.* Nugatores! quaſi vos OBSTETRICES ſitis futuri. Sed tamen, ſi hi ipſi tanti Theſauri vel bellis vel aliâ ratione exhauriantur, quid facietis Cæſari? Facilis ratio. Fama pag. 45. *Noſtri Theſauri nunquam nos deficere poſſunt.* Hoc jam eſt, Deos eſſe, non homines. Itaque meritò offerunt *omnibus*, cùm penuriam nullam pati poſſint. Sic enim invitant Conf pag. 79. *Conferte vos ad* Nos, *qui non quærimus veſtram pecuniam, ſed ultrò vobis offerimus noſtros Theſauros.* Fingamus, lector bone, hæc omnia portentoſa mendacia mera eſſe veriverbia; quomodo eadem cohærent cum illo eorundem *vaticinio*, quod edunt in nobili illa Confesſione pag. 69. *Noſtri Theſauri intacti erunt, donec veniat Leo, qui poſtulabit, accipiet, & in Regni ſui roborationem impendet?* Hic LEO quis alius credi poteſt, quàm is, *qui circuit, quærens, quem* cum his Thraſonibus *devoret*? Jam verò hi tam Religioſi, tam in ſuos Principes propenſi Fratres, ſunt ſine dubio magnâ

12. DOCTRINA & SAPIENTIA præditi. Id quidem dubitare eſt nefas. Atque in primis non eſt eorum Scientia, ut cæterorum hominum, *errori obnoxia.* Teſtor Famam pag. 27. CERTI *ſumus, noſtra Axiomata immutabilia usque ad diem judicii permanſura.* Porrò quod genus Doctrinæ Fraternitati placuerit, partim colligas ex eo, quod antè de Authore & Parente audiſti, *Magiam & Arabum doctrinam* maximè habuiſſe cordi; partim, quòd *ſinguli Fratres perfectum Diſcurſum habuerint de Philoſophia tum aperta tum occulta.* Sic de primis Octo loquuntur in Fama, pag. 28. Dum de Doctrina ago, non ſunt omittendi

13. LIBRI, qui *Doctrinam* continent. De his hæc reperio. Fama pag. 26. *Quatuor primi Fratres concinnârunt Magicum ſermonem & ſcripturam, cum copioſo vocabulario, quibus hodieq; utimur. Eſtq; in eo magna ſapientia. Fecerunt & primam partem libri M.* pagellâ proximè ſequenti, de Octo ff. per *hos confectum Volumen* OMNIUM *eorum, quæ homo ſibiipſi* OPTARE *aut* SPERARE *poteſt.* Neque aliquot dumtaxat *Libros* habent, ſed totam *Bibliothecam*, de qua Fama pag. 33. *In noſtra Bibliotheca Philoſophica præcipuum ſunt Axiomata; artificioſiſſimum, Rotæ Mundi; utiliſſimum, Proteus.* Infrà dicetur de *Antro*, in quo inventum nobile illud Cadaver Reverendiſſimi

Sect. 17. Frat. Rof. Cruc.

Patris Frat. Rof. Cruc. Inde tamen jam aliquid huc decerpendum. Pag. 39. *Inter libros in Fornice illo fuit & vocabularium Theoph. P. ab Ho.* Et pag. 40. *Libellus erat in manu Cadaveris Frat. R.C.* AURO *scriptus, cujus nomen T. Hic secundum Biblia maximus noster Thesaurus est; & meritò non facilè Mundi Censura subjiceretur.* Mirum cur mendaces isti modò *Biblia* excipiant, cùm antè professi sint, *Meditationes Patris sui excedere omnia omnino, etiam* DIVINA REVELATIONE *accepta.* vide §. 7. Item cur hunc libellum præferunt illi, in quo licet legere *omnia* etiam *Possibilia*? Cæterum non quivis eorum libros legat, etsi in illos incidat. Hinc disce. A CHARACTERIBUS (inquit Confess. pag. 73.) *nostra scripta Magica mutuati sumus* (Gaude, Gocleni, etiam apud illustrissimam hanc *Fraternitatem* vigent CHARACTERES) *inveniemus* NOVUM IDIOMA, *quo simul* OMNIUM *rerum natura exprimitur.* Quis hæc legat, quis intelligat, nisi ab illis edoctus? Occurrit hîc, quod obiter annotem, Ægyptiorum Pseudophilosophos *Characteres* item sectatos, & sub iis suam nefariam *Magiam* abdidisse. *Hieroglyphica* vocabant. De his Lucanus:

In saxis tantum duris, volucresque feræque
Scriptaque servabant Magicas animalia linguas.

Ex quo *Hierogrammatei* & *Hierophantæ* appellati. Recurrit hîc, quòd suprà memini me notare, Andream Hoberveschel *Famam Fraternitatis* vocâsse scriptum *Magicocabalisticum.* Itaque venit mihi in mentem, futuros Lectores, qui & hæc, quæ de Doctrina & Libris refero; & pleraque alia hujus *Fraternitatis*, existiment, non ita accipienda, uti *verbis* sonare videntur, sed sub *sermonis cortice* aliud celare, quod neque ita mirum sit, neque tam improbum, quàm imperitis videatur.

14. ROGO TE, PRUDENS LECTOR, attende. Primum, ut ita sit, excusari prorsus non potest horum Fratrum imprudentia, qui cùm se FAMA vulgari velint, cum diserta *Confessione* sua patefacere; ita loquantur, ut à nemine intelligi possint. Deinde intolerabilis audacia & impudentia, qui *Europæ Capitibus, sive Principibus, Statibus, & Eruditis viris* suum librum inscribant, sic ut capi non possit, quid sibi velint. Duplicatur Impudentia, quòd nihilominus *Responsum petant.* Verba illorum infrà dabo. Sed, quod maxime te, Lector, rogavi, ut attenderes, illud est. Disertè significant ipsi, se nihil involutum aut obscurum scribere. Confess. pag. 79. *Non loquimur vobis per Pabrabolas.* Item pag. 54. *Quòd in Famâ scripsimus, nemo existimet, vel leviter profusum, vel confictum.* Iterum te, Lector, rogo, hæc memineris, non modò propter ea, quæ jam scripsi, sed & propter mox scribenda. Hanc Doctrinam, hos tam admirandos Libros, unde tandem fluxisse arbitrabimur? Aliunde fortassis etiam; sed consentaneum est credere, maxima ex parte prodiisse ex iis, quibus pollent,

15. REVELATIONIBUS. Afferam huc, quæ ipſi de his narrant. Fama pag. 33. *Quæ de ſepultura Fr. R. C. jam prodimus, à Deo ſic proviſum, conceſſum & injunctum eſt.* Prorſus, ac ſi, inſtar alicujus Iſaiæ, dicerent: *Hæc dicit Dominus.* Nec illud citra *Revelationem* haberi potuit, quod ſuprà poſui ex Conf. pag. 62 DEUS *decrevit numerum noſtræ Fraternitatis augere.* Illud porrò alterum pag. 64. apertè *Revelationem* ſpirat. *Qui digni ſint in noſtram Fraternitatem admitti, agnoſcimus ex Regula noſtræ Revelationis.* Circa finem Confeſſionis, pag. 79. 80. invitant mortales ad ſuum conſortium, & ut perſuadeant, ajunt, ſe invitare ex *Impulſu ſpiritus Dei*, & à *Deo admonitos.* Si quæras, unde illis hæ *Revelationes* potiùs quàm aliis hominibus, reſpondent pag. 77. *Quietis, & iis, qui paucorum ſunt verborum, Mittit Deus ſanctos Anglos, ut cum iis colloquantur.* Satin' clarè & *Revelationes, & Revelationum Adminiſtros* aperiunt? Sed ego, quos *ſanctos* vocant, non dubito eſſe *ſacrilegos Angelos.* Cæterùm Venerandus Pater, *Fraternitatis Author*, hoc genere præ aliis excelluit, ut in ejus Epitaphio poſtea referam. Satis de *Revelationibus.* Ut hæc omnia quæ audiſti, prorſus admiranda ſunt, ita & decuit eſſe eorum, in quibus degunt. Sect. 17. Frat. Roſ. Cruc.

16. ÆDIFICIA. De his pauca reperio, ſed non omittenda. Fama, ubi de Octo primis Fratribus agit, pag. 26. *Novum ædificium eorum, S. Spiritus dictum, jam abſolutum erat.* Velim hîc Calvino-Dogmatiſtas ex occaſione monitos, meminerint, totam hanc Fraternitatem, quod ad Religionem attinet, ad ipſos pertinere; atque adeò nullum *Catholicum* in ea eſſe poſſe, quippe cùm tantùm Duo *Sacramenta* admittant, & *Papam* pro ANTICHRISTO habeant. Cauſa, cur id, hoc maximè loco, annotem, illa eſt. Magnum crimen nobis Calvini Aſſeclæ impingunt, quòd dicamur de Societate JESU: quaſi eâ ratione alii ab JESU alieni dici videantur. Quærant à ſuis *Fraterculis*, cur ſuum Ædificium S. SPIRITUS vocare audeant? an alia Ædificia, & maximè Templa, *S. Spiritus* non ſunt? Sed de his plura *Metamorphoſis Calvino-Gocleniana.* Ad *Ædificia* Fraternitatis redeamus. Fama pagel. 79. *Invitamus vos ad domos, & Palatia pluſquam Regia.* Hoc mendacium, poëticè ſic ornâſſet Ovidius:

Regia erat FRATRUM *ſublimibus alta columnis.*
Clara micante auro, flammasq; imitante Pyropo:
Cujus ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat.
Argenti bifores radiabant limine valvæ.
Materiam ſuperabat opus ——

Sed nihil de eorum Ædificiis *mirabilius* invenio, quàm quòd tam clara opera, etſi coràm videantur, non videantur tamen. Goclenius facilè rationem redderet, Quòd alicubi appenderint *Gygis annulum*, cujus ea vis eſt, ut geſtantes reddat *inviſibiles.* Ne te diu ſuſpenſum teneam, bone Lector, audi,

quid

Sect. 17. Frat Rof. Crut.

quid hi Fratres de suis illis Palatiis profiteantur, extremâ Famâ, pag. 50. *Nostrum Ædificium, etsi illud centum hominum millia coràm vidissent; impio tamen mundo in æternum intactum & illæsum perdurabit, imò prorsus abditum, ne videri quidem poterit.* Ita illi sermone Germanico. ac mox totam Famam concludunt his verbis Latinis: *Sub umbra Alarum tuarum, Jehova.* O tempora, tempora! ad quæ Monstra nos volvendo deduxistis! Sed mittamus querelas, & dum de Ædificiis agimus, ne omittamus hujus nobilis Fraternitatis

ANTRUM.

17. ANTRUM, inquam, totius nefariæ hujus Conspirationis *Cubile, Ludum litterarium, Arenam, Stadium, Amphitheatrum.* Voca, ut voles, dum scias, & observes, hic natam, hinc in Orbem terræ protrusam hanc *Pestem*, hoc virus, hanc Tartareâ flammâ lucentem *Noctem*. Quid dicam?

Jam SPECUS, *&* FRATRUM *detecta apparuit ingens*
REGIA *& umbrosæ penitus patuere* CAVERNÆ.
Non secùs, ac si quâ penitus vi terra dehiscens,
INFERNAS *reseret sedes, &* REGNA, *recludat*
Pallida ——

Hos enim *Fratres*, qui novam lucem Mundo afferunt,

—— *Pater* ANTRIPOTENS *speluncis abdidit atris,*
—— *involvitq́; Domum* CALIGINE *cæcâ*
Prospectum eripiens oculis, glomeratq́; sub ANTRO
Fumiferam NOCTEM, *commistis igne* TENEBRIS.
——— *Nam plurimus undam*
Fumus agit, nebuláq́; ingens SPECUS *æstuat atrâ.*

Dicet mihi Lector, meipsum omnia involvere *tenebris*, & *caligine*, tanquam si ipse sim in nebuloso ANTRO. Video hoc, & agnosco. Sed quid faciam? Difficile est, versari in media fuligine, & non saltem nidore afflari. Tamen excutiamus, & jam intelligenter de *Antro* loquamur. Hoc primum scito, amice Lector, *Antrum* hoc loco intelligi speluncam, in qua sepultum fuisse ajunt suum Protopatriarcham R. C. cujus quædam particularia describuntur in Fama, pag. 37. seqq. Si quæras, *Ubi* id Antrum sit, juxta tecum ignoro. Nec mirum, cùm etiam *Palatia plusquam Regia invisibilia* illis sint. Hæc, quæ ab illis didici, tecum communico.

1. *Non illustratur hoc Antrum à Sole: clarè tamen lucet ab alio Sole, qui à Mundi Sole lucere didicit: Estq́; novitius ille Sol in centro Fornicis*, pag. 37.

2. *Lamina inest ænea* ROTUNDO ALTARI *imposita, cum hac inscriptione*: A.C.R. *hoc Universi Compendium vivus mihi sepulcrum feci.* Ibid.

3. Qua-

3. *Quatuòr sunt Figuræ* (iterum triumphant *Characteres Goclewiani*) *cum quaterna Epigraphe:* Sectio 17. Frat. Rof. Cruc.

1. *Nequaquam vacuum:*
2. *Legis Jugum:*
3. *Libertas Evangelii:*
4. *Dei gloria intacta.* Ibid.

4. *Libri sunt varii, atque inter eos, Vocabularium Theoph. Par. ab Ho.* pag. 39.

5. *In manu Cadaveris Frat. Rof. Cruc. libellus auro scriptus, cujus nomen* T. pagella 40.

6. *Epitaphium* ibidem hoc: C. Rof. C. *ex nobili atque splendida Germaniæ familia oriundus, vir sui seculi, Divinis Revelationibus, subtilissimis* IMAGINATIONIBUS, *indefessis laboribus, ad Cœlestia atque humana Mysteria, arcanave admissus, postquam Mundum minutum omnibus motibus Magno illi respondentem fabricásset, hocq; tandem præteritarum, præsentium, & futurarum rerum Compendio extracto, &c.* pag. 41. Hæc illi ferè de suo *Antro.* Et quidem infrà plura de eo dicentur. Sed hoc loco omittendum non est, investigare, *Quando* hoc *Antrum structum, quando patefactum aut inventum.* Hoc etsi non dicunt Fratres, tamen dicunt quædam, unde id colligamus. Ajunt enim *in occulta janua, sub muro, hanc Inscriptionem repertam: Post CXX annos patebo.* Item in Confess. pagel. 67. *Patrem suum* R. C. *natum* ajunt *anno 1378. ac vixisse annos 106.* Credamus hæc omnia. Sic obierit magnus ille *Mundi Reformator* anno Domini 1484. circa quem annum, consentaneum est existimare, *Antrum* fuisse extructum, aut non multò antè, cùm sepulturæ pararetur. Certè illo anno *occlusum* fuit Antrum, condito inibi Cadavere jam annos 120. post ex vaticinio patere debuit; reperies, *repertum & apertum* fuisse anno 1604. Unde *Fratres* animati, aliquot annis pòst, *Famam* reliquosque libros edere cœperunt. Ex hac temporum descriptione noto, *Fratres* istos non satis consuluisse *Regulas suæ Revelationis*, nec diligenter legisse *librum, qui continet omnia, etiam futura & possibilia*, cùm tam turpiter hallucinati sint in re præterita, aut quam pro tali venditant. Nempe ajunt, fuisse in *Antro Vocabularium Paracesi.* Sine dubio inclusum fuisse oportuit, cùm Antrum clauderetur, id est, anno Christi 1484. Atqui si ad vitam illius Impostoris attendas, reperies, eo tempore non fuisse natum. Sed nono demum pòst anno, nempe 1493. Quomodo ergo toto novennio, antequam nasceretur, jam scripserat? Obiit idem *Paracelsus* anno Domini 1541. Ætatis suæ anno 47. Moneo *Fratres Antricolas*, qui toties meminerunt vanissimè suorum Axiomatum, ut aliàs attendant illud Axioma:

MENDACEM *memorem esse oportet.*

Sectio 17. Frat. Ros. Cruc. Unum me fugerat, cùm recenserem, quæ in *Antro* reperta sunt. *Fuerunt quoque inibi in cista quadam varii generis* SPECULA *variarum virtutum; & alibi Tintinnabula*, & ARDENTES LAMPADES. Hinc videlicet *Paracelsus* didicerat suas *Lucernas* concinnare, antequam natus. Quid nisi jam Libros scripserat? Sed jam plus satis de *Antro*. Ex quo emergamus aliquando.

18, SECRETUM, inter hos homines est altissimum, & abstrusissimum: idque non sine adjuncta religione *Juramenti*. Testes Fratres, pag. 34. in Fama: *Cum Fr. N.N.* SOLEMNE FIDEI & SILENTII JURAMENTUM *præstare deberet*. Sic *Insinuator*, nescio quis, ad hos Fratres: *Modò sub* SIGILLO SILENTII *me vobis obtulisse, æqui bonique consulite*. Paulò pòst: *Vestrum Convictum & Colloquii locum per hujus venditorem renuntiante*. Et alter in *Prosphonesi*: *Pollicitationem vestram Sacrosanctam fecistis omnibus cum Fide silentii sese vobis offerentibus, &c.* Eodem pertinent *Antrum*, *Sermo ignotus*, *Characteres*, & omnium, ut sic dicam, *Invisibilitas*. Nihil mirum: *Qui malè agit, odit lucem*. Prudenter tamen providerunt *Fratres*, (ne inter se quoque ignoti, ac sic suspecti essent) *ut vox R. C. esset eorum Sigillum, Tessera, Character*. Ita Fama pagellâ 29.

Hæc omnia, & multò plura, quæ brevitatis gratiâ silentur, quantumvis impia, & horrenda, audent tamen *Noctivagi Fratres*.

19. *Dedicare Cæsari, Regibus, Principibus, Doctisve viris Europæ*. Vide *Epigraphen Famæ*. Audent, tamquam re præclarè gestâ, *Responsum* petere: *Expectamus*, inquit Fama, pag. 44. *Quidnam ad hæc nobis Docti Indoctique respondeant; & quod eorum sit judicium*. Videntur illi quidem his verbis significare, æquo se animo accepturos, quicquid illud *Responsi & Judicii* erit. Sed longè aliter est. Præscribunt enim illi, cujusmodi *Judicium & Responsum* esse oporteat. Pag. 33. 34. *Si nobis Christianum Responsum cum discretione detur, non abhorremus, prodere Nomina nostra, Cognomina, & conventus, sive coitiones*. Scimus, quævis, cujusvis, ad quosvis Responsa debere esse *Christiana*, & cum *discretione*. Sed hi *Lucifugæ Fraterculi* pro arbitrio & *τὸ Christianum* & *Discretionem* diffinient. Itaque nisi *Cæsar*, & tot *Reges*, aliique *Principes*, *Quinque Sacramentis* abdicatis, Duo tantùm agnoscant; nisi *Papam liberè vocent Antichristum*; nec ipsi satis *Christiani*; nec eorum *Responsum Christianum* censebitur. Item nullo modo *Discreti* erunt nisi horum *Fratrum* deliriis credant, eosque, tamquam Divinos homines agnoscant, quippe qui omnia sua per Divinas *Revelationes* acceperint. Dixi antè me pauca horum scripta vidisse; addo jam, me nihil vidisse aliorum ad ipsos, vel de ipsis, exceptis, quæ antea citavi. Scio tamen tum aliorum relatione, tum ex Librorum Francofurtensi *Indice*, & ipsos *Fratres* plura edidisse; & quosdam alios aliqua respondisse. Sed quid responderint,

igno-

ignoro. Verùm, quoniam pro sua humanitate ajunt, se expectare *Judicium à doctis & indoctis*, non possunt me excludere, quin saltem inter posteriores censeant. Itaque hac occasione audiant liberum *Judicium*, quod petierunt. Et quoniam ausi sunt sua *Europæ Capitibus & Eruditis* dicare, non ægrè ferant, si ad idem *Tribunal* me confero.

Digressio. Frat. Ros. Cruc.

DIGRESSIO.

JUDICIUM DE FRATERNITATE Roseæ Crucis.

Ex ipsorum Fratrum scriptis.

AD CÆSAREM, REGES, PRINCIPES, Respubl.

Horumq; Magistratus, & Consiliarios.

1. ANte omnia faciam, quod monet Apostolus: *Cui honorem, honorem* (Rom. 13. 7.) habebo, inquam, honorem Judicio *Serenissimi Archiducis Austriæ* &c. Hic quid de Antri R. C. incolis eorumque Rep. aut potiùs *Re- Clancularià* senserit, dicunt ipsi. Ascribunt illi quidem *Jesuitis*, quod nec fecerunt, nec potuerunt: sed Princeps ille & Pietate, & Prudentia, & Æquitate maximus, meritò patravit. In Præfatione Famæ sic deplorant tristem fortunam cujusdam ad *Fraternitatem* aspirantis: *Adamum Haselmeyer, Notarium Publ. apud Archiducem Maximilianum, qui compendium fecerat ex scriptis Theologicis Theophrasti, titulo* JESUITAM, *quo docet, singulos Christianos veros Jesuitas esse debere, id est, in* JESU *ambulare, vivere, esse & manere debere: eo nomine Jesuitæ, mercedis loco, quòd in Responso suo ad Famam, eos, qui de Fraternitate Roseæ Crucis essent, viros vocaverit Illuminatissimos, &* JESUITAS *fallere nescios, arreptum in triremes compingi curârunt.* Non insultabo miseri hominis pœnis: sed nec damnare possum talis *Principis*, aut *Senatus* ejus, prudentiam & æquitatem. Imprudenter & parùm pro honore FRATERNITATIS egerunt *Fratres*, qui hoc Judicium *Europæ* prodiderint, cujus *amicum Judicium* de suis rebus expectabant. Quod enim majus esse potest *Præjudicium* ad *damnationem Clancularia hujus Conspirationis*, quàm intelligere, virum cætera honestum, & *Publicum Notarium*, *Servili* illo & acerbo *Triremium* supplicio damnatum, non quòd fur esset, aut latro, aut adulter, sed eo *solùm*, *quòd Roseos Fratres laudâsset?* Quid faceret ille Heros, si miser *Adamus* è *Fraterculis* unus fuisset? Vah incogitantiam! hîc maximè *Axiomata & Revelationis regula* inspicienda erat. Cæterum ego tanti Principis judicium meritò sequens (non ad decernenda *supplicia*, quod me nec tangit, nec decet) ajo, hanc *Tenebricosam Sectam & Religioni & statui Politico esse perniciosissimam*,

Digressio, Frat. Ros. Cruc. quod non ex aliorum vel calumniis, vel figmentis, sed ex ipsius Sectæ scriptis & Professione faciam manifestum.

2. Ac primùm, ex eorum miris, mirè *Paradoxis*, assertionibus possim cum quibusdam non absurde suspicari, hos esse homines *fanaticos*, *inverso cerebro*, *& vix sibi mente constantes*, ut qui tam multa effutiant, quæ nemo sanus est, qui capiat, aut intelligat. Cujusmodi è fæce *Anabaptistarum* multos vidimus. Sed, ut ita sit, non ideo sit res negligenda cùm possint illi, aucto numero (clamant ipsi, DEUM *decrevisse numerum suæ Fraternitatis augere*) non minùs orbi Christiano, fanatico suo furore incommodare, quàm *Anabaptistæ* illi, qui superiore seculo, *Monasterium*, *Westphaliæ urbem*, cùm occupâssent, sanguinarias illas Tragœdias, in Claro *Imperii Romani Theatro*, ediderunt, omnibus satis notas, & quibusdam, etiamnum viventibus, plus satis acerbas. Profectò aliquid simile hos Fratres moliri, quæ infrà dicemus, vehementem suspicionem facere possunt.

3. Non vani conjectores illi quoque sunt, qui putant, *Magorum esse societatem*, qui cùm hactenus in subterraneis speluncis *Magicas suas impietates* exercuerint, aucti jam numero, eò aspirent, ut in apertum prodire, & Mundo se impune ostendere audeant. Hinc plures invitant, ut tantò tutiores sint, dum non putatur consultum, tantam multitudinem Legum severitate coërcere, ne deterius quippiam eveniat. Credibilem admodum hanc opinionem faciunt Antrum, quæque in Antro reperta ipsi referunt, ac maximè Characteres. Sed quicquid vel hujus, vel prioris illius suspicionis sit, Principibus certè, & Ecclesiasticis, & Politicis, meritò providendum est, ne grande omnino malum ex hac Coitione & in *Ecclesiam*, & in *Publicam populi Christiani tranquillitatem*, emergat. Ac de *Ecclesia* quidem, si hoc solum teneremus, quod suprà ostensum est, eos in *Religione* sentire; satis abundè probatum esset, *Ecclesiam* ab iis, quantum quidem possunt, funditus everti, cujus & *Caput* Pontificem Maximum, in *Antichristum* transformant; & quinque *sacramenta* è septem projiciunt. Sed quia hæc mea etiam iis probari cupio, qui, cùm Christianorum nomine censeantur, ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt; hæc pono, omnibus consideranda.

1. Quis, cujuscunque Religionis, iis fidat in Religione, qui, nullâ factâ aliorum capitum mentione, *duo tantùm* illa ponant, quæ modo dixi?

2. Quæ submissio adversùs Ecclesiam quamcunque ejusve Administros expectari ab iis potest, qui, si rationem poscantur suæ Religionis, illud tantùm magno supercilio respondeant: *Suspecti esse non possumus de Hæresi?* &c.

3. *Primam Ecclesiam Renovatam* ajunt se *agnoscere*. At *à quo*, *in quibus*, *quomodo Renovatam?* altum silentium. Quis hîc diabolicum astum non videt?

videt? Sic nempe promtum est, *Calvini*, *Mennonis* asseclas ad se pellicere, & capere. Sic *quamvis novam Sectam*, profanâ NOVITATE, comminisci. Sic denique *Turcarum*, (quam Patrem suum hausisse testantur) impietatem inducere. Sed de *Religione* satis ista. Nemo est tam obesâ nare, quin fraudem sentiat. Nemo Ecclesiam (quamcunque sic vocet) diligit, quin hos, tamquam ejus pestes, execretur. Itaque jam transeo ad perniciem, quæ ex hac *Secta*

Digressio. Frat. Ros. Cruc.

4. POLITICO STATUI imminet. Ac primùm hoc ipsum magnopere considerandum venit, quòd SECTA est, id est, *Societas* quædam, *Coitio*, *Conventus*, *Congregatio*, denique, ut ipsimet vocant, FRATERNITAS, sine ullius Principis aut Magistratus vel authoritate vel conscientia coalita, & certis REGULIS & AXIOMATIS devincta. Hoc enim Publicæ Majestati & Tranquillitati non potest, non esse suspectum. Unde Imperator Cod. de Episc. & Cler. *Conventicula illicita fieri prohibet*. Alia lectio habet, *Conventiculam*. Porrò Bal. in c. *Conventiculas* ita statuit, *ut Conventicula dicantur* OMNIA *Collegia illicita*. Est item in Cod. (lib. 4. tit. 59.) titulus de *Monopoliis & Conventu negotiatorum illicito, vel artificum ergo laborum*. Iterumq; de iisdem & *quibusvis artificibus, mercatoribus, negotiatoribus* alius est titulus (libr. 5. titul. 13. l. fin.) quo eorum Conventus coërcentur: maximè *si declinent jurisdictionem ejus, qui praeest Collegio, & recusent esse sub Præside, vel alio Superiore*. Antiquior est *Collegiorum illicitorum* damnatio, libr. 47. Pand. tit. 21, ubi eadem, ejusmodi *Collegia facientibus*, pœna imponitur, quæ *hominibus armatis, Templa vel Loca publica occupantibus*. Unde rectè Octavius Aug. (teste Suetonio in Oct. c. 32.) *Collegia omnia, præter antiqua & legitima, dissolvit*. Ratio inibi adjungitur, *Quòd plurimæ factiones, titulo Collegii novi ad nullius non facinoris societatem coirent*. Quòd si quærant *Rosei fratres*, Quænam *illicita* Collegia habeantur? responsum accipiant ex d. tit. Pant. l. 3. *Legitima Collegia sola illa putantur, quæ habent authoritatem Principis aut Senatus*. Et hæc quidem Romani. Eadem Græcis mens fuit. Itaque Alcibiadi illustri civi Atheniensi, vitio datum, nec sine infamia, *quòd domi suæ Mysteria celebraret*. Hoc enim Athenienses judicabant, *non ad Religionem, sed ad conjurationem pertinere*. Lege Corn. Nepot. & Plutarch. in Alcib. Si *domi* cum *paucis domesticis privatim* Mysteria factitantem non tolerabant, quid facerent, si *Conventus abstrusis in locis cogentem* deprehendissent? Utique quòd Romani in eos, quos *Bacchanalia* agitantes, è latebris in apertum produxerunt. Mira sunt, & planè stupenda, quæ de his prodit Livius libr. 19. A. V. C. 568. quæ utinam ne sint viva imago hujus novæ Fraternitatis. Ea detegere quantæ curæ Senatui fuerit, ex eo constat, quòd, (ut ait author) Coss. *ambobus quæstio de clandestinis conjurationibus decreta est*.

Digressio. Frat. Ros. Cruc.

5. Horum *Sacrorum Originem & Authorem* aperit Livius illis verbis: *Græcis ignobilis in Hetruriam primùm venit, nulla cum arte earum, quas multas ad animorum corporumq; cultum nobis eruditißima omnium gens invexit, sed sacrificulus & vates: nec is, qui aperta religione propalam, & quæstum & disciplinam profitendo, animos errore imbueret, sed occultorum antistes sacrorum. Initia erant, quæ primò paucis tradita sunt : deinde vulgari cœpta.* Recolantur, quæ suprà, Fratres ipsos audivimus de origine & Authore suæ *Fraternitatis* memorantes, & videatur, quantum à se mutuo utraque Secta absit. Sed addo ex Livio pauca. Iterum is de Senatus solicita curam: *Quæstionem de Bacchanalibus sacrisq; Nocturnis extra ordinem Consulibus mandat.* Nec omittenda, quæ pro Rostris Posthumius Consul ad Populum de his *latentibus Mysteriis* producit, digna, quæ à Principibus Magistratibusque audiantur, & non otiosè perpendantur. Ponamus capita aliquot ex antiquis illis, addamque nova *Roseorum* Fratrum, ut res clarior sit, & æstimatio facilior, per *Parallela.*

PARALLELUM I. *Bacchanalia totâ jam pridem Italiâ, & nunc per Urbem multis locis* &c. At ROSEI Fratres *libro dedicato* sua *Sacra* commendant *Regibus, Principibus, Doctisque viris, qui in Europa.*

PARALL. 2. *Qui, Qualesq;* Bacchanalibus initiati? Responderet Posthumius inter cætera: *Fanatici vigiles, vino, strepitibus clamoribusq; nocturnis attoniti.*

De *Vigilia, Vino, strepitibus* nescio, sed ROSEOS, *fanaticos esse*, & *attonitos*, satis produnt, quæ ipsi produnt de restituenda *Paradisi felicitate*, & *Hecebolis* illis *Mysteriis*, quæ maximè in iis pro meo instituto persequor.

PARAL. 3. *Nullas adhuc vires conjuratio*, ait Posthumius; *cæterùm incrementum ingens virium habet quod indies plures fiunt.*

ROSEI initio *pauci, octo* tantùm erant: jam & invitanti ipsi *Europam* totam; & propalam ebuccinant illud: *Deus decrevit numerum nostræ Fraternitatis augere.*

PARAL. 4. Posthumius: *Necdum omnia, in quæ conjuraverunt, edita facinora habent: adhuc privatis noxiis, quia nondum ad Remp. opprimendam satis virium est, conjuratio sese impia tenet; crescit, & serpit quotidie malum: jam majus est, quàm ut capere id privata fortuna poßit: ad summam Reip spectat.*

Equidem *Propheta* non sum, cujusmodi *Rosei* se jactant: sed si illorum de seipsis *Propheticam* accipimus, videant, quorum interest, an non ad *Reip. summam* spectent illa: *Omnium nationum opera & consilia cognoscunt. Principes mundi commovent libere, & sine periculo Papam Rom. vocant Antichristum. Triplex cornu Papæ in nihilum redigetur: qua de re post Conventum Fraterculorum fusiùs & accuratiùs tractandum.* Qui de talibus tam accuratè tractant, vide an de *Reip. summa* cogitent. Et quoniam hæc sine Duce fieri posse,

posse, est incredibile, non deerit illis Leo, *qui eorum Thesauros in Regni sui roborationem impendet*. Hæc omnia eorum verbis antè descripsi, pagellis quoque ascriptis; nec repeto. Cæterùm neque verba, neque cura vana fuit vel Consulum, vel Senatus. *Datum* enim *Consulibus negotium est*, ait Livius, *ut omnia Bacchanalia Romæ primùm, deinde per totam Italiam diruerent*. Id diligenter accuratum. Sed quòd tantum, tamque latè fusum malum simul extirpari non potuit, biennio pòst *L. Posthumius Pr. cui Tarentum Provincia evenerat, reliquias Bacchanalium quæstionis cum omni executus est cura*. Si initiatorum *supplicium* quæris, carcere multos, plures morte multatos, idem tibi Livius respondet. Scio, magna fuisse *Bacchicorum* illorum facinora, quorum non insimulo ROSEOS. Sed rectè facient, qui caverint, quæ necdum vident. Et Posthumius, ipsum *Forte temerè corruisse* crimen putat, laudatque Majores, qui, *Ubicumque Multitudo esset, ibi & legitimum Rectorem multitudinis censebant debere esse*. Tantùm de *Bacchanalibus*, & *Secta Rosea* iis quàm simillima. Venio ad alia capita. Non modò Secta est, privatâ paucorum authoritate ab reliqua hominum multitudine resecta, sed ejusmodi Secta, quæ apertè. Digressio Frat. Ros. Cruc.

6. *Authorem* sui nominat *Deum*, ejus jactat *Revelationes*, *Felicitatem Paradisiacam* promittit, cum *Thesauris cœlestibus, Abditis mysteriis, Auro* opibusque inexhaustis: quæ omnia quam vim apud multitudinem facilè credulam habeant, vel me tacente, sponte patet. Jam si his addas facilitatem illam *remotissima quaq; cognoscendi, & abstrusissima*; quantam humanæ curiositati fenestram, dicam, an portam? aperueris! Hæc nempe sola multis præcipitium fuit, quo se in Veneficii gurgitem immerserunt, nunquam emersuri. Magis etiam invitat, non tam *spes*, quàm, ut sic dicam, *Certitudo latendi*, eaque *divinitus constituta*, & firma. Sed mirum, si Principes dissimulare possunt, nec studiosè inquirere, *quis sit ille Leo Rex*, quod ejus *Regnum*, quæve illius *Roborandi* ratio, aut via. Verum enimvero me quidem præ omnibus movet, totamque rem suspectam maximè facit

ANTRUM FRATERNITATIS, & *latebræ* illæ impiorum hominum, & lucifugarum propriæ. Evolve Historias, lege Poëtas: velut fatale, si fas dicere, reperies, *Antra* ad maxima flagitia perpetranda fuisse comparata. Ac ut turpia illa, & nefanda sileam, invenio, vel Diabolica sacrificia, & lanienas in *Antris* exercitas, vel in Principes, ac Resp. conspiratũ, *Bacchicolarum Antra & Latera*, quas è Livio audisti, quid pepererint, ex eodem disce: *Ne unum genus noxæ*, inquit, *Falsi testes, falsa signa, testimoniaq; & judicia ex eadem officina exibant. venena indidem, intestinaq; cædes, ita ut ne corpora quidem interdum ad sepulturam extarent. Multa dolo, pleraque per vim audebantur*. Infrà: *Corruptelarum omnis generis eam officinam esse*. Item: *Ut quisq; introductus sit, velut* VICTIMAM *tradi Sacerdotibus*. Iterum. *Si qui minùs patientes dedecoris sint, & pigriores ad facinus, pro* VICTIMIS

IMMO-

Digressio. Frat. Ros. Cruc.

IMMOLARI *nihil nefas ducere. Viros, velut mente captâ, cum jactatione fanatica corporis vaticinari.* Nonne videntur tibi, studiose Lector, describi *Vaticinia Roseorum ff. de interitu Papæ, de Ortu Leonis?* Numa Pompilius, secundus Rom. Rex (ne à Livio abeam) *Omniuus primùm, rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem, efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus est. Qui cùm descendere ad animos sive aliquo commento miraculi non posset,* (Huc itidem spectant *Roseorum* stupenda illa promissa) *simulat, sibi cum Dea Ægeria congressus nocturnos esse* &c. Sed quisnam aptissimus iis congressibus locus? *Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aquâ. Quò, quia se persæpe Numa sine arbitris, velut ad congressum deæ inferebat, Camœnis eum locum sacravit, quòd earum sibi concilia cum conjuge sua Ægeria essent, & soli fidei solenne instituit.* Videtur ipsissima Roseæ Fraternitatis origo, qui & ipsi *silentii fidem* præ omnibus in suis sacris colendam volunt.

8. Major veneficâ istâ Ægeriâ triveneficus *Juppiter*, & ipse suo *Antro* gaudens, imò in eo educatus, ut *invisibiles nostri Rosei*: Siquidem eum ambitioso famulatu apiculæ,

——————— canoros
Curetum sonitus, crepitantiaq; æra secuta,
Dictæo cœli regem pavêre sub Antro.

Habet & *speluncam* suam veterator ille *Proteus*,

—— consueta petens è fluctibus Antra.

Habent & *Nymphæ*:

—— scopulis pendentibus Antrum,
Nympharum domus ——

Habent *venti* (vestræ animæ, ô Ventosi Fratres Rosicrucii) quos

—— vasto rex Æolus Antro
Imperio premit. ——

Meministis &

—— vasto Cyclopis in Antro,

Polyphemi, cujus

—— domus sanie, dapibusq; cruentis
Intus opaca, ingens:

& Caci, quem ex *Antro* protractum Hercules malè multavit,

—— insperatâ deprensum in luce ——

Si cui, vestrum *Antrum* invisibile videndi copia sit, & vos quoque *insperata in luce deprehendamini*, qui sic gaudetis tenebris, fors non pauca appareant istis similia. Et fortè ibi latet

Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus,
Quam subter specus, & Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnæa tonant ——

Aptissima

Aptissima ea sit *officina armorum* vestro *Leoni*. Vultisne recentiora? Digressio. *Frat. Ros. Cruc.*

9. BONZII, mutorum Deorum in Japonia Sacerdotes, suorum eorumdem deorum ductu in *Antra* secedunt, atque inibi, divinitus scilicet edocti, Gnomas quasdam comminiscuntur, quas deinde ad homines reversi, tamquam è cœlo lapsi, edicunt, in iisque triumphant. *Vos post centum annos* cum vestra sapientia emersi, unde, nisi ex simili *Antro*, proditis? Ne ipsi quidem id dissimulare potestis. An rectiùs dicam, *Antrum* vestrum simile esse *Gygis Antro*? nam inde *Annulum* abstulit, cujus gestatione factus est *Invisibilis*, ut vos estis. Consulite bonum *Goclenium*, qui id faciliùs credit, quàm Christum invisibilem esse sub sacrosancta Hostia. An potiùs dici velitis *Antrum Mercurii*? Absit tamen contumelia. *Nam* multò magis *Venerandus Pater vester*, quàm fur ille *Hermes*, in suum Antrum, Orphei verbis:

—παντοίων ἀγαθῶν κατέθηκεν ὅμιλον,

Omne genus bona comportavit acervis.

Quod si rectè Zeres de *libris* interpretatur, quàm rectè in vestram Bibliothecam quadret, & maximè in illud nobile volumen, quod octo primi Fraterculi confecerunt, *omnium eorum, quæ homo sibi optare aut sperare potest*: Neque à *Trophoni Antro* vestrum abludit, hominis ambitiosissimi, qui ut vos, inde *oracula fundabat*. Et his quidem *Antris* hominibus simile aliquid habet vestrum *Antrum*. Sed nulli similius est, quam *Antro Apollinis*. Non illud dico *Antrum Sibyllæ*, sive

— *Arces, quibus altus Apollo*
Præsidet, horrendaq́ procul secreta Sibyllæ,
ANRUM *immane*,—

ubi illi fæminæ

— *magnam mentem, animumq́*
Delius inspirat Vates, aperitq́ futura.

Est quidem & huic *Antro* vestrum tum in aliis simile, tum eo maximè, quòd vobis quoque idem impostor deus

Horrendas canit ambages, ANTROQUE *remugit*
Obscuris falsa involvens ——

ut est illud, de *Papæ interitu* mox secuturo. Sed utut hæc sint, non hoc illud *Antrum* est, cui vestrum simillimum dicebam. Aliud ego *Antrum* loquor, & quidem *Apollinis* quoque, quod in vestro redivivum fatebitur, quisquis de illo veteres legerit, & vos jam de vestro audierit. Expectatis, quodnam illud tandem sit? accipe, est

10. ANTRUM MITHRÆ.

Te appello, mi Lector, & simul fidem tuam. Da, sis mihi opellam hanc, & mecum vide eam, quàm prædico, similitudinem. Ac primùm,

Digreffio. Frat. Rof. Cruc.

Mithram scito esse ipsum, ut dixi, *Solem*, sive *Apollinem*, quem Persæ *Mithram* vocant. Testatur Suidas: *Mithram existimant Persæ solem esse.* Item D.Gregor. Nazianz. (lib.2. in Julian.) *Mithra, inquit, id est Sol, cui celebritates fiunt, & inprimis à Chaldæis, &c.* Jam aggredienti mihi, ostendere, nostros, *Roseos*, novos esse *Mithræ Sacerdotes*, occurrit Ezechielis Prophetæ visio (cap. 8. v.8. seqq.) qui à Deo jubetur *Fodere parietem*, ut *videat Abominationes Majores*, ac *majores, quas seniores domus Israel faciebant in Tenebris, unusquisque in Abscondito cubiculi sui.* Hoc *Absconditum* unicuique suum *Antrum* erat. Nec aliter fecit Propheta, ac jussus erat. *Cùm Fodissem parietem*, inquit, *apparuit Ostium unum, & dixit ad me, Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus, vide, &c.* Quod in me erit, idem faciam. Ingrediar *Antrum*, & *Mithræ*, & *Roseorum FF. Fodere* mihi erit, *Scrutari*, & *Considerare*, quæ Rosei, de *Abscondito* sui *Antri* produnt, & videre, aliisque ostendere, eadem, aut gemina fuisse in *Antro Mithræ.* Eamus iterum per Parallela.

PARALL. I. AUTHOR.

II. *Mithræ Antro* & Sacris Author fuit *Zoroastres* Persa, aut Assyrius, teste Porphyrio in Comment. Antri Nympharum. *Rosicrucio Antro* & Religioni Parens est Fr.R.C. Horum inter se cognationẽ obiter consideremus.

1. ZOROASTRES *Persa* fuit. Hoc, & quæ deinceps de hoc Impostore ponam, ex idoneis Authoribus habeo, quos necesse non est anxie allegare.

FRATER R.C. *Persa* non fuit, sed *Persas adiisse* æquum est credere, cùm *varias Nationes* adierit doctrinæ causâ. Neque *Arabes*, *Turcæ*, *Saraceni* meliores sunt: apud quos sapientiam suam hausit.

2. ZOROASTRES, tamquam magni Prophetæ *Moysis* æmulus, non minorem honorem apud suos sperare ausus est, quàm hic apud DEI populum erat consecutus. Itaque quæcunque Moyses gesserat, iste Moysis ridiculus simius itidem conatus est. Vide hæc pauca. *Moyses* Prophetarum velut apex fuit: *Zoroastres* Magorum. *Moyses* veræ, de vero DEO, primus Scriptor fuit Theologiæ: *Zoroastres* falsæ, quæ est de falso deo, sive Diabolo. Magiam intelligo. *Moysen* cæteri deinceps Prophetę, & Sancti DEI homines, secuti sunt, ejusq; doctrinę inhęserũt: *Zoroastren* ducẽ cęteri Magi habuerũt.

FRATER R.C. quid? *Zoroastri* iterum in hoc capite similis, quòd & ipse, ut alter Moyses, suis Roseis Doctrinâ, Moribus Scriptisq; præivit; sed eò audacior, quò altiùs multò subvolavit. Nam longè *ultra Moysen* progressus, ADAMO adhuc *innocenti* par esse voluit. Quid dico, *par? Adamus veritatem, lucem, vitam gloriam in Paradiso amisit*: hic ea mundo *restitutum* venit. Vide, an hoc non sit longè esse *Majorem Adamo.* Quòd si de *Scientia & Sapientia* contentio sit, nemo negaverit, maxima hæc fuisse in Adamo: sed nihil ad Sanctum Patrem Fr.R.C. *cujus Meditationes excedunt, quæcunq; à Mundi initio,*

tio, vel ab intellectu humano, vel à Divina revelatione, vel Angelorum & Spirituum ministerio, inventum aut excogitatum est. Digressio. Frat. Ros. Cruc.

PARALL. II. ANTRUM

ZOROASTRES (ut narrat Porphyrius ex Ebulo) *naturalem speluncam & fontibus scatentem in proximis Persidis montibus consecravit*

FRATER R. C. altiora moliens, suum *Antrum vivus sibi sepulcrum fecit*; respuens, quod Natura patrâsset. Nec mentio ullius vel Architecti, vel Artificis alterius. Nempe ut alter *Amphion*, dum sedulus ædificat,

Frater adduxit lapides canendo.

PARALL. III. ANTRI MYSTERIUM

ZOROASTRES *per speluncam Mundum significavit*. Porphyrius iterũ author.

FRATER R. C. suum *Antrum* vocat *Universi Compendium*. Quæso, Lector, attende.

PARALL. IV. ANTRI NUMEN.

ZOROASTRES per suum *Antrum* significabat *Mundum Fabricatum à Mithra*, id est, à *Sole*.

FRATER R. C. inter tot *Mysteria* sui *Antri* eximium illud curavit, novus *Mithrocola*, ut cùm ab *Antiquo Sole Antrum* illustrari non posset, objectis fornicibus; haberet tamen alium *Solem*, qui ab *antiquo Sole lucere* didicisset, eumque novus *Creator in Fornicis & novi sui Mundi Centro collocavit*. Hoc Antri primarium *Numen*.

PARALL. V. ASTRORUM IMPERIUM.

Sic voco potestatẽ imperandi Astris, aut iis pro arbitrio suo utendi. Igitur ZOROASTRES ait D. Clemens (lib. 4. Recognit.) *Astris multum & frequenter intentus, velut scintillas quasdam ex stellis producere, & hominibus ostendere cœpit*

FRATRI R. C. parùm sunt *scintillæ*. Totum *Solem* habet in potestate. Nonne ita tibi videtur, Lector, de eo, qui *Solem*, tamquam *Ludimagistrum*, *adhibet*? qui *magni Solis parvum Idolum fabricatur*, *Solem novitium*, quem illi dat *discipulum*, & singulari industriâ, alicunde à *Turcis* aut *Saracenis* haustâ *Lucere* docet, vel intra intima terræ viscera. Et ne tali Soli suum *Cœlum* desit, *Fornicem facit Cœlum*, & in eo *Solem* figit. Dedicari poterat ex Lucano, hoc Epigrammate:

Præcipiti deducta polo hæc sunt SIDERA *nobis.*

PARAL. VI. COELORUM, ASTRORUMQ. MOTUS.

ZOROASTRES, Sicut per *Speluncam* universè *Mundum* significari volebat: ita per alia quædam (Porphyrii rursus verba) *intus congruis intervallis disposita, Elementa & plagas Mundi delineabat*. Clariùs Origines (lib. 6. in Celsum:) ait, *in Mithræ Sacris duplicem prætendi* CIRCUMACTIONEM STELLARUM; FIXARUM, ERRANTIUMQUE. Adjungit deinde *de septem portis*,

quas

Digressio. Frat. Ros. Cruc.

quas refert ad *septem Planetas*, & alia similia deliria; quæ meo *Goclenio* meritò arrideant, ut *Characteribus & Sigillis* valdè congruentia. Quid in ANTRO *Rosicrucio*?

FRATER R. C. *Mundum minutum omnibus motibus magno illi respondentem fabricavit*. Et profitetur ipsemet de se: *Hoc* UNIVERSI COMPENDIUM *vivus mihi sepulcrum feci*.

PARALL. VII. FIGURÆ, ET TYPI.

ZOROASTRES in *Antro* suo posuerat *Planetarum Typos*,

FRATER R. C. præter alias *figuras*, quatuor in suo effigiat, cum suis *Inscriptionibus*.

PARALL. VIII. SACRIFICIA.

ZOROASTRES *multas Hostias Mithræ consecrari* instituit, teste Suidâ.

FRATER R. C. in suo ANTRO *rotundum Altare* constituit. Ad quid, nisi ad *Sacrificia*? Testentur Calvinistæ, qui, quia, in Ecclesia Christiana, *Sacrificia* esse; negant, *Altaria* quoque ubique demoliuntur.

12. Hactenus sat mihi videor ostendisse MITHRÆ ANTRUM redivivum in ANTRO ROSICRUCIO, sic *Zoroastren* in Frat. R. C. qua de re prudentem & æquum Lectorem judicem non recuso. Sed antequam ex hoc *Antro* egredior, non omittam duo quædam, præter memorata, annotare. Prius est, quòd ex mentione CHARACTERUM & SIGNORUM, paulò antè facta, mihi in mentem venit Imperator Justinianus Cod. suo, l. 1. de vete. Jure enucl. §. *Ne autem*, disertè jubet, *Legum Codices non per signorum captiones, vel per compendiosa Ænigmata, conscribi à Librariis, sed per litterarum consequentiam. Imposita & pœna hoc non servantibus.* At hi *Antricolæ fratres* sic profitentur: *à Characteribus nostra Scripta Magica mutuati sumus, & invenimus novum idioma.* Judicent, quid hoc sibi velit, ii, quorum interest.

Alterum, è duobus illis, quæ dixeram, illud est. *Quaternis Figuris quaterna Epigraphe* addita, quæ Ænigmati simile aliquid habet. Videamus, possimusne interpretari, & aliis acutioribus demus conjectandi ansam, qui, ubi accuratiùs aliquid attigerint, nos vicissim doceant.

13. *1. Epigraphe: Nequaquam vacuum.*

Hoc accipio, ac si dictum esset, esse PLENUM. Possum interpretari, *plenum vanitate, & inaniis*; quod verè, est *Vacuum*: possum, *Mithræ omnia plena*, ut alter ille ait, Jovis. Sed rectissimè dicturus videor, intelligendum de *animis Fratrum Mithrantricolarum*, qui *pleni* sint. At scin', quo modo? verum typum habes in vano illo Juvene ELIU *Buzite*: (Job. 32. seqq.) cujus est illud in cætera vanitate: *Plenus sum sermonibus, & coarctat*

me

me spiritus uteri mei. En venter meus quasi Mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit, Loquar, & RESPIRABO *paululum.* Hæc de *Frat. R.C.* facilè exponi possunt vel de se loquente, vel de futuris *Fratribus prophetìcè*, quandoquidem hi illum *Prophetam* faciunt. S.Gregorius Magnus Papa (clament licèt Fraterculi, esse Blasphemias Papæ) *Plenitudinis* istius originem aperit (libr.23. Moral. cap.10.) *Arrogantes viri, inquit, dum prædicatores sanctos magna eloqui, ac pro locutione suâ venerari conspiciunt, locutionis eorum celsitudinem, & non utilitatem intentionis imitantur: neque hoc amant, quod illi appetunt, sed hoc summopere appetunt, quod clari hominibus ostendantur.* Hinc igitur hi *Gigantum Fraterculi*, magnas animas imitati, aut potiùs perversè æmulati, *sic inflatione elationis extenduntur* (ut iterum cum Gregorio loquar) *ac si ad loquendum per caritatis gratiam, ardore Spiritus sancti, accendantur.* Mox addit: *Bene ait, Respirabo, quia sicut labor justorum est, videre prava, nec corrigere, ita gravis est labor arrogantium, si quod sapiunt, non ostendant.* Talem se nobis venditat Frat. R.C. tales reverendi ejus Fratres. *Pleni* sunt, nihil in illis VACUUM Pares sunt antiquis Patribus. Quid, *Pares*? eorum *Meditationes excedunt, quicquid ab ullo Intellectu unquam prodiit.* Quidni & *sermones*? Denique non quamvis *Plenitudinem* ostentant, sed eam ex *Paradiso* arcessunt. Reducunt enim *veritatem, lucem, vitam, gloriam, qualem Adam in Paradiso amisit. Omnia Naturæ bona ubique dispersa simul habent, & tribuunt.* Parùm hoc est. Etiam *Omnes cœlestes Thesauros divinæ Sapientiæ*, quos certè Adam non habuit. Hoc demum est *Plenum* esse: hoc est, alios omnes, & *Antiquos*, & *Recentiores* præ his planè *inanes* esse, & VACUOS. Nam quid omnes Veteres Patres habuerunt, quod cum hac plenitudine ulla ex parte componi queat? Sed *Eliu*, qui se non cum aliis seculis confert, sed Amicis præsentibus præfert, aliud me in *Antricolis* observare facit. *Eliu* junior erit *Frater R.C.* qui etsi ante Lutherum reliquosque vixit, nihil tamen palam locutus est aut docuit, quod nunc demum facit redivivus in Fratribus suis. Hi igitur non modò *Antiquis* se *Patribus* præferunt, sed indignabundi, *Calvini*, *Menonis* lentitudinem damnant: suam *sapientiam ac fortitudinem* denarrant. Confer has utrimque effusas sententias:

ELIU: *Spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.*

FF.R.C. *Invitamus vos, non ex proprio nostro sensu, sed impulsu* SPIRITUS DEI. item:

ELIU: *Ut video, non est, qui possit arguere Job, & respondere ex vobis sermonibus ejus.*

FF. R.C. *Certi sumus, si fratres nostri hac clarâ temporum luce vixissent, aliter fuisse aggressuros Papam, &c.* nempe quam aggressus est *Calvinus, &c.*

Digressio. *Frat. Ros. Cruc.*

Digressio. *Frat. Ros. Cruc.*

Qupd illi *Patres* facturi erant, faciunt, aut gnaviter se facere jactant hi eorum *filioli, aut Nepotes.* Itaque quod vanè jactaverat Lutherus: *Moriens ero mors tua, Papa*; longè ἐνεργικώτερον isti: *Triplex eorum Papæ in nihilum redigetur, qua de re post nostrum conventum fusiùs & accuratius tractabitur.* Ita videlicet se Plenos ostendunt, ita eructant vanitatem, tamquam *musto* distendantur, & *sine spiraculo.* Et quidem Eliu ejusmodi *musto* turgebat, quod *lagunculas novas dirumperet.* At *Rosicrucium mustum* totum *Antrum* disrumpit, & erumpit: facitque, ut fraterculi & ipsi, *scissis Marmoribus*, erumpant, & cum Satyrico exclament:

> *Quid didicisse, nisi hoc Fermentum, & quæ semel intus*
> *Innata est, rupto Jecore exierit Caprificus?*

Non potuerunt ampliùs *Respirare*, nisi, *Musto ebulliente, Fermento turgescente, Caprifico perrumpente, Antri* augustias *rumpendo* laxarent. Hæc satis de prima Epigraphe. Audiamus reliquas, quas breviùs expediemus.

2. *Epigraphe.* Legis Jugum.

Rosicrucii nullam ab ullo mortalium *Legem* admittunt: tum quòd omnia sua, *divinâ Revelatione*, cognoscunt, ut necesse non sit, ab hominibus vel doceri, vel dirigi; tum quòd *Invisibiles* sunt, quibus, quis legem imponere queat? Itaque Librum T. in quo *Thesaurum* suum positum asserunt, negant audacter, Mundi Censuræ Subiiciendum. Ac si clare dicant, eo Libro *Leges* contineri, quibus regantur; aliarum Legum Jugum penitùs ferre nec velle, nec posse. Hinc jam facilè intelligitur

3. *Epigraphe.* Libertas Evangelii.

Nam qui nullius Legis Jugum sustinet, profectò hic omnivariâ *libertate* potiri appetit. Quæ Evangelii dicitur solitá vanitate, ut videatur venerabilis Frater Ros. C. Prophetico spiritu prævidisse, quod Lutherus pôstea docuit. Sed revera intelligendum *Evangelium*, quod isti sibi confingunt. Nam quis putet *Evangelistarum* volumina, qui *Revelationes* habent multò subllimiores?

4. *Epigraphe.* Dei Gloria Intacta.

Intellige *Deum* Mithram, sive Apollinem, cui Antrum & tota *Fraternitas* dicata est.

Sed jam satis de Antro *Rosicrucio*. Nisi quòd de eorum Regiis illis Ædificiis verbum addendum, quæ item *Antri* nomine qui censeat, sine injuria faciat, cum non minùs quàm quodvis Antrum sint Invisibilia. Afferam aliquid non dissimile, & eventum, ac judicium relinquam Principibus, publicæ Pacis ac Tranquillitatis amantibus.

14. Scripsit Marcus Paulus Senator Venetus ante annos 300. & eo ampliùs, mira, quæ vidit, quæque audivit in *Oriente*, ac maximè in ditionibus *Magni Cham, Tartariæ Principis.* In iis est etiam hoc. Provincia erat, vocabolo

cabulo *Mulete*. Huic præerat Princeps nefarius, quem *Senem Montanum* vocitabant. De hoc ita narrabant Indigenæ. *Mahometanus* erat ipse omnesque, qui ei parebant. Habebat hic Tyrannus Sicarios secretos, quos *Assaßinos* vocabant, homines projectæ, audaciæ, & qui ad illius imperium quemvis aggrederentur, & obtruncarent. Et quoniam facile non erat, rem tantam tamque periculosam persuadere, hoc potissimum modo ad id utetur. Planities ei erat amœnissima, undique montibus excelsis circumdata, uno dumtaxat aditu, eoque perangusto, quem valida Arce munivit, & hanc firmissimo militum præsidio. Hanc planiciem diceres ipsas *fortunatas Insulas*: in quibus non deessent horti Hesperidum, aut si quid usquam fuit amœnius. Ibi abundè erat, unde omnes sensus recrearentur: adeò ut & rivuli *lacte, melle, vino* fluerent. Multa sileo, quæ tu ipse cogites. Huc rapiebantur robusti Juvenes, potione soporiferâ à sensibus alieni; qui, ubi ad se redierant, iis voluptatibus ad satietatem fruebantur. Miseris persuadebatur, esse *Mahometis Paradisum*. Cæterùm cùm seni *Alaodim* visum, (id erat improbo Tyranno nomen) iterum sopiti foràs efferebantur. Excitatis, ac recordatione subtractarum voluptatum, lugentibus, aderant, qui pollicerentur æternam earum rerum copiam, si hos illosve Principes obtruncarent, atque ipsi in illo magni Prophetæ *Mahometis* obsequio occumberent. Illi nihil dubitantes, audacissimè quidvis aggrediebantur, & patrabant, ut jam vix quisquam tutus viveret. Tandem *Allau*, Tartarorum Rex, hanc generis humani pestem validâ manu aggressus, anno Christiano 1262. post triennii obsidionem, sustulit. Videbis hæc aliquantò fusiùs apud Marcum libro primo, cap 28.29. Meminit ASSASSINORUM etiam aliquoties Paulus Æmylius in Rebus gestis Francorum, & nonnulli alii. Porrò mihi sat est, historiam hîc breviter retulisse. Aliorum erit considerare, & illud addere: *Digressio, Frat. Rof. Cruc.*

ὁ μῦθος δηλοῖ.

Nihil agere in DISTANS, Rodolphe Gocleni, ostendi Sectione 15. Authoribus productis, & validâ ratione. Tum Sectione 16. Argumentum tibi sustuli, quod à *Virgula Divina* insuperabile duci existimabas. Deinceps, cum Authores, quibus ad tua *Hecebolica* confirmanda uti videbaris posse, jam antè plerique rejecti essent; Sectione 17. integræ *Fraternitatis.* Authoritas suppressa est. Res jam ipsa exigit, ut cœptum refutationis filum prosequamur, & pergamus ostendere, tuum *Unguentum* nihil eorum posse, quæ tu tam fidenter ebuccinas. Vocat me ad se MAGNES, & *Actio*, *Curatioque Magnetica*, à qua prætextum suis veneficiis *Magnetici Doctores*, ac in primis, *Goclenius* petunt.

Sed quàm vanè, faciam, spero, ut liquidò intelligant omnes, qui in Goclenii alicujus verba non juraverint.

Sect. 18. Magnes.

SECTIO XVIII.

MAGNES, MAGNETICA Actio, & Curatio.

1. UBICUNQUE de *Unguento Armario* mentio incidit, illicò etiam de *Magnetica Curatione* sermo infertur, quippe cùm per hanc illud agere dicatur. Sunt, qui, non satis in Goclenio versati, ideo *Magneticam* Curationem putent dici, quò *Magnetis* aliquid Unguento misceatur. Error ex voce nascitur. Sciant igitur isti, ideò *Curationem* dici *Magneticam*, quòd quemadmodum *Magnes in Distans agere* Goclenius vult; ita *Unguentum* in absens vulnus agat, dum illud remotum curat. Itaque tota ratio nuncupationis in *Similitudine* est. Videamus, num satis rectè. Duplex effectus apparet in Magnete, ex quo Similitudinis ratio peti possit: alter, quòd *ad Polum vertitur*; alter, quòd *Ferrum ad se trahit*. Priorem, si *Polo* agenti tribuero, (ut verè tribui debet) illico obmutescat Goclenius, saltem *Polum* ita *agere in distantem* procul *Magnetem*; dicam, quod dixi suprà, Sect. 15. *Cœlestia Corpora*, non agere quidem in *distans*, sic, ut à proximè contingente Actionem non inchoënt: sed tamen *Sphæram* suæ *Activitatis* meritò habere multò ampliorem reliquis. Dicat iterum vel Goclenius, vel alius quispiam, non *Polo*, sed *Magneti* vim illam tribuendam, atque in eam partem argumenta congerat: ne extra oleas vagemur, non contentiosè cum illo agam. Habeat sibi. Sed non continuò ideò habeat, *Magnetem agere in Distans* (quis enim fingere audeat, Magnetem agere in Polum, vel Polo quicquam imprimere?) Hoc solum apparet, *Polo sese obvertere*, ut Heliotropium Soli.

Alterum, quod in Magnete *Pseudochymici* spectant, & unde suæ *Curationi* subsidium petunt, est, *Ferri dissiti attractio*. Hoc illis argumentum *Palmarium est*, quod tanti facit Goclenius, ut, cum aliis suis congerronibus, *Ollæ suæ Curationem*, Magneticam vocent, quod in *remotum*, more *Magnetis*, agat. Mihi sufficeret negare, quod sine ulla probatione affirmant. Maximè cùm non negent, rem ejusmodi esse, cui protinus non quivis assentiatur: &, teste Goclenio, viri *docti sint*, qui *sine impostura* fieri posse inficientur. Sed non agam summo jure. Tanquam si res dubia sit, probabo meam sententiam, & contrariam confutabo, id est, ostendam, *Actionem Ollæ Goclenianæ non posse censeri similem Actioni Magnetis.*

2. Ac primum quod in hac quæstione capitale est, *Distantia*, inquam, quantum distat? Magnes in ferrum *dissitum*, agit, illudque pellicit. Sed *modico admodum spatio*. Ferrum accedit,

& se-

— & sequitur, donec pervenit ad ipsum Sectio 18. Magnes.

Jam lapidem, cæcisq; in eo compagibus hæsit,

ait Carus. Sed accedit non longo itinere. Fatentur omnes, prope admodum abesse oportere, ut se mutuò afficiant, & vel Magnes Ferrum trahat, vel Ferrum Magnetem. Nam & hoc fieri testis est Cardanus (lib. 7. de subtil.) Quòd si Magnetici Doctores Unguentum suum *vulneri proximum* adstitui juberent, persuaderent nobis fortasse, vaporis aliquid eo derivari (ut à rebus Odoratis ad nares nostras experimur) ac per eum fieri Sanationem. Sed *asininæ ruditatis*, damnare, quotquot non credunt *prægnantem à patibulo Ollam, ad plura passuum millia*, suam mirificam energiam diffundere; intolerabile planè est. Certe injuriam illis non faciat, qui, cùm eos audit, vicissim

— Arcadiæ pecuaria rudere credat.

Ponendus erat modus figmento, ne ejus tam facilè vanitas appareret.

Deinde, si *Effectum* spectes, is à Magnete quidem *Unus & simplex est*: trahit Ferrum. At Goclenianum *Unguentum*, dum Vulnus sanat, quàm multa præstat! Corruptum sanguinem exhaurit, saniem ab imò educit, & expellit, putredinem arcet, partes conglutinat, mollia consolidat, hiantia concludit, cutem inducit: quæ omnia ægrè à variis unguentis, & emplastris sæpè præstentur, etsi intimè vulneri jungantur. Jam accedit, quòd hæc patrat Unguentum Armarium absque dolore, si Goclenio credimus.

4. Ampliùs, *Agentia* ipsa, quàm dissimilia! *Magnes* naturale corpus est, & *unum*, & in *Lapidum genere*: at *Unguentum* arte compositum, idque è *pluribus* diversissimi generis, ut *sanguine* concreto, & fœtido, alio calente adhuc, *adipe*, eoque vel hominis, vel apri, vel ursi, *oleo* item, *Lumbricis*, *cerebro aprugno* &c. Aprugnum cerebrum illi esse oportet, qui has nugas consideret, & tamen credat. Pergo.

5. Quoniam actio unius in alterum intelligi non potest, nisi aliquâ tandem ratione mutuò *applicentur*; hoc Unguentum, quod Magneti simile fingitur, & *Curatiane Magneticâ* pollêre, videamus, an Magnetis instar *applicetur*. Magnes, ut in Ferrum agat, semper *eodem modo applicatur* ad certam distantiam, sic diffinitam, ut extra illam nihil agat. Sed quæcunque illa sit, *satis est applicari*, neque aliud requiritur. At in Unguento applicando (ut de distantia sileam, de qua dixi,) quot sunt *histrionicæ ceremoniæ*! *Applicatur telo, quod sauciavit: id telum immergitur Unguento, inibi relinquitur, inungitur utroque latere: idq; aliàs à cuspide ad capulum; aliàs ab acie versùs tergum obligatur.* Vide Goclenianum Tractatum. Et hoc tamen est simile esse Magneti. Hæc de *modo Applicationis*.

Sect. 18. Magnes. 6. Sed maximè omnium Diversitas apparebit, si attendamus, *Cui* Magnes, *Cui* Unguentum ad suum effectum obtinendum *applicetur*. Intelligit Lector, antequam loquar. Magnes applicatur *Ferro*, quod alliciendum est, non alteri alicui. At Unguentum Magneticum applicatur *Telo*. Cui? an quod *curandum* est? nugetur, qui id dicat. Sed cur saltem applicatur? an ut aliquid in eo *operetur*? nihil prorsus. Ideo telo applicatur Unguentum à Goclenio, in *Hassia*, ut sanetur aliquis Mamuchan vulneratus in *Perside*. Contrà cùm sanandum sit hujus Mamuchan vulnus, nunquid ei applicatur Unguentum? Nec unguentum, nec aliud quippiam. Nam *sanatur sine remedii applicatione*, inquit Goclenius. Et tamen Unguentum Magneti simile est. Gocleni, applica *Marpurgi Magnetem lactis coagulo*, & fac, ut *ferri talentum ex Anglicana quapiam officina ferraria ad te proficiscatur*. Sic aliquid agnoscam Similitudinis.

Hactenus ostensa vanitas *Unguenti Armarii*, & *Curationis Magneticæ*, ex uno illo capite, quod in *Distita* nihil agere potest, nedum sordida *Olla*. Simul demonstratum, ad figmentum Goclenianum persuadendum, neque *Authoritatem* legitimam, neque *Rationis* aliquod pondus, neque probatum *Exemplum* afferri posse: ac ne *Magnetem* quidem ipsum, in quo tamen omne persuadendi præsidium locatur, ac nomen quoque ipsum ab illo petitur. Alia jam Argumenta videamus.

SECTIO XIX.

Manifesta vanitas Unguenti Armarii ex Compositione.

I. INTELLIGO *Compositionem*, quoad *Materiem*, sive ea, quæ in Unguenti compositionem veniunt. Medici dicunt, INGREDIENTIA. Non agam Medicum, qui non sim. Sed ex communi omnium sensu ostendam, credibile non esse, quæ ad Unguentum conficiendum adhibentur, vim habere vulnera sanandi, ne si ipsis quidem *Vulneribus*, ut vera Chirurgia solet, applicarentur.

Relinquam Medicis considerationem variorum Vulnerum, variè & variis humani corporis partibus inflictorum. Goclenius nihil distinguit, sed audacter ponit hoc effatum: *Sanantur hoc Unguento* SIC CONFECTO *omnia vulnera, quæ ferro, ictu vel jactu infliguntur, modò haberi possit instrumentum. Excipiuntur tamen illa vulnera, quæ fiunt in arteriis, & uno è membris principalioribus, ut corde, cerebro* &c. Hæc ut dixi, considerent Medici & Chirurgi. Ego *Ingredientia* propono. Goclenius (Ung.) hæc præscribit:

Vesnam

Vesnam concretam in calvaria Furis suspensi, & in aëre derelicti, Sect. 19. Ung. Ar. Comp.
Mumiam veram,
Sanguinem humanum adhuc calentem,
Adipem humanum,
Ol. lini,
Terebinthin.
Bolum armen.

Dosin, mixtionem, confectionem, conservationem, absit ut describam. *Magiam* detestor, & refuto, non doceo. Ergo hic unus *modus Compositionis*. Audi alterum ex eodem Goclenio, ibidem

2. *Usnea abrasa è cranio hominis violentâ morte peremti,*
Adeps verris aprugni,
Item ursi,
Lumbrici terræ ex vino loti, inq; Pistoris fornace, ollâ tectâ, torrefacti,
Cerebrum aprugnum,
Santali rubri odorati aliquid,
Item aliquantum Mumiæ, & Hæmatitæ;
Item
Sanguis & Adeps humanus.

Quam hæc diversa à prioribus illis! Et tamen idem præstant in quibusvis vulneribus.

3. Quid mirum, cùm id *solum Lardum elixum* præstet, eodem iterum Goclenio indicante?

Novi ego virum nobilem, qui, cùm de *Unguento Armario* passus esset sibi persuaderi, ejus quoque confectionem noverat, sed toto cœlo diversam ab illis duabus Goclenianis. Nihil petebatur à patibulo, nihil à rota. Sanctè affirmabat, omnia sumi ex hortulo domestico, esseque meras herbas familiarissimas. Et tamen tam conficiebat, quod volebat, quàm Goclenius. Scio plures milites, qui ex tempore id Unguentum conficiant, credibile planè non est, eos omnia illa adhibere, quæ Goclenius requirit, maximè, quæ non nisi ab infelici arbore peti possunt.

4. Quoniam in horum mentionem incidi, monendus mihi hoc loco Lector est, ut attendat, Cacodæmonem, implacabili illo, quo in homines ardet, odio, sic in nostram perniciem ferri, ut, etsi sæpe corpori voluptates propinat, quò animam faciliùs, &, ut sic dicam, suaviùs, perdat: tamen, cùm potest, simul utrumq; perdere malit. Ex quo quidam, parùm felici etymologiâ, sed non illepidâ allusione dixit, *diabolum* dici à *duobus Bolis*, quod simul devoret Corpus & Animam. Ubi id in uno homine non licet, tamen in pluribus assequi conatur. Id est, Dum alicujus Corpori aliquid indulget

 (cujus

Sect. 20. Goc. Ol. sang. eb.

(cujus animam illaqueat:) alterius interim corpus incestat. Sic olim Constantinum Magnum Cæsarem leprosum curare instituerat, sed impio balneo ex *innocentum puerorum sanguine*. Si in *vivis corporibus* id ei vel non licet, vel non succedit, hominum tamen *Cadavera* lubens aggreditur, & *Sanguinem*, quem calidum & recentem fundere non potuit, tabefactum jam & fœtido coagulo densatum scrutatur, & aduncis unguibus inhamatum educit, Goclenianæ alicui Ollæ immergendum. Ne ringere Gocleni; Scio, sanguinem & Adipem humanum ad medicinas valere, & à peritis medicis bonisque viris adhiberi: sed tu cum Diabolo ad superstitiones abutimini, quod intolerabile est. Clariùs hoc intelligetur, si seorsim tractavero.

SECTIO XX.

Infamis Goclenii Olla sanguine & Adipe humano ebria.

1. ERgo Cacodæmon, ut qui homicida sit ab initio, (Jo. 8. 44. *Cadaveribus* gaudet & *sanguinem* avidus haurit. Hieron. in Danielem scribens, *Attingunt*, inquit, *Malefici corpora mortuorum*, cap. 2. suprà dixi, *Unguentum Veneficarum* non fieri, nisi adhibito *sanguine infantium*. Hinc R. Elias Levita in Thesbi ait, LILITH, id est, *mulierem Noctivagam, ingredi cubicula puerperarum, ut infantes octiduanos occidat*. Hoc est *cadavera* non modò *attingere*, sed *facere*. Utitur tamen sæpe, sive fecerit ipse, sive aliter acciderit exanimari. Apuleius: *Sagæ mulieres ora mortuorum passim demorsicant, eaq; illis sunt artis Magicæ supplementa*. Lib. 2. Metam. Idem eod. *Ne mortuorum quidem sepulcra tuta dicuntur: sed & bustis, & rogis, reliquiæ quædam: & cadaverum præsegmina ad exitiabiles viventium fortunas petuntur*. Iterum li. 3. de Venefica: *Apparatu solito instruxit feralem officinam. Hic nares, & digiti, illic carnosi clavi pendentium; alibi trucidatorum servatus cruor, & extorta dentibus ferarum trunca calvaria*. De simili maleficio Tacitus (*lib. 2. Annal.*) Reperiebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ &c.

2. Quid quòd Diaboli, animo loco, quandoque *Cadavera subeunt*, & ea circumferunt, & tanquam viva ostentant? quid quòd Veneficarum nocturna convivia nonnunquam *humanis carnibus* instruuntur? De utroque vide Remigium in Dæmonolatria (*lib. 1. c. 16. & li. 2. c. 1.*) sed magis *Goclenianum* est, quòd ad *Maleficia* impii Magi hominum adhibent *Cadavera*; Præter illa, quæ ex Tacito & Apuleio attuli, etiam hoc nostro tempore idem fieri à *Goclenii* congerronibus, testatur idem Remigius (*lib. 2. cap. 3.*) cujus hæc verba notet meus Rodolphus: *præsertim, si cujus supplicio affecti*

Cada-

Cadaver exemplo datum est, & in crucem sublatum. Exempla plura producit. Sect. 20. Goc. Ol. sang. eb.
Hoc eodem loco idem Pergamensium Civium impietatem & dignum impietate supplicium narrat ex Paulo Diacono. *Cùm à Saracenis*, inquit, *obsiderentur, à Mago quodam (ut in desperatis rebus malo exemplo fieri solet) consilium exquisiverunt, quâ ratione urbem suam obsidione liberarent. Respondit, certò id futurum, si dextras suas in Ollam intinxissent,* (Attende Gocleni) *in qua fœtus è gravida matre per Vulnus detractus ebulliisset. Quod cùm religiosè admodum fecissent, nihilominus omnes in hostium potestatem venerunt.*

3. Porrò in Cadavere nihil Dæmoni ejusque Satellitibus gratius *Sanguine*. Hic potissimum ad omne Maleficii genus adhibetur. Jubet Deus in veteri Lege, non semel, sibi *omnem sanguinem Hostiarum libari*, quod pro anima & vita censeretur. Diabolus perpetuus Dei ut inimicus, sic *simius*, *sanguinem* item, sed maximè *humanum* sibi vult consecrari. Scripto quempiam sibi obligat? *Sanguine* scribi vult *obligationem*. *Philthra* aliqua aut alia veneficia parat? *Sanguinem* in primis requirit. Nugas ostentare vult in *speculis*? Pythagoras *sanguine* Humano in iis scribebat; &, ne antiqua ars pereat, renovârunt Pomponatius & Cardanus, teste Petro de Loyer (li. de spectris) *humano mutato in Hircinum*. Execranda *Sacrificia* sibi fieri vult? artem nôrant Canidia cum sagana, quæ pallâ nigrâ succinctæ & ululantes

——scalpere terram
Unguibus & pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt. Cruor in fossam confusus—

Huc spectant Oracula illa arcana & ἄῤῥητα in *Bacchi Orgiis*, à Clemente Alexan. relata (*in Prothreptico*)

1. *Ex tympano edi.*
2. *Ex Cymbalo bibi.*
3. *Vasculum in sacris tuli.*

Tympanum intellige Ahenum, in quo jugulatorum Infantium carnes ad nefarias dapes coquebantur. *Bibisse* jactant, *Sanguinem* è corpusculis illis eliquatum. Porrò *Vasculum* est ipsa Gocleniana *Olla*, Magicis *Unguentis* imprægnata.

4. Hæc igitur est rabida Cacodæmonis *Cadaverum fames, Sanguinis sitis*, quam non modò in se alit, sed in alumnos suos studiosè transfundit. Testis sit Goclenius, qui, quid reliqui facit, ad exprimendam illam *antiquorum Magorum impietatem*? Quis non videtur sibi spectare diram *lanienam*, potiùs quàm audire modesti Medici præscripta, dum audit; Recipe aliquid

Usneæ concretæ in CALVARIA FURIS SUSPENSI, *& in aëre* DERELICTI. Memento illud paulò antè allatum de *Cadavere supplicio affecti, & in Crucem sublati.* Item:

Sect. 20. Gocl. Ol. sang. eb. MUMIÆ *veræ*. Nonne verè inhiat visceribus miserorum? Item: SANGUINIS HUMANI *adhuc* CALENTIS, Nonne videtur imminere, ut epotet? Item

ADIPIS HUMANI. Ne potanti *Cibus* desit: & ne solas venas scrutari videatur. Item in altera descriptione:

Usneæ ABRASÆ è CRANIO *hominis* VIOLENTA MORTE PEREMTI. Quis hæc colliget? quis ABRADET? quis miscebit in MORTARIO, ut præscribit gravissimus Professor Goclenius? Dicat ipse (Ung.)

Unguentum hoc modo confectum, apud me quovis ut tempore possit haberi, nunc OPERAM IMPENDO, QUANTAM POSSUM. Totus honestus es, Rodolphe. Sunt quidem & alia, quæ hoc Unguentum, ex Goclenii præscripto, componunt. Sed, SANGUINEM & ADIPEM HUMANUM censet noster Myropœus esse totius negotii SUCCUM & NERVOS; longè ab eorum opinione, qui vel *solo Larido* utuntur, vel *herbis* duntaxat *ex hortulo suo collectis*. Denique ut appareat, quàm illi cordi fuerint *Cadavera & Sanguis*, extremas Tractatus Unguentarii pagellas in id impendit, ut explicet, cujusmodi illa esse velit. Ubi illud notandum, quòd sibi plaudit tanquam re benè gestâ, quòd primus scripto explicet, Cur ex STRANGULATI potiùs capite, quàm alterius, *Usnea* petenda sit. Credas, cum Philosopho prodire ex balneo, & lætabundum exilire, atque clamare, εὕρηκα. Nec illud omittendum, quòd rejectis iis, qui *arefactâ Cadaverum conditorum carne* contenti sunt, ipse aliquid pinguius & adipatum magis exigit. Vult enim esse INFRACTUM, & LIQUOREM, ex CARNE HUMANA MANANTEM. Suprà dixi, & hîc repeto, ne quis mihi struat calumniam. Non negem, ex humano corpore sumi posse, quæ ad *medicamenta* valeant: sed indignor, & meritò, ad *Maleficia* quæri. Ita autem quæri, ut à *violenta morte*, *à patibulo*, *à laqueo*, sumantur, *abradantur*, *in mortario misceantur*; & tanquam farcimina stipanda sint, *Infarctus*, *& Liquor* requiratur ab *Academico Professore*, qui in honestissimam illam œconomiam *operam impendat*, *quantam possit*, (& hoc, non ad *medicinam* factitandam, sed ad *Maleficia* propaganda) meritissimè horreo, & detestor.

Concludo verbis Goclenii, (Synart. *Anthropomantia hominum interfectorum fibras & viscera rimabatur.* Idem tu facis Gocleni. *Anthropomanticus* es.

SECTIO

Sect. 21. Ung. Ar. Affric.

SECTIO XXI.

Ridiculè insana vanitas Unguenti Armarii, ex eo, CUI AFFRICATUR. *Item commentitia Sympathia.*

1. NOn repeto hîc antè mihi dictum, stolidum esse, alteri rei affricare, ut altera, *longissimè dissita*, sanetur. quod tamen revera ipsum ridiculè insanum est. Sed CUIVIS rei affricare ad quodvis malum sanandum, multò est ridicularium, & insanum magis. Clamavit hîc meus Goclenius me calumniatorem: se id non sensisse, non scripsisse. Parce querelis, Rodolphe: tibi id non affingo. Sed, cùm semel de hoc argumento scribere in animum induxerim, etiam aliorum deliria complecti mihi visum est. Ne tamen dicas, nolle tua cum aliis misceri, faciam tibi illam gratiam. Primùm tuas ineptias ostendam, tum aliorum.

2. Goclenius igitur (Ung.) scribit inungendum *Ferrum, vel Telum, quod sauciavit. Si id haberi nequit*, ALIUD *ducatur per vulnus, & loco veri Teli inungatur.* Nec tamen opus, id *Ferrum* esse, aut *Telum*, sed *in hujus defectu*, inquit Myropola, LIGNUM, seu RAMUS SALIGNUS, *in apertura cruenta madefactus.* Itaque tria sunt diversa, quæ patibulario suo Unguine imbuit: *Telum vulnificum*: *aliud Telum vicarium*; *Lignum salignum.* Satis erat, hæc ridere, tamquam revera risu dignissima, sed tamen breviter ratione convincamus vanitatis.

3. Primum æquè contra hæc omnia pugnat, quod suprà ostensum est, nihil agere in *Distans.* Tum deinde de *vicario Telo*, illud planè *Histrionicum* est, quod, cùm Vulnus ipsum in promtu sit, quod curandum est (neque enim aliter subsidiarium illud Telum *per vulnus duci* posset; nisi fingat figulus noster, *tangi posse vulnus absens, sicut potest sanari*) illo tamen omisso (nisi quod ab improbo ferro crudeliter renovatur) *Telo* impenditur curatio. Postremò, de *Ligno*, præterquam quòd item contra illud utraque militat ratio; sponte suâ cuivis illa occurrit Quæstio,

4. CUR SALIGNUM *esse Lignum oporteat?* Hoc explicare, ad diligentiam Goclenii pertinere videbatur, & aliquantò erat honestiùs, quàm de *Strangulati sanguine* tam studiosè disputare. Id cùm non fecerit, nobis liberas reliquit conjecturas. Mihi quidem, (qui omnes nugas istas meritò existimo esse *subsannantis Diaboli ludibria*) ita videtur, vel nihil ad rem pertinere, ex qua arbore id lignum sumatur: vel impiam aliquam fraudem sub *Salicis* umbra latêre. Et quidem, quod ad Effectum spectat, certum est, non referre, non modò quod lignum, sed omnino, an *Lignum*, an lapis, an lutum;

Sect. 21. Ung. Ar. Affric.

lutum; postremò, an nihil sit: cùm suprà ostensum sit, meras esse præstigias, totam illam unctionem. Si sanatur vulnus medicamento aliquo, cùm ab hominibus nullum adhibeatur; *Diabolus* sanat, ipsi *Vulneri*, non Telo, aut *Ligno* adhibens. Sed tamen, cum pluribus modis nocere malit damnatus Spiritus, quàm uno, ut cui sint

Mille nocendi artes,—

credi potest, Mysterium aliquod subesse, Gocleniano Magnete dignum, cur Salice quàm aliâ arbore uti malit. Inquiramus.

5. Habent *Arbores* aliæ alias proprietates, ut reliqua rerum creatarum. Eas & accuratè novit, & callidè uti & abuti scit ille *Mille-Artifex*. *Cupressum* novimus, semel excisam, nunquam renasci. Itaque emortualis arbor Veteribus habebatur, quòd, ut ille ait,

Nobis cùm semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Hinc Poëtis dicebatur arbor *Funebris*, *Atra*, *Feralis*, *Invisa*, Deplorata, *Funerea*. Inde sine hac fronde non fiebant Romanorum potentiorum funera. De *Misenico*, Virgil. (6. Æneid.)

Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante Cupressos
Constituunt. —

Tolerabilia hæc, si tantùm fuissent *Emblemata*, & quasi *Hieroglyphica*. Sed aliud suberat. *Cultum divinum* sibi Dæmon latenter deposcebat. Idem vates (3. Æneid.) de Polydori tumulo:

—*Stant* MANIBUS *Aræ*
Cœruleis mœstæ vittis, *atraque* CUPRESSO.

Viden' *Aras*? viden' *Manibus* constitui? Huc Veterator aspirabat. Clariùs Plinius, (lib. 16. c. 33.) *Cupressus diti sacra, & ideo funebri signo ad domos posita.* Hæc summa votorum ejus, ut DEI veri Creatura DITI, id est, ipsi Diabolo, esset *sacra*.

Tua SALIX, Gocleni, sterilis planè est, & sine ullo fructu: atque insuper, sui *seminis* prodiga, illud ante maturitatem, projicit, & perdit. Hinc *Salices* Homero (ὀδυσ. κ) dictæ

— ἰτέαι ὠλεσίκαρποι.

id est, FRUGIPERDÆ. Voluit igitur tui Unguenti author, te amarè irridens, te eâ potissimùm arbore uti, quâ ipsemet apertè profiteris, te frustrà in histrionica tua unctione laborare, omnem operam, oleum, sanguinem, adipem, mumiam, usneam, farctum, liquorem manantem, unguentum ipsum, cum Olla; denique omnem fructum & FRUGEM PERDERE. Non omisit, hanc quoque arborem, si quo modo posset, Diabolus PROSERPINÆ consecrare. Testis Homerus, apud quem, eodem loco, ubi

Circe

Circe trivenefica Salices vocat ὠλεσικάρπους, (audiat Goclenius ſuam in *Ollæ* Sect. 21.
figulatione Magiſtram)ait, locū,in quo naſcuntur, eſſe — ἄλσεα περσεφονείης. Ung. Ar.
Nemora Proſerpina. Ex his *Nemoribus* præciſum eſt tuum lignum, ſive Ra- Affric.
mus Salignus, quem in *Proſerpinæ ollam* immergis, ſanguine ebriam.

6. Sacris quoque litteris (ne ex ſolis Poëtis me haurire dicas) *Salix infelix arbor* cenſetur. Iſaias certè,dira Moabitis canens,etiam illud minabundus (*cap.15.v.7.*) addit: *Secundùm magnitudinem operis, & viſitatio eorum,* id eſt, ſupplicium. Quodnam illud? *Ad torrentem* Salicum *ducent eos.* Ipſe autem Dominus (Job.40.17.) *Behemoth*, id eſt, Cacodæmonem, ait mirè delectari *Umbris*, adeò, ut *protegant umbræ umbram ejus.* Sed cùm à multis arboribus Umbra eſſe poſſit, nulla illi gratior, quàm Frugiperdæ Salicis. Itaque, *Circumdabunt eum*, inquit, Salices Torrentis. Ex hoc *Saliceto* Goclenius *Baculum* ſuum præſcindit,& vice Teli inungit.

7. Defendit porrò has ſuas nugas titulo *Sympathiæ.* Videlicet, cùm vel Ferrum, vel Baculus *Sanguine* imbuatur cognato illi, qui in ipſo vulnerati corpore hæret; vi *Sympathiæ* efficitur, ut illitum uni unguentum, in alterum agat. Hoc figmentum quàm ſit vanum, partim ex iis intelligitur, quæ ſuprà poſui de *Actione Diſſita*: partim ex iis evadet manifeſtiùs, quæ infrà dicam, cùm Propoſitiones aliquot ponam, abſurdas, & falſas, ſed probabiliores iſtâ Goclenianâ. Itaque,bone Lector,tantisper ſuſtine. Interea, quæcunque hîc eſſe videtur ab Unguento in Vulnus actio, non eſſe *Sympathiæ* ullius ratione, colligi etiam diſertè poteſt, ex *aliis rebus*, quibus *Alii Armarium Unguentum* illinunt: quod erat ex iis, quæ hac Sectione propoſueram ſecundum.

8. Non igitur omnes *Unguentarii Goclenianis* ſe legibus aſtringunt, neq; ſe in tam anguſtos fines cogunt, ut Ollam ſuam in ſolis *Telis* aut *Salicibus* exerceant, Nam ſunt, qui *Thoraces* curent pro pectore, *Caligas* pro femore, *Calceos* pro pede.Dicet Goclenius,hîc etiam apparere *Sympathiam*,quòd iſta à Vulnere ſint *cruenta.* Sed quid dicet,quod magnorum virorum teſtimonio conſtat,eſſe,qui quemvis Tripodem,ut jam ſuprà tetigi (Sect.9.)quodvis Scamnum obligent, & ungant, cui nihil unquam vel *cruoris* vel alterius rei à vulnere aut vulnerato adhæſerit. Et tamen tam ſanantur vulnera, quàm ſi Goclenii cruenta ſalix curetur. Hoc cùm tam verum ſit, quàm quod Goclenius de ſuis unctionibus & *Sympathia* aſſerit,nimirum neceſſariò ipſe fateatur,vel nihil fieri, vel aliunde, quàm à Sympathia fieri.Neque aliud eſt,quod comminiſci queat,quàm quod in mea *Anatome*(§.43.)dixi, *A Diabolo adhiberi vulneri medicamenta.*

9. Unum addo, quod reſponſum ſibi accipiat *Burggravius* ad illam quæſtionem,quam proponit in Panoplo pag.86. Ubi cum de admiranda energia Unguenti Armarii egiſſet, in curatione Vulnerum, quærit, *Cur non*

Sect. 21. Ung. Ar. Affric.

idem sanet etiam CRURIFRAGIUM? Respondeo igitur bonâ fide, mihi constare, splendidum virum, alicunde lapsum, hac ratione curatum esse, *Rustico quotidie curam adhibente Tripodi, qui nunquam curifragium passo vel tactus vel visus erat.* Dicant mihi hîc Goclenius & Burggravius, quid fingi possit, præter *Pactum cum Diabolo*? Si respondeant, se non credere, ejusmodi Curationes factas: æquo animo ferant, me itidem eorum narrationibus fidem derogare.

SECTIO XXII.

Teli aut Baculi ungendi & curandi Oeconomia.

SIc appello, quæcunque, ex præscripto Goclenii, observanda sunt, ut ritè unguentum illinatur. Ejusmodi sunt *Unguenti modus*, *Ceremonia*, *Locus*, *Tempus*, *Aëris temperies*: quæ nemo prudens audiet, quin rideat, aut ad tam ineptam ineptiam ringatur. Tamen quia facit ad maleficæ Magiæ vanitatem ostendendam, obiter attingemus.

1. UNGENDI MODUM apud Goclen. (Ung.) invenio duplicem. Prior est: IMMERGENDUM *ferrum, seu Telum, quod sauciavit, aut ramus salignus in Unguentum, & ita relinquendum.* Nullum hîc *discrimen vulnerum*, nihil aliud adjungitur. Itaque facilior multò hic modus posteriore, in quo multæ observationes, in quarum una aliqua facilè sit aberrare, & periculi plenum, & tamen prior ille modus certus est. Nam *hoc Maximilianum Imp. comprobasse*, ait Goclen. IN CONFESSO EST. Dixerat Goclenius in Synart. posse se pro suo Unguento afferre *Imperatores, Reges, Principes, &c.* pro his tamen omnibus unicum *Monachum* adduxerat: (vide suprà Sect. 8. § 7.) Videbor illi fecisse injuriam, qui non crediderim, *Imperatores* usos, cùm *in confesso sit, usum Maximilianum.* Decebat omnino Goclenium, solidè ostendere, id *in confesso esse*, cùm de tanta re, tanto Principe loqueretur. At ille tantùm asserit. Non movemur. Afferam ego pro illo aliquid, ut videat, me amicè agere.

2. Joh. Baptista Porta, lib. 8. Mag. Natur. cap. 12. (hanc *Wechelianam editionem* recens nactus sum, quâ antè carebam) ait, *Unguentum Armarium olim à Paracelso Maximiliano Cæsari datum, & ab eodem expertum, maximè carum ab eo habitum, quàm diu vixit.* Ita ille. Sed si Goclenio non credidi, cur huic credam? at probat: *Cujus aulæ Nobilis*, inquit, *mihi communicavit.* Non sic ducimur, ô Porta. Nominandus tibi erat Nobilis tuus: & huic probandum, Cæsarem ipsum, hoc Unguentum probâsse. Aulici & decipi possunt, & decipere. Sed, si fingamus, ita esse, abutitur nostrâ patientiâ Goclenius, qui priore hoc modo omisso (de quo, Porta ibid. ait, *Immerge* FERRUM *in unguen-*

guentum, & ita relinquatur:) posteriorem præscribit, adjunctis non paucis molestis & nugatoriis ceremoniis. Attende, Lector. *Sect. 22. Ung. œconom.*

3. POSTERIOR MODUS Unguenti hæc præscribit, diligenter observanda, nec sine periculo negligenda.

1. *Si instrumentum, quo vulnus inflictum est, haberi nequit, aliud ducatur per vulnus, & loco veri Teli id inunge Utroque latere.* Hoc sane aliud est, quàm *Immergere.*

2. *Reponatur* (Telum) *loco mundo, & temperato.* De Vulnerato nihil tale. Sat est, curam habere bruti ferri. Neque tamen id mirum: nam

3. *Si aëri, vel frigori nimio* (Telum) *exponatur, excitabitur dolor.* Nonne hoc simillimum est illi, quod antè dicebamus, Dum uritur aut compungitur *Imago cerea*, uri, aut compungi hominem, cujus illa Effigies est?

4. *Attendendum, cæsimne, an punctim factum sit Vulnus. In punctura enim Telum inungendum est à cuspide, capulum versùs: in cæsura, ab acie versùs tergum.* Quis hujus rei ullam, saltem absurdam, causam fingere potest? Atqui decebat, gravem afferre rationem, ne ludibrio & olla, & figulus exponeretur. Vera ratio est, quòd Diabolus, Deo justè permittente, non sat habet, suos *Magos* decipere, nisi illis, ut *stolidis pueris, apertè illudat.*

5. *Meminisse præterea oportet* OBLIGARE TELA. Videlicet, ne frigeant misera, & cephalalgia aut vertigine laborare incipiant. Rodolphe, non pudet vanitatis?

6. *Si non apparet, quàm altè sint infixa, tota sunt inungenda: sin apparet, pars illa tantùm, quæ fuit in vulnere.* Timere videtur, ne, liberaliùs unguentum fundendo, olla æquo citiùs exhauriatur.

7. *Citò sanaturus sæpe illine: si maturatione opus non est, intermitti quidam dies poterunt, &c.* Quid opus sæpius inungere, cùm *Balsamum* tuum *radicale*, ex Directi calvâ sumtum, corrumpi non possit, nec deficere ejus energia? Si enim posset, quomodo non periit in patibulo à tot ventis agitatum, tot imbribus, nivibus, tempestatibus maceratum? Quòd si vis Unguenti est immortalis, quæ est ista tua profusio, qui tam pretiosum liquorem frustrà sæpius sordido ferro affrices? Quin potiùs, ut tam pretioso pharmaco debitum honorem impendas, doce audacter, ejus *Guttulam* quantumvis multis Vulneribus persanandis sufficere. Nec labora, si non persuadeas. Plura æquè absurda dixisti, & quibus nihilo creditur magis.

SECTIO XXIII.

Curatio sine dolore.

1. AD *Effectum* hoc pertinet. Est autem res Medicis & Chirurgis non facilè persuadenda, qui optimè nôrunt, *Divisionem Continui, in animalibus, sine Dolore non contingere*

Sect. 24. Agentia Mag.

Burggravius in Morbis præſtat, quod Goclenius in Vulneribus. Nam & curat ſine remedii applicatione, & SINE DOLORE. Vide in Cura Magnet. poſt Lampadem, pag. 133. Sed, ut dixi, hoc vel non fit, vel adeſt *ſpiritus Goclenia* *cus* cum ſingulari energia. Hoc quidem certè notum eſt, id Cacodæmonem poſſe efficere, ac ſæpe feciſſe, ut doloris ſenſum adimat, ubi alioqui doloris cauſæ ſunt quàm graviſſimæ. In *Veneficiis* id maximè obtinet, ut rerum capitalium Quæſitores ſæpe deprehenderunt. Vide Remigium in Dæmonolatr. l. 1. c. 5.

2. Jamblichus Platonicus, qui nugis Goclenianis ſcatet, in eo libro, quē *de Myſteriis Ægypt.* ſcripſit, teſtatur, *Multos vates* (intellige, Diabolorum) *nec ignem, nec alia tormenta ſentire*, Quæ cauſa? *Deo*, inquit, *intus afflante*, Quo Deo, niſi Tartareo? Hæc quomodo poſſit infernalis hic ſpiritus, inquirere ultrà non lubet. Vide, ſi placet, Delrium, *Diſquiſ. Magic. lib. 2. q. 21.*

Hoc tantum velim Lectorem hoc loco notare, Cùm hæc *Indolentia* vulgo ignota ſit, etiam in parvis vulneribus: & Diabolus eam præſtet, etiam in maximis malis; non poſſe non eſſe ſuſpectam, etiam ex hoc capite, Goclenii Curationem, quæ eam pollicetur.

SECTIO XXIV.

Præcipua Agentia in Goclenii Curatione Magnetica: maximè autem Anima Mundi.

VNguentum quidem Goclenius *Agens* ponit in Magnetica Curatione. Sed quia vidit, protinus quærendum à quovis non planè ſtolido homine PER QUID Unguentum agat? (Philoſophi vocant, Agens QUO) itemq;, cùm Unguentum procul à vulnere abſit, quomodo tandem *vulnus attingat?* his duabus Quæſtionibus cenſuit ſibi faciendum ſatis, ſi Epigraphen illam ſui Tractatus novi tueri vellet, quâ profitetur, ſe *Mirandarum & in natura majeſtate abditarum rerum* CAUSAS PATEFACERE:

1. Ad priorem itaque Quæſtionem, *Quid ſit id, quo Unguentum agit?* reſpondet, eſſe *Qualitatem Corporis expertem & Vim Balſamicam.* Præterquàm, quòd hanc pro arbitrio fingis, ne nihil dicere videaris; & quantò plura de ea affers, tantò eam efficis obſcuriorem: tuum erat, reſpondere ad Quæſtionem illam, Gocleni, quam negare non potes; te in Anatome legiſſe, *Quomodo tandem Qualitas, cùm ſit Accidens, ſine ſubjecto eſt, exit, ſe effundit, ſe propagat?* Certè in *Euchariſtiæ Sacramento* id Calviniſtæ fratres tui non admittunt. Taceo reliqua, quæ Anatome dixit, & ad quæ tu nihil reſpondiſti. Veniamus ad alteram Quæſtionem, Fingamus, nihil in eo eſſe incommodi, ut Accidens ſic migret. Tamen *Deductore* indigere videtur.

2. Admittit Goclenius, eumq; nominat, & miris tum nominibus indicat, tum encomiis ornat. Suprà mihi dicta (Sect. 9.) de duplici ſpiritu, *Balſamico*

ſamico,& Mundi hic non repetam. Sed ſordido illo *Balſamico,*& à *furcis laqueisq́, olido*, in præſens omiſſo, (qui de eo plura vult, videat illam Sectionem & Anatomen meam) de *Mundi Spiritu* aliquid dicam. Ac primùm nomina ejus, & encomia ex Goclenii Tractatu, reponam, ut appareat, in iſto ſpiritu, omnem Curationis ejus ſpem repoſitam. Hic ſpiritus in illo libello dicitur *Vector, Vehiculum, Vinculum, Potentiarum occultarum Vehiculum, Lucidus, Mundi & Cœlorum Vector, Vis cœlitus demiſſa, Virtus non ſemper ſui ſimilis, Mundi ſpiritus, Infuſus ſpiritus, Vnus, Continuatus, Divinus ſpiritus ſpiritus intermediæ inter cœlum, & ſublunaria, ſubſtantiæ.* Item, *Spiritus, Vaporve, mediæ cujusdam inter coporatas & incorporatas ſubſtantias naturæ, qui ſpirituales actiones in ſe recipiat, aëriq́, repræſentet, cùm ſit corporeus, contactu ſuo realiter alteret.* Item *Divina, Magica, ſuperior, ſublimior cauſa*: Hæc ferè ſunt *appellationes*: ſi tamen omnes eidem ſpiritui à Goclenio tribuuntur. Nam tam obſcurè de tenebris loquitur, ut facilè ſit, ejus à mente aberrare. Ego poſui, quantum intelligere potui. Sect. 24. Anima Mundi.

3. ENCOMIA porrò hujus ſpiritus apud Goclenium mira omnino ſunt & ſtupenda. Nam præter illa, quæ ipſis nominibus includuntur, hæc ſunt *Hic Mundi & cœlorum exiſtit vector, in totam univerſitatem diffuſus, rebus ſingulis ſimul & ſpeciem, & nativum, vitalemq́, calorem impertit, gignendis illis accommodatum. Is eſt, qui Omnia continet calore, vitaq́, fovet. Hujus vi & ope, & inanima quæq́, perſiſtunt, & animata ſui quæq́, generis habent animam: alia nutrientem quidem, alia ſentientem, alia rationis participem. Sic tamen vis illa cœlitus demiſſa rebus ſeſe accommodat, ſic ſingulis inſervit, ut quantum cujusq́, natura deſiderat, quantum ipſa ſubjecti ratio & conditio ferre poteſt, tantumdem exhibeat.* Et *per communem illum vectorem ſpiritum omnes Mundi partes cohærent, & cuncta complexu conciliantur, Nihilq́, in vivente mundo eſt tam abjectum, cui non infuſus ille ſpiritus divinorum cœleſtiumq́, operum aliquid elargiatur, è cœlo, & ſideribus, vires, & proprietates, vitaq́, ſeminaria invehens, confundens, & permiſcens, &c.*

4. CONFUNDIS tu quoque, & *permiſces* omnia, Gocleni. Pudet jam, & piget, plura hujus tui ſpiritus Encomia ex tuis chartis deſcribere. Ac pigebit, opinor, Lectorem quoque meum, hæc legere, præſertim, cùm ex tot verbis intelligi non poſſit, Quis tandem, aut quid ille ſit SPIRITUS. Ego quidem diu coactus ſum hærere, quid tibi velles tot *nominibus*, tot *encomiis*. Ad extremum in eam venio ſententiam, te intelligere, ex *Platonicorum* ſitu jam & ætate rancidis deliriis,

ANIMAM MUNDI.

Id ex pluribus colligo. Nam primùm, quæ illi attribuis, valdè affinia ſunt iis, quæ *Platonici* de illa ſua *Anima* deblaterant: ut Jamblichus cap. 1. & ſeqq. Tum Joan. Erneſtus Burggravius, tui Unguenti Hyperaſpiſtes in Lampade (pag. 84.) apertè *cœlum homini cognatum* facit, quod *Animalitatem*

Sect. 24. Anima Mundi.

participet Additque, *Stellas quoque esse Animales.* Utrumque ex Paracelso. Idem Burggravius in Panoplo pag. 81. de spiritu loquens simili Gocleniano, ut videtur, *Balsamico: Incola spiritus,* inquit, *motu præditus sempiterno, est naturæ invisibilis,* ANIMÆQUE MUNDANÆ *scintillula Magnetica; vigens, sentiens, movens, agens efficacissimè.* Idem pag. 102. *Veræ* MAGIÆ SACERDOTES (tu ex his unus videris, Gocleni) *cœlum statuunt, Magni hujusce Animalis, quem* MUNDUN *sive ornatum vocant, Imaginationem, cujus* ANIMAM, *nos solem Macrocosmicum statuimus.* quid quòd tu ipse, Gocleni, clarè in Synart. *Axiom. 2.)* nescio quas *concordantias* narras *imprimi mediante spiritu, seu* ANIMA MUNDI, GENERICA, COMMUNISSIMA, MYSTICA, SECRETISSIMA! Et in Tractatu Unguentario *Ingentis hujus* ANIMALIS *membra, id est, omnia Mundi corpora connexa, &c.* Hinc necessariò colligimus, unam aliquam esse *Mundi animam*, quandoquidem unum est *Animal.* Ex his, dubitandum mihi non videbatur, quin idem tibi esset *spiritus Mundi, & anima Mundi*: Sed turbas negotium, tuo more, dum, Polypi instar, varius, in Synart. hæc distinguis, nam in Axiomate 8. ita scribis: *Virtus* ANIMÆ MUNDI, PER SPIRITUM UNIVERSI *dilatatur per omnia, ita ut ne minimum etiam, quod in rerum natura reperitur, spiritus hujus scintillâ careat,* &c. Utcumque sit,

5. ANIMAM MUNDI asserere, & ea illi attribuere, quæ tu attribuis, impium est, & delirum. Si quis Anchises Æneæ filio ita canat,

Principio cœlum, ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet:

tolerabile est; maximè cùm, in *Plutonis* Regia degens, aliud docere non potuerit, quam quod ab ipso didicerat. Quin & hæc illi addere licuit:

Inde hominum, pecudumq; genus, vitæq; volantum
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.

Quanquam scio, sanam hanc doctrinam censeri posse, si cum quibusdam exponamus, Maronem de *Divina mente*, sive de ipso Deo, locutum. Si tamen de *anima Mundi*, hauserit hoc suo jure ex *Plat. Ethnico* homo *Ethnicus.* Ex eod. turbido fonte Macrobius (*lib. 1. in som. Scipion.*) similia deliret non pauca, & nonnulla planè *Gocleniana*, ut illud: *Mundi anima viventib. omnibus vitam ministrat*: & hoc: *Mundi anima animarum omnium fons est.*

6. Licuerit & *Apuleio Platonico*, ubi de Platonis Dogmate agit, πλατωνίζειν, & dicere: *Illam cœlestem animam, fontem animarum omnium, optimam & sapientissimam, virtutem esse genitricem, subservire fabricatori Deo, & prastò esse ad omnia inventa ejus.* Eodem jure *Thales* utatur, cujus sententiam exprimit Arist. (*l. 1. de anima*) καὶ ἐν τῷ ὅλῳ δέ τινες αὐτὴν ψυχὴν μεμίχθαι φασίν.

Dicunt

Dicunt quidam in universo animam ipsam misceri. Plato denique ipse liberè dicat: νοῦς ἐςὶ βασιλεὺς ἡμῖν ὐρανοῦ καὶ γῆς. Sed *Goclenium*, hominem, qui *Christianus* haberi velit, qui *Orthodoxus*, qui eruditus, qui *Papisticorum* scil. *errorum Censor*: *Goclenium Publicum Medicinæ Professorem*, eadem, cum his deliris, deliria delirare; certè dignissimum est, (ut quàm lenissimè dicam) vestrâ, ô *Academici Marpurgenses & Giesani, acri Censurâ*. Vos, uti spero, vestrum officium facietis. Ego meum me facturum existimo, si quædam his insaniis falsis opposuero: sed compendiò, & quàm brevissimè. Sect. 24. *Anima Mundi.*

7. Dico igitur primò, hanc doctrinam affinem esse illi *Averrois*, & quorundam aliorum *impiorum Arabum* stultitiæ, qui *mentem & Intellectum universalem*, & *separatum* constituebant, *quo tamen uno omnes homines intelligerent.*

Dico 2. *Cœlum, Astra, Mundum, sensu, aut animâ intelligente pollere, pridem damnavit Synodus Constantinopolitana.*

Dico 3. Meritò damnavit. Nam, ut rectè docet S. Hieron. (*lib. 1. Comment. in cap. 8, Matt.*) *Error est Hæreticorum, omnia putare Animantia.*

Dico 4. Insignis Hæreticus & Calvinista *Plessæus Mornæus* deliram hanc sententiam damnat, & refutat, dum *Alexandri Aphrodisii Intellectum Agentem Universalem* rejicit lib. *de Veritate Religionis Christianæ contra Atheos, Epicureos, Paganos, Judæos, Mahumedistas, & alios Infideles*, id est, *Goclenium*, & ejus sequaces (*cap. 15.*)

Dico 5. Goclenius non eò solùm delirat, quòd hanc *animam Mundi* constituit, sed & *spiritum Universi*. Utrumque æquè impium. Ac præterea alterutrum superfluum. Nam quid est *Anima* nisi *Spiritus*?

Dico 6. Goclenius Mundum facit *hominem*. Tribuit enim illi *Animam rationalem*. An non talis est, quam vocat *Mysticam*? (Synart.) *quâ mediante rerum Proprietates occultæ, mirabilium operum causæ effectrices, in materiam inferuntur, atq; imprimuntur*? Item, potestne non *rationalis* esse *Anima*, quæ *intervenit, & diligit actionem, & effectum, ut ad vulnus propagetur vis Unguenti Armarii*? sane hoc est, non tantùm *ratione uti*, sed *magnâ* etiam *pollere Sapientiâ*. Et quid mirum, cùm etiam dicatur *Divinus spiritus*?

Dico 7. Idem Goclenius, dum *Mundo & Animam tribuit, & spiritum*, eâdem operâ, Mundum facit non modò *hominem*, sed *bis hominem*, sive *duos homines*, quippe cùm *duas* assignet *animas Rationales*.

Dico 8. Non ignoro, ex Goclenii doctrina, *Animam hanc Mundi* videri *separatam*, non *informantem* (quandoquidem per se *agit, dirigit, propagat*) atque ita meritò mihi quis respondeat, *Mundum non constitui hominem*. Sed & hoc scio, ipsum Goclenium *Mundum* dicere *ingens Animal*.

Dico 9. Si *separatam* esse mavult *Animam*, & *omnia dirigere*, audiat *articulum Parisiensium*, scriptum, & vulgatum An. 1398. Septem. die 19. Est is

Arti-

Sect. 24. Anima Mundi.

Articulus ordine vicesimus sextus, in hæc verba expressus: *Quod Intelligentia motrix cœli influit animam rationalem, sicut corpus cœli influit in corpus humanum.* ERROR. Apertè dico, in Gocleniano asserto plus esse ERRORIS & *Impietatis*. Repete, quæ hac ipsâ Sectione ex Goclenio posui, §.3.

Dico 10. Intolerabilis impietas & impia *Hæresis* est, quòd inter alia, ibi Goclenius ait, *Animam* illam, sive *spiritum*, OMNIA *continere*. *Idololatria* hæc est, Gocleni. Facis tuum commentitium spiritum parem Deo. Si quis Catholicus tantùm dixisset de Dei *Matre Virg.* quas blasphemias effunderes!

Dico 11. Peculiaris *Hæresis* est, pridē ab Ecclesia explosa, quòd asseris tui *spiritus*, sive *Animæ vi, & ope, animata sui quæq; generis habere animā*: nec erubescis, ubi nutrientem & sentientem nominâsti, addere apertis verbis: *Alia Rationis participem.* Non vides, te tuum *spiritum* facere *creatorem*? nam *Anima, rationis particeps*, non nisi *Creatione* producitur. Si non magni facis Conciliorum & Ecclesiæ definitiones, at tuum *Plesseum* audi (loco paulò antè allato) qui *Turcas* tibi præfert: *Turcas*, inquit, *Arabas, Persas docet Alcoranus, Animam homini à Deo inspiratam, atq; ideo incorruptibilem esse.* In Margine citat *Azoaram 25. & 42.*

Sed hæc satis sint de commentitiâ *Anima Mundi.* Quædam supra à me dicta sunt (Sect. 9.) quæ huc referri poterunt. Plura *Eckius lib. de Prædestinatione, & Espencæus lib. de Animatione cœlorum.* Plures item alii Philosophi & Theologi. Studiosè enim perniciosæ huic doctrinæ se opposuerunt pii, & docti quique; ut eam asseruerunt, ac in ea stultitiam suam publicarunt impii, ut *Crollius* (Præfat. admonit. pag. 54.) & præ aliis *Agrippa* (lib. 1. occul. Phil. cap. 11. 12. 14. & li. 2. cap. 55. & seqq. & li. 3. cap. 15.)

TERTIA PARS.

GOGLENIANA PARERGA.

RODOLPHO GOCLENIO

Veritatem agnoscere, & æquo animo esse.

HACTENUS ostendi, Rodolphe Gocleni, & *Sigilla* tua, & *Magneticam Curationem* ab impia *Superstitione* ortam, sine ea exerceri à nemine posse. Ostendi autem dupliciter. Nam ex teipso contra te pugnavi usque ad Sectionem decimam; idq; tam aperto Marte, tam validis armis, ut non possis non fateri te tibi *Heavtontimorumenon* factum; nisi tibi fortè planè decretum, Veritati oculos æternùm claudere: quod DEUS, Veritatis amator, atque ipsa Veritas non sinat. Tum à Sect. decima, aliunde petitis Argumentis, vel *Authoritatis*, vel *Rationum*, idem confeci iterum tam solidè, ut nec tu nec alius quispiam solidi quicquam contrà afferre possit. Voles tu fortè hoc iterum experiri, iterum jactare aleam, & reciprocare contentionis serram. Sed multò rectiùs feceris, si fasces submiseris imperanti Veritati. Cogita,

gita, te non esse primum, cui *Superstitio*, *Naturæ* specie imposuerit, cui Umbra pro Corpore obrepserit. Consule amicos Eruditos, & ante alios, *Academicos*: & præ his omnibus *Patrem* tuum, qui, Philosophus exercitatus cùm sit, earum, quas dixi, Rationum momenta facilè capiet; & per ætatem jam sedatior, non sinet se abripi affectuum impetu. Hæc suadeo, ut amicus. Sin aliter animatus eris, ego tamen animum non mutabo, quo erga te sic afficior, ut te tuosque optem esse DEO opt. Max. quàm conjunctissimos. *Sect. 25. Anima Mundi.*

Jam, quoniam, eodem optimo DEO propitio, propositum mihi Argumentum expedivi, id est, *Characteres* & *Unguentum Armarium* ostendi esse homini Christiano, illicita, tanquam execrandæ *Superstitionis* comperta: visum est mihi, & PARERGA quædam tua attingere, & in iis quoque lapsus tuos indicare jactantiamq; & iracundiam, quà potero, reprimere. Nam alioquin, ut te novi, pro confessis concessisque habebis, quæ videris prætereita. Porrò non omnia tua *Parerga* examinare mihi propositum: de iis tantùm mihi sermo erit, quæ ad rem alludere videntur, etsi à longè, quod ajunt: aut certè quæ, propter aliquem insignem *errorem*, omitti non expediat, aut *contumeliam*, non tam mihi, quàm *Ecclesiæ*, & *Religioni*, petulanter factam. Tu Gocleni, audi, & Veritati manus da, lætus, te ab ea in ejus castra invitari. Hoc honestissimum transfugium est.

SECTIO XXV.

Superstitionem *Theologicæ esse considerationis.*

I. MERITO hoc inter PARERGA primum mihi locum teneat. Nam alioqui tibi plaudas de meo silentio. Insultabundus mihi objicis in tua Synart. *Quid audio? Johannes Robertus ex Doctore Theologo & Ghesuita repentè factus anatomicus est. Subita metamorphosis.* Ea demum *Metamorphosis subita* est, quòd improbus tuus *Magnes* me ex *Jesuita* facit *Ghesuitam*. Sed cùm ignavus sit, nihil seriò mutare potuit. Multò feciliùs te ex *Goclen* fecit *Gecklein*, aut *Gauckler*. Inspice *Metamorphosin Calvino Goclenianam*. Sed addis: *Rectiùs fecisset, si intra metas vocationis suæ se continuisset, quàm quòd inani scientiæ persuasione tumidus, sine judicio & ratione, serra, lima, cultroq; nimis aspero, Magneticum corpus fœdârit, discerpserit, vulnerârit, contuderit, ut ita meritò quis, si secamentorum collectorum sportas viderit, lanienam potiùs quàm anatomiam dixerit.* Sic tu. At tuus *Mævius* simili judicio & spiritu miratur & indignatur,

Ex clerico JESU, *Metamorphosin novam,*
Anatomicum factum repente ex Flamine
Patrem Robertum. —

Sect. 25. Sup. Theolog. cons. Hoc vult iste, hoc vis tu, Non fuisse *Theologi*, tractare de *Magnetica Vulnerum curatione*; aut hanc Quæstionem disputare, *Utrùm Curatio Magnetica, quæ per Unguentum Armarium perficitur, Naturalis sit, an Superstitiosa?*

2. Seorsim à te sentio, mi Gocleni, idque duplici ratione. Intelliges, si intelligis, hanc & similes Quæstiones, trib. modis considerari posse, *Medicè, Physicè, Theologicè*. Ut *medicam* considerationem tibi relinquam, (quod hoc libello aliquoties professus sum) de *Theologia* dubium nullum est, quin, ubi constiterit actionem aliquam non esse Naturalem, illius sit, inspicere, sitne à Deo, & supra Naturam; an à *Diabolo Naturæ corruptore*. Quod posterius hîc esse ostendi. Porrò *Physicam* esse Quæstionem, *An naturaliter quid in distans agere queat*, eo modo, quo tuum Unguentum agere ais, probant tum quę suprà attuli Sect. 15. tum Aristotelis, ejusq; Interpretũ diligens hujus Quæstionis tractatio (disce à Patre tuo) tum denique tua confessio.

Fateris enim initio Tractatus tui Myropœi, quæst. istam *de promi ex intimis naturæ penetralib.* Jam, cùm mihi aliquid in *Theologia* concedas, non potes non concedere & in Physica; qui neges ibidem, *Theologum Physicâ carere posse*. Et, ut tu nihil horum dicas, aut concedas, nota est *Societatis* nostræ consuetudo, in qua nemo *Thelogiam* attingere permittitur, qui in *Philosophia* priùs non fuerit versatus. Sentio, quam exiguum sit, quod in utroque studio profeci. Hoc tamen scito, me in Academia Orientalis Franciæ, Herbipoli, *Philosophiam* publicè professum integram ferè trieterida, & Auditores meos *Magisterii Philosophici* Laureâ donasse: ac simul Pontificiâ & Cæsareâ authoritate potestatem iis fecisse, de quavis *quæst. Philosophica* disputandi & respondendi. Nulla igitur æquitas permittit, ut mihi ademtum eas, quod meis Discipulis permittere potui. Tamen, ut tuus Magnes omnia potest, si quod fortè habes in eam rem *Privilegium Magneticum*, exhibe, & protinus parebimus. Jam, opinor, tenes, de sanatione tua Magnetica, non debuisse me agere more *Medici* (quod non feci, non cogitavi) potuisse tamen, ut *Philosophum*, ut *Theologum*. Itaque steti hactenus, & sto, (quod ad hoc quidem attinet) *intra metas meæ Vocationis*.

SECTIO XXVI.

Goclenii Negligentia supina: Prævaricatio ignavum silentium.

1. Sine commiseratione vix spectari potest miseræ *Synarthroseos* calamitas. Ait Gocle. in Epigraphe, se eam *opponere infaustæ Anatomiæ* meæ. Pro ea potius pugnat, ut ostensum est. Addit scriptam *Pro defensione Tractat. de Magnetica vulnerum curatione*. Eam fœdè discerpit, cùm Anatome honestè secuisset. Et hoc ostensum.

—— *Quis talia cernens*
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssi Tem-

Temperet à lacrymis? —— Sect. 26.

Alia sunt, sed aliquantò occultiora. Ego quædam producam. *Prævaricatur* Goclen. Prævar.
Gocl. in causa sua, id est, in defensione *Curationis Magn.* sibi proposita, non eò tantùm, quòd eam potiùs *aperto Marte oppugnat*; sed eò quoq;, quòd pleraq; omnia *dissimulat*, & *ignaviter silet*, quæ ad ejus propugnationem faciebant. Proponam præcipua. Et, ne Goclenius queratur, nescisse se, quænam desiderarentur, non afferam, nisi ea, quæ ipsum legisse scio in *Anatome*, idq; majoris facilitatis gratiâ, ipsius Anatomes ordine.

2. §. I. ANATOME *Lege totum Tractatum*, (nempe de Magnet. Vuln. cur.) *Ne verbo quidem invenies aliquid explicatum, ostensum, apertum, probatum. Tantum asserit D. Rodolphus, & hoc probâsse est, &c.*

Respondet Synarthrosis, & probat tantundem, id est, *nihil*. Quin etiam cùm Tractatus Magneticus, tanquam probandi causâ *Authores* produxisset *Ragaël, Chaël, &c.* misera Synart. à lepida Anatome territa, eos rejicit, & pro Magis habet. Vide Sect. 4.

§. 2. ANAT. *Quod boni Calvinistæ hactenus non patiuntur tribui operibus bonis, ut Dei gratiæ augmentum promereri poßint, ne si à Gratia quidem eadem profecta sint; hoc jam illis facilè præstat Galli imago, aut trium puellarum, aut hominis coronati, aut Arietis, Leonis, Sagittarii.* Capitalis planè accusatio.

Respond. Synart. NIHIL. Nam quòd negat, se eas Imagines approbâsse, nugæ sunt. Vide Sect. 5.

§. 3. ANAT. *Docet Goclenius, Sigilla quædam & Sculptura gestari debere magna cum Reverentia & Devotione; cùm sciat, Calvinum ferre non posse, ut Reverentiæ quicquam impendatur Imagini S. Afræ, quæ Draconem Dei ope occidit. At Goclenius inter ea, quæ magna cum Reverentia gestari vult, & custodiri, primo loco ponit Draconis formosi imaginem*

Respond. Synart. NIHIL. Vide §. 2.

§. 4. ANAT. *Utcunq; te torqueas, non invenies in Tractatu Gocleniano Deductionem, nisi hanc, aut similem: Asini imago facit futura prognosticare: ergo Unguentũ Armariũ vulnera curat citra remedii applicationem.* Gravis omnino hæc est, & honesto viro intolerabilis exprobratio, si falsa esset. Quid Goclenius?

Respond. Synart. NIHIL, planè NIHIL.

§. 5. ANAT. Cùm Tractatus Unguentarius dixisset, *sanationem Magneticam fieri per Magneticam* QUANDAM *efficientiam*: quærit, *Quænam ea sit, cùm illud*, QUANDAM, *nimis sit amplum?* atq; hoc pòst iterum inculcatur.

Respond. Synar. NIHIL. Similia ibidem de *Attractione, & Deductione.*

§. 6. ANAT. quærit, quid sibi velit apud Goclenium *Magica & sublimior causa, nempe spirituale Vehiculum, & Vinculum, quibus tota sanatio perficitur?*

Respond. Synart. NIHIL.

§. 7. ANAT. quærit, *Quomodo Lucidus spiritus sit Mundi, & Cælorum Vector? an vehat, an vehatur?*

Sect. 26. Goc. Praevaric.

Respond. Synart. NIHIL.

§. 8. ANAT. quærit, *Quomodo Vapor sit media inter corporatas & incorporatas substantias naturæ?*

Respond. Synart. NIHIL.

§. 9. ANAT. *Opificem* tuum, *Insculptorem*, *& Formatorem*, quem in tuo *Mysterio* collocas, dixerat esse CACODÆMONEM, *quòd alius Mystes tali Mysterio assignari non posset.* Quid tu?

Respond. Synart. NIHIL. Quomodo hoc concoquere potuisti? nec veritus illud protritum, *Qui tacet, consentire videtur?*

10. §. ANAT. Rogat, *quænam illa* VIS *sit, quæ ex Unguento ad Vulnus migrat?* Item, *Quomodo accidens migret, exeat, se effundat, & propaget sine subjecto?*

Respond. Synart. NIHIL. Heu pudor! Saltem spectares dedecus fratrum tuorum *Calvinistarum*, qui in *Sanctißima Eucharistia* multò minùs admittere non possunt.

§. 11. ANAT. Cupit sibi dici, *Quis sit Motor*, quem Unguentarius Tractatus in *Mysterio Magnetico* ponit.

Respond. Synart. NIHIL.

§. 12. ANAT. quærit, Quodnam Goclenio vocetur *spirituale Vinculum.*

Respond. Goclenius in Synart. NIHIL.

§. 13. ANAT. quærit, *Quænam sit utraq; forma, quæ in sanatione Magnetica conjunguntur? Quæ egrediuntur? Quæ in media intercapedine mutuo occursu uniuntur?* Hæc quæstio, bone Lector, & vos ô ACADEMICI, maximi erat momenti; ut in quâ totius *Magneticæ Curationis* summa, practicè, ut sic dicam, consistat. Fingit enim Goclenius, *aliquid egredi ex telo unguine patibulario delibuto; & vicißim aliquid ex vulnere, quod sanandum est; atque hæc duo sibi in itinere occurrere, & uniri.* Sed cùm nihil ulteriùs addat, videtur significare, in *media intercapedine*, ut ipse loquitur, *fieri sanationem.* Atque ita non videtur sanari vulnus, cùm non recedat à vulnerato, quod quidem sciamus. Tamen omnipotens *Magnes Goclenianus &* hoc fortè efficit. Ex quo demum miraculo utcumque intelligi possit, quod tam fidenter asserit Goclenius, *sanari vulnus absque dolore.* Cùm enim *absens* vulnus curetur, quid mirum, si vulneratus nihil sentiat? Sed manet tamen Ænigma, *Quomodo non sentiat vulneratus, dum remotum vulnus attingitur; & dolore afficiatur, dum remotius telum frigori exponitur?* Goclenius dicet, esse *Mysteria*, quæ Bœotica pecora non capiant. Sed quod Anatome petebat, *Quænam sit utraq; illa forma, quæ in medio conjungitur?* quid Goclenius dicet?

Respond. in Synart. NIHIL.

§. 14. ANAT. *Modum* à Goclenio petit, *quo simul sint Movens, & quod Movetur,*

vetur, in sanatione Magnetica. Dicebat inibi Goclenius dubiè admodum: *Sive id fiat lumine, sive radiis, sive qualitate occultiore, sive contactu spirituali.* Nescit ipse, quid horum: quid mirum, si nos hallucinamur? Sed an postea didicit? *Sect. 26. Goclen. Præfat.*

Resp. Synart. NIHIL. Ecquando tandem aliquid Gocleni? Ignoscite, Academici, non habet, quod dicat. Debitor est, sed creditoribus facit satis cessione bonorum. Accipio hoc in solutum, Gocleni, quando aliud non habes.

5. Sed illud miseratione dignum, quòd non modò nihil respondes ad *Quæstiones*; sed nec ad *probra* quædam, sanè gravia, quæ ego objeceram, non tibi, sed *Doctrinæ tuæ.* Sed par erat, te *Patrem*, tuæ *prolis* dedecus sentire. Ut sileam, quæ tetigi §. 1. 2. 3. 4. 9. ut nihil dicam de æterno dehonestamento tuorum *Characterum* (quod non aliter evadere conatus es, quam ipsos miseros *Characteres*, eorumque *Authores* turpiter abjiciendo, quos ante in cœlum usque extuleras) quomodo silere potuisti, cùm audires, Libellum tuum vocari *Effrontem?* Anat. *Immanem esse fidem tuam, qui Nugas credas: Nusquam in tuo mysterio esse spiritum, nisi Atrum? Magno conatu* NIHIL *agere? Magno studio, labore industriâ* NIHIL *demonstrare? Inanem tuum esse demonstrandi conatum? Summam tui libelli esse,* NIHIL *in tuo Mysterio fieri reale, & parturiente cœlo, nasci pudendum* NIHIL? *Tuum Unguentum nunquam culicis pulicisve puncturam curâsse? Honestiùs facere indoctum vulgus, dum à Carnario remedium petit, quàm tu facias, qui petis à patibulo? Tuum Unguentum non esse remedium, sed remedii* IDOLUM? *Vulnera per tuum Mysterium non sanari à tuo Unguento, sed à* DIABOLO? *Elogium æternum tui libri esse debere*: EX NIHILO NIHIL FIT? *Denique, Totum tuum libellum* PERNICIOSUM esse REIPUB. CHRISTIANÆ? Quomodo, inquam, ad hæc silere potuisti? bone Gocleni. *Lepra* planè, *Giezitica lepra te* sensu tactus multavit, quam *Metamorphosis Magnetica* meritò tibi objicit. Sed monstrosa *Lepra est*, quæ ad tanta te vulnera stupidum fecit, & merum lapidem; & tam acutum sensum reliquit ad pulicis morsum. Scis, quem dicam *morsum?* Lovaniensis Typographus tua vocaverat *Deliria*. Tu in, Synart. ad *delirium* usq; propemodum contra illum tumultuaris. Magnum, scilicet, peccatum peccaverat.

Equidem Flavium istum nunquam vidi, nunquam neque coràm neque scriptis cum illo egi. Sed rectè ab illo vocata *deliria*, non difficulter tuebor. Et quid opus, me tueri? Nonne ipse tu magnam tui argumenti partem vocâsti *Deliria?* Omnes, inquam, *Characteres* Chaëlis, & reliquorum delirantium Sophorum. Nam de iis in Synarthrosi, hæc verba scribis: *Nec propterea eas Tractatui meo inserui, ut D. Robertum vel alios docerem simili dementiâ cum antiquis* DELIRARE. Plura ego de hoc Argumento,

Sectio 27. Goclen. Lolium.

Sect. 4. Sed hîc satis mihi fuit illud DELIRARE. Ais, te non *delirâsse*, sed illos Antiquos. Hoc majus *delirium* esse tibi ostendit Sect. 5.

Redeo aut rem. Tune hunc *pulicis morsum* tam acriter sentias, & illas grandes tui Tractatus *plagas leprosus* negligas? In illis demum te virum ostendere oportebat. At tu iis dissimulatis, *Axiomata* fundis stolida & impia, aut nihil ad rem facientia. Hoc videlicet est *Respondere Anatomiæ* illi, tam tibi *infaustæ*. Hoc est memorem esse magnificæ tuæ promissionis (Synart. quam agnosce, & erubesce: *Sufficit mihi, si (quod factum oportuit) respondeRim epanorthoticè, dialyticè, exegematicè, & didacticè*. Ubi id conatus, qui tot *Quæstiones*, tot gravia libri tui *Probra* dissimulaveris?

Quid feret hic tanto dignum promissor hiatu?

Ut dicatur, quod est, *Prævaricator*, & *Heautontimorumenos*.

SECTIO XXVII.

Gocleniani Lolii spicilegium.

TOTA Goclenii ἄναρθρος *Synarthrosis* plena est *Quisquiliis*, ut Lectori palàm est. Singulas indicare sit infinitum, nedum operosè confutare. Superioribus addantur hac una Sectione hi aliquod Manipuli.

Manipulus I. ANTILOGIÆ.

Capitalis est Antilogia, quâ, in Tractatu quidem Magnetico, *Characteres Chaëlis*, & reliquorum impiorum nugatorum in cœlum usque tollis; in Synarthrosi autem deprimis usque ad inferos. Sed de ea suo loco actum est. Neque eam evades, etsi totum tuum *Unguentum* impendas, cum *Magnetismis* omnibus & *Goclenismis*. Aliquot sunt aliæ magis particulares; quæ ostendunt, quàm tibi constes, & quàm incogitanter quidvis & undevis haustum chartis illinas.

2. ANTILOGIA I. *Gygis annulus, quo se invisibilem reddebat, superstitione carebat. Idem annulus superstitiosus erat.* Prior pars asseritur, & cum plausu venditatur Ung. Cùm enim præmisisset Goclenius de *Magia*, quam *Naturalem* esse fingit, OMNES SAPIENTES *rerumque cœlestium & sublunarium solertissimos indagatores eam semper approbâsse*: & mox inter ejus Magiæ opera primo loco posuisset *Annulos*, quos ait, *non parùm Lucis & veritatis ad Mysterium suum explicandum allaturos*: addisset quoque, *operationem aliquam & virtutem eorum Annulorum esse*; idque in EXPERIMENTIS NON FALLACIBUS esse: tandem ait, *Sic Gyges Lydorum Rex* ANNULO SUO, &c. Quid potuit vel clariùs vel magis impressè? Quin etiam similes *Annulos* fabricari docet, qui itidem INVISIBILES præstent. At in Synart. dicitur *Gyges id dæmonum fraude fecisse* Ait Goclenius, *Annulum illum fuisse Fascino Diabolico consecratum & incantatum*. Hæc, bone Gocleni, concilia, si potes.

ANTI-

ANTILOG. 2. *In Austria* (inquit Ung.) *Gemelli solis objectis ad januam corporis lateribus, seras aperiebant: quod certè admiratione non caret. Naturaliter* id Goclenius factum vult, ut ostendit tota connexio cum prioribus & posterioribus. Longè alia canit Synarthros. Nempe: *Omni causâ & ratione Naturali caret, quòd ad Magorum præsentium fores, aliave loca clausa repentè patefiant.* An tu quoque *ratione* hîc carueris, vide. Sect. 27. Goclen. Lolium.

3. ANTILOG. 3. Ung. *Nullæ hîc audientur nugæ, nulla ænigmata.*

Synart. *Griphos me scripsisse, & ÆNIGMATA, hoc est, intricata, objicit. Non inficior.*

Iterum de eodem Argumento, Synart. *Pro Magnetica vulnerum curatione sine griphis, sine ænigmatibus, in medium afferentur, &c.* At eadem Synart. *Primo, nec ultrà divulgo hoc Arcanum.*

Omitto alias Antilogias, ut unam indicem, quam sibi ipse D. Goclenius acerbè objicit, & ea in se dicit, quæ ego, modestiæ causâ, nunquam dixissem.

4. ANTILOG. 4. In Synart. refert mea verba, quæ posui in Anatome, *Quid vetat, Necromantiâ imbutos (quam vetitam Magiam agnoscis: etsi teipsum eam docere suprà demonstratum est, &c.* Tum subdit Goclenius: *Quis non videt hæc esse* ἀσύστατα? Quid tum Goleni? an non & illa proximè à me ex tuis libris relata itidem ἀσύστατα sunt? & tamen ea scripsisti. Sed non acquiescis. Æstuas totus, sudas, in omnes te partes vertis, & versas, ut te probes, *non esse sanæ* mentis. Quin etiam (quod te aliàs fecisse vix memini) quo id ostendas, integrum, & rotundum *Syllogismum* impendis. Ponam illum, ut tu scripsisti, verbotenus, quando ita tibi cordi esse video.

> *Nemo sanæ mentis potest docere id, quod vetitum & illicitum agnoscit.*
>
> *Atq; Necromantiam germanamq; ejus sororem Goëtiam vetitas, & illicitæ Magiæ esse species, testatus sum.*
>
> *Ergo sanæ mentis non essem, si, quod semel, tamquam vetitum & illicitum, improbâssem, docendo confirmarem.*

Obsecro vos, *Academici*, tuque Lector intelligens, quisquis es, nota hanc Conclusionem, & totam connexionem ratiocinationis, quàm fundit *Goclenius de Goclenio.* De veritate Propositionis nihil disputo. Scio, posse hominem sanæ mētis humano lapsu, oblivione, negligentiâ, aliquid asserere, quod non sentiat. Sed demus Goclenio hoc, ut id non possit, nisi sit *insanus.* Assumtio clara est *Phœbeæ lampadis instar.* Videatur Sectio 4. pro alterâ parte: & pro altera Sectio 5. quæ Argumentis triginta *Characteristicum Doctorem* convincit. Habeat igitur suam sibi Conclusionem, ut *Goclenius non sit sanæ mentis.*

Neque

Sectio 27. Goclen. Lolium.

—Neque te teneo, neque dicta refello.
I, bone, quò virtus tua te vocat, i pede fausto.

Sed si tantùm sapere potes, ut bene monenti auscultes, abjice tot & tam turpes errores, & audi verba, quæ fundebas, cùm rectius saperes: ERRORES FOVERE DEMENTIÆ EST. (Synart.) Si persistis, & nos de tua sanitate desperare cogis, memor Legis, quæ *Furiosos agnatis commendat*, commendo parenti tuo, aut uxori, quæ largiter tibi infundat *Liquorem* illum *potabilem à te confectum judicio Firmando, & cerebro vertiginoso accommodatissimum*, ut tu doces Ung.

Manipulus II. CALUMNIÆ.

5. Scatet quidem maximè hoc genere tota tua Synarthrosis. Sed exempli gratiâ pono has.

CALUMNIA 1. Verba tua *D. Robertus omnes præstigias, incantationes, delusiones, omnia necromantica & diabolica comprehendit sub nomine Magiæ. Hoc est Magicum, inquit: Ergo est necromanticum, ergo diabolicum. Lepida illatio, æquè quadrans, ac pugnus oculo.* Vidisti, me tam diligenter indicare, cur tu meum locum negligis, ubi ego hoc dixi, aut scripsi? *Academici*, quæso, Calumniatorem ad vestrum Tribunal vocate, & vel exhibeat in meo libello, quod ex eo se referre ait; vel vestro decreto *Sycophanta intestabilis* habeatur.

CALUMN. 2. Non fuit satis, hoc mendacium semel mentiri. Idem producitur; Verba: *Si D. Robertus paulò altiùs hæc secum reputâsset, nunquam scripsisset, Omne Magicum esse Diabolicum.* Non scripsi, Gocleni, Tua *Calumnia* est DIABOLICA. Pulcrè quadrant Διάβολος, & Διαβολή. Hoc proba, aut iterum *Sycophanta* esto.

CALUMN. 3. *Hæc sunt Robertiana stigmata, acuta, cœlo digna, ut ipse prædicat.* Nusquam, nusquam ostendes, id me prædicâsse. Quare jam tertiò *intestabilis* es, manebisque, dum probes.

6. CALUMN. 4. *Doleo, D. Robertum Bœoticam inertiam atq; inscitiam suam tam publicè testatum fecisse, dum, Astrologiam th. 5. damnans, sacrilegè peccare scripsit, qui ex astrorum aspectibus & inspectione de futuris eventibus judicant. O judicium cæcum & brutum!* Ita ad verbum Goclenius. Qui si cum Cicerone negotium habeat, audiat haud dubiè exclamantem: *Quò me vertam, Patres conscripti (Academici) quem implorem?* Tune Rodolphe, tam fuisti *non sanæ mentis*, ut, cùm hæc tam mendaciter effutires, crederes, neminem fore, qui meum libellum inspiceret, atque ex eo portentosam tuam Calumniam deprehenderet? Non saltem timebas, ne ego, quem tam propè res attingebat, meam *Dissertationem* consulerem, an fortè humanitus hoc illi excidisset? Feci hoc statim Gocleni, ut tua legi, conscius mihi infirmitatis humanæ, &, quam facilè vel ego vel Typographus labi potuisset. Sed

quid

quid dicam? aut quid non dicam? Mittamus querelas, tu, Lector veritatis amans, adverte animum: vos, *Academici*, ſeveritatem aſſumite dignam gravitate veſtrâ, dignam *Profeſſore publico*, *Collega veſtro*, *Calumniatore Oecumenico*. *Sect. 27. Goclen. Lolium.*

Accuſat Rodolphus Goclenius meam *Bœoticam inertiam & inſcitiam, judicium cæcum & brutum*, quòd ſcripſerim.

> *Peccare eos, qui ex Aſtrorum aſpectibus & inſpectione de futuris eventibus judicant.*

Mea verba ſunt in *Diſſertatione Theologica, de Superſtitione*, Treviris diſputata, & edita:

> *Ridiculi ſunt, & in ſuam fratrumque animam ſacrilegè peccant, quotquot ex Aſtrorum inſpectione & obſervatione de futuris eventis judicant, Quæ ab humanæ voluntatis Libero Arbitrio aliquâ ratione pendent.*

Mitto puerilem ineptiam Goclenii, qui, ubi ego ſcripſeram, *Inſpectione & Obſervatione*, ſcripſit inſulſiſſimè, *aſpectibus & inſpectione.*

Hoc non tribuam malitiæ. Sed annon intolerabilis malitia eſt, omiſiſſe datâ operâ illa verba: *Quæ ab humanæ voluntatis libero arbitrio aliquâ ratione pendent?* φεῦ τῆς διαβολῆς, καὶ τῆς διαβολικῆς ψευδολογίας. Si quis minus ſit *ſanæ mentis*, quam te fateris, & totis Syllogiſmis probas, tamen facilè videat, quantum inter Propoſitionem illam *mutilam*, quam mihi affingis, & eam, quam verè ſcripſi, interſit.

7. Dicat mihi quiſpiam, Goclenium *compendio* retuliſſe meam Aſſertionem, quam damnatam voluerit, etiam ſic integrè expreſſam, ut ego jam expreſſi. Primùm meritò judico, improbum & CALUMNIOSUM eſſe COMPENDIUM, ea verba omittere, quæ, nemo eſt, quin videat, quanti referret, poni. Deinde, non debuit, nec potuit integram illam Propoſitionem damnare, niſi vellet impiiſſimis Aſtrologis Judiciariis accenſeri, toties ab Eccleſia & ſapientum judicio damnatis. Poſtremò damnat ipſe Goclenius eam impietatem apertè, infrà, Verba: *Occurrebat, Calendariographorum quorundam hujus ævi* περιεργία *ac ſuperflua ſedulitas, dum nimis audacter de particularibus quibusdam eventibus pronuntiant, ita, ut à Chaldæorum prædictionibus non multum interdum abeſſe videantur, &c.* Sed multò clariùs infrà, poſtquam aliquot exempla poſuerat. Attendite Academici:

> *Dum hæc & ſimilia, quorum effectus pendet magnam partem ex voluntate & arbitrio humano, ita audacter prænuntiant, non tantùm Ethnicam illam Aſtrologiam exoſculantur, ſed etiam Chriſtianæ ac eruditæ nitorem ac ſplendorem inquinant & obſcurant.*

Conſiderate, Academici, iſta Gocleniana verba:

> *Pendet magnam partem ex voluntate & arbitrio humano;*

& illa mea:

Sect. 26. Goclen. Lolium.

QUÆ AB HUMANÆ VOLUNTATIS LIBERO ARBITRIO ALIQUA RATIONE PENDENT:
Hæc inquam, conferte, & considerate, & deinde, quod justum censebitis, pronuntiate. Certè minus non potestis, quàm pœnam *Talionis* imponere. Incusetur ergo BOEOTICA ejus INERTIA atque INSCITIA, & acclametur ei undique à pueris Marpurgensibus, sed meritissimè à suis Auditoribus. O JUDICIUM CÆCUM AC BRUTUM!

8. CALUMN. 5. *Quæ de Belicola* DANIELIS *admiscentur* (inquit Gocl.) *putidissima & anilia sunt fabulamenta.* Macte istâ virtute, Gocleni. Patrissas. Historiam à *Daniele Propheta* descriptam de *Idolo Bel*, Calvinus, quantum in se fuit, mordacissimus *Canis (Keleb.)* morsu à cætera divinâ Scriptura præcîdit: petulantissimus *Vitulus, (Kalb)* pedibus vitulabundus conculcavit. Goclenius ejus filiolus, tamquam *Ludio (Gauckler)* linguæ petulantiâ incessit, nesciens, quid dicat, ut qui non sit *sanæ mentis*, ac planè stultulus (*Gecklein*) Metamorphosis Magnetica hos præclaros flosculos produxit. Cedant huic tanto viro Antiqui illi, olim in Ecclesia clari, jam à *Calvino & Goclenio* proscripti, qui historiam illam, ut *divinam & Canonicam*, venerati sunt. Quinam tandem illi? *Irenæus, Clemens Alexand. Origenes, Eusebius, Athanasius, Cyrillus Hierosolym. Basilius, Nazianzenus, Epiphanius, Nyssen. Chrysost. Tertull. Cyprian. Hilarius, Ambros. Hieronym. Augustin. Sulpicius, Eucherius.* Cedant hi, & audiant *Goclenium*, quæ ipsi Divina agnoverunt, *Magnetico & Characteristico* ore, tamquam si de *Olla putida* loquatur, vocantem PUTIDISSIMA & ANILIA FABULAMENTA. Post hanc tuam petulantiam, Rodolphe, scito, nihil satis grave in tuas nugas dici posse. Itaque ne deinceps tam iniquo animo te ferre ostende, quod tua Flavius Typographus vocat *Deliria.* Nimis leve vocabulum est, præut libido illa *Magnetica* linguæ meretur. Sed ponamus hîc modum tuis *Calumniis* memorandis, etsi nullum tu fecisti modum calumniandi; adeò quidem, ut tuo merito tibi vendicare possis illud nobile Elogium:

GOCLENIUS CALUMNIATORUM ALPHA.

Ad alia tui *Lolii* jam transeo.

Manipulus III. STRIBILIGINES.

Græci *Solœcismos* vocant, quos antiqui Latinorum *Stribiligines* dicebant, teste Agellio. Putidum censerem & puerile, ista Goclenio objicere, nisi mihi negotium esset cum DOCTORE-PUERO, qui studiosè videtur in mea Anatome quæsisse, quod hujus generis carperet. Et cùm nil reperiret meum, tamen, ne nihil roderet, unicum *Typographi* lapsum adeò cum plausu notavit, ut rubiginosam suam poësin infelix versificator dormientem excitaret, eâque miseram illam Kakographiam honoraret. Effundit enim hoc propudiosum Distichon, quo etiam se Græculum esse ostendit:

Quis docuit Gryphum te, Doctor, ſcribere? neſcis, Sect. 27.
Quòd pueros γρῖφον *lingua Pelasga docet?* Goclen.
Lolium.

Audiveramus initio Synarthroſeos *Bavium & Mævium.* Jam circa finem audimus SUFFENUM.

Hoc videlicet deerat, ut me Goclenius doceret Orthographiam. Quot inepta vitia Typographica, Gocleni, aut fortè tuo erant in tuo *Tractatu Unguentario*, quæ nunquam mihi in mentem veniret, oſtendere, nedum exaggerare, niſi tu, *tantus puer*, hæc puerilia conſectareris. Sed quando ita vis, age, demus tibi *puero crepundia.* Interea cane illam triſtem Satyrici cantilenam.

————————— Eheu
Quàm temere in nosmet legem ſancimus iniquam!

Unicum accipe ex Tractatu tuo Unguentifico. *Plantas, quæ ad Lunæ modum vertuntur*, vocas *Selinetropias*: nec advertis, eam vocem ſignificare eas plantas verti potiùs ad APIUM, quàm ad *Lunam.* Quàm turpe eſt hoc ignorare, præſertim tibi, qui ſis & Medicus, & *Aſtromaniæ* (non enim Aſtronomiæ) conſultus.

10. STRIBILIGO 1. Synart. *D. Arnoldus à nemine prudente, aut probo fuit notus.* Sunc hîc manifeſtè contra mentem tuam, duæ Negationes pro una. Aſpice *magne puer*, & erubeſce.

STRIBILIGO 2. *Taceo improbas quasdam orationes item ſequentiæ*, Vapula, puer, & alias ſcito ſcribendum, SEQUENTIAS.

STRIBILIGO 3. *Inſcitiam ſuam* TESTATUM *feciſſe.* Orbili, hunc Puerum iterum ad flagrum: & diſcat ſcribere, TESTATAM.

STRIBILIGO 4. *Ex* MORBI *laterali moriturum. Moriantur* virgæ in tergo tuo, donec diſcas connexionem *Adjectivi cum ſubſtantivo.* Hæc ſint tuo febriculoſo *Diſticho Antidoton.*

Manipulus IV. FURTA.

11. Ne vereâre patibulum, Gocleni: loquor de *furtis litterarum & ſcriptorum*, quæ non trahuntur ad judicium ſanguinis. Si puerorum ſunt, plectuntur ulmis, ſi virorum, ſannis. Sed nec hæc tibi objicerem, niſi docendus eſſes, ne tibi officium uſurpes docendi, & carpendi alios, & aliena; qui nec te nec tua explicare poſſis, niſi alienis verbis. Quinetiam iis ipſis tam imperitè uteris & inſulſè, ut cum indignatione miſerationem moveas; cum miſeratione, riſum. Neque facilè homini intelligenti in mentem venire poteſt, quid ſit, quòd *Juſtus Lipſius* tibi poſſimùm placuit, ex quo verba vel ut harpagone in tuas paginas transferres: cùm illo nihil ſit accuratius & concinnius; tuâ autem ſtructurâ nihil magis diſſutum, hiulcum, diſſolutum. Teſtentur *Academici.* Itaque cùm ſic obtorto collo ſententias trahis, planè facis, ac ſi vili & mendico centunculo alicunde ex Regio paludamento

Sect. 26. Goclen. Lolium. damento præcisum aureum textile, cerdonis filo, assuas. Sic risum debes tuis Lectoribus.

FURTUM 1. *Huic an responderem, meritò dubitavi. Et initio* &c. Quid enim tua *furta* integrè exscribam? videat Lector, cui libitum ridere.

FURTUM 2. *Non in rem sunt, sed in opinionem: imò* &c. *O vipera, ô anguis!* tu is es, Gocleni, qui non contentus *sibilare & mordere* tuo ore, mordes & *alieno.*

12. FURTUM 3. *Periculosum hominum genus, quod, quæ communiter,*&c. Tu ejus generis es, à cujus unguib. nec boni viri famam; nec Lipsius libros suos incolumes eruere potest.

FURTUM 4. *Laconismus D. Roberti non improbatur* &c. Mox: *An verò Laconismo erudito usus sit, hoc est, totâ elocutione gravi, brevi, sententiis denso, judiciis sano, occultè ubiq; instruente, actiones, vitamq; dirigente, orationibus, & excursu admirabili, stylumq; firmiter nectente, æquo lectori dijudicandum committo.* Et ego, Gocleni, Academicis, an tu hæc peritè furatus sis, qui tam futiliter iis abutaris, quàm rectè tuus Author usus. Tune rectè à me exigis, in brevissima illa scriptiuncula (quâ Doctrinæ & olidæ tuæ *Ollæ* impietatem quàm succinctissimè damnandam susceperam) exigas, inquam, à me in modica Dissertationis Scholasticæ portione, *Elocutionem gravem, sententiarum densitatem, occultam ubiq; instructionem, Actionem, vitæq; directionem, Orationes* (A Stoa estis Academici, si hæc sine indignatione auditis, à Crassi illius τῦ ἀγελάςυ disciplina, si sine risu) & *Excursus admirabiles?* Tu certè *excursus* habes nimis *ineptè admirabiles.*

FURTUM 5. *Oestro punctus mihi inequitat, atque insultat, quasi omnia ponam nuda &c.* Nugator, cur in tua Synarthrosi non *eduxisti*, quæ ais, me non *educere*? Sed jam concludamus tua *Furta*, (aliis omissis) ut tu Synarthrosin tuam concludis. Concludis enim, ut *furem* decuit, *furto.*

FURTUM 6. Quæ est ultima. *Habes, amice lector, quæ visum mihi respondere. Et spero nihil omissum, quod propriè ad rem faciat. Si quid autem in D. Robertum lusi, aut jeci (quod tamen modicè à me factum) ignoscet, & feret æquo animo lascivus ille provocator, pauca non convitia mea, sed dicta. Bonis cordatisque viris sat me respondisse existimo, atq; etiam ipsi D. Roberto.* Agnoscis, Lector Lipsianam Conclusionem, quæ Mago-Magnetico libro Doctoris *Characteristici* quadrat, ut ignavo lepusculo, aut ridiculo simio, cauda leonis. Porro, quòd ait, se nulla *Convitia in me jecisse*, videbis quàm verè, in Arcu triumphali.

SECTIO

SECTIO XXVIII.

Goclenii Theologia.

Sect. 20. Goclen. Theolog.

1. MONEBAS antè, *rectiùs me facturum fuisse, si intra Metas meæ Vocationis me continuissem.* Ostendi, me id fecisse. At quomodo tu id præstes, frustrà sis, si ostendere aggrediaris. Tune, ut *Theologica*, & quæ *Religionis* sunt, attingere audeas? quid dico, *attingere*! Etiam ea *disputare* vis; etiam totam Catholicam Ecclesiam, uncto ab Olla tua ore, novus Rhadamantus damnas. Si deerat prudentia & modestia, at certè mutuam sumeres, si non aliunde, ab homine impio, qui & impios deos, & sacra impia reverenter habet.

Tu, genitor, cape sacra manu, patriosq́ Penates;
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero ——————

Et tu Scripturam Divinam, Religionem Catholicam, Ecclesiæ Ritus, & mores audes attrectare, vix digressus à pingendis *Tartareis Characteribus*, à *carnificino Unguento* componendo? Et ego ad hæc tibi respondeam? Tum profectò dignus sim, qui nunquam honestiùs intra Disputationis Circum cum ullo componar. Cur non consuluisti Theologiæ Professores, Doctor Magnetice? dixissent tibi, hæc omnia, quæ inconsultè garris, millies à Catholicis Doctoribus explicata fuisse: atque adeo solum *Bellarminum* pridem tuorum congerronum blasphema ora conclusisse, ut nihil ultrà esset, quod mutirent, excepto, quòd eadem ad extremam nauseam usque & usque oggannìant. Sed fingamus, nihil hactenus fuisse responsum. An dignum est, responderi *Myropœo* de rebis Divinis, & quidem occasione *Ollæ Canidianæ*? Apage. Clamabis, diffidentiam esse. Dico ego, tuam esse petulantiam. Ut rectiùs?

2. *Sed si tantus amor menti, si tanta libido est,*

elige tibi quemvis ex tua Academia, & is eligat sibi quodvis Dogma aut Ritum ex iis, quæ tu aut tui Ecclesiæ Romanæ objicitis, & contrà afferat unum è sacra Scriptura, unicum, inquam, locum, sed clarum, apertum, &, ut Scholæ vocant, FORMALEM; bonâ fide tibi illique Disputatori polliceor, me sine morâ ad *Calvini* partes transiturum. Non est hoc modicum. Neque tui conditionem rejicere possunt, cùm sciant, *Calvinum* cæterosq; *Reformatores* initio professos esse, non nisi ad sacræ Scripturæ normam, Ecclesiæ *Romanæ* errores, correcturos.

3. Interea, ne queraris, nimis contemtim à me tecum agi, tibi quoque aliquid respondebo, quod, ne displicere possit, dabo operam, ut sit

Sect. 28. Goclen. Theol. tibi domesticum, id est, vel ex *libro tuo*, vel ex *Patria tua*.

Ex tuo libro accipe hæc duo. Prius Synarth. inter *Idololatriæ* exempla tibi ponitur *Sanctorum invocatio*. At eam probas eodem libro, sic loqueris: *Sacratior erat illa Magiæ species quæ Theurgia dicitur Græcis, imploratio scilicet per sacrosancta nomina, & precationes Angelorum Spirituum, qui veri unius Dei operum sunt Nuntii & executores*. Paulò pòst: *Hujus Moysen & Salomonem, ut unius veri Dei cultores, peritos fuisse non est dubium* &c. Item in Tract. Ung. Moysen & Salomonem iterum eo nomine laudas, & addis hæc: *Non quidem superstitiosâ dæmonum magiâ, sed eâ, quæ per sacrosancta nomina & precationes Angelorumq́; bonorum implorationem perficiebatur, &c.* Hoc referri etiam poterat inter tuas *Antilogias*.

4. Posterius, quod ex tuo tibi libro respondeo, illud est. *Religiosos* homines per odii acerbitatem vocas *cucullatos Fratres*. & ringeris, *vestes sacras Crucifixi imaginem* habentes. Meminerásne, cum hæc scriberes, ex iis, quib. Synarth. tuam dedicâsti, primo loco à te poni R. Nob. & Magnificum virum, Inclytæ Ballaviæ Hassiacæ, *ordinisq́; Teutonici* Marpurgensis *Commendatorem?* Scisne, *Ordines* istos *sacros*, rem esse merè *Catholicam Romanam*, à *Papa Romano* vel ortam, vel confirmatam? Et, quod propriè ad *Teutonicum ordinem* attinet, quia video te ignorare, scito, *Rogatu Henrici V. Imp. à Celestino III. Papa confirmatum*: *Ab eodem Papa Teutonicis attributam esse Vestem albam, cum Cruce nigra*. Ride jam *Cruces in vestibus*, impie Porphyrii nepos. Item, Ab eodem *Papa Teutonicos subjectos fuisse Regulæ S. Augustini*. Rite jam *Cucullatos*. Scito præterea, Initium *Ordini Teutonicorum* datum *Jerosolymis in Ecclesia & hospitali S. Mariæ*, quam indignaris *coli* à Catholicis & *Magnetico* mendacio fingis, *Deo* ipsi *planè comparari*. Ampliùs scito, *Teutonicos* postea addidisse *Cruci nigræ Rosarium*, *quo Crux coronabatur*. Totum hoc *honorem* spectabat *Deiparæ*, cujus, tu, *Tartarei Serpentis semen, Calcaneo insidiaris*. Hinc vocati aliquando *Mariani* & *Crucigeri*, Iidem Prussiam & in suam potestatem redegerunt, &, quod majus, Christi jugo subjecerunt, sed *authoritate Gregorii Noni Papæ*. Ex his pleraque invenies apud *Münsterum*, qui rationem suam his verbis concludit, tibi tuiq; similibus valdè jucundis: *Mandavit etiam Papa omnibus Teutonicis fratribus ut ad remissionem peccatorum suorum vindicarent grandem contumeliam, quam Ethnici Christianis fecerant*. Hactenus ex tuo *libr.* & ad tuum *libr.*

5. Jam ex *Patria* tua quid à me expectas? Nisi penitùs puer es, & hospes in Historia Hassiaca, ignorare non potes, totam Hassiam, aliquot annorum centuriis, *Catholicam* fuisse, & sub *Romani Pontificis, tanquam supremi Pastoris, authoritate* Sed hoc nimis amplum. Scire quoque te necesse est, *Hassiæ principes*, eâdem Religione sectandâ, fuisse nobiles atque inclytos. Hoc quoq; tam latè patet, ut animus non sit, hac quidem vice, te hinc ur-

gere.

gere. Unum eſt, quod tuis blaſphemiis opponam, & quo impurum tuum os obruam. Münſterus, quem antè memoravi, cùm *Genealogiam Dynaſtarum Haſſiæ* texeret, altiùs rem arceſſere noluit, quàm à *S. Elizabetha, Regis Ungariæ filia.* Ego certè, ut ſcio, multò altius aſcendi poſſe, ita aſſero, hanc *Heroinam Haſſiæ* fuiſſe præcipuum decus, gloriam, &, ut ſic dicam, Aurum & Gemmam. Mitto alia. *Sanctitas* & *Pietas* omitti non poſſunt, quæ, an rectè hoc loco referantur, examinabis, & judicabis, ut voles. *Sect. 38. Goc. Theologia.*

Scribis ea, quæ ex diametro pugnant cum *Fide* & *Moribus* hujus Principis. Tuas blaſphemias ſigillatim recenſere non eſt conſilium, ne aërem terrâ peſte inficiant, & Chriſtianas aures offendant. Sed ex iis, quæ obiter & ſine exaggeratione de S. Elizabetha afferam, ſatis intelligetur, quid hoſtem ejus juratum, *Hæreticum & Magum* ſcripſiſſe ſit credibile.

Vitam hujus ſanctæ ſcripſit *Theodoricus Turingus* Ordin. Prædicatorum Monachus, ex quo hauſi, quæ ſcribo. Ac primùm, ut de tempore conſtet, Nata eſt Regia hæc Heroina anno Chriſtiano 1207. obiit 1231. annos nata non ampliùs 24. Tam paucis annis, partim tenella virguncula, partim in Conjugio Ludovici Landgravii Turingiæ, Principis Haſſiæ, partim in Viduitate, admirabilia ſunt, quæ mundo oſtendit virtutũ exempla. Ego hæc pauca notavi, quæ blaſphemus Goclenius pro ſuperſtitionibus habet.

6. 1. S. Johannem Evangeliſtam ſibi, *Patronum* elegit, & ſingulari cultu & veneratione proſecuta eſt: idq; potiſſimùm propter ſancti illius *Caſtitatẽ*.

2. Delicatam carnem voluntariis pœnis domabat, atque adeò non modo *Cilicio* premebat; ſed & *verberibus* & *plagis lacerabat*.

3. Id potiſſimùm factitabat in *Quadrageſima*, quo tempore ad *Jejunia* addebat *verbera*.

4. In Paraſceve ſingula *Altaria* obibat ſupplicabunda, & quidem *nudis pedibus*.

5. Diebus *Rogationum Crucem* & *Reliquias* devotè ſequebatur, itidem *nudis pedibus*.

6. *Reliquias candelis ardentibus* & *Thure* venerabatur.

7. Nummos offerebat ad *Altare*.

8. *Miſſam* ſummâ pietate quotidie audiens, in ea ſolebat *Ornatum* deponere.

9. In *Miſſa*, tempore *Conſecrationis*, aliquando divitus *Cœleſti luce* circumfuſa fuit.

10. Item in *Miſſa*, divinâ *viſione & revelatione* dignata eſt.

11. *Crucifixi imaginis* aſpectu ſic afficiebatur, ut eam intuens, animi *deliquium* aliquando paſſa ſit.

12. *Exequiis* mortuorum lubens intererat, & pro iis *orabat*. Quid de *Purgatorio* dicam: Dicat Author ſuis verbis,

13. Ma-

Sect. 28. Goclen. Theolog.

13. *Mater quoque ejus* (Elizabethæ) *jam dudum miserabiliter ab Ungariis interemta, in somnis ei apparens flexis genib. dixit: Mi dilecta filia, ora pro doloribus meis, quos adhuc patior, quia negligenter vixi: Potes enim. Evigilans Elizabeth, surgit cum fletu, oravit devotè, & iterum obdormivit. Adest mater denuò, & gratias agens, se asseruit liberatam; dicens, orationem ejus cunctis eam invocantibus profuturam.*

14. *Confeßionis*, & *Eucharistiæ sacramenta* sedula obibat.

15. *Miracula*, quæ plurima Elizabetha patravit, Greg. 9. *Papa*, *ritè examinari curavit.*

16. Idem *Papa* eam *Canonizavit*, *Dans illi nomen grande*, inquit Author, *juxta nomen Magnorum, qui sunt in cœlis, &c.*

17. Atque hæc de Elizabetha. Quid ejus Maritus, *Princeps Ludovicus?* Multum omnino profecit, magnas in virtute Christiana progressiones fecit, tam illustrib. talis Conjugis exemplis. Erat Elizabethæ pietati non modò *fautor*, sed & *adjutor*. Hoc illi proprium, favente vicissim Uxore. Verba Authoris: *Factum est tandem anno 1227. generale Passagium ad terram Sanctam, in quo etiam Fridericus Romanus Imperator transfretavit. De mandato quippe Pontificis summi prædicabatur Crux in subsidium sanctæ Terræ. Tunc multi Archiepiscopi, Episcopi, Principes, aliiq; Christi fideles, zelo fidei contra inimicos Christi accensi, Cruce ipsius signati sunt, &c.*

Tum de *Ludovico Landgravio* subjungit: *Habito cum venerabili Patre, D. Conrado Hildensemensi Episcopo, maturo consilio, ab eodem Cruce signatus est in nomine Jesu Christi, signum quod acceperat, vestimento, ut moris est* (attende iterum, Profane Mome, *Cruces in vestibus*) *mox non affixit, ne Uxor, quæ eum tenerrimo diligebat affectu, hoc aspiciens, de futura ejus absentia, anxia turbaretur, &c.*

Hoc tam pium talium Principum par, si ut *Superstitiosos & Idololatras* damnaveris, Gocleni, lubens eandem cum illis sententiam subibo. At profiteor, sicut mihi exploratè constat, non posse te (nisi hæreses tuas & Magiam detesteris) ejusdem felicitatis cum illis Societate conjungi, ita certum mihi esse, nemini periculum esse, ab illa beatitudine excidendi, qui iisdem fide & moribus adhæserit. Sed hæc jam satis ridicula *Unguentarii Theologia.*

SECTIO

SECTIO XXIX.

Sectio 29. Arcus Triumph. Golc.

Arcus Triumphalis Goclenio positus.

CUm toto tuo libro mendicus sis, Gocleni, & Iro pauperior, unâ tamen re planè *Triumphas, Convitiis.* Meum est, id non dissimulare; ne, vel stupore præpeditus, non videar animadvertisse; vel, invidiâ stimulante, siluisse.

Igitur, quod in me est, decerno tibi *Triumphum* quàm amplissimum, qui ne nimis properè transeat, adjungendum duxi *Arcum Triumphalem*, æternum *Convitiatrici linguæ, & calamo* tuo *Monumentum.* Solent id genus *Arcubus* inscribi *res gestæ* Triumphantis. Mihi sat erit, inscribere aliquot præcipua Linguæ tuæ *Convitia* jacta in *Ecclesiam Catholicam, Societatem* Jesu, alios quoscunque ab olla tua abhorrentes: atque adeo in ipsam *Scripturam divinitus inspiratam.*

Hæsi, an *Arcum* aliquem hìc pingendum curarem. Sed ne à te hoc hausisse viderer, ut *Characteres* aut *Typos* sculperem, judicavi, sat esse, si verbis depingam. Itaque finge esse altrinsecus duas *Bases*, quarum altera sit *Magia*, altera *Hæresis.* Priori incumbant duæ Columellæ, *Vanitas* & *Pertinacia.* Jam *Epistylio* utrimque *columellis* imposito, superimpositus utrimque *Arcus* cubitalibus literis hanc præferat *Inscriptionem*:

SIC ITUR AD ANTRA.

Interstitia verò *columellarum* habeant & ipsa ornatus & eruditionis causâ, sua *Apophthegmata*, ex *Goclenii* humanissimis scriptis depromta. Atque ex altera quidem parte obliquè, tanquam pampini aut hederæ folia, saxum lambant hæc: *Virulentus Momi morsus. Bœotica, & crassa ingenii Minerva. Rabiosè allatrat. Putidissima & anilia fabulamenta. Impudentiæ supercilium. Judicium cæcum & brutum.* Et altero verò hæc: *Impura Babylonica meretrix. Putidæ carnalis prudentiæ lacunæ. Apostaticarum inventionum abominationes. Stygiis undis digna. Impudenter malitiosus.* Hæc ferè Arcus structura & ornatus esto:

Ut verò constet, cujus honori erectus sit, supernè in Tabella hæc addatur

Sectio 29. Arcus Triumph. Gocl.

INSCRIPTIO.

CALUMNIÆ ET IMPUDENTIÆ S.

ROD. GOCLENIO. CHARACTERISTICO. MAX. MAGNETICO. MAX. UNGUENTARIO. MAX. SACRÆ. SCRIPTURÆ. MOMO. AUDACISS. ECCLESIÆ. PERDUELL. PERFIDISS. SOCIETATIS. JESU. CALUMNIATORI. MORDACISS. HEAVTONTIMORUMENO. STOLIDISSIMO.

OB. ASSERTOS. STYGIOS. CHARACTERES. ET IMPRÆGNATAM. PATIBULARIO. UNGUENTO. ET. TARTAREIS. MAGNETISMIS. OLLAM. POS.

Cùm mihi in mentem venit, quàm audacter negaveris, quod erat meridianâ luce clarius, Gocleni, videlicet, te *Characterum Magicorum fuisse assertorem*; facilè adducor, ut credam, te hic quoque tergiversaturum ac negaturum, te horum quicquam scripsisse, quibus in hoc Arcu triumphas. Sed frustrà. Nam quantumvis te opponas,

Stat contrà, dicitq́ tibi tua PAGINA, Falsum est.

Ut Lectori satisfiat, tria illa, quæ tibi Tabella objicit, singula singulis exemplis confirmo. Dicit Tabella te

SACRÆ SCRIPURÆ MOMUM
audacissimum.

Quid poterat ipse *Momus* audacius in eam dixisse, quàm dixisti, cùm *Danielis Prophetæ Historiam* sacrosanctam vocâsti *Putidissima & Anilia Fabulamenta?* Ait Tabella te

SANCTÆ ECCLESIÆ PERDUELLEM
perfidissimum.

An non talis es, qui ejus *Charactere*, in Baptismate signatus, non tantùm per infame transfugium eam deseruisti, sed & cornua hæretica in eam tollis,

tollis, & *linguam acuis instar serpentis*, dum illam appellas *impuram Babylonicam meretricem?* Objicit adhuc tibi Tabella veridica, te esse Sect. 27. Goclen. Lolium.

SOCIETATIS JESU CALUMNIATOREM mordacissimum.

Nega, si potes, qui eam voces *Ghesuitas & Cucullatos Fratres*. Taceo tot alia, præsertim in me jacta, qui ea contemno, ut debeo, tanquam dicta ab homine, qui solidè probat, & victor mundo persuadet, se esse *Non Sanæ Mentis*. Talem *victorem decet talis Triumphus*.

VIVAT TRIUMPHATOR GOCLENIUS.

SECTIO XXX.

PSEUDO-ALCHYMISTÆ.

1. MEmini, me suprà & *Alchymistarum* & *Pseudo-Alchymistarum* meminisse. Profiteor me nullam scientiam odisse, quæ vera & honesta scientia sit, etiamsi illam ignorem. Neque sequor illud vulgatum, *Scientia non habet osorem, nisi ignorantem*. Possum laudare & amare, quæ ignoro. Itaque cùm *Pseudo-Alchymistas* tango, de illis loquor, qui meritò ita dicuntur, quòd longè egrediantur extra fines veræ & honestæ Alchymiæ, & *declinant post Vana*, ut Scriptura loquitur. denique ea tractant, & eo modo, quæ nemo probet, nisi aut improbus, aut fanaticus, aut deceptus. Nidis generalia hæc sunt. Distinctius, Lector, accipe, ne obscurè dici queraris, quod tam breviter sit dictum.

2. ALCHYMISTÆ *veri & honesti* non nisi *vera & honesta* tractant, & docent, quæ faciliùs ipsi dicent, quàm ego. Negari non potest, *Ignis* ministerio multa *fieri*, *aptari*, *purgari* ad usus humanos, ejusque rei Artem aliquam, aut scientiam esse posse. Credo ego etiam esse. Qui hanc callent, suo jure *distillent*, *purgent*, *subliment*, *extrahant*, *calcinent*, *pingant*, *colorent*: modo omnia hæc, & quæ alia naturalia & legitima sunt, sine fraude & dolo malo.

An & *Aurum Argentumve* producant? Si queant, non equidem invideo. Si hoc ipsum à me quæris, An possint? Equidem disputationem istam non ingrediar. Multi eam agitârunt, quos cõsulet, qui volet. Res est extra meum Argumentum. Unum tamen hoc addam velut in transcursu, quod Goclenius reliquique *Calvinistæ* meritò magni faciant, ut ab insigni *Dynastæ Calvinistæ* profectum. Sententia est Domini de la Nouë (Discursu 23.) *Eos, qui sic Aurum producere tentant, perinde agere, ac si pro arbitrio suo efficere velint, ut descendat Manna de Cœlo.* Sed ego, ut dixi, ista, tanquam aliena, missa facio. Censeantur sanè isti, si ita videtur, inter *veros & legitimos Alchymistas*.

Sect. 30. Pseudo Alchym.

3. At verò quos Adulterinos & *Pseudo-Alchymistas* censeam, brevissimis aliquot Propositionibus & quasi Aphorismis indicabo. Nam, etsi latissimus est ad scribendum campus, meum tamen est, inter limites me meos continere: neque aliud modo ago, quam ut ostendam, me non alios tetigisse aut intellexisse *Alchymistas*, quàm quos modò hîc describam. Ergo

Pseudo-Alchymistæ mihi sunt, Quibus est Diabolus in Alchymia. Stupes, Candide Lector? Atqui scito, hæc ipsa totidem esse verba *Bombasti Paracelsi* in primo Manuali, edito Basileæ anno 1582. p. 284. De sensu non laboro: verba clara accipio, & appendo.

Qui toti sunt in ASTROMANIA, ut supra Goclenium vidimus.

Qui CHARACTERUM falsam & planè ridiculam infantiam sequuntur: quorum meus Goclenius suo jure *Pontificatum magnum* sibi petat.

Qui per Alchymiam homines INVISIBILES conantur reddere. Quæ vanitas, si quando succedit, à Diabolo est, *Pseudo-Alchymiæ* Authore. Nec ego fingo, tales esse. Testis *Bombastus* in Manuali secundo, pag. 407. Simile quid de meo *Goclenio* indicat mea Anat. § 14.

4. Qui, CURIOSITATE provecti, se volentes, scientes, miserabiliter præcipitant in manifestissimum periculum deceptionis Diabolicæ. Hinc ferè Venefici & Veneficæ. Hinc impia illa Paracelsi doctrina, quam suprà vidimus, & stupuimus. Hinc ausus dicere *Bodinus, Alchymistas ordinariè agere cum Diabolo*, quod ego non nisi de *Pseudo-Alchymistis* credo. Tales, *Insanos Alchymistas* vocat *Paracelsus* (de Lunaticis p. 132.) ipse *Insanissimus*, Hi sunt *dedecora* Medicinæ & Medicorum, qui, cùm *naturali & ordinaria via* nihil in ea arte expedire possint ad *Magiæ & Cacodæmonis* opem confugiunt. Huc pertinet (si quicquam aliud) *Olla Gocleniana*, quæ, vulneri sanando comparata, illud relinquit, & *ferro*, aut *stipiti saligno* se impendit. Audeo dicere, hos tales, DEO vivo & vero relicto, sacrificare Diabolo, ac in illos quadrare illud Sapientis, DEUM alloquentis (Sap. 12. 4.) *Quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant, per medicamina & sacrificia injusta.* Subjungit mox *Commestores viscerum hominum* & *devoratores sanguinis.* Audiat hæc Goclenius. Si ipse nec *comedit*, nec *devorat*, ejus OLLA utrumque præstat.

Qui VERBIS plurimum tribuunt, quantumvis vanissimis. Vide Sect. 13. de Burggravio. Qua in re illud prorsus intolerabile est, quod ii ut plurimùm *suis verbis* admirandam virtutem affingunt, qui *Christi verbis, in sanctis Ecclesiæ Sacramentis*, omnem virtutem derogant; ut sunt maximè *Calvinistæ*. Antiqua hæc insania est, quam insanit Autolycus apud Homerum, dum *verbo* sistit sanguinem. (ὀδυσ. τ.) Et tamen isti ipsi sunt, qui Catholicæ Ecclesiæ eam calumniam inferunt. Sic omnium Patriarcha *Calvinus*, scribens in Epist. ad Philipp. (c. 2. v 10.) *Plusquam ridiculi sunt*

Sorbo-

Sorbonici Sophistæ, qui ex præsenti loco, Ut in nomine JESU *omne genu flectatur, genu flectendum esse colligunt, quoties nomen* JESU *pronunciatur, quasi vox esset* MAGICA, *quæ totam in sono vim haberet inclusam.* Insanis. Calvine, nemo id Catholicus cogitavit. Posses eadem ratione pro *sophista* habere *Apostolum*, dum scribit ad Discipulum dilectum (1. Tim. 4. 5.) *Creaturam Dei sanctificari per verbum Dei, & orationem* ἁγιάζεται, διὰ λόγου θεοῦ. Hæc ipsi *Calvinistæ Interpretes* & Latinè & Gallicè eodem sensu vertunt. *Sect. 30. Pseudo-Alchym.*

5. QUI PHANTASIÆ & IMAGINATIONI vim ascribunt mirabilia operandi *extra imaginantis corpus* ut *Burggravius*, & *Goclenius*, Unguentarii Tract. ubi habet hæc verba, irrisione digna: *Nec tamen dubium, Phantasiam Patientis plurimùm hic habere momenti, tum ad balsamicam in sanguine existentem virtutem, à telo medicato attrahendam; dirigendamq́ ad partem affectam & læsam, &c.* Hac stultitiâ sanæ Philosophiæ nihil videri potest stultius.

QUI CHIROMANTIAM probant, artem, non nisi stolidis aut impiis probatam. In his est Goclenius, Synart.

QUI SIBIIPSIS plurimum, scientiæque suæ tribuunt, & interea alios pro stipibus fungis, *Bœoticis pecoribus* habent, probatasq; tot seculis Orbi terrarum scientias pseudochymistico naso suspendunt. Philosophos alius vocat *scholasticarum gerrarum crepitacula* & *Naturæ plagiarios*: Goclenius dicit *sensuales, &c.*

DENIQUE, QUI, cùm sint *Medici*, & nihil ampliùs; aut sæpe tantum Medicorum ineptæ *simiæ*, nihilominus THEOLOGOS agunt, & audacissimè *Sacram Scripturam* ad suas vanissimas nugas detorquent. In quò, si usquam alibi, stolidos & fanaticos se ostendunt. Quis æquo animo ferat *Paracelsum*, hominem, qui nec latinè nôrat, & THEOLOGUM vocari, & Opera scribere, quæ *Theologica*, si DEO placet, dicantur, & *dogmata nova comminisci*, non modò in Medicina, sed & in THEOLOGIA, ac deinde concludere, *Nihil curandum, quicquid dicant Theologi?* Noluit hac in parte suis deesse partibus, *Goclenius*, qui *Mago-Chymico-Theologum* ridiculè agit in Tract. Ung. & *Moysi* suas nugas affingit: negatque *explicari posse suas Copulationes ex Philosophia Communi.* Planè, Gocleni, tu propriam comminisceris, ut te explices.

6. Extant Tabulæ aliquot in æs incisæ, & in orbem circinnatæ, quibus singulis inscribitur, *N. N. Theosophiæ amor & Medicæ Doctor, Dei gratia inventor.* Ipsa inscriptio Regum & Principum majestatem, & morem æmulatur. Quid mirum? Scripturam ipsam, tamquam novus *Sacrorum Rex*, pro arbitrio exponit, hic Theosophiæ amator *historicè, moraliter, tropologicè, anagogicè, physicè, typicè*, CABALICE, THEOSOPHICE. Porrò *Naturam* tractat, *Theosophicè, Physicè, Physicomedicè, Physicochemicè, Physicomagicè, Hyperphysicamagicè, Cabalicè.*

Sectio 30. Pseudo-Alchym.

Atque hæc omnia tam admiranda profitetur iste Regulus se *audire videre*, *observare*, *secundùm animam*, *in mentis Deo juncta*, *aut luce divinâ illuminatæ speculo*, *idq́, tam dormiendo*, *quàm vigilando*, *&c.* Voluminis res sit, *dormitatoris* hujus somnia omnia referre. Unum exempli causâ pono. Scis, Lector, Alchymistas præcipuam in eo operam ponere, ut *Lapidem Philosophorum* inveniant, cujus modicâ aspergine Metalla in Aurum protinus mutentur. De hoc Lapide est Discursus ille vicesimus tertius Domini de la Noüe. Hunc igitur LAPIDEM, quà potest, explicans noster somniator quærit, *Quid est Lapis Philosophorum ?* & respondet sibi, *Lapis Philosophorum est* RUACH ELOHIM, *qui incubabat aquis*, *Genesis 1. Ruach Elohim*, si Hebraicè ignoras, est, *Spiritus Domini.* Sic iste planè HYPERMAGICE explicat *Scripturam.* Sed sinamus illum *somniare.*

7. Blandiuntur sibi tales, quòd *Orationi* se dedant. Sed non est DEUS orandus, ut *vanitati & impietati* se impendat. Eidem Domino de la Noüe quidam hujus farinæ ajebat, à DEO *lumen per Orationem petendum*, *quo in tenebris Alchymisticis veritas inspiciatur*, *& Lapis Philosophicus reperiatur.* Sed sapienter sanè Dynasta ille respondit, *Mirum sibi videri*, *velle illum vim inferre Naturæ*, *& Dei Ordinem humanis desideriis subjicere.* Jam spero, *veros honestosq́, Alchymistas* non habituros, quòd mihi succenseant. Illos tangere mihi in mentem non venit. Quos tetigi, jam tibi, Candide Lector, compendio descripsi.

SECTIO XXXI.

Rhodus & Saltus Rodolpho Goclenio.

VT aliquando concludam, Gocleni (nam jam mihi tua *Olla* nimiùm fœtet) Provoco te in Arenam, quam nec honestè recusare potes, si tibi vis constare in tua Myropœia; nec tutò admittere; quia nimis clarè stat à me *veritas*, à te *vanitas*. Scio, te negaturum, quæ tua insignis pertinacia est, Sed, *En Rhodus*, *en Saltus.* Vide has *Propositiones*, quas, non ostentationis causâ affero, sed tam *bonæ causæ fiduciâ* contra quemvis paratus sum defendere, tolerabiliores esse, etsi falsæ & vanæ sunt, quàm sit tua *Unguentaria* & pinguis Assertio. Ne autem in singulis cum fastidio repetantur eadem, semel dico, me in singulis mihi sumturum, quæ tu tibi sumis præsidia & adjumenta, ut *Sympathiam*, *Phantasiam*, *Animam Mundi*, *spiritum universi*; & quæ alia sunt tuarum vanitatum.

1. PROPOSITIO. *Canidia, unguento suo delibuta, ad tripudii solemnis locum, nocturna, per aërem transvehitur, merè naturaliter, & sine ulla impietate.*

Falsa propositio, & impia. Sed facilius Canidia se tueatur, quàm Goclenius. Unica hæc ratio sufficiat, quòd Canidia CORPUS est. Atqui *Corpora* quidem scimus sine impietate sæpè ferri per aërem, aliquo tandem modo

(nam

(nam & Sagittæ excutiuntur, & lapides jaciuntur, & vapores adducuntur, aves pennis librantur) at *Qualitates separatas*, cujusmodi est illa Goclenii, nullo modo. *Sect. 31. Rhodus Salt. Goc.*

II. Prop. *Ignis Marpurgi à Goclenio excitatus, exurere potest, & debet pulverem tormentarium, quem Turcarum Imperator asservat in Armamentario Constantinopolitano.*

Ridicula Propositio. Sed minùs improbanda, quàm *Unguentaria Goclenii.* Nam primùm de Vi Ignis violentissima omnibus constat. Goclenii Unguentum nuper excogitatum est. Deinde *Antipathia* Ignis & Pulveris nota est, & rabies illius in hunc. Neque *spatium* interjectum obstabit, cùm Vis ignis deduci possit à *spiritu Vectore*, & impelli à Goclenii *Phantasia*. Scio, has esse nugas, sed quæ faciliùs hic valeant, quàm in *Curatione* fictitiâ *Unguenti Armarii.*

III. Prop. *Goclenius Marpurgi acriter esuriens, satiari potest per Actionem Magneticam, dapibus, quæ inferuntur mensæ Magni Cham, Tartarorum Principis.*

Utile inventum, & tot pauperibus mirè profuturum. Sed, heu dolor! figmentum est: *Magnetismus* ille, est *Goclenismus*. At ineptius figmentum est illud Ollare. Nam in illo, constat, ingentem esse latrantis stomachi appetitum & impetum in quemvis cibum probum: constat etiam, *Phantasiam* Goclenii, maximè in tanto discrimine operari. Denique *Anima mundi & spiritus Universi* in ea necessitate deesse non potest. At, Ollam nihil horum habere constat.

IV. Prop. *In Suecia Goclenii intimus amicus plusculum se invitat, & florem Liberi invergit. Goclenius, vel ad fornaces suas sufflabundus æstuans, vel circa Ollam Unguentariam satagens, illâ amici potatione Marpurgi inebriatur.*

Absit, ut hoc credam, Gocleni. Sed minùs credo *saligna virgulâ*, inunctâ Marpurgi, sanari in Suecia amici tui vulnus. An audeas negare, majorem te inter & antiquum amicum esse cognationem, quàm inter eundem amicum & *stipitem?*

V. Prop. *Idem amicus Suecus, in rixa, fustuario excipitur. Ad singulos ictus Marpurgi graviter dolens, tamquam lumbifragium passus, ejulat Goclenius.*

Nugæ maximæ. Sed majores in *Olla*. Ratio eadem, quæ proximè data. Et meminisse oportet, *si Telum obligatum frigori exponatur, in vulnere longè remoto, excitari dolorem.*

VI. Prop. *Bello in Turcas excitato, potest Goclenius sic instruere Milites; ut in Hassia hærentes, gravi Antipathiâ & odii impetu acti, omnes hostes, non procul Constantinopoli castrametatos, occisione occidant.* Hoc si potest Goclenius, malè certè de Cæsare meretur, & toto imperio, qui tantam pestem in nos grassari sinat. Non potest, multò minùs *Ollare Miraculum* ab eo

patrari

Sect. 31. Rhodus Salt. Goc. patrari posse credimus. Nam, ut alia sileam, certè *Animam Mundi*, & *Spiritum Universi* magis decet, tanta in re, suam navare operam, quàm circa patibula & Ollas occupari.

VII. Propos. *Duodecim sigilla Arnoldi Villanovani (de quib. Goclenius, Synart. & ego suprà, sect. 7.) sine superstitione usurpari possunt, & certò præstant, quæ Villanovanus in iis pollicetur*

Impium effatum. Sed *Olla Goclenii* majore impietate fœtet. Sigilla enim Villanovana, etsi vana, speciem tamen habere videri possunt Pietas, quòd *sacra verba* adhibeant, quæ aliis in rebus constat, non carere suâ efficaciâ. At *Olla tota prophana est*.

Sed jam aliquando Manum De Tabula. Finem, inquam, facio, si tamen his septem Propositionibus confirmandis, descripsero Goclenii mei *Axioma tertium*, in hæc verba: *Omnis Res seu Individuum, cùm incipit esse, sub determinata Constellatione, accipit mirabilem quandam virtutem operandi vel patiendi, præter eam, quam habet à specie* (Synart.) Addo partem *Axiomatis Octavi*: *Virtus Animæ Mundi per spiritum universi dilatatur per omnia, ita ut ne minimum etiam, quod in rerum Natura reperitur, spiritus hujus scintillâ careat.* Hæc duo tua Dogmata, Gocleni, quæcunque falsis illis Propositionibus continentur, Te quoque Judice, æquant tuæ Ollæ, quod attinet ad Mirabilem aut Patiendi Virtutem. At rationes, quas singulis addidi, etiam superare ostendunt. Id volebam. Sed, ut dixi, jam Manum De Tabula.

Restat, D. Gocleni, ut Veritatem amplectaris, quam non potes non agnoscere. Ollam tuam suadeo, consecres *Vulcano aut Neptuno*, id est, Igni corrumpas, vel in aquam demergas. Alia sunt, quibus utiliùs occuperis. Si tamen doles, tibi perire sumtus, quos in illam inaniter profudisti.

UTILIS UNGENDIS AXIBUS ESSE POTEST.

CONSOLATIO AD GOCLENIUM ex Epicteto.

Ἂν χύτραν στέργῃς, μέμνησο, ὅτι χύτραν στέργεις.
Κατεαγείσης γὰρ αὐτῆς, οὐ ταραχθήσῃ.

Si Ollam diligis, memento, te Ollam diligere: eâ enim confractâ, non turbaberis.

JOAN.

JOAN. BAPT. HELMONTII,

De Mag. vulnerum curatione.

DISPUTATIO.

Contra opinionem D. Joan. Roberti, Presbyteri de Societate Jesu, Doctoris Theologi, in brevi suâ anatome sub censura specie exaratam.

DISPUTATIO.

An vulneris, non applicato unguento; ſed telo cruento quod ſauciavit dumtaxat oblito ſanatio inſtituatur legitima & naturalis.

CONTRA.

Opinionem D. Joan. Roberti, Presbyteri de Societate Jeſu, Doctoris Theologi, in brevi ſua anatome ſub cenſuræ ſpecie exaratam.

OPERA.

Joannis Bapt. ab Helmont, Medici pyrotechnici Belgæ, Qui nedum refutantis vices gerit ubique: ſed & docentis more, ratione poſitivâ ſuæ, exemplis lucidata veriſsimis, comprobat, Rhetoricis, Logicis præterea ſingula membra, Phyſicis, Metaphyſicis, ac Magicis argumentis, roborat firmiſsime, à ſacra pagina nequicquam alienis.

TYPOGRAPHUS Lectori S.

CEdo quid valet Organiſta utcunque artificiosè pulſitet, ſi follium flatore deſtitutus ſit? ecquid demum depromet laude dignum ventorum diſpenſator, qui modulatorem muſicum non habuerit? uterque ſanè absque utroq; concentum nullum dederit, etſi impari ſtudio ad harmoniam concurrat. Impari etiam licet ſorte vivamus, quotquot ſumus, bonorum tamen omnium unica chelys, & eadem fuit conſpiratio, ſemper in bonum & iſtud quidem communicabile authores, calamo munus iſtud complent; nos prelo. Idem ſcopus utrorumque quamquam diſpar artificium. Quinam etenim auctor quiſpiam, nominis celebritatem, ſtudiorumque ſuorum metam apud poſteros attingat, qui Typographum nactus non ſit? Et quorſum viciſſim erit labor noſter, ſi apud gravidas doctrina mentes, ſcribendi vena ſterileſcat? Quæ eò libentiùs tecum inculcavi, benigne Lector, ut quorundam ſcribentium fortunam ingratam, commiſerante animo mecum penſitaveris ſeriò. Equidem à duobus hinc fere annis contigit me vidiſſe libellum quendam, manibus amicis oberrantem, authore hactenus incognito, ſcriptum quidem, at nondum evulgatum, ſed iniquo caſu ſuppreſſum: nam medicus ille Vulcanius, Helmontius, libri author, necdum, quod ſciam, enotuit. At miror inſigniter tantum hominis ſcriptum, ſub tantulo volumine, & tam indignam ejus ſortem, ſub tam heroïco hoſpitari animo.

Quid ago? exſcribo mox igitur, quam potui fidiſſimè, authoris hocce monumentum: Dein per totam ferè Europam, ſedulus inquiro, an venale extet uſpiam: ac tandem, ſub latioris patientiæ mora, de eò nequicquam audiens, meis en impenſis, tibi hunc libellum, è tenebris & oblivione eruere malui quàm quod nomen, ſors, atque doctrina viri, ſupra omne encomium ſortisque malignitatem commendabilis, ſupprimeretur longiùs. Porro videbis, videbis ſane (te namque rei cenſorem advoco quiſquis ſanæ mentis ad judicandum acceſſeris) exiguo chartarum compendio, omnem litem dirimi inter Medicum & Theologum, animo planè neutro: latitare quoque parvâ velut ſub urnâ, rationem cauſarum, quas hactenus abditas nominavit, minus emuncta vetuſtas. Non ſum is, qui cuncta hîc contenta percipiam vel adæquate laudem. Quapropter ſtudioſe Lector, ipſe ex fructu, quem legendo perceperis, judicato, noſtrumque laborem, quo tantum ſophiæ monumentum mundo commune facere volui, mecum benè interpretare, & vale. Datum Lugduni ex typis noſtris, Anno 1620.

GENIO

GENIO SUO INCLITISSIMO ET FELICISSIMO IN ARRHAM, OBLIGATIONIS MAJORIS, CONSECRAVIT AUTHOR.

MULTI multa de scientiarum vanitate scribere attentarunt, Geni Princeps, spiritus felicissime! subodorati scilicet nullam hodie scientiam vulgò notam esse (Mathesim excipio,) quæ non videatur nostro nata, & labili cerebro, adeoque instabilis, incerta & mendosa. Itaque nec primus, nec ultimus ero, qui scientias putatitias vulgo notas, seu rusticam observationem meritò ponderabit. Non enim, etsi triticum visum agnoscam, tempus serendi noverim, culmi staturam, aristam, panisque emolumentum didicerim: aliud, ob id, præter rusticam effectuum observationem congessi. Quandiu videlicet ignotum est id, quod in tritico latet invisibile, quodque totum, juxta suam anatomiam moderatur, & virtutibus fœcundat cateris, tandiu ulla nondum adventavit rei scientia. Hæc nullo unquam excusa prelo, nullo de calamo fluxit, nec unus alterum, eandem docere potest. Sed sicut omnis scientia de sursum venit à patre luminum: ita quoque cujusvis doni, liber dator, dispensator & interpres manere voluit. Fallitur, è chartis quisquis scientiam solidam & veram addiscere præsumpserit: utrumque homines multa usque inquirant & scrutentur, non nisi opinionum sunt ambiguitates incertæ & posteræ. Verumenimverò sat cognitum habes, quod omnis scientia, doceatur in magna quiete, multa pace, & muto silentio, sine sonitu & strepitu verborum, sine distractione, mentisque divisione, aut dubitatione incertarum ambiguitatum (cùm dator, doctrinæ suæ, unà sit interpres) sine ambitione, & sine duello diversarum ac oppositarum rationum adveniat: ubicumque verò, horum aliquod emicuerit, ex cerebro hominum natam, incertam, instabilem, vanam, & caducam observationem, scientiæ duntaxat, umbram, mox suspicor; scientiam inquam, & ex filiis tenebrarum calliditatem filiis lucis impropriam, arbitror, & inutilem garrulitatem. Deum itaque, sapientiæ, & omnis scientiæ fontem, lumenque cordium sic de scientiis, & lumine, reor disposuisse, quod à se, in superiores, ab hisce rursus in inferiores Angelos,

 los,

los, dimanaret, utque infimi, non nisi à superioribus, illuminationem desumerent; homo verò, à suo custode Genio, eandem acciperet ordinariò. Non inficians interim, quin Deus, propter abscondita sua judicia, non raro multam immediatè scientiam influat ut in prophetas, &c. liber ubique dator nimirum sui muneris existit. Attamen qui hominem, paulominus à vobis angelis diminuit, eundem quoque ab hisce doceri regulariter voluit, quæ illuminatio cùm à Deo per Angelum in hominem descendat, eaque quærendo pulsando & orando efflagitetur: ita ordinariè non aliàs adeo solicitatur aut impetratur, quàm per Angeli custodis interventionem. Quæ cùm sic cognoscam, & fatear lubens, te Invoco igitur patronum Angelum, te custodem, Genium amicum imploro, qui faciem patris nostri, felix & in cœlis aspicis, nosque commonefacis, hortaris, & velut non nisi ad bonum impellis, nostræ calamitatis misertus perpetuò, ut nimirum cognatione quadam generis nostri, non cesses precari nobis, nil nisi bonum: & si quando mortale genus à Dei monitis exorbitemus, misertus protinus, imagines haustas à mente superna, ideasque rerum futurarum pingas, saltem, in rebus somnio occurrentibus, quando nempe in nobis dormit scientia esu pomi acquisita, ut his admoniti, de anteactæ vitæ criminibus cogitemus, periculi ingentiam cogitatione, prius quam sensu experiamur, quo malorum tela, antequam opprimant, conversione ad preces, mitigemus; vel si fieri possit, operibus charitatis & pœnitentiæ, avertamus penitus: sin minus, per te discamus, omnem necessitatem, & crucis nostræ sortem, unâ animi concentricitate, superare patientiâ. Tibi in honorem Dei, sit laus, gloria, & gratiarum retributio, qui nedum tutelam nostri fidam inoratus suscipis, & continuas circa nos agis excubias, nobis longè nobilior, major, dignior, melior, & felicior; verum etiam, qui pro nobis intercedis supplex, charitate fervidus, & plurima, pro tua dignitate, nobis impetras. Quid tandem tibi custodiæ præses, pro tot donis, tot beneficiis retribuerem, dudum mecum anxius fui; sed undique non nisi meum nihil, videns, converti me ad tuum, ad meum inimicum, Deo nimirum blasphemum Cerberum, cui cùm plurimum laudis, honoris, dominii, libertatis & potentiæ, ascribi viderem, ab iis inquam, quibus scientiæ claves, creditæ putantur: meas vices putavi, hunc abusum elucidare, simulque hanc offam, Satanæ faucibus, cum ejus dedecore præripere. Quo igitur in opere, me bene erga te meritum, fore existimans obtuli quantum scis in me esse, & hostis Satanæ illusiones ridiculas, hominum rerumque omnium dignitatem magicam, lubens patefeci. Tu itaque conatum meum faventer respicito, meque solito, id est, immerito amore prosequere,

Amen.

JOAN. BAPT. HELMONTII,

De Mag. vulnerum curatione.

Disputatio de Magnetica vulnerum naturali, & legitima curatione, contra R. P. Joannem Roberti Theologiæ Doctorem Societatis Jesu presbyterum, non minus quàm etiam Rodolfum Goclenium Professorem Medicinæ.

ANNO octavo hujus sæculi, allata est mihi oratio declamatoria habita Martpurgi Cattorum, qua Rodolf. Goclenius (cui noviter demandata erat professio Philosophica) primitias exolvens, conatur vulnerum sanationem, per unguentum Sympatheticum & Armarium, à Paracelso inventam, ostendere esse merè naturalem. Quam orationem legi totam, & ingemui naturalium rerum historiæ, tam debilem patronum obtigisse. Complacuit sibi nihilominus author, eo scriptionis argumento, & continuata probationis sterilitate, idem Opus Anno 1613. non nihil auctius edidit: nuperrimè oblata est prædicti libri succincta anatome, à Theologo quodam, in speciem lepidæ censuræ potius, quàm disputationis concinnata; petitum est meum, utcumque fuit, judicium, eo saltem nomine, quod res Paracelso inventa, eundem spectaret, & me suum sequacem. Dicam ergo quid de Medico Goclenio, & quid de censore Theologo sentiam.

Medicus, in primis proponit, & ostentat, se probaturum, magneticam curam vulnerum esse naturalem: sed promissorem, ad tantum munus impa-

imparem inveni: utpote quod nuſpiam vel tenuiter ſaltem, titulo, aut pollicitis ſatisfaciat. Multa hinc inde rapſodia colligens, quibus vires quasdam formales, quas ſympathiam & anthipathiam vocant, eſſe in rerum natura: atque ex earum poſitione, magneticam curam, naturalem probaſſe ſat ſe putat. Multa inquam ex Ægyptiis, Chaldaicis, Perſis, conjuratoribus, & præſtigiatoribus in unum cogit, quo ignotum ſibi magnetiſmum comprobet. Partim ut rerum novitatis avidos animos, oblectando, ex ſcopo ſeducat, partimque ut authorem admirentur, nedum triviales ſcriptores, ſed & quosvis rariores alios, triviſſe.

Primus error Goclenii.

Quocirca perperam Medicus ſympathiam quam diverſimode, & fabuloſe ſæpius adfert) cum magnetiſmo confundit, & hunc naturalem eſſe, ex illa concludit: nam & unguentum illud vulnerarium, nedum homines, ſed & equos curare vidi: quibus certè non tanta eſt affinitas nobiscum (niſi aſini ſimus) ut proinde ſympatheticum unguentum nobis & equis commune dici mereatur.

Secundus error.

Malè itidem confundit Medicus, ſympathiam cum faſcino & ligatione, & utrumque, cum magnetiſmo: abſtruſiores ſcilicet quosque effectus indiſtinctim adfert anxius, quò rationibus deſtitutus, ſuum magnetiſmum comprobet. Exemplo, faſcinum à ſympathia, & utrumque, à magnetiſmo diſtinguam. Canis antipathiam (ſunt namque ſympath. & antipathia ejusdem generis filiæ) cum gallina habet, hanc nempe vorat ille, & hæc canem fugit. At ubi noviter pullos excluſit, hæc canem fugat, quamvis generoſum: faſcino nempè, anima gallinæ, canis animam ligante; non obſtante antipathia priore, diſparili armorum præſidio, & robore inæquali, nusquam tamen in his magnetiſmus eſt.

Tertius error.

Faſcinus ſympathia & magnetiſmus differunt.

Quæ porrò Medicus adfert de ſigillis, characteribus, gamaheu, cerimoniis, vanisque ut plurimum obſervantiis: ſunt prorſus huc impertinentia: & potius magnetiſmum ceu ſuſpectum, deſtruunt, quàm aſtruunt, meum non fert ingenium de his quicquam decernere.

Quartus multiplex error, & omnis ex ignorantia.

Errat deinceps Goclenius, & quidem temere, juxta ac ignare: ſomnians ex præſcripto Paracelſi, telum quod ſauciavit, ſi unguento armario oblìgetur, vulnus curari. Fruſtra namque telum aut mucro, præſcripto à ſe unguento inungentur, niſi cruentum, idemque cruor prius in dicto enſe exiccatus fuerit. Aliud namque unguentum, Paracelſo eſt ſympatheticum, ratione cruoris habiti è vulnere; atque aliud certe unguentum, quo arma nullo ſanguine tincta, emplaſtrari debeant: vocatque idcirco prius unguentum magneticum & ſympatheticum, poſterius verò magneticum armarium: quod inſuper mel, & pinguedinem taurinam idcirco (nec fruſtra quidem) recipit.

Quintus error ex temeritate.

Unum unguentum ſympatheticum aliud magneticum dictum.

Poſtremò, quò ſuo genio ſatisfaciat, deſcriptum Paracelſi immutavit Gocle-

Sextò temerè errat.

Goclenius, asseverans usneam è solis craniis suspensorum, deligendam esse cujus sui, & falsi inventi causam quærens, non veretur somniare, spiritus vitales, strangulatu, in calvariam intrasse, & ibi tantisper manere, donec sexennio abinde revoluto, sub diu, usnea succreverit. Paracelsus contrarium expresse docuit, & usu comprobatum est, usneam è cranio, rota interemptorum, non minus laudabilem esse, quàm laqueo suspensorum. Ex animalibus siquidem, non quintum esse (quod simul cum spiritu influente & vita, pereat essentia principalis,) sed sola virtus mumialis, id est, spiritus insitus & confermentatus, in vi enectis corporibus superstes, educitur. *Ratio.* *Quid mumia.*

Quæ de memoriæ instaurandæ remediis, prodidit Goclenius, ut fini concepto nequaquam congruentia agnoscimus, sic & impertinentia ostentacula esse, probare nequicquam diffidimus. *Septimus error.*

Inter Theologum & Medicum non est quæstio facti: concedit nimirum uterque, sanationem vulnerato accidere: in eo tantum lis est, quòd Medicus ejusmodi sanationem astruat naturalem; Theologus verò velit esse satanicam, idque ex pacto primi inventoris. Cujus censuræ, non aliquam, in sua anatome, positivam adfert rationem: satisfactum arbitrans, si penes se resciderit, etsi resectionis rudimenta nulla coram attulerit, in eo videlicet quiescens, quod asserentis elumbes rationes submoverit, quod nullius est operæ, nullius est artis, nec ullius etiam est authoritatis. Nam quorsum facit, ex futilitate rationum alicujus imperiti, de re ipsa judicare? eamque impiam declarare, si suæ sententiæ ne unam quidem ratiunculam somniarit? Quid si presbyterium, laicus, incomptis laudem rationibus, easque aliquis velut immeritas rejiciat, an propterea ipsum sacerdotium rejiciendum erit? quid quæso res ipsas attingit, imperitia aut temeritas alterutrius? Certè non se censuris Philosophia substituit, nisi censorum adsit pondus rationibus stabilitum. *Censura sine ratione.* *Non sufficit rationes contrarias diluisse.* *Philosophia rationibus tantum immediatè redarguitur.*

Ego itaque qui contra Theologum, curam magneticam velut naturalem, suscepi probandam: imprimis Goclenium excusandum ratus sum, si frustra laboraverit in inventione causæ proximæ, hujus insoliti effectus. Quid mirum? cùm Theologus, eandem se nescire fateatur, atque idcirco satanam authorem conjiciat? ea namque est infirmitas nostra, quòd plurimarum & præstantissimarum rerum notitia, destituti simus. Idcirco etenim plurimas res, ad sacram ignorantiæ anchoram, inviti deflectimus, & catalogo causarum occultarum, referimus. Quis enim Theologorum unquam, causam risibilitatis, vel alterius proprietatis formalis, puta caloris in igne, demonstrationem ad plenam scivit? An non committitur petitio principii si dixeris. Calor summus igni competit, quia de ejus est natura? Equidem formarum essentiæ, quia ignotæ sunt nobis à priori, ideo *Goclenii ignorantia cur excusanda.* *Imbecillitas intelligendi rerum formas.*

& formalium proprietatum prosapia, tota jejuna est, & incognita: atque ubi advertimus, aliquam passionem formalem subbesse, mox ab indagine ejus, mens velut fatigata frustra, cessat, seseque reponit, contenta nomine occultarum proprietatum, eja sodes, an forte anatomicus censor, causam novit, cur canis lætus, caudam verrat? leo verò itidem, quando iratus? felis quoque applaudens, eandem erigat? Quid itaque siipsus, ne caudæ motus rationem novit, mirabitur Goclenium magnetismi rationem dedisse insolidam? ejusque refutatione, præsumet curam satanicam, quæ magnetismi est, se sat superque demonstrasse? absit tanta judicii temeritas.

Agedum, cur diabolicam dicis curam? debueras equidem rationem censuræ addidisse, nisi eadem facilitate qua diabolicam prædicas, negatum ab aliis expectes. Juristæ solam affirmativam, confirmam expetunt: at Philosophi, utramque, ne negantium, quàm asserentium, major videatur aut ignorantia, aut etiam protervia. An forte diabolicam astruis, quia non potest intelligi (à te) subesse rationem naturalem? non credam ex infirmitate tua, de virtute, tam inertem ferres sententiam. Scis etenim quod vitium nostrum, infirmitas intelligendi sit, non rerum.

Differentia juris & Philosophiæ.

Satage ergo, unde scis, Deum ejusmodi virtutem magneticam non direxisse in usum vulneratorum? ostende litteras: an te Deus sui consilii secretarium elegerit! sane utcumque vageris vario, tandem reperies non alia ratione, apud vos, esse curam diabolicam, nisi quia tenuitas & vocatio vestra eam non capit. Quid mirum si Theologus nullus hæc suboleverit? Postquam enim Sacerdos & Levita transiissent in Jericho, successit Samaritanus laïcus, qui omne jus Sacerdotibus inquirendi rerum causas, eripuit: natura idcirco abinde, non Theologos in sui interpretes vocavit: sed solos Medicos in filios optavit, & quidem tales duntaxat, qui pyrotechina instructi, rerum proprietates examinant; separando potestatum delitentium impedimenta, cruditatem scilicet, venenositates, & feces, idest, tribulos & spinas, è maledictione, naturæ virgini passim insertas. Nam cùm natura quotidie destillet, sublimet, calcinet, fermentet, solvat, coagulet, fixet, &c. nos certè iisdem adminiculis, rerum proprietates, ab occulto eruimus in lucem, naturæ soli interpretes fideles.

Ex ignorantia causæ magnetismus putatur diabolus.

Qui sint interpretes naturæ.

A lata, sententia Christi.

Cur soli spagyri naturam interpretentur.

Theologus autem, quo judicet præstigiosum à naturali; à nobis prius definitionem hauriat necessum est: ne sutor nempè ultra crepidam, labatur turpiter. De Deo Theologus, naturalis vero de natura inquirat.

Multa certe ubique conditoris bonitas fuit, qui omnia creata in ingratum hominum usum condidit: nec Theologorum quenquam assessorem admisit: quot quantasque rebus virtutes inderet; nescio sanè interim quomodo à superbiæ peccato excusari possit, qui quia non percipit rationem naturalem tanquam universa Dei opera suo metiens acumine: Idcirco

Superbit qui ex ignorantia causæ rem credit diabolicam esse.

circo audacter negat. Deum ejusmodi rebus virtutem dedisse; quasi homo vermis, Dei & consilii ejus, compos esset: omnium animos ex suo æstimat, qui putat fieri non posse, quod intelligere non potest.

Mihi profecto nullatenus mirum videtur, si extra magnetis corpus consimile, & solo magnetismi nomine explicabilem virtutem, rebus Deus dederit. Nonne ad magnetismi positionem, sufficere deberet, unicum saltem dari exemplum (perplura & apposita mox adferam) naturale istius lapidis, ad cujus normam, cætera quoque diversimode distributa intelligantur in creaturis? An proinde quia novum, paradoxum, & tibi incognitum, idcirco & satanicum esse debebit? Absit tam demerite de divina conditoris majestate sentire: neque certè, isto honore deferendo, satanæ blandiri debemus: quid enim ipsum uspiam suavius afficit, quam si bonorum operum gloria, ita deferatur ei, quasi ipse eorundem author extitisset? *Qui sint dæmonis adulatores.*

Naturam materialem quotidie magnetismo suo, â superis formas trahere, cœlestiumque favorem, expetere, conceditis, & cœlos quippiam ab inferis, vicissim allicere invisibiliter, ut sit liber, & reciprocus aditus, & in unicum totum membrorum concinna chelys. Magnetismus itaque, quia passim viget, præter nomen, nil novi continet, nec paradoxus, nisi iis, qui cuncta derident, & in satanæ dominium ablegant, quæcumque non intelligunt. Profecto quærenti derisori sapientiam, ea non extat. *Magnetismus non est novum inventum.* *Prov. 14.*

At quæso quid superstititionis habet unguentum armarium? an quia usnea, sanguine, mumia, & adipe humanis conflatum? atqui innoxiè his utitur Medicus, & ad hoc impunè venundat seplasia. An forte quia modus utendi tibi novus, vulgo insuetus, utrique verò admirabilis, idcirco effectus erit satanicus? Subde te, nec æstua, mox melius habebis.

Etenim modus utendi, nil mali continet. Intentio imprimis bona ac sancta est, & tantum in bonum cedit finem: nempe sanare dolentem proximum, sine dolore, periculo & sumptuum emaciatione? hoccine diabolicum dicis? denique ipsa quoque remedia, res naturales sunt, quibus eam facultatem à Deo concessam mox argumentabimur. Utinam tu quoque tuam nobis negativam sic firmasses: Deum nempe summum bonum, non dedisse unguento sympathetico, vim naturalem, & mumialem magnetismum. *Intentio, scopus, remedia. & modus in unguento sunt bona.*

Hoc remedium magneticum, nullatenus suspectum reddi potest: cùm nullos ritus habeat, nulla verba, nullos characteres aut sigilla poscat, ceremonias nullas admistas, aut vanas observantias: non præsupponat horas, non profanet res sacras, imò quod amplius est, ne quidem præexigat imaginationem, confidentiam aut fidem, neque veniam à vulnerato petendam: quæ cuncta curis superstitiosis annexa sunt. *Cur unguentum non illegitimum. Cur non sit superstitiosum.*

Quid superstitio. Superstitio quippe dicitur, quoties statur fide, aut imaginatione aut utraque, super virtutem aliquam, quæ talis non est, aut non eò, à Creatore, directa. Nihil igitur cura Magnetica, superstitionis habet. Quocirca *Censor re ipsa utut fecerit nunquam suam opinionem confirmabit.* Theologe Censor, saltem deridendi satanam ergô, periculum unguenti, sarcasmo plenus, facito, quò pactum illud implicitum eruas: effectum nihilominus eundem planè nobiscum, velis nolis, reperies: quòd superstitiosis causis, nequaquam evenit.

Cur modus unguenti incognitus Censori nil improbet. Quicunque magneticam vulnerum curam, diabolicam putat, non quia sine, & mediis illicitis, constet: sed quod modo ipsi incognito, procedat: Is etiam eodem convictus argumento, omnium quæ de magnete dicturi sumus, causas quidditativas dabit: vel fatebitur magnetis operationes præstigias esse satanæ: vel saltem (quod tutius erit) magnetismum, *Quid Magnetismus.* id est, proprietatem quandam occultam, hac appellatione, propter manifestam illius lapidis prærogativam, à cæteris abstrusis, & vulgo ignotis qualitatibus diremptam, nobiscum cogetur agnoscere.

Aliquot effectus magnetis. Magnes dapi impositus ligneæ, atque innatanti, confestim uno, & certo latere, ad austrum, altero ad Aquilonem vertitur. Pars ejus australis, si ferrum tetigerit, illud ad Aquilonem vertit, & borealis magnetis pars, ferrum attactum, ad austrum inclinabit: boreali parte, id est, ventre suo, ferrum allicit, & dorso, illud ante se propellit: aquilonare latus, à dextra in sinistram, fricando acus compassi cuspidem, eandem ad austrum diriget: sin vero frictio, à sinistra, in dexteram instituatur, contraria cuspidis directio erit.

Similiter australe magnetis latus variatur. Imo quod magis est, si magnes affrictu suo, ferrum magneticum efficiat, id est, ferri alterius attractivum, idem ferrum jam magneticum, sursum deorsum inversum, rursus ad magnetem fricetur, tractoriam potestatem confestim exuet. Quæ *Author de magnete optimus.* si sapiant inquire Guillelmum Guilbertum, Londinensem medicum, de magnete, quo nemo melius de hac materia scripsit, & cujus opera, variatio pyxidis restaurari potest. Acus quæ nunc ad Aquilonem vergit, sub Æquinoctiali ambigit; ultra eam vero, ad alterum polum tendit: hoc medicum addam: dorsum magnetis, sicut ferrum; ita & intestinum pellit, curat herniam, omnemque catharrum de natura Martis; omnes nempe magnetismi, ad usum hominis ordinantur: vis trahendi ferrum, si mumiæ muliebri maritata fuerit, tunc dorsum magnetis, in femore, & ejus venter in lumbis emplastrata, abortum jam minitantem, tutò præcavet: venter vero magnetis, in femore, & dorsum lumbis appositum, partum mirificè facilitat. Quæ cuncta de magnete, noster Anatomicus, rationibus à priori illustrabit, modumque velut ipsi cognitum, nobis exponet: vel pariter satanæ esse illusiones & non naturales effectus, parili, ignorantiæ argumento, decrevero.

Exem-

Exempla aliquot consimilis magnetismi jam proferam, ut tandem ad rationem positivam, omniumque oppositionum refutationem, animo imbutiore accedamus. Quid agam amplius? quas non attulisti rationes pro te, ipse comminiscar. Omnis, inquies, effectus, vel immediatè à Deo opifice procedit, & miraculum est; vel à satana, & prodigiosus est; vel à causis naturalibus & ordinariis & tunc naturalis est: atqui magnetismus non est miraculum, neque effectus naturalis: Ergo satanicus. Respondeo quanquam hanc dictam enumerationem, insufficientem queam ostendere, quatenus homo interior, etiam agit, nullo dictorum modorum (quod postea satis luculenter dicturi sumus) nihilominus sicco pede, assumptum nunc transimus, subsumptum negaturi, qua nimirum parte, effectum non naturalem, asseritur. Idem enim prius probandum erat, ne petitio principii committeretur, verum in hoc fuit, & erit defectuosus noster Censor, dicere non esse naturalem, nisi dicere, putaverit idem esse & probare, & authoritatem suam, vice rationis locasse. Multi namque effectus naturales sunt, qui non ordinario contingunt; rarius nempe incidentes. Itaque in gratiam Anatomistæ, ubique partem affirmativam, ne dum tuebor: sed & declarabo, rationibus, & exemplis consolidabo. Sic nempe propria ruet mole, argumentum jam allatum.

Ratio prima pro Censore.

Petitio principii.

Est liber impressus Franekire Anno 1611. apud Uldericum Dominicum Balck, de lampade vitæ. Ubi reperies ex Paracelso, veram magneticam curam, plurium morborum, puta hydropis, podagræ, icteri, &c. sanguinem calentem ægri, includendo teste, ovique putamini, quod fovendum exponitur, & carnibus admistum sanguinem hunc, cani, esurienti vel sui dabis, mox ægritudo abs te, in canem trahitur, & abit: non secus atque in Ghiesin lepra Naamani, execratione transmigravit. An & hoc diabolicum censebis, sic proximum, solius sanguinis mumialis magnetismo, restituisse? restituitur autem prorsus & indubitato.

Magnetica cura morborum incurabilium perfecta.

Mulier ablactans infantem, quo citiùs ubera sibi sterilescant, in prunas lac emulget, & mox ubera flaccescunt. An fortè satanas exuget ea?

Lac combustum mammas siccat.

Si quis ad ostium tuum cacaverit, idque prohibere intendas, ignem fœni, recenti excremento superstruito; mox per magnetismum, natibus scabiosus, cacator fiet: igne videlicet, torrente excrementum, & tosturæ acrimoniam, quasi dorso magnetico, in anum impudentem propellendo. Forte hoc satanicum dices, quia finis læsio. At certè, abusus potestatum in libertate hominis est: attamen usu non minus naturalis.

Fac tabulam ex bismuto, & una extremitate, pone succini frustum, tribus inde spitamis, colloca vitriolum viride: mox hoc, colorem & acredinem visibiliter amittet: quæ ambo in succini præparatione reperiuntur. Saltem hocce, omni satanæ illusione carebit. Bruxellensis quidam, in

Vitriolum per magnetismum moritur.

pugna nasum amisit, adivit Chirurgum Tagliacozzum, Bononiæ degentem, ut nasum præstolaretur: & cùm incisionem brachii sui timeret, bajulum ad hoc conduxit, è cujus brachio, nasum tandem dato pretio eruit. Mox tredecim circiter menses, à reditu in patriam, repente nasus insititius friguit, & abinde aliquot diebus, putrilagine cecidit. Cujus rei inopinum casum investigantibus, inventum fuit, eodem forte momento, quo nasus friguit, expirasse bajulum. Superstites sunt horum testes oculati Bruxellæ. An non est mumiæ, magnetismus ille plane consimilis, quo nasus vita communi, sensu & facultate vegetativa tot mensibus, insitionum jure gaudens, repente trans Alpes mortuus est? Cedo quid subest superstitiosi? quid fantasti?

Mumia ab Italia Bruxellam usque operatur.

Carlina sub umbra trahit mirificè.

Radix Carlina (quæ Cameleontis est) plena succo & viribus evulsa, mumiæ humanæ contemperata, tanquam fermento ex homine, cujus umbram premis, vires & robur naturale, in te trahit. Sed hoc præstigiosum dices quia paradoxum: quasi non eadem lepra, è Naaman, in Ghiesin esset traducta, & icterus idem numero, in canem transplantatus? non enim morbus in prædicamento qualitatis est: sed omnia sunt prædicamenta, in morbis singulis. Siquidem licuerit non res nominibus, sed nomina rebus accommodare.

Idem numero morbus subjecta mutat.

Flores solisequos ex magnetismo esse.

Solissequi flores, magnetismo quodam, feruntur ad solem: non sanè propter ejus calorem quem optent (nubilo namque & frigidiore die, solis quoque rithmum imitantur) nec etiam propter ejus lucem, solis sunt pedissequi: nam nocte opaca, ab occasu, ubi solem reliquerant, ad ortum tendunt; Non hoc diabolicum censebis, quia aliud subterfugium paratum est: nempe esse harmoniam superorum, cum inferis, & facultatem tractricem plane cœlestem, nullatenus sublunaribus communicandam: quasi vero, microcosmus, cœlestis sortis indignis, nullam in suo sanguine, & usnea, notaret astrorum revolutionem!

Filtra mumialia quomodo ut sint magnetica.

De filtris dicerem, quæ mumialem confermentationem requirunt, ut ad certum objectum, trahatur dilectio: At consultius est præterire, ubi hoc unum saltem, prius dixero. Novi herbam passim obviam, quæ si teratur, & foveatur manu, donec intepuerit, mox alterius manum detinueris, quoad & illa tepescat, amore tui, ille totus continuo ardet, ad aliquot dies. Detinui pedem cujusdam catuli, hic confestim, peregrinum me, secutus adeo, quod noctu, ante cubiculum ejularet, quo eidem aperirem renuntiata herâ suâ. Adsunt Bruxellæ mihi hujus facti testes. Calor etenim, prius herbam calefaciens, calor inquam non solitarius, sed effluvio quodam spirituum naturalium concitatus, herbam ad se determinat, individuatque sibi: & assumpto hoc fermento, per magnetismum, alterius spiritum trahit, & subigit in amorem.

Relin-

Relinquo curas multarum ægritudinum, quas arcanum ſanguinis humani, magnetice perficit: niſi etenim ſanguis, imo pus, urina & perſpirabile effluvium, continuò aliquid ſecum, de ſpiritu vitali demerent, hisque ineſſet participatio quædam totius, extra concretum naturale: ſane non adeo brevis dies hominis foret: hæc nempe inteſtinæ fuit calamitatis cauſa. *Arcanum ſanguinis ſpagyrorum magnetem eſſe.*

Perſicaria ſive piper aquaticum, conſolida, ſofia, ſerpentina, braſſatella atque plures aliæ, iſtud habent peculiare, ut ſi frigidæ, demergantur in aquam (flante enim Borea, exciſa quercus verminoſa erit, niſi confeſtim ſubter aquas demergatur) & ſuper vulnus aut ulcus, aliquantiſper intepeſcant, mox defodiantur cœnoſo loco: ubi putrere incipiunt, etiam attrahere ſatagunt ex ægro, quicquid nocuum eſt. *Herbæ cur & quinam magneticæ. Ratio aqua.*

Idque peragunt herbæ, non quandiu in terra creſcebant, neque etiam quandiu in forma manent priſtina (oportet namque granum emori, ut fructum ferat) ſed in corporis putrefactione, virtutes jam, quaſi corporis repagulo ſolutæ, liberè magnetiſmum, ſecus dormientem & impeditum, exerunt, & juxta contagionem, impreſſionemque à vulnerato, aut ulceroſo loco acceptam, reliquum mali, vel eminus multum, exugunt.

Si quiſquam folia Aſari decerpendo, ſurſum vellicaverit, purgabunt aliam, id eſt, tertiam perſonam tractionis neſciam, per vomitum tantum: ſin vero deorſum carpendo torqueantur, ſolam dejicient alvum. Hic ſaltem nulla ſubeſt ſuperſtitio: nam quid hic imaginationis commemorem: cum illa in tertium objectum, nil operari concedatis, maxime ubi iſtud ignarum ſit, modi, quo decerpens fuerit uſus? An forte pactum implicitum rurſus & ſacram ignorantiæ anchoram, incuſaveris? Atqui hic, nulla latet vana obſervantia, præſertim ubi inſcio aſſumente, decerptor, ſurſum vel deorſum folia vellicaverit. Profecto præter aſarum & ſambuci extremitates, id cætera non habent purgantia, quæ quomodo libet decerpta, univoce operantur continuo. Sed in aſaro, planta integrali, proprietas eluceſcit magnetica: adeoque ad carptionis ſenſum, variè ſua dotat folia. Habere autem nedum plantas, ſed & creata fere ſingula, ſenſus quandam adumbrationem, tam antipathia quàm ſympathia (quæ ſine ſenſu conſiſtere nequeunt) latius comprobant quod mox docebimus. *Aſarum & ſambucus magnetica. Pactum implicitum anchora ignarorum. Sympathia præſupponit ſenſum.*

Matronam nobilem mihi notam, abeunte podagræ paroxiſmo uno, novus ſubinde alius excepit, ac per multos menſes, podragra ſine remiſſione, inſolito infeſtavit recurſu. Neſciens vero, unde tanta ſibi, inauſpicataque morbi recidiva; tandem quoties remiſſo acceſſus fervore, è cubili jam ſurgens, ſederet ſede, qua frater ejus olim, & in alia urbe, podagricus ſedere ſolitus erat, extemplo nimirum abinde morbum repullulare reperit. Effectus utique nullatenus imaginationi, aut ſcrupulo adſcribendus: utpote *Fratris mortui mumia olim impreſſa ſedi, adhuc magnetica.*

pote

pote quæ duo, effectu longè fuerunt posteriora. Qua autem sede, si contingeret alium sedisse podagricum, nulla ei accidit morbi reincrudatio. Itaque jam fratris mortui, mumia, sedem contagio, suspectam meritò reddidit, quæ sorori, & non alteri podagrico, fluxus illos, secus quieturos moveret, trans omnes vestes penetrans. Magnetismus fuit, ad uterinam sororis scilicet mumiam: idque longo post funera lustro. Cedo, quid hic est pacti impliciti, cum hoste satana?

Safirus in magnetismo unguenti æmulus.

Safirus cæruleo colore satur, si anthracem, quo pestis sese prodit, attigerit, & aliquandiu affrictus fuerit, mox vero auferatur, non cessat magnetice, jam absens gemma, virus totum, è contaminato attrahere: modo id viribus nondum debellatis fiat. Solent idcirco (nobis in majorem magnetismi fidem) locum apostematis, safiro in circinum paulatim ducto, conscribere: ne scilicet exiens virus, qua insensiliter evolat, latius expacietur & nobilem aliquam vicinam partem, latius proinde infectet. Qua enim virus magnetice, è corpore tabido, tanquam per tubum attractum, exhalat, totus circinus mox nigrescit, & tandem in escharam combustus, excidit: corde interim, à mortifera contagione præservato. Nec locus est subterfugio, dicere virus attractum eo momento, quo locus à safiro tangitur, vel etiam tum temporis, intus edomatum figurare, & non magnetismo absentis gemmæ id tribuere. Veruntamen ægri fidem dabunt, se non confestim percipere sublevamen, sed multo post; abcedente paulatim scilicet, per tractum magneticum veneno. Imo locus ipse, pro magnetismo, certius testimonium dabit: qui non nigrescit sub ductu, vel per ductum safiri: sed mox abinde atrescit, combustus immediate per auram pestiferam, id est, arsenicalem, isthac, & non alia egredientem: qua etenim virus continuo exhalat, nimirum in conum resumptis radiis venenosis, ibidem necessum est locum impetum pati, atrescere, & comburi quæ prout successu temporis contingunt: virus quoque successivè effluere, ad tractum absentis gemmæ, edocent.

2. Ratio Censoris.

3. Ratio Censoris.

Respondebis forte, unumquodque agens requirere impressionis suæ certam durationem: hinc safirum non instanti juvisse, sed impressionem reliquisse, quæ paulatim reliquum mali evictura esset, non autem absentem gemmam, quippiam deinceps trahere. Ubi notabis, omne agens naturæ, in instanti agere, nisi sit in patiente obstaculum. In corpore verò contaminato, non esse impedimentum: utpote quod citissimè auxilium exposcit, & omnibus ad id venis anhelat.

Aliud prorsus esset, si safirus, in loco dolente præparandus, concoquendus aut alterandus esset, ut ex illo educeretur observatum agens, quod, deinceps in corpus spargeretur. At cùm is maneat integer, & incorruptus, certum tempus duntaxat, exigit ad hoc, ut radium suum influentialem, per

attractum

attactum mumiæ, copulet radio auræ pestiferæ, quò eam mox absens exigat. Ad dictam inquam copulationem, ut fiat alligatio virtutis saphiricæ, ad venenum, requiritur certum tempus (puta unius octavæ horæ) quo circumdatur anthraci circinus: nam si esset aliqua saphiri impressio, quæ paulatim intus venenum edomaret, & non tractio magnetica, gemmæ absentis; nulla esset ratio, cur atresceret & combureretur, certus iste locus circini, neq; etiam quo minus, virus latius ambularet quam dicto circulo. Quod ampliùs est, si anthrax recenter pluribus in locis, se simul ostentet: solus tamen ille, qui Saphiro circumscriptus fuerit, amburitur, sidentibus & pereuntibus cæteris. Itaque quam obsecro, impressionem attractivam, post se saphirus relinquet absens, si non magneticam? maximè quod attractum, dicat inseparabilem respectum, ad attrahens, & vicissim? *Saphirus tactu unius carbunculi, cæteros sanat.*

Imo si saphirus de se, virtutem in corpus ægrum dedisset, una aut altera vice, seipso imbellior esset (sic nempe ungula alcis, epilepticos arcens insultus paulatim, effeta redditur) amissa facultate, quam impressit, quod plane in saphiro verè exors est: eo namque potentior laudatur, quo sæpius venenum exuccerit. Dices fortè, saphirum generasse qualitatem in ægro, ratione cujus, incepit attrahere, & virus isthac evellere: & quamquam saphirus tunc removeatur, naturam nihilominus semel commotam, perseverare in expulsione, idque qua virus expelli cœpit. Primo queritur, an saphirus trahat prima sua qualitate (puta calore) vel formali & magnetica proprietate? atqui hæc non desiderat præviam generationem, novæ qualitatis intus: sed tantum copulam virtutis tractricis ad trahendum. Tractionem itaque fieri, per absentem gemmam. Probatur sub sumptum: quia omne trahens naturale, trahit ad se. (Etenim ad hoc scililet duntaxat trahit) quocirca nova qualitas intus generata, ad se virus intro traheret & neutiquam foras, per tractum educeretur. Secundò, An forte saphirus, genuerit virtutem de se, eamque in pellem tantum impresserit? enimvero neque illud constare potest: quoniam tunc non esset necesse, circum anthracem, duci circulum per gemmam: sed sufficeret qualemcumque remotam & commodiorem pellis partem attingi: quod falsum est. Tertiò, An saphirus forte aperiat poros? & an natura non potuisset, eadem sua expultrice uti, citra attactum saphiri? quod si non: tunc saphirus non attrahet: sed tantum, expultricem in ægro roboraverit. Huic contrarium est, quod non ultra, neque citra circinum, locus amburatur; quodque incipientes, etiam non attacti, anthraces, sidant & pereant. Siquidem roborata expultrice tantum, ipsa quaquaversus expelleret, & non ad certum & electum vinciretur locum. Quarto, Natura ante tactum saphiri, jam denotaverat suum robur validum, in expellendo anthracem. Unde quoque falsum est, naturam semel in expellendo commotam, deinceps per se perseverare, *4. Ratio Censoris.*

Ooo cùm ad

cùm ad expulſionis initia, tardus alioqui ſaphirus venerit. Igitur utut dixeris, abſente gemma, virus attrahi magneticè, neceſſum eſt.

Viſne ergo clarius oſtenſum tibi unguenti armarii magnetiſmum naturalem? vel an tractum gemmæ calumniaberis, & calumniatori quoque aſcribes? Judicabis (reor) præſtare & longe præſtare, nobiſcum ſentire, quod ſicuti mors, vulnera, morbus, cædes, per diabolum irrepſerunt, unde nil niſi malum: ita omne donum bonum de ſurſum eſſe, à patre luminum. Bonum univerſim cenſentes iſtud, quod neque ſubjectum, neque objectum, neque media, neque intentus finis, inculpare pravitatis auſint.

Cur Eccleſiæ antiſtites annulos cæruleos geſtent.

Solent proinde pridem, Eccleſiæ proceres, annulos ſaphiro ditatos geſtare, ignorato apud illos, pene illius gemmæ uſu. Etenim quibuscumque data eſt animarum cura, iisdem quoque incumbit ex lege & officio, contaminatis peſte aſiſtere: caligine nimirum ignorantiæ, præclariſſimam rerum naturalium ſcientiam, hodie inumbrante: in cujus vicem, dicendi lepor, inflantis & mortuæ litteræ nitor, & præſumens garrulitas, ſucceſſere: quod dolendum ſummopere, atque admirandum magis, artes mechanicas, proficere quotidie: ſolum vero naturalium ſtudium, cenſuris iniquis terreri & retroire, prolixior de ſaphiro fui, quia ſimilem cum armotum unguento, paremque caſum prorſus continet.

Eſt magnes homini.

Eſt igitur hac in parte, ſuus quoque homini magnes, quo tempore peſtis, per inſenſibilem tranſpiratum, à contaminatis venenum, forinſecus haurit. Natura etenim, quæ ſolet alias benignum ſuccum duntaxat admittere, eumque ab excrementis ſolerter ſecernere, hoc ſuo nunc magneti ſuccumbens, nocuam auram allicit, mortemque intro vocat. Contra quem magnetem, ſuus eſt magnes contrarius (ne videlicet diſputatio, ulla ſui parte, cedat ſterilis) ipſe nempe ſaphirus vel etiam fruſtrum ſuccini lucidum, prius per ſeptem planetarios pulſus confricta (ſunt autem ii in gutture, carpis manuum, prope pedum malleolos, & ad cordis thronum) & collo, periapti vice appenſa, humanum magnetem præcellunt, impediunt, adeoque diræ lucis amuleta certiſſima; alioqui plane inefficacia, ſi pulſuum confrictio non præceſſerit. Quæ enim prius ſafirus, & ſuccinum erant, ab affrictu, mutatâ familiâ, nomen prius amittunt, & zenexton deinceps appellantur. Hæccine quoque diabolica cenſebit, & inito pacto attribuet aliquis?

Zenexton peſtis.

Sat eſt paucula, ſufficientia tamen exempla, & unguenti armarii parem caſum continentia, attuliſſe; nunc tempeſtivè nos ad tua argumenta volvemus.

5. Ratio pro Cenſore.

Arguis Goclenium, de inſcitia Ariſtotelicæ doctrinæ, eo quod idem accidens, migrare de ſubjecto in ſubjectum, inſinuet (utinam tam præſtò eſſes probando, ac es refellendo) utpote & hoc pertinacitatis eſt ingentis, putare

putare cicatricem in cadavere non eandem esse, quæ in homine hesterno fuit. Frustra etenim nos sanctorum reliquias veneramur, si sola materia impossibilis Aristotelicorum, supersit, & non accidentia quædam, in corrupto remanserint, quæ olim erant in vivo. Ecce, quo Paganicus error, præcipitet improvidè carpentes. Putare inquam impossibile, quod prorsus est necessarium, densissimæ est ignorantiæ officium, lumen scilicet, à sole usque in terram, vel ictu oculi celerius, per minimos quosque atomos aëris, producere novas species, & specierum species luminis: Cæcutire nempe hoc est ad solem; nam si non haberemus lumen, & virtutem solis apud nos, sed millesimam, millenorum millium speciem luminis, & virtutis duntaxat; ne quicquam cresceret, & refractione vel unione radiorum, nunquam ignis produceretur. Etenim species specierum luminis, cùm lumen non sint magis; quàm colorum species, colores ignem nunquam causarent. Ego certè mihi gratulor, de ignorantia talis doctrinæ, de qua Goclenius, velut rudis accusatur. Nonne trans vitrum, candenti fluxu sigillatum (in quo nullus invenitur porus) ligula compassi, ad polum sese flectit? & ad ferrum vicinum trahitur, polo interim neglecto? Igitur idem accidens, trans vitrum migrat, de magnete in aërem, & ad polum ipsum fortassis attingit. Et magnetismus quoque, qualitas cœlestis est, astralibus influentiis persimilis, nec loci distantiis coercita, prout neque unguentum magneticum, de quo disputo.

Necesse est accidens migrare idem de subjecto in subjectum.

Magnetismus qualitas cœlestis.

Rides, quod usneæ herbulam, ex cranio hominis trium litterarum, legat Coclenius. Nec est sanè, quod hic putaveris anguem in herba, superstitionis vanitatem latere: nam etsi Jesuita, suspendio, alioque martyrio enectus, ad siderum influxum & obedientiam exiccari relinquatur, ejus caput, consimile furis cranio, usneam oriundam, peræquè utilem, & simul corradendam exhibebit: siquidem usneæ semen de cœlo cadit in agrum calvariæ, interdum enim spumâ pluit, quæ aurora dicitur: subinde mucilago tenacior, quæ sperma siderum vocatur, decidit. Nonnunquam ranis, araneis, &c. pluit cœlum, quæ decidendo substantia fiunt tangibilis & vitalis. Alicubi in montanis, lacte pluit, non minùs quàm sanguine: non rarò quoque in lapides & ossa, incumbit alba, & bituminosa substantia, cælitus dimissa, quæ usnea fit. Hæc alibi crustam lapidibus inducit, ubi lapidescit; & alibi in muscum degenerat. Huc spectant ros, manna, throni, thereniabin, nostoch, nebulgea, laudanum, & his similia. Quanquam hæc aëris substantiam magis participent: ubi interim siderum excretiones usneæ, altioris sunt prosapiæ, & flores cœlestes nuncupatæ multa moliti sunt per eas; utpote cum cœlorum favore, & influentia continua sint ditatæ fundamento egregiarum virtutum non carent. Usnea igitur cranii, cum cælitus semen acceperit, uterum autem & suum incrementum ex

Fur, latro & vir aut mulier proba eandem dant usneam.

Vide & quid usneæ semen.

Fructus aëris.

Usnea fructus ex igne.

 medul-

medullis mumialibus cranii humani, & arcis microcoſmi: non mirum ſi inſignes, & ſupra vulgarem vegetabilium ſortem, poteſtates obtinuerit aſtrales & magneticas, quanquam non deſint herbis, quà herbæ ſunt, ſui magnetiſmi. Dicam quæ vidi, Miles quidam, & nobilis, fruſtulum aliquod uſneæ cranii humani, intra cutem & carnem capitis, conſolidatum gerebat; qui amicè intercedens, inter duos fratres, invicem de vita dimicantes, gladio in capite cæſus, in terram cecidit, quo ictu pileus & coma, ad cutim uſque, velut novaculâ, diſciſſa fuerunt, pelle tamen illæsâ evaſit. Vos conjicite, cuinam cauſæ, pellis tutela dedicanda ſit. Ego conjecturis non aſſuevi, animum incertis torquere: fulgur ſiquidem enſe potentius, ſi laurum, non ſaltem vitulum marinum quatit, nec equum attingit, cujus chamus, vituli marini pinguedine, inunctus ſit; nec ſtabulum ferit, cujus poſtes, tali adipe pingues ſunt. Experientia eſt trivialis. Tranſeo attamen, & aliis hanc arenam relinquo, ubi ſimile paradigma prius monuero. In Arduenna D. Hubertus colitur, quo omnes à cane rabido demorſi, tendunt (prout ad ſancti Donini, & Bellini ſacella alii confluunt (flocculus ibidem de ſtola D. Huberti, intra frontis cutem, demorſi à rabido, ſolidatur, & in poſterum, à nulla fera rabida, feriri poteſt, dentesque arcet flocculus. Reſpondebis id miraculum eſſe Dei, per reliquias, eſto miraculum: Deum tamen in miraculis, ut plurimum ad latus naturæ ire, hujusque morem obſervare, ipſi ſuo flocculo oſtendunt. Nam qui ſolo verbo poteſt omnia, etiam mediis ſubinde utitur. Sic ſudor in ſudario D. Pauli, eſto unguentum magneticum: ſudor vero ægrorum, vel etiam inſenſibile effluvium; ab iis effluens, eſto ſanguis vulnerati, intra unguenti pyxidem, bacillo poſitus, eveſtigio tota undique noxa ex ægro, magneticè trahitur. Idque eo fit potentius quo magnes ille ſupernaturalis, majoris eſt efficaciæ: par eſt ſcilicet utrobique ratio, & par modus; niſi quòd in mundo materiali, ſanguine & unguento, ſeu mediis corporalibus contingat: in ſupernaturali vero, per amicorum Dei reliquias, multùm ſaltem hoc nomine venerandas: quæ ut unguento magnetico proximiores evadant, è quibusdam fontem olei, liquoris, balſami, indeſinenter ſtillantem, excitavit noſtri miſertus Deus; quo ſcilicet magnetico remedio utrobique ſuffulti, certò ſciamus, curationem magneticam Deo acceptam, & in utroq; mundo, conſimili ordine, pari paſſu, unoque ductore ire. Hinc nempe reliquiæ recentes, plura & auguſtiora edunt miracula, vel ubi transferuntur, tanguntur, &c. quia neceſſe eſt magnetem fricari, moveri, ſi ipſum trahere oporteat.

In uſnea dorſum etiam magnetis mutato ſcopo.

Deus in miraculis ſequitur naturam.

Deus per reliquias magnetiſmum unguenti approbat.

Magnetiſmus ſupernaturalis probat naturalem.

Ad te, uſnea cælo ſata, redeo: qui enim à rabie per flocculum, & alios pios ritus convaluerit, nedum liber à cane furente in poſterum relinquitur, ſed (quod magis eſt regium) alteri poteſt demorſo à cane rabioſo, tempus

Uſneæ flocculum in fronte con-

pus differre ad multas quadragenarias, donec queat D. Hubertum suo commodo adire, silente interim & suspenso veneno rabidi. Consanguineum natura quoque dedit. Zinzilla (quæ est excrementum diaphragmatis in flegmonem abiens) occidit, ubi zonæ instar, circumierit; Curatur autem tutò & celeriter, si sanguine cujusdam, qui semel illo morbo laboraverit, foris, vel tenuiter locus inungatur. Nempe qui semel à morbo illo convaluerit, sanguinem nedum balsamicum obtinuit, unde in posterum ab eodem morbo tutus sit; verum etiam eundem affectum curat in proximo, ejusque sanguinem cutaneo attactu, vi magnetismi, in balsamum similem transplantat.

Flocculus in fronte in totam vitam præservat à dente. impressio sanguinis eadem in zinzilla.

Dices si magnetismus sit in usnea, frustra erunt reliqua. Respondent Medici, quædam esse principalia, alia verò minus, aliqua esse contrarietates impedientia, nonnulla vero excitantia, quædam quoque augendo promoventia. Hanc scilicet fuisse compositionis necessitatem. Quamobrem prout fuit impertinens dicere. Si usnea magnetismum habet, ergo pro reliquis frustra exenteratur homo: Ita quoque absurdum esset inculcare. Si usnea per se non habeat sufficientem magnetismum neque adeps, neque sanguis, &c. ergo neque toti composito inerit is magnes unguento attributus. Cùm singula nequeant adferre in compositionem, quod antea in simplicitate non habebant; cogar subinde tuas explere vices & pro te cavillationes somniare. Verumtamen debueras prius, ex rusticis experimentis didicisse, in compositione, sæpius novam atque insolitam qualitatem emergere, quæ in singulis antea simplicibus, latebat minimè, novisse nempe conveniebat, nec vitriolum, nec gallas, esse nigra: juncta tamen atramentum efficere.

6. Ratio pro censore.

7. Ratio pro censore.

Objicies rursus: si usnea in se magnetismum custodiat, ex virtute mumiali ossium, & cœlestium orbita: ergo eadem non ex solis craniis, sed ex ossibus quoque cæteris sceleti, colligenda erit; ridiculum & illud: quippe solo natura quoque subest; & piper recens, in Italia plantatum, idcirco hederam patrat. Veratrum in Tridentino tractu, vi purgante orbum est. Et papavera apud nos, lethali qualitate privata, utcunque patria nostra, decuplo gelidior quam ipsæ Thebæ. Ideo varia est usnea, vario ossium solo succrescens. Si etenim fulgur, in tactis loculis, nummos liquefaciat, & ex decem sodalibus compressim assidentibus, unum de medio tollat & collidat; idque inquam non casualiter; sed permissu ejus, qui ne frondem de arbore injussam, decidere voluit, contingat, & cujus solius ope, virtutes omnes stabilitæ sunt: non mirum quoque fuerit, aliud usneæ semen magneticum, super cranium, & alterius classis super ossa cœlitus depluere cætera. Saltem os capitis, valet ad epilepsiam: non item ossa reliqua: tum demum, cerebrum totum in cranio consumitur & liquescit, cujus liquoris

8. Ratio pro censore.

Piper degenerat in hederam.

viſceris inquam) irroratione continua, vires cranium acquirit alias, quas aliis abeſſe oſſibus animadvertimus.

9. Ratio pro cenſore. Novi ſatis contradicentium mores. Cùm enim nil in rem ipſam momenti habent amplius, contumelioſiores fiunt, & in hominem impingunt: quocirca dicet fortaſſe aliquis. Magnetiſmum eſſe quid novum à Paracelſo ſolo inventum: eum autem fuiſſe hominem improbum & ignarum. Tum quod ſi fuiſſet uſpiam talis virtus naturalis, illam non tot ſæculis occultam ſtetiſſe, & expectaſſe in adventum Paracelſi.

Reſpondeo quoad ſcommata, & multorum ſubſannationes, in virum Germaniæ decus inſtillata, ne nuce quidem digna eſſe, & aſſerentem, eo ipſo reddere indigniorem: utpote qui nedum vivos, ſed & mortuos judicare annititur. Nam quæ de litteris, ſapientia, adeptisque donis, perhibent ejus monumenta, non eſt quod impar laudem ego, qui neminis encomium ſuſcepi: ſed res ipſas trutino. Eſt itaque objectio, ſuperbia ſua ſterilis, quæ nimirum præter vivos & mortuos, etiam Deum ipſum judicandum aſſumit: non debuiſſe nempe in Paracelſum ſed in aliquem alium (Jeſuitam fortè) infudiſſe, nec ſeculo Theophraſti, ſed citius multò aperuiſſe tantam naturæ conſonantiam: atqui cedo, cur Ignatius tam ſerò venit, ut ſocietatem toti orbi tam proficuam ſtabiliret? cur non multis antea ſæculis ea emerſit? Eheu quò te præcipitas præſumendo, miſer homo, an non Deus, ſui beneficii liber dator? & in immerita donatione ſibi complacet? cotem juxta quem de perſonis judicemus, præbuit: nempe quod ex operibus cognoſcemus eos. Quæ autem ſint Paracelſi opera, & quam omni expectatione naturæ & linguarum mordacitate majora, ipſius Epitaphium ab Illuſtriſs. & Reverendiſs. Antiſtite Principe Salisburgenſe, illi benemerito funeri appenſum, ſatis invita invidia declarat.

Quomodo de perſonis judicandum.

Epitaphium Paracelſi quod Salisburgi in Noſocomio apud S. Sebaſtianum ad templi murum erectum ſpectatur lapidi inſculptum.

CONditur hîc Philippus Theophraſtus inſignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera, lepram, podagram, hydropiſim, aliaque inſanabilia corporis contagia, mirifica arte ſuſtulit: ac bona ſua in pauperes diſtribuenda collocandaque honoravit. Anno 1541. die 24. Septembr. vitam cum morte mutavit.

Para-

Paracelsus igitur, tantum abest, quod malè sit meritus, quia antiquitati ignotum magnetismum, & loco naturalis studii, quod passim in scholis sterile docetur, reale aliud, corporum analysi & synthesi, ad manus probabile, & longè uberrimum attulerit, quin proinde potius, denominationem Monarchæ arcanorum, justo titulo, præcedentibus cunctis eripuerit, nisi cum osoribus, bene gesta, & in bonos usus congesta, ignari judices vituperemus omnia. Ita sum homo: sordent apud me, quæcumque sola consuetudine, fidem merentur? cum nil sit, quod majori nos implicet caligini, quam quod ad consuetudinem componimur, rumori somnioque assentientes creduli, eundum est itaque ad libertatem, fruendum, non serviendum judicii muneribus. *Paracelsus monarcha arcanorum.*

Objicies; in sublunaribus, non esse vim influentialem, cœlestibus impressionibus parem: atqui si hac impegeris, omnes rectè philosophantes, unà reprehendes: qui superam lationem in inferis esse, modo inferiore, & inferiorum analogiam in superis rectè adnotarunt. An non herbæ, animalia, & æger homo, mutationes temporum futuras, præsentiunt & præsagiunt? an non rana, quò profundius sibi instantis brumæ hospitium excavarit, eò immanior hyems expectanda est? hinc etenim auspicia meteorica: non quidem quòd ista contingant motu cœlestium præcoci, & adhuc futuro, quippe priusquam adsit, causet eam sensationem præsagam in sublunaribus. Absit: futura enim tantum nuntiat firmamentum, non autem causat. Verumenimvero creatis singulis suum inest cœlum, cœliq; rotatio, dependens ex ente seminis, in cujus spiritu (utpote qui universi celaturam continet) suum est cœlum, & sua sunt insuper ascendentia: nec est quod nos Astrologiam pessundare putes; at elucidamus; res siquidem unaquæque suum cœlum, cœlorumque ob id syzugiam continet: cœlorum tamen motus, quia notissimus, quia communissimus, particularium cœlos (sic dicam verbi defectu) dirigit juxta se. Hæc nimirum causa est, cujusque naturalis inclinationis: atque ubi creatura à motu illo cœli, tamquam norma communissima, proprii cœli persuasu, exorbitat, confestim adest ægritudo & defectus: nam ovis sine ductore, incerta oberrat; propterea nempe ægroti præsentiunt tempestates, temporum futuras mutationes, non itidem sani: mare namque si flueret & reflueret, ductu Lunæ cœlestis, id est, pyromantiæ solius, & non Lunæ suæ hydromanticæ: venti quoque si concitarentur ductu Mercurii cœlestis, & non astri chaomantici sui, profectò nec essent uspiam venti ulli provinciales, & per totum orbem (quia unicus est tantum Mercurius, & simplex Luna in cœlis) consimilis flaret ventus, & mare flueret ubique, si non eodem tempore: saltem rythmo eodem quod neoterica navigatio improbat. Sat est itaque, hic obiter ostendisse, naturam cœlestem & enormonticam, rebus ipsis inesse, quæ tamen

10. Ratio pro censore.

Res quæque habet suum cœlum particulare.

Unde inclinatio.

Unde morbus astralis in nobis.

Unde ægroti præsentiant temporum procellas.

Quid in mari fluxum & refluxum causet.

Unde venti concitentur.

men ad rithmum ſuperioris lationis, ſeſe concitet ac moderetur, quandiu non refractaria haberi velit. Firmamentum quoque non cauſare futura, niſi remotè, idque primis tantum qualitatibus, vice cujuspiam coqui: alioqui opulenter enuntiare opera manuum Dei. Res ipſas autem continere in ente ſeminali firmamentum particulare, ratione cujus ſymbolizant ſupera cum inferis, lege amicitiæ & philautiæ: ex quibus ſaltem nunc colligere eſt, magnetiſmum, & vires influentiales, paſſim rebus inſitas atque proprias: quas qui à ſublunaribus arcet, ſubterfugium inane quærit.

Cœlum non cauſat ſed enuntiat futura.

Ens ſeminis cujusq. habet firmamentum & virtutem influentiæ ſuæ.

11. Ratio pro cenſore.

Inſtabis propius accedendum eſſe, nec ſatis adhuc conſtare, in ſublunaribus, cœlorum qualitatem æmulam, & quidem talem, quæ ad longè diſſitum, & abſens objectum influat: quod tamen in unguento armorum præſupponitur: adeoque magnetiſmum eſſe quidem virtutem cœleſtem, nullatenus tamen ſublunaribus tribuendam multoque minus, conficto unguento armorum. At quid eſt aliud (quæſo) quam negare magnetiſmum, extra vel præter magnetiſmum? nam ſi univerſim omnem ſublunarium influentiam ad invicem, vocitemus magnetiſmum, eamque occultam coaptationem, qua abſens in abſens, per influxum agit, ſive trahendo vel impellendo fiat, etymi defectu magnetiſmum nuncupemus; profectò quicumque negat extra magnetiſmum, influentialem vim ſublunarium adinvicem, & dari ſibi inſtantiam ex adverſo poſcit: is abſurdum requirit, magnetiſmum nimirum extra magnetiſmum, neſcitque quid neget aut petat.

Ignorantiæ ſubterfugium.

12. Ratio pro cenſore.

Siquidem in ſublunaribus exempla facti attuli, & inſtantias plurimas, appoſitasque de naſo nempe inſititio, de ſaphiro, de perſicaria, aſaro, & herbis plurimis. Sed negabis (ſat ſcio, quia neſcis) vel ea non accidere, vel ope diaboli (quod paratius eſt) evenire aſſeres. Moris non eſt, nudis authoritatibus diſputare phyſicos: ad manus, experientiam ſcilicet, eundum eſt nobiſcum certantibus. Explora igitur, & nos mendacii arguas; ſi nequis, ſaltem credas: idcirco inſolentis eſt petulantiæ, negare facti eſſe, quod paſſim triviale, quia nimirum non exploravit, nec explorare anniſus ſit: multoque inſolentius, dæmoni indifferenter aſcribere, quod naturæ ubique conſonum eſt, ut mox docebitur: idque unam tantùm ob culpam ſcilicet: quia nimirum à noſtro Cenſore, modus per cauſam intelligi nequit: à Cenſore qui intelligendi ſuo acumine, & phyſices Ariſtotelicæ ſtudio, ambitum totius naturæ undequaque ſe luſtraſſe præſumit: à Cenſore inquam, qui etſi in unguento, nil deprehendat ſuperſtitioſi, nihilque illiciti; propter applicationis tamen modum ſibi paradoxum, illud ceu improbum damnat, execratur, & diabolicum neſcio quid continere aſſerit. At cujus obſecro? quia nempe enſis vel paxillus cruentus, unguento mumiali & magnetico emplaſtratur: quia ſanguinem ſemel extravenatum, cum eo,

13. Ratio pro cenſore.

qui

qui adhuc venis fovetur, concordantiam servare nescit: Et quia ad longè dissitum objectum, extendi actionem unguenti non credit. Sed redi ad te: quia mox ea intelliges, & credes, nisi pertinax. Nunc in gratiam tui, magnetismi actionem in sublunaribus ad lunam revocabimus.

Enimvero extra immerito suspectam tibi, rerum & herbarum classem, influentiam rerum quarumdam, adinvicem esse, & servari inter objecta distantia nunc ostendam. Vitis quæ in flore est, turbat vina procul. Excusabis eandem mutationem, fieri impetu cœlorum: probatur quod non: si etenim cœlum causaret flores in vite, & vinorum in cadis turbulentiam, necesse esset, utrumque annis singulis, stato fieri & definito quasi momento: quod falsum est. Nam subinde vitis florescit, & turbatur vinum ante solstitium, atque in eadem regione, alio anno, longè post: sed paucis minutis exceptis, sol & stellæ fixæ, singulis annis ad idem punctum redeunt: ergo vitis floreret, & vina turbarentur, eodem semper tempore. At si diverticulum quæras, & alios, præter solem, planetas, hujus rei causam dixeris, qui non singulis annis in solstitio parem habent situm, saltem uti communissimus est cœlorum motus, vineæ florerent eodem anno, omnes ferè ubique simul: quod falsum est. Nam sicuti solo, natura astralis subest: ita & viti, eadem natura particularis inest: quæ & ipsa per se (non secus ac terræ data est vis germinandi per se) florem, fructum, & semen profert, seseque ad rithmum generalissimi motus cœlorum componit & movet: Asserunt adhæc, vina neutiquam turbari, regionibus, quibus nulla vitis nascitur; ergo vitis flos, & non cœlorum motus, vina turbat, idque multis inde milliaribus; cæterùm eò quidem potentiùs, quo vina, viti sunt propinquiora.

Vitis turbat vina, non cœlum.

14. Ratio pro censore.

Studiis publicis gratulor, illique benè faveo, qui novit, quodammodo antimonium vulgare, inter præparandum, ad influentiam se continuò dirigat.

Antimonium observat influentiam.

Mensuram confectam metiri volo: itaque potestatem quandam influentialem, loci distantiis non obnoxiam, sublunaribus familiarem satis probavero, atque eò violentiùs in favorem magnetismi, si ipsum magnetem, sua se sponte ad polum dirigere, nullatenus autem à polo trahi, docuero: etenim magnes unus, ad tres, alter ad sex, septem & undecim gradus à polo declinat: nullus autem (quod sciam) rectà polum signat; igitur si traheretur magnes, vel à polo, vel ab aliquo poli vicino, velleretur: non enim à polo ipso: quia quicquid trahit, ad se per lineam rectam, & non per obliquam trahit: quocirca si magnes traheretur à polo, rectà quoque polum ostenderet; igitur magnetes, saltem quod vidi hactenus, non à polo trahuntur: neque etiam ab aliquo vicino circa, nam cum illud ipsum quiescat nunquam, sed indesinenter in orbem feratur: igitur si traheret,

Magnes se dirigit non autem trahitur.

etiam magnetem inquietum redderet, trahendo ipſum, nunc aliquot gradibus ad ortum verſus, mox totidem gradibus ad occaſum, nunc vero ad zenith ſurſum, aut deorſum velleret: quod falſum eſt: ergo non trahitur, ſed ſua fertur ſponte magnes. Quod autem alioqui magnes per ſe ſurſum feratur ad zenith, inſtrumentum eſt quoddam à Guillelmo Guilberto inventum cujus inventi gloriam, Ludovicus Fonſeca, nuper apud majeſtatem Catholicam ad ſe rapere anniſus eſt: hoc inquam poli altitudinem, ubique locorum ſpontanea elevatione in annulo æneo ſuſpenſo oſtendit, nedum latus poli.

15. Ratio pro cenſore. Pro polo certabis, viam fuge luſtrans: polum quidem trahere magnetem, ſed juxta variam certamque magnetum diſpoſitionem materialem, eoſdem non rectà ad ſe (ea nempe eſt trahentis conditio & voluntas) ſed ad locum vicinum vellere: hoc eſt dicere. Polus trahit quidem rectà magnetem ad ſe, non tamen magnes trahitur recta ad polum, propter impedimentum aliquod ignotum (quod vocas certam ejus diſpoſitionem) inexiſtens magneti, quod poli tractioni reſiſtit, eaque potentius & ſuperius eſt: quanquam ſoſpes à tot millenis milliaribus, eadem ad magnetem pertingat. Vides quantum veri ſubterfugio ſis deditus? & quàm recuſas, ineſſe magneti diſpoſitionem tamen certam quandam motricem, invitus magneti inhabitare aſſeris (certam dicis, fictam tibi, & omnibus in toto incertam) præter, & ſupra tractum poli? quod idem eſt, ac ſi dixeris, magneti ineſſe directricem virtutem ad aliquem diſtinctum locum, non autem trahi à polo.

16. Ratio pro cenſore. Recalcitrabis pro vicino poli, dicendo magnetem trahi, non ſemetipſum dirigere: trahi non ab aliquo puncto, aut aſtro, ſed à toto circulo quodam, prope polum: reſpondeo longe petitum eſſe ſubterfugium; nam iſte circulus, ſaltem latitudinem habebit ad minimum octo graduum. à tribus nimirum ad undecim gradus: quia tantæ variationis magnetes vidi. Ergo ſi toti circulo ineſſet poteſtas trahendi, idem magnes continuò variaret, nunc ad tres tandem ad octo vel undecim gradus à polo deflecteret eadem hora: quod falſum eſt. Ergo ſaltem in tantæ latitudinis circulo, erunt diverſæ orbitæ, quarum ſua quæque, ſuum magnetem alliciet: quo conceſſo, recides in idem barathrum: eſſe nempe diſpoſitionem quandam in magnete, cur potius ab hac, quam ab alia ſolicitetur orbita, & per conſequens, figmentis ad lubitum deductis, erit virtus nihilominus motrix in ipſo magnete.

Vitrum magneti, cum. Nondum ſatis eſt: ſi polus traheret magnetem; hoc fieret vel ob elementalem & materialem temperiem lapidis, vel propter ejus formam: atqui vitrum optime elotum, utcumque multis frictionibus mundatum, in quo fuit magiſterium magnetis præparatum, inpoſterum ſuos etiam obſervat.

ſervat polos: ob impreſſionem ſcilicet, vitro citra reliquias corporeas communicatam. Chalybs quoque poſt magnetis attactum probè elotus & abſterſus, polum notat nihilominus: quæ duo, cùm neque parem invicem, neque cum magnete contemperationem vel formam habeant; commonſtrant ob neutrum finem, polum magnetes trahere. Dices affrictu, participationem magnetis factam in poris chalybis, aut ſpondilibus vitri, miſera excuſatio! nam reſina abiegna, per ſe coagulatur in lapidis duritiem, quæ tum ferrum non aliàs, quàm magnes allicit. Hic ſaltem fictitia magnetis participatio ſubſidit. *17. Ratio pro cenſore. Reſina magnetica.*

Magnes ſolo allii affrictu polum negligit, ſervata ſibi interim forma, materia, & proprietatibus, quia nempe per allium obdormiſcit, ſpiritualis illa ſenſatio in magnete: quam ſenſationem, cauſam unicam actus proprietatum formalium, jam antea perhibuimus, debilis utique poli tractus foret, qui per tot cœlorum orbes, vaſtamque aëris regionem, per tecta, per muros tranſiret, ſolum vero allii ſuccum (aut mercurii fuliginem) penetrare neſciret, conſtante radice materiali eàdem, & forma lapidis unica. *Allium contra magnetem quid agat, & cur idemque de Mercurio. Cauſa occultarum proprietatum.*

Natans magnes, parte certa ad Boream, altera ad auſtrum fertur. Igitur ſi iſtud à trahente polo fieret, totum latus boreale lapidis, ſemper à polo boreali duceretur quod falſum eſt: nam boreali latere, ſi ferrum tetigerit, non illud ſecundum ſuam proprietatem ad Boream, ſed ad auſtrum inclinabit, & ſi lapidis pollen ferro adhæſerit: ſin vero auſtrali, ferrum tetigerit, illud ad boream vertet. Item magnes qua ad boream parte, ſe ſemper inclinavit, ultra lineam æquinoctii, ad auſtrum tendit.

Adhuc pauliſper. Magnes ſcutellæ innatans, ſtagno quieto, ſi boreali parte verſus fuerit ad auſtrum violenter: ſtatim boreale latus Aquilonem repetit, velut impete ductum: igitur ſi à polo ipſo, magnes velleretur ad polum, & non eſſet ſpontanea lapidis directio, neceſſariò eodem tractu, tota ſcutella fluctitaret & traheretur ad ripam aquilonarem: quod falſum eſt; directione namque borealis lateris acquiſita, ſtant ſuper aquam magnes & ſcutella immobiles. Eſt igitur in magnete virtus influentialis, quæ citra reſpectum propinquitatis objecti, cœleſtium more, liberè ad polum usque fertur, cum ſit ſpontanea magnetis ad polum eradiatio: itaque ſi unica naturalis eſt jam reperta virtus in ſublunaribus, ad objectum longiſſimè diſtans, diradians (puta in magnete) ſatanæ nequaquam aſcribenda: ſufficienter quoque probatum erit, & pares plures eſſe poſſe, prorſus naturales, ut in exemplis allatis & unguento armario. *Virtus ad diſſitum objectum eſt naturalis etiam in ſublunaribus, & eſt magnetica.*

Magnes itaque, vel ferrum à magnete contactum, cum ſponte ſe ad polum convertant, neceſſario extenditur qualitas quædam, à magnete ad polum: quam quia novimus fieri citra effluvium aliquod corporeum, idcirco can- *Quid Goclenius vocet qualitatem ſpiritualem.*

Crassus error. co eandem spiritualem denominamus, in hoc à Theologo nostro dissentientes qui spiritum contra omnem naturam corporeum, velut quid præter naturam distinguit. Medici vero, duntaxat contra crassiorem corporis compaginem; hoc pacto dicimus, solis lucem, & cœlorum influxum, torpedinis jaculationem, basilisci visum &c. esse qualitates plane spirituales: quod scilicet non communione substantialis evaporationis, in distans dispergantur: sed tanquam imperceptibilis lucis medio, diradientur à subjecto in objectum debitum.

Censor immeritò carpit Goclenium. Quibus sic suppositis & probatis, satis liquet, quod nondum intellecto Goclenio, ipsum Theologus nihilominus carpserit, multoties immeritum. Primò quia qualitatem spiritualem in unguento corporeo stabularet Goclenius. Secundò, quod radialis lucis instar, seu medio ac vehiculo *Media magnetismi.* tractus, feratur in objectum appropriatum. Tertiò quod spiritus mundani sensatione quadam (omnis sympathiæ causatrice) deferantur ejusmodi *Censor malè interpretatur spiritum Philosophicum.* qualitates, ad longinquum & destinatum objectum: hunc spiritum Theologus cacodæmonem interpretatur suo, at nescio quo jure; cùm sit aura ætheris purior & vitalis, qui solem, titaniaque astra, spiritus intus alit, totamque diffusa per artus mens agitat molem: adeoque mundum communione quadam, partium ac virium conspiratione, moderatur, juxta consensum omnium rectè philosophantium: verbi gratia, Solissequi flores, sentiunt solis iter: mare lunæstitium utrumque notat. *Omnis creatura vivit suo modo.* In summa omnis creatura, per vitam (Regem qui omnia vivunt adoremus) essentiam, existentiam, & sensationem, Creatoris majestatem, liberalitatem, & *Censor non intellexit Goclenium, & carpit tamen.* præsentiam attestantur. Quocirca Censor noster, meritò redarguendus est, quod antequam medicum philosophico stilo scribentem, intellexerit, carpserit ausu plane intolerando. Adeo namque fuit difficile modum tenuisse in cunctis.

Quæstio censoris admirantis nescii. Rogas quid trahatur è vulnerato, & quomodo fiat tractio per unguentum absens? At sane non injurius responderem: quando ipse nobis ostendetis, quapropter magnes ferrum traxerit, seseque ad polum converterit: tunc tibi quînam mumia, tactam mumiam, per mumiam sanet, indica vero: at quia insufficientiæ Goclenii hac in parte reparandæ, substituti fuimus, mox quoque quînam tractio magnetica unguenti, contingat, didactico analogismo ostensuri sumus, si tamen quid trahatur tibi satisfecero. *Quid unguentum trahat è vulnere absente.* Notandum igitur in vulnere, non solam continui fieri solutionem; sed simul introduci exoticam qualitatem, unde labra vulneris indignata, mox æstuant, apostemantur, imo totum abinde corpus, febribus, ac varia symptomatum syndrome, conflictatur: sic namque ovum, cujus putamen, vel tenuiter saltem læsum est, putrescit, ubi alias potuisset conservari.

Magnetismus igitur hujus unguenti, trahit peregrinam illam dispositionem

tionem ex vulnere, unde labra, nullo demum accidente prægravata, sine dolore sunt, & mox accrescere festinant, nullatenus impedita: Naturæ ipse, vulneris medicatrices sunt, medicus, illius tantum minister; nec pharmacum in vulnere carnem gignit, satagit si obstacula removerit: quæ aliàs, unicum armorum unguentum, arcet satis, securè, & opulenter.

Objicies unguentum armorum, non debere potius allicere, alienam jam dictam qualitatem; quam naturale robur, & venarum vires: quodque sanguis, in unguento cum sit sanus, adsciscere deberet sanitatem vulnerati, non autem indispositionem; prout nempe de Carlina scriptum est. Respondeo diversos esse magnetismos: quidam enim trahunt ferrum, quidam paleas, plumbum, quidam carnem pus &c. nonnullorum vero ea est gratia, ut pestiferam duntaxat auram extrahant &c. imo si effectum sanationis, in unguento nostro, cum tuo argumento copulaveris, telum te sauciabit proprium: exinde etenim quod effectus unguenti, sit sanare perfectè, breviter, absque dolore, sumptibus, periculo, & virium jactura: hinc inquam liquet, virtutem magneticam unguento, à Deo naturaliter, & non à satana inesse. Quoniam si hic cooperator esset dictæ sanationis (quod asseris) eadem esset imperfecta, cum roboris amissione, debilitate, vitæ jactura, difficili convalescentia, vel animali alicujus majoris, & infortunii recidiva. Quæ singula prout diabolicis curis sunt annexa: ita procul à cura nostri unguenti absunt. Pro nobis fidem facient, quotquot unquam hoc unguento curati sunt. Satanas nunquam veridicus est, nunquam bonisuadus, nisi ut decipiat, imò nec dudum in vero perseverat: semper namque, si quippiam boni attulerit, plusculum mali submiscet hostis. Eandem sanè legem, & in hoc unguento pro sua consuetudine servaret si author aut fautor esset: saltem tunc deficeret hoc remedium, quum velut ab inferis revocatur vulneratus, qui secus mortali peccati labe, vitam mox cum sanguine, periculoso vulnere elisurus esset: nisi satanam, tunc nostri misertum fortè dixeris; & quod jus, in talem vulneratum jam sibi acquisivit, ipse in ancipiti ponat, curando nempe per unguentum magneticum, quem perire mallet; fortassis quia angustus verbi, & pacti observator, jam apud vos est satanas, nec amplius versipellis, fraudulentus, impostor, mendax totus: præterea negamus suppositionem, & sanguinem extravenatum perfectè sanum: sed potius vita communi jam privatum, & initia alicujus corruptionis ingressum esse. Obtinere saltem vitam mumialem. Huc facit cruor putridus, & tamen magneticus in ovo.

18. Ratio pro censore. Reflectitur hoc argumentum in Censorem.

Effectus satanicus omnis est imperfectus.

Cur satanas non cooperetur cum unguento nostro.

Ratio.

Transeo itaque objectionis absurditatem, quod magnetem unguenti, ad placitum torquere ausit, non quorsum à Deo datus est.

Rationes positivæ magnetismi propinquiùs per metaphysicam & magicam deducta.

Quæ dicatur voluntas & phantasia carnis & exterioris hominis.

TEmpestivum est nunc, prodere causam proximam magnetismi in unguento. Consensu inprimis Theologorum mysticorum, hominem dividimus in externum & internum, utrique assignantes, mentis cujusdam potestates: sic nempe carni & sanguini voluntas competit, quæ non sit voluntas viri, nec voluntas Dei; & pater quoque cœlestis, quædam revelat homini interiori: quædam revelat caro & sanguis, id est, homo externus & animalis: quomodo enim idolorum servitus invidia &c. inter opera carnis rite numerarentur (cùm in imaginatione tantum consistant) si & carni sua non esset imaginatio, & voluntas electiva?

Duplex extasis.

Porrò esse extases miraculosas, homini interiori competentes, in confesso est. Esse quoque extases in homine animali, propter intensam imaginationem, extra dubium est: imo Martinus Delrio, Societatis Jesu presbyter, admittit in suis disquisitionibus, puerum quendam, tam violenta cogitatione, in civitate Insulensi ductum, quod flagranti eodem desiderio, videndi parentem, quasi per extasim raptus, eam multis inde milliaribus, absentem inviserit, & ad se rediens, omnium quæ viderat memor, multa quoque signa, apud parentem veræ præsentiæ suæ dederit.

Vis extatica sanguinis.

Corruptio potentiæ latantem manifestat.

Essentiæ rerum non putrescunt.

Ad quid putrefactio spagirica.

Plura occurrunt quotidie similia, quæ brevitatis ergo omitto. Istud autem fuisse desiderium exterioris hominis, sanguinis scilicet & animalis, certum est: nam anima, alioqui distigata, semel à corpore, nunquam, nisi miraculo reunitur. Igitur in sanguine est quædam potestas extatica, quæ si quando ardenti desiderio excita fuerit, etiam ad absens aliquod objectum, exterioris hominis spiritum, deducendo sit: ea autem potestas, in exteriori homine latet, velut in potentia, nec ducitur ad actum, nisi excitetur, accensa imaginatione, ferventi desiderio, vel arte aliqua pari. Porro uti sanguis quodammodo corrumpitur, tunc se ejus potestates omnes, sine prævia imaginationis excitatione, quæ antea in potentia erant, sponte in actum deducuntur; corruptione namq; grani, virtus seminalis, aliàs torpens & sterilis, in actum erumpit: utpote cum essentiæ rerum, earumque spiritus vitales, putrere nesciant, dissolutione inferioris harmoniæ, sospites emergunt. Proinde nempe omnis occulta proprietas, corporum compagine, digestionibus præviis (quas putrefactiones vocamus) jam dissoluta, ad manum venit libera, expedita, & in actum manifesta. Igitur cùm vulnus, aëris ingressu, qualitatem adversam admiserit, unde mox sanguis in labris æstuat, & aliàs purulentus evadit; contingit sanguinem in vulnere re-

re-

re recenti, propter dictam qualitatem exoticam, aliqualis corruptionis jam initia ingredi (qui etiam in paxillum tunc assumptus, unguento magnetico oblinitur) quo mediante corruptionis initio, potestas extatica in sanguine, latens potentialiter, in actum ducitur: quæ quia ad corpus suum redux est ratione latentis extasis, hinc sanguis iste ad sanguinem totius sui individuum respectum gerit. Tunc nimirum magnes, in unguento operari satagit: & mediante potentia extatica (sic voco etymi penuriâ) exugit noxam, è labris vulneris, & tandem virtute mumiali, balsamica & attractiva in unguento acquisita, magnetismus perficitur. *Causa magnetismi in unguento.*

En habes nunc rationem positivam magnetismi, in unguento naturalis, ex magia naturali deprompram; cui assentitur, lux veritatis. Ubi thesaurus, ibidem cor inquiens. Si etenim thesaurus in cœlis sit: tunc cor, id est, hominis interni spiritus, in Deo (qui paradisus, qui solus vita est æterna) est: sin vero in caducis, thesaurus configitur; tunc quoque exterioris hominis cor & spiritus, in caducis est. Nec est quod mysticum sensum adferas: sumendo non spiritum, sed cogitationem & desiderium nudum pro corde: frivolum etenim contineret quod ubicumque homo sua cogitatione thesaurum collocaret, ibidem sua esset cogitatio: ipsa quoque Veritas, textum præsentem non mysticè interpretatur, adjunctoque exemplo, ostendit realem & localem præsentiam aquilarum, ad cadaver. Sic etiam hominis interni spiritum, esse localiter in regno Dei in nobis, quod Deus ipse est, & hominis animalis cor, sive spiritum, localiter circa thesaurum esse, quid mirum? aut hominum animalium spiritus astrales, post funera, circa thesaurum defossum adhuc sese ostentent oberrantes? quibus nectiomantia veterum, tota sese emancipavit. Dico itaque, hominem externum, esse animal, ratione & voluntate sanguinis utens: Internum vero, non animal; sed imaginem Dei veram. Videant ergo logici, quàm defectuosè, hominem, à ratiocinii potestate definiant: de his plura alibi. *Cor à thesauro trahitur magneticè.* *Nectiomantia unde.* *Quid sit homo animal, & quid homo imago.*

Adjungam ergo magnetismum aquilarum ad cadavera: nec etenim volatilia, tam acuto sunt odoratu, ut ab Italia in Africam, ad cadavera concedant: nec enim odor tam largè, lateque spargitur; obstat namque; maris ampla latitudo interjecti, & quædam consumptionis proprietas elementalis: nec est quod visu arbitreris, has aves percipere cadavera tam eminus, maxime si ponè montem, ad meridiem ea jacuerint. At quid opus est, avium magnetismum inculcare pluribus: si Deus ipse, philosophiæ initium & finis, eundem processum, cordis & thesauri, cum avibus & cadavere, atque vicissim, expresè statuat? Si enim aquilæ ad escam cadaverum, ducerentur eodem appetitu, quo quadrupedes ad pascua ferũtur, certè dixisset uno verbo, quod animalia ad escam confluant, sicuti hominis cor, ad suum thesaurum: quod falsum contineret. Neque etenim cor hominis, ad *Quomodo aquila per magnetismum cadaveris alliciatur.*

nis, ad

nis, ad thesaurum pergit, ut saturetur eo, sicut animalia ad escam. Itaque non est comparatio cordis humani, & aquilæ in fine, propter quem ad desiderium tendunt: sed intensionis modo, nempe quod alliciantur & ferantur per magnetismum realiter & localiter. Igitur spiritus & voluntas sanguinis è vulnere habiti, & in unguentum paxillo intrusi, tendunt ad thesaurum suum, id est, reliquum sanguinem, adhuc vita interioris hominis potientem. Ast aquilam, peculiari elogio trahi dicit ad cadaver, quia à spiritu insito, & mumiali cadaveris vocatur, non autem ab odore corporis putrescentis. Istud nempe animal, solum spiritum mumialem, in assimilando, sibi appropriat. Hinc nempe peculiariter de aquila dicitur. *Juventus mea ut aquila renovabitur.* Si quidem juventutis renovatio, ab elixire spiritus, probè depurato, per quandam digestionem singularem, isti volucri propriam, & non ab esu carnium, prodit: alioqui etiam canes, & picæ renovarentur, quod falsum est.

Quomodo cruor in unguento trahatur ad thesaurum suum.

Cur aquila ad cadaver magnetice.

19. Ratio pro Censore.

Dices, longe petitam esse rationem, pro magnetismo: quid tum postea? si quod longe ab intelligendi capacitate tua, remotum fateris, illud tibi è longinquo deducendum fuerit? profectò, in sanguine omnium animalium, animam inesse perhibet genesis: insunt nempe sanguini, vires quædam vitales, tanquam si animatæ essent, è cœlis vindictam, imò & à judicibus terrenis, in homicidam, animadversionem postulantes: quæ cum sanguini, inesse naturaliter, negari neqeant, non video cur sanguinis magnetismum, in satanæ ridiculos actus, rejiciant. Amplius hoc dicam; ambulantes nempe in somno, non nisi ductore spiritu sanguinis, id est, exterioris hominis, ire, peragere, scandere, vigilibusque alioqui impossibilia, tractare: virtute inquam magica, exteriori homini naturali. Divum Ambrosium, exequiis divi Martini, visibiliter tamen adfuisse, & si corpore longe abesset. Spiritualiter tamen exequiis interfuit, spiritu externi hominis visibili, & non aliàs: nam quod in extasi illa, quæ est interioris hominis, sanctorum plerique, multa & absentia viderint, hoc fit, extra tempus & locum, in unitate collectis viribus supernis, & visione intellectuali; non autem præsentia visibili: alioqui anima, non separatur à corpore, nisi seriò, nec reconnectitur: quæ tamen reconnectio, exterioris hominis spiritui, est alias vernacula.

Sensatio naturalis & sensatio animalis differunt.

Non satis est in tanto paradoxo, rem semel attigisse: ulterius propaganda est, & explicandum, quomodo tractus magneticus, inter res etiam inanimes, per sensationem, non quidem animalem, sed naturalem quandam contingat, quod quo magis seriò fiat, dici prius oportet, quid sui satan adferat, & quomodo cooperetur in actionibus merè nefariis & impiis sagarum; exinde namque appatebit, cui causæ, quis effectus tribuendus veniat. Denique quæ sit illa vis spiritualis, ad longe remotum objectum tendens: quæve

quæve actio, passio, & velitatio sit, inter spiritus naturales: quæve sit superioritas hominis, ad alia inferiora: Et per consequens, cur videlicet unguentum nostrum, mumiis humanis compositum, etiam equos persanet, exemplo rem explanabimus.

Ponatur itaque zaga, quæ absentem, per figuram ceream, imprecationem, incantationem, vel etiam solo attactu prævio, valide excruciet (nam de veneficiis, utpote quæ solo veneno necant, nihil hic: quod hæc imitari quilibet possit seplasia) hunc actum esse diabolicum, nemo addubitat. Juvat tamen, quantum huc satan, & zaga quantum, adferant, discernere. *Zagarum effectus nefarii.*

Suppositio prima.

IMprimis notabis, satanam, juratum & inconciliabilem hominum hostem, apud omnes æstimari, nisi eundem sibi quis amicum, malit esse: idcirco quantum mali causare, vel optare nobis possit, id sine dubio & negligentia, procurat paratissime.

Altera suppositio.

DEinde, quanquam sit zagis inimicus, in quantum toti humano quoque generi infensissimus hostis est: saltem quatenus sua sunt mancipia, & de suo regno, eas nunquam prodit, aut detegit judicibus, cæterisque hominibus, non nisi invitus, ludibrio exponit, ob tres rationes: prima, cum sit superbiæ parens, multum suæ famæ, ditioni & dominio, per hoc decedere non ignorat: secunda, cum sit ipse, insatiabilis animarum persecutor, per animadversiones & ignes quosdam, aliàs in suam tutelam labi promptos & paratos, terreri novit, & plane averti: tertia, quam obtorto collo, aut clausis faucibus, optaret tortor perimere zagam, subinde vel ante ignes pœnitentem, adeoque suis unguibus ereptam, vidit multoties.

Ex priore suppositionum concludo, hominem peccati mortalis reum, si satan per se posset occidere, nequaquam procrastinaret: atqui non occidit: ergo non potest: verumtamen, eundem zaga sæpius occidit; hinc etiam, eundem occidere potest: non secus ac sicarius, ense quempiam, libertate sui arbitrii, interficit: est itaq; zagæ, quædam potestas in hoc actu, quæ non est satanæ; & consequenter, non est satanas, principalis efficiens, & executor istius homicidii; alioqui enim, si executor esset, nullatenus egeret coadiutrice zaga: sed maximam hominum partem, de medio, solus mox abstulisset: miserrima certè mortalium conditio, quæ tali tyranno subesset & suo subnoxia staret imperio: Fidelem nimis habemus Deum, quam quod opus manuum suarum, arbitrio satanæ subposuisset? ergo in

Potestas zaga est naturalis & qualis ea sit.

hoc est, aliqua vis zagæ plane propria, & naturalis, quæ non est satanæ. Porro quænam, quanta, & qualis ea sit, trutinandum est exactius: constat imprimis, non esse corporale musculorum robur; nec etenim concurrit attactus extremorum validus, suntq; enerves, & effœtæ utplurimum anus maleficæ; idcirco aliam vim esse oportet, corporea mole longe superiorem, homini naturalem. Hæc igitur in illa parte, qua Dei imaginem proxime referimus, collocanda fuit. Et quanquam, universa quoque, quadamtenus venerandum illud simulacrum referunt: verum quia homo elegantissimè, propriissimè, atque proxime; ideo imago Dei in homine, præpollet, dominatur, & imperat simulacris Dei aliarum creaturarum; fortassis etenim, hac prærogativa, pedibus ejus substituta sunt omnia: quocirca si Deus agat, per nutum, per verbum: sic oportuit hominem, si verum debeat dici ejus simulacrum, agere nonnulla solo nutu: nec etenim id novum, id parum tranquillum, id soli Deo vernaculum: satan namque creaturarum abjectissimus, solo quoque nutu, corpora loco movet, cùm non habeat extremitates, quibus tangat, moveat, vel etiam novum corpus sibi arripiat. Privilegium istud itaque, non minus homini interno, quâ spiritus est, competere debuit, si Dei repræsentare debeat, & quidem non otiosum simulachrum; hanc facultatem si magicam appellemus, hocq; vocabulo malè instructus terrearis, spirituale robur vocitaveris, per me licet: de nominibus siquidem, nil soliciti sumus, rem ipsam, quam proximè possum, semper aspicio; vis igitur ista magica, est in homine interno, sive hoc etymo, animam intelligas, sive ejus spiritum vitalem, nunc nobis perinde est: cum hominis interni ad externum, sit quædam proportio in omnia, suo gliscens modo, dispositio appropriata, & proprietas proportionata. Quapropter necesse est hanc vim, per totum hominem dispersam esse: in anima quidem vegetiorem, at in carne & sanguine, longe demissiorem. Spiritus vitalis in carne & sanguine, animæ vice fungitur, id est, in exteriori homine, is idem est, qui in semine totam hominis figuram, superbam illam constructionem, & perfectam adumbrationem, finesq; rerum agendarum novit, quia continet: & qui jam constitutum fœtum, usque in vitæ periodum comitatur præsul; quiq; tametsi cum ea abscedat, ejus saltem tantillum, in cadavere vi interempto, tanquam eidem confermentatum optimè, remanet. De cadavere autem sponte, & fatiscente natura mortuo, tam insitus quam influens spiritus, migrarunt simul: hunc spiritum, * propterea medici, in insitum sive mumialem, & influentem, cum vita scilicet priore, abeuntem, dividunt: & hunc deinceps in naturalem, vitalem, & animalem subdividunt, nos uno pariter vocabulo, omnes hic simul comprehendimus: Anima igitur prorsum spiritus, nequaquam posset, spiritum vitalem (corpo-

Ubi sita sit potestas magica in homine.

An homo cæteris corporibus imperet.

Cur homo agat per nutum.

Ratio cur homo per nutum agere queat.

Quæ sit facultas magica.

Potestas magica diversimode latet in homine.

Homo internus cum externo fundamentaliter unum, materialiter autem diversa.

Quid sit spiritus vitalis, ejus scientia & donum.

In cadavere sponte mortuo non est spiritus insitus.

* *Divisio spirituum juxta medicos.*

(corporeum equidem) multo minus carnem & ossa movere aut concitare, nisi vis illi quæpiam naturalis, magica tamen & spiritualis, ex anima in spiritum, & corpus, descenderet. Cedo, quo pacto obediret spiritus corporeus, jussui animæ, nisi jussus spiritum, & deinceps corpus, movendo foret? at exemplo, contra hanc magicam motricem, objicies, istam esse intra concretum sibi, suumq; hospitium naturale, idcirco hanc etsi magicam vocitemus, tantum erit nominis detorsio, & abusus, si quidem vera & superstitiosa magica, non ex anima, basin desumit: cùm eadem hæc, nil quicquam valeat, extra corpus suum movere, alterare, aut ciere. Respondeo: vim, & magicam naturalem illam animæ, quæ extra se agat, virtute imaginis Dei, latere jam obscuram in homine, velut obdormire post prævaricationem, excitationisque indigam (quæ cuncta mox suo loco probabimus) quæ eadem, utut somnolenta, ac velut ebria, alioqui sit in nobis quotidie, sufficit tamen, ad obeunda munia in corpore suo: dormit itaque scientia & potestas magica & solo nutu actrix in homine, postquam scientia pomi manducata fuit, & quandiu hæc (quæ est carnis, sanguinis, exterioris hominis, & tenebrarum) viget, pessundata est, nobilior potestas magica. At quia in somno, subinde tota pomi scientia dormit: hinc etiam quandoq; insomnia prophetica sunt, & Deus ipse, in somniis, sæpius homini, per effectum propinquior idcirco est. Ubi videlicet interior magica, jam per scientiam pomi, non interpellata, usquequaque sese exerit intelligendo: prout nempe, quando sese in potestates inferiores demergit, movendo euntes in somno, tuto ducit, qua vigiles scandere non possent. Igitur principium cabalæ, inter dormiendum hauriri asserunt, consopita scilicet pomi scientia. Intellectualis animæ actus, clarus semper & inconcussus est, ac quodammodo perpetuus, attamen, quandiu principale agens, vim suam, usque ad sensus limites non traduxit, nondum per totum hominem, istiusmodi actio propagata est. Etenim qui unà cum sentiendi virtute, cum carnali intelligentia sumus, perpetuò per eandem, à scientia, & magica superiore, proh dolor, distrahimur, in umbra cognitionis potiùs, quam in veritatis luce, retinemur. Nec enim advertimus nos intelligere tenebrarum incolæ, nisi quando facta est, facultatum mutua quædam traductio, ac velut actionum anguli, diversis agentibus prorogati, circa medium complicantur.

Anima in corpore solo nutu agit magicè.

Quo modo & medio, anima corpus moveat.

20. Ratio pro censore.

In corpore solo nutu somnolento, extra vero nutu excitato agit anima.

Impedit scientia pomi scientiam magicam.

Initium cabalæ in somniis hauritur divinitus.

Defectus intellectus in homine exteriore.

Satan itaque, vim magicam hanc excitat (secus dormientem, & scientia exterioris hominis impeditam) in suis mancipiis: & inservit eadem illis, ensis vice, in manu potentis, id est zagæ. Nec aliud prorsum satan ad homicidium adfert, *præter excitationem dictæ potestatis somnolentæ, & compulsæ*, ut plurimum, *voluntatis*, in zagis, *consensum*: propter quæ duo, tanquam sibi totum deberetur officium, scurra postulat sibi per pactum, jugem, tenacem, & irrevocabilem oppignorationem, servitutem perpetuam,

Quid faciat satan in zagis.

Quæ sint vera solius satanæ opera. tuam, & devotam adorationem, si nihil adhuc amplius. Cum alioqui, ejusmodi potestas, sit collata gratis à Deo opifice, homini plane naturalis. Enimvero præstigiæ, oculorum effascinationes, utque falsè appareant larvæ, ac his similia, ex solo sunt satana, ejusque solius sunt actus proprii, adeo namque, duntaxat ridicula sunt sua opera, & falsæ tantùm apparitiones: quia misericors Deus, eundem, latius quippiam posse, non permittit, sed vinctum tenet: cum alioqui reales, & nefarios actus, zaga de sua facultate naturali, exerat: siquidem per peccatum, Adamo non dona naturæ, sed gratiæ, obliterata esse, nemo ambigit: eademque adhuc dona naturalia, quanquam non sublata fuerint, stetisse tamen velut somno coërcita, ac sopita. Sicuti enim ex tunc mortalitati obnoxius evasit, more sociorum animalium: ita obscuratæ fuerunt antistites potestates in homine, quæ proinde excitatione, & è tenebris eductione, opus habent. Huc nempe spectant contemplationes, continuatæ orationes, vigiliæ, jejunia, & mortificationis actus, ut devicta nempe carnis somnolentia, potestatem illam agilem, cœlestem & expeditam in Deum nanciscantur, eumque coram alloquantur suaviter, qui non nisi in spiritu, id est, interioris hominis fundo, adorari efflagitat.

Peccatum dona gratiæ abstulit, dona naturæ obscuravit.

Quorsum exercitia pia catholicorum.

Effectus potissimus Cabalæ. Huc inquam spectat ars Cabalæ, quæ potestatem illam naturalem, & magicam, velut excusso somno, animæ restituat.

Per exempla, more mathematico, me ulterius explicabo, & assumam ipsa zagarum opera: quæ quanquam nefaria & horrenda sint; eadem tamen radice, indifferente ad bonum & ad malum, potestate nempe magica, nituntur, nec enim maculat arbitrii majestatem, vel ejusdam tractatum, tametsi de fure, latrone, scorto, apostata, & zaga, subinde disseratur. Esto ergo zaga, in stabulo absente, occidit equum: virtus quædam naturalis, à spiritu zagæ, & non à satana, derivatur, quæ opprimat vel strangulet spiritum vitalem equi; puta duo esse subjecta morborum & mortis, unum nempe corpus, in quo morbus habitat. Et quia in hoc, omnia entia agunt, tanquam passivum maxime; putatum est reliquum spirituale dominium, fuisse satanæ, aliud vero est, spiritus impalpabilis & invisibilis, qui per se ipsum, omnes morbos pati potest. Patiente spiritu, etiam corpus patitur; quia actio in corpus terminatur (mens namque postquam alligata est corpori, fluit semper inferiùs, prout dolente palato, isthuc, continuò tendit lingua) sed non contra. Sunt namque morbi materiales aliquot, qui tantum tinguntur materialiter: adeo namque multiplex interitus occasio; ut non sit unde superbire queamus. Actus igitur zagæ prætactus, plane naturalis est: quanquam virtutis excitatio, sit facta satanæ auxilio: non minùs quam si porrecto per satanam ense, zaga equum trucidaret: actus iste zagæ, naturalis est & corporeus; prout alter præcedens, est actus naturalis, & spi-

Duo subjecta rerum quarumlibet.

& ſpiritualis: ſiquidem homo non minùs naturaliter conſtat ſpiritu, quam corpore: nec eſt ratio ideo, cur unus actus dicatur, naturalior, aut cur ſolum corpus agere dicatur, ſpiritus verò feriari ſaltem actione ſibi propria (quatenus imago Dei eſt) omnino deſtitui: imò ſpiritus vitales, propriisſimè loquendo, ſunt qui ſentiunt, movent, memorantur &c. nequaquam vero corpus, ipſumque cadaver: omnis idcirco actus, magis proprie ſuum agens reſpicit, quàm agentis hoſpitium corpus. Radius itaque aliquis ſpiritualis, à zaga abit in hominem, aut brutum, quod interimendum ſtatuit, juxta axioma: non fieri actionem, niſi debita fiat approximatio agentis ad patiens, & copula virtutum invicem, ſive eadem approximatio fiat corporaliter, ſive etiam ſpiritualiter, quod ad manum viſibili teſtimonio probatur: Nam ſi recens cor equi, per zagam mactati (eſt enim ſedes ſpiritus vitalis) clavo transfigatur, aſſetur veru, vel crate torreatur: mox ſpiritus vitalis zagæ, citra alterius medii interventionem, & inde zaga tota ipſa (ſiquidem non corpus, ſed ſolus ſentit ſpiritus) immanes patitur ignis cruciatus & dolores: quod ſane nullo pacto contingeret, niſi facta fuiſſet copulatio ſpiritus zagæ, cum ſpiritu equi: equus namque ſtrangulatus retinet quandam vim mumialem: (ſic voco quandocumque carni adhuc confermentata eſt virtus liquoris vitalis, id eſt ſpiritus inſitus,) qualis in ſponte præ ægritudine, aliaque inferioris ordinis diſruptione, morientibus, non invenitur, cui comes eſt ſpiritus zagæ, ipſi copulatus. In corde itaque recenti, priusquam ad zagam, diſſolutione ſuus retromeet ſpiritus, fit alligatio ſpiritus zagæ qui retinetur per infixum clavum, & toſtura utriusque ſpiritus ſimul, unde per magnetiſmum, extremo ignis tormine, zagam in ſpiritu ſenſitivo, agitari contingit: effectus iſte, ab intentione mutatur, ſi namque vindicta experimentatorem concitaverit, tunc effectus reprobus eſt. At ſi periculum fiat, ut zaga eo ſeſe prodere cogatur, judicibus ſubſterni, & proximo, ſibique hactenus beneficentia procuretur, quatenus ſublato tam impio blasphemo, & nocuo ſatanæ mancipio, dei gloria, pax & requies, major, inter vicinos oriatur, tum certè effectus reprobari nequit. Non eſt cogitandum totum ſpiritum zagæ, abiiſſe in cor equi (ipſa namque ſic è vivis diſceſſiſset) verum, eſſe univocam quandam ſpiritus, lucisque vitalis participationem, prout nempe in ſemine, qualibet vice, totius hominis architectus ſpiritus, etiam ad multos fœtus ſufficiens, propagatur, manente tamen integro patris ſpiritu. Iſta nempe ſpiritualis lucis participatio, eſt magica, virtute verbi (animalia & herbæ producant ſemen) locuples communicatio, & unum, producit decem myriades ſeminum æquivalentium, & ſpiritus ſeminales integrales totidem, tanquam de lumine lumen accenditur. Quid autem ſit propriè ſpiritus

Homo tam ſpiritu quam corpore agit.

Quinam radius à zaga in brutum.

Quomodo zaga prodatur.

Quomodo alligetur zaga in corde equi.

Intentio opus bonum depravat.

Virtus ſeminalis eſt magica naturalis.

magneticus,& entitas phantasia parente genita, postea scribam latiùs, nunc ad propositos revertor terminos.

Obviatio. Nec est quod quispiam autumet hanc cordis in zagam reactionem, putatitiam esse, aut præstigias, ac ludibrium satanæ, planè superstitiosum & damnabile; cùm illa infallibiliter hoc signo prodatur, & in apertum prodire cogatur, velit, nolit, quod intentioni satanæ oppositum esse, altera suppositionum, superiùs satis ostensum est: effectus namque est perpetuus, nunquam fallens, fundamentum in ratione, & natura spirituali habens, minimè vero superstitionibus nisum. An non similiter, confossum quoque cadaver, ante judices, præsente homicida, sese cruentavit, certumque sæpius delicti judicium exhibuit? tametsi jam ante cruor restrictus stetisset? scilicet moriente præ vulnere homine, virtutes inferiores quæ mumiales sunt (effrenes enim eæ, non sunt in nostra potestate) vindictæ faciundæ vestigium, sibi impresserunt hinc præsente homicida, ebullit cruor, & effluit, quasi & in ira, impresso ultionis simulacro agitatus, in sanguine nimirum, etiam post mortem inest suus præsentis homicidæ sensus, sua vindicta, quia sua quoque phantasia: ideo non ipsius Abel, sed innocens sanguis ejus, clamat tamen in cœlum vindictam, propterea in obsidionibus, pestis plerumque comes incedit: quia nempe spiritus magicus exterioris hominis, concepit in conflictibus, arrham vindictæ impressam, nonnunquam verò ad desperationem, præ paupertate, milites, eorumque conjuges, moriendo pene adjunguntur, & multa ditioribus imprecantur infortunia, unde fortissimæ impressiones, in spiritum sidereum morientis (gravidæ præsertim) relinquuntur posthumæ: qui mox ab obitu, in aëre oberrans, suæ classis, id est spirituales nocendi ac ulciscendi modos, comminiscitur, & promptus patrat. Pestes autem ejusmodi, sunt ferinæ, nemini parcentes, ac velut divinitus immissæ: & quia spirituales, remediis corporeis operam implorant frustraneam, sileo, nec etenim tutum est satis, mumiarum adinvicem connexum, & concordantiam exprimere: inde nempe tota dimanavit nectromantia veterum. Ob id quoque Deus in lege vetuit, corpora suspensorum (etiam ethnicorum) relinquenda in patibulo, neve sol super ea occidat; respondebis pestem obsidionum oriri, propter multiplices excrementorum sordes. Sed contra, instant coriarii, coprofori, & qui collæ putrefaciendæ navant operam: omnes enim (tantum abest quod pesti essent obnoxii) ut plurimum sunt longævi, mirabilis Deus in spiritu microcosmi. An scire fortè aves, cur sanguis taurinus toxicus sit non autem fratris sui bovis? occidendo scilicet obmurmurat taurus, & suo sanguini, vindictæ notam, ac potens sigillum imprimit: sin etiam contingat, mactando bovem, uno ictu evasisse furiosum, & diutius in eodem perseverasse furore: carnes male sanas relinquit, nisi prius sopi-

Cur cruor præsente homicida effluat.

Cur pestis in obsidionibus frequens.

Opera misericordiæ saltem respectu pestis evitandæ exercenda.

Pestes vindictæ & execrationum sunt execrabiles.

Cur corpora à patibulo essent tollenda.

Cur excrementa non causent pestem.

Cur sanguis tauri sit deleterius.

sopita perturbatione, deses & seclusus relinquatur, jejunio in se redire.
Taurus igitur moritur, præ cæteris animantibus, vindex excellentius: at-
Cur pinguedo tauri sit in ung. sympathetico, ut fiat nempe unguentum armorum.
que idcirco ejus pinguedo (non autem sanguis, ne sanguis humanus in
unguento, exotica taurini sanguinis tinctura superetur) pro unguento ar-
morum, prorsus est necessaria, si arma vulnerum authores, incruenta ad-
fuerint, iisdemque oblitis, secura sanitas expectanda sit, profecto non satis
sunt, usnea cum sociis ingredientibus, ut sine sanguine recenti è vulnere
habito, sanatio instituatur, violentior nempe taurina impressio exigitur,
& floridi mellis aërea communicatio. Hinc itaque satis liquet, non con-
Cur satan non concurrat ad unguentum.
cursu satanæ (qui etiam sine melle & tauri cruore sanaret) sed communio-
ne qualitatum naturalium, cum vindicta posthuma traduce, in concreto
relicta, conscribi unguenti efficaciam.

Obgannient contrarii, gaudentes, vix potuisse probatam evadere, ma-
Subsannatio aliorum.
gnetici unguenti potestatem, nisi per zagam, satanam, & spiritualem mun-
di invisibilis magiam, scientiam putatitiam, plane nihili, & damnabilem
errorem. Veruntamen, non istud rei tractandæ, sinistra quæpiam obliqui-
tas, sed aliorum crassa ignorantia, & fragilitatis humanæ conditio misera,
postulavit: quæ promptiùs in malum tendit, malum cognoscit, & malo
paratiùs docetur, quàm bono: at certe quæcunque de satana, & zagis hùc
Differentia est in authore excitationis.
attulimus, non est quod inde, conformitatem unguenti cum zagis, sperent
alii, neque etenim doctore aut impulsore satana, spiritualis virtus unguen-
ti, & sanguinis phantasia, excitantur. Sed istud volebam: habitare videli- 1.
cet: in anima virtutem quandam magam, à Deo datam, ipsi naturaliter
propriam, & competentem in quantum imago, & sculptrum ejus sumus; 2.
hactenus quoque agere peculiari modo, id est spiritualiter in distans, idque
multo potentiùs, quàm corporeis ullis adminiculis. Quia cum anima sit
pars corpore principalior: idcirco actio ei competens, est spiritualis, ma-
gica, & validissima. Animam virtute eâdem, velut somnolentâ, per scien- 3.
tiam pomi esu acquisitam, redditâ, regere ac agitare corpus suum: eâdem
vero magicâ nonnihil expergefactâ, etiam extra suum ergastulum, in aliud 4.
distans objectum, solo nutu agere posse per media deportato: in eo nempe
Basis magiæ.
sitam esse totam basim magiæ naturalis: nullatenus autem in benedictio-
nibus, ceremoniis, vanisque superstitionibus; sed has omnes observantias
Unde sanitates pro magia habeantur.
nefarias invectas fuisse per eum, cujus semper studium fuit, bona passim
omnia, suis conspurcare zizaniis: nomen magiæ non expaventes, sed
cum scriptura benè interpretantes, in bonum tamen & malum apicem, 5.
indifferenter usurpari posse, per usum nimirum illius potestatis, vel ab-
Magia bona in sacris.
usum, concessimus. Adeoque sub eo vocabulo, altissimam rerum cogni-
tionem ingenitam, & potentissimam ad agendum potestatem, subaudi-
mus, nobisque cum Adamo æquè naturalem, peccato non extinctam,
Quæ dicatur magia vera.

non

non obliteratam, sed velut somnolentam, idcirco excitamenti indigam.
6. Ideo ostendimus magnetismum, non quidem per satanam: sed per id
Causa idololatriæ zagarum. quod satanæ non est, exerceri, adeoque abusivè, potestatem nobis connaturalem, satanæ tanquam si is patronus foret, dedicatam stetisse: potestatem magicam in nobis, à peccato velut dormire; ideoque excitatore opus
7. *Excitatores magiæ.* habere: sive is sit spiritus sanctus per illuminationem, ut in eoicis magis contigisse commemorat Ecclesia, & hodie in aliis subinde contingit: sive etiam satanas propter præviam oppignorationem, eandem suscitet: estque in hisce, ejusmodi excitatio tanquam per soporem vigilantem, catochum,
Satan excitat imperfectè. Differentia in excitata magica. ideoq; imperfecta, propter modum, mala propter finem, obscura propter media, & nefaria propter authorem: nec patitur versipellis, quod zaga, hanc vim cognosceret, sibi esse naturalem; quo eam strictius devinctam sibi detineat, neve tam nobilis potestatis excitæ exercitium, aliò, quàm ad nefas propendat, frenum itaque is imperat, nec zaga novit, excitare ad lubitum suum, quæ alterius tyranni voluntati, se totam prostravit, potest & ipse homo sibi, per artem cabalæ, excitamentum tantæ potestatis, ad suum lubitum causare, vocantur hi adepti, quorum etiam rector spiritus Dei est.
8. Hanc eandem virtutem magicam, esse quoque in homine exteriori, in car-
Unde bellua quoque magica. ne & sanguine videlicet: suo tamen & longè effœtiori modo; imo nedum in homine externo: sed etiam proportionaliter in brutis (sic nempe Genesis, animam brutorum, sanguini inesse commemorat, eundemque hoc merito, extra cibum nostrum conscribit) & aliis forte rebus omnibus; cùm singula, totius universi adumbrationem, in se contineant, eoque no-
9. mine, saltem Deum (id est omnia) in omnibus esse, veteres seriò adnotarunt: exterioris hominis magiam, non minus quàm interioris, excitationis esse indigam; nec satanam, aliam in suis scrophis excitare magiam, quam quæ exterioris est hominis: in interiore nempe animæ fundo,
10. regnum Dei est, ad quod nulla creatura accessum habet. Docuimus præ-
Regnum spirituum litem alit & amorem. terea, esse connexum inter res spiritualiter agentes, & spiritus cum spiritualiter agentes, & spiritus cum spiritibus, uti dimicare, exemplo zagæ, ita & amicari ostendimus, exemplis magneticis, & rationibus propriis, pro
11. fascino & ligationibus animarum, prout de Davide & Jonatha &c. postremo ostendere annisi sumus, hominem, cæteris creaturis corporalibus prædominari, & magia sua naturali domare posse aliarum rerum virtutes ma-
12. gicas: quam prædominationem, alii in jus carminum, & incantationum transtulerunt falsò & abusivè. Qua hierarchia, satis superque elucidavimus, quæcunque hactenus in satanæ dominium, non nisi rusticè, corporaliterque nimis philosophantes, retulerunt.

Universa quæ dicta sunt ignorantes, de multis adhuc dubitare necesse est: igitur cuncta repetere statuimus; imprimis quo lucidiora evadant,

quæ

quæ ſupra, de ſpirituum duello, vel amica invicem conſpiratione, diximus: operæ pretium eſt ſpirituum arma, & eorundem rempublicam definire: Quocirca ſeriò notandum eſt, exemplum prægnantis, quæ ſi ceraſum, violenter animo conceperit, mox ejus veſtigium, fœtui imprimitur, parte ea, qua ſibi pregnans manum admoverit. Nec eſt quidem, otioſum duntaxat ceraſi ſimulacrum, ac macula; ſed quod ſuo tempore, cum cæteris arboribus floreſcit & matureſcit mutatis nimirum colorum & figurarum ſignaturis: ardua ac ſacra profectò vis microcoſmici ſpiritus, qui extra truncum arboreum, verum ceraſum, id eſt, interioris ceraſi proprietatibus, & dynami, inſignitam carnem, ſolo conceptu profert, unde duo neceſſariò conſequentia intelligimus. Prius, omnes omnium rerum ſpiritus, ac velut eſſentias, in nobis latere, & microcoſmicratrice phantaſia duntaxat naſci & educi. Alterum, animam, concipiendo generare quandam ideam rei conceptæ: quæ quidem prout antea latebat ignota, & velut ignis in ſilice: ita cōcitatione phantaſiæ, producit quandam ideam realem, & eſſentialem, determinationem quidditativam ceraſi: quæ non ſit qualitas nuda; verum aliquid ſubſtantiæ ſimile, inter corpus & ſpiritum, id eſt animam, ambigens. Id eſt, ita ſpirituale, ut non ſit planè corporeæ conditionis exors: cùm actiones animæ, in corpus, & inferiores ſibi ordines, propendentis, terminentur: neque ita corporale tamen, ut dimenſionibus claudi poſſit, quod & enti ſeminali proprium, quoque recenſuimus. Hæc igitur entitas idealis, cum ex mundo inviſibili, & intellectuali microcoſmi, excidit, corpus induit; & tum prius loci & numerorum determinationibus clauditur. Objectum intellectus, nuda ac pura, in ſeipſa, eſſentia eſt, non accidens, conſenſu Theologorum practicorum, id eſt myſticorum. Protheus itaque intellectus, hanc conceptam eſſentiam, velut induit ac veſtit. At quia, quodvis opus, ſive externum, ſive internum in ſua propria imagine fieri habet; intellectus agnoſcit, voluntas diligit & vult & memoria recogitat, non niſi per imagines: hanc itaque eandem imaginem objecti ſui intellectus induit; & quia anima, ſimplex eſt corporis forma, quæ quoquô ſe verterit, eò totam ſeſe vertit, idcirco nec duas intellectus agens, ſimul imagines, habere quit, ſed priùs unam, mox alteram, ſuper intellectum itaque, & comprehenſam imaginem adhuc levem, tota deſcendit anima, & hanc eſſentiæ cognitionem, format in imaginem perſiſtentem, ſive idealem entitatem: conſpurcata mens, prolapſa fuit in indignationem Dei; & quia ſimul deturpata eadem, prioris ſortis exuta nobilitate, mors introitum invenit, non quidem creatoris mandato, ſed hominis degeneratione, propter eandem entitatem idealem jam indutam, in turpitudinem delapſi, & à ſeipſo degeneris, quàm ſeriò ac ſedulò turpitudinem etiam in ſingulis peccatis emergentem, pœnitentia emaciare convenit hîc, vel in futuro ſæculo. Entitas

Exemplum prægnantis.

Cur microcoſmus homo.

Mens generat entitates reales.

Entitas iſta inter corpus & ſpiritum media.

Objectum intellectus.

Deſcenſio animæ velle confirmatum patrat.

igitur, in intellectu adhuc levis est, nec alibi quàm in prægnante, consistentiam reperit, quàm in nobis, non nisi per voluntatem nanciscitur, id est, intellectus semper procreat entitatem, sed eam non induit nisi per voluntatem, exceptis prægnantibus. Sive igitur peccatum, nihilum dicamus, sive aliquid, saltem consensus in malum, nunquam fit, sine reali procreatione, hujusmodi cujusdam entitatis, ejusque assumptione ac indutione, hæc fuit causa fœcunditatis seminum: phantasia nempe, libidine commota, entitatem levem patrat: quam si anima, per voluntatem induat (uti semper actio incarceratæ mentis deorsum & extrorsum vergit) hanc eandem entitatem, in liquorem seminis dispergit, qui aliàs non nisi sterilis foret: quæ actio velut per mentis alienationem fit: abeunte scilicet voluntate, per veram magicam exterioris hominis, in extasim quandam, in qua fit communicatio cujusdam lucis mentalis, super entitatem, descendentem in corpus seminis. Quotiescunque igitur cogitatio, sensum, & velle, in consensum trahit; turpis toties nascitur, & induitur pellis, idealis entitas spuria: quo partu, voluntas dicitur confirmata: illa quoque idealis entitas, quoquò versus à voluntate dirigitur, eò vadit: hoc pacto, voluntas movet nunc brachium, mox pedem &c. porro quando spargitur dicta entitas, in spiritum vitalem, ad aliquid amandum, juvandum, nocendum; levi tantùm indiget excitamento sive Dei, artis vel satanæ operâ facto, ut nimirum peregrè abeat, portiuncula spiritus, quæ entitatem jam induit, obeatq; munus suum, ipsi à voluntate injunctum. Sic musculus, semen extra se deponit, quod per entitatem quam hausit, fæcundum est longè, & extra suum truncum, suo fungitur munere. Corpora profectò, vix mundi medietatem faciunt: spiritus etiam per se, suam habent medietatem, & quidem totum mundum: Itaque toto hoc contextu, Spiritus voco magnetismi patronos, non qui ex cœlo dimittuntur, multoq; minus de infernalibus sermo est: sed de iis qui fiunt in ipso homine, sicut ex silice ignis, ex voluntate hominis nempe, aliquantillum spiritus vitalis influentis desumitur, & idipsum assumit idealem entitatem, tamquam formam ac complementum: qua nacta perfectione, spiritus qui antea, aura æthereâ erat purior, instar lucis subtiliatur mediamque sortem inter corpora, & non corpora assumit. Mittitur autem eo, quo voluntas ipsum dirigit, vel saltem, quo innata spirituum scientia infallibilis, juxta scopos rerum agendarum, eundem mittit, idealis igitur entitas, itineri jam accincta, quodammodo lux, & quasi non amplius corpus, nullis stringitur locorum, temporum, aut dimensionum imperiis, ea nec dæmon est, nec ejus ullus effectus, nec ulla ejus est conspiratio, sed spiritualis quædam est actio illius, nobis planè naturalis & vernacula: hanc qui benè capit sophiam, facilè intelliget, materialem

Causa fæcunditatis seminum.

Cur libido mente velut alienet.

Pater per spiritum seminis generat extra se, in objecto mox absente.

Quis sit spiritus patronus magnetismi.

Voluntas mittit spiritum ad objectum nisi voluntas aliquid reale produceret dæmon eam non agnosceret, & nisi extra se dimitteret, dæmon absens ea non concitaretur. Ubi ergo thesaurus est, tendit spiritus hominis magicus.

terialem mundum utrobiq; ab immateriali, & invisibili, regi & coërceri: hominum autem pedibus substituta esse creata cætera corporalia, hæc est nimirum causa, cur etiam mumia, adeps, usnea, & sanguis humanus, phantasia nempe eis inexistens in unguento, imperet sanguini canino, equino &c. in pyxidem per bacillum adportato.

Nondum de magnetismo unguenti satis dictum: resumam ergo. Magnetis nempe, & rerum inanimatarum magnetismos, fieri per naturalem sensationem sympathiæ omnis authricem, certum est. Si namque magnes, se ad polum dirigat, eundem novisse oportet, si in directione sua, errorem non sit facturus: & quomodo quæso noverit si non sentiat ubi sit? similiter si ad ferrum eminus positum, se torqueat polo neglecto, ferrum sensisse prius, necessarium est: varios igitur sensus, magnes habet unicus: neque etiam sensisse, satis erit, nisi amoris & philautiæ, stimulos addamus, adeoque phantasia quadam naturali, dotatum esse, & cujus impressionis ergo, universi magnetismi conflati sint. Alia nempe phantasia dirigitur in ferrum, quam in polum; tunc enim per vicinum duntaxat spatium, virtus sua spargitur: mutata est ejus phantasia, quando fœtum, catharros aut intestinum cohibet; alia quoq; phantasia, magnes trahit quippiam è vitro ignibus excocto, minutulum enim ejus fragmentum, in massam vitream injectum, dum coquitur, è viridi vel luteo candidum efficit. Quanquam enim ipse magnes rubeo colore sit saturatus, & igne non consumatur vitrario: interim attamen dum vivit, etiam è candenti vitro, liquorem tinctum attrahit, consumit: adeoq; ejus attractio nedum ad ferrum est: sed Insuper ad partem illam aëream, quæ difficulter è vitro abiret, hactenus vitrariis in usu communi est. Succini phantasia, paleas ac festucas trahit, tractione quidem satis otiosa, sed tractionis signatura perfectili: nam mumiæ nostræ maritatum, nostro quoq; magnete fortius, trahit in adversum & zenexton evadit; gummis verò immistum succinum, virus & plumbum, sua imaginatione transplantata jam, è vulnere trahit, variata nimirum utrobiq; trahendi voluptate, & voto. At quid mirum fuerit (nisi apud eos qui omnia ignorantes, omnia quoq; admirantur) res inanimes phantasia pollere? cum is, qui totus vita est, res omnes creet, nullamq; ideo è manu sua mortuam expectandam promisit? nulla quoq; adveniet penitus in qua & ipse non elucescat præsens, Spiritus domini totum replevit orbem terrarum: imo hoc quod continet omnia vim vocis habet. Nonne multam scientiam in pomo fuisse credimus ejusque esu, protoplastos scientiam unà esitasse, & intus concepisse; & an non scientia, phantasiam sui generis præsupponit? sic etenim aliquot simplicia amentiam, nonnulla insaniam, aut furorem maniacum alia inducunt: non quidem cerebri destructione, aut spirituum ejus dissipatione (tunc saltem non constaret robur furiosi,

Magnetismus fit per sensationem.

Plures esse sensationes in subjecto unico.

Ex phantasia superiore ipsi imperante.

Cur vitrarii utantur magnete.

Mutatur trahentium phantasia.

Inanimata habent suam phantasiam.

Cur aliqua esu amentiam inducant. riosi, & vires validissime) sed introducta illorum simplicium alienigenâ, ac furiosâ phantasiâ, quæ victrix nostram subigit, atq; eandem pro tempore (ut in delyrio, phrenitide &c.) nonnunquam & perpetuò, sibi servam efficit, ut in lunaticis & vesanis. *Cur morsu canis rabiem introducat.* Nonne sic canum rabies, in hominem transit? phantasiâ nempe furoris maniacâ, in salivam transplantata, quæ victrix mox triumphet de sanguine illius animalis, quem aperta cute, utut tenuiter attigerit? Tunc scilicet phantasia totius sanguinis prisca, loco cedit, & peregrinæ tincturæ phantasiam hydroforbicam, velit nolit, assumit. Unde tandem mors binsica, id est ex sola ægritudine mentali, exaltata nempe, & excitata virtute magica canis, super phantasiam animalium non excitatam, sed somnolentam. *Tarantula ictu amentiam facit.* Eodem planè modò phantasia Tarantulæ, ictu exili imprimitur, & mente statim alienati tripudiant, saliuntque immensum, in eo tamen differt tarantulæ venenum à rabidi, quod hoc, agat potestate magicâ excitata, adeoque per magicam veri nominis: at illud, per facultatem magicam somnolentam, *Toxicorum magiam.* prout & in napello & cæteris deleteriis, exili quantitate necantibus, patet differentia, quia contra canem rabidum, nullum animal se tuetur aut defendit, quoniam est potestas magica ligans, contra quem, non valent dentes aut cornua: *Cur contra catellum rabidum bruta reliqua se non tueantur.* quod de tarantulæ veneno dici nequit. In homine igitur externo, prout & in sociis animalibus, vis magica velut consopita est, nec in solo homine excitari potest (etsi quidem multò facilius) sed in consortibus animantibus quibusdam, imò nec satis est spiritus cum spiritus hanc servaret concordiæ & monomachiæ legem, *Sympathia inter dissita medio spiritus cujusdam mundani fit, qui etiam solem titaniaque astra gubernans, sensu pollet.* quinetiam in toto universo latet spiritus quidam, quem magnale magnum dicimus, qui simpathiæ & dispathiæ leno, confabulator, & actionum promotor existit, & ratione cujus, magnetismus, tanquam per vehiculum, ad distans objectum extenditur. *Paradigma.* Probatur id ad oculum, etenim si super testudinis chordam sive fidem, levem paleam, ancipiti extremitate in aëre, instar stateræ pendentem, posueris, & alterius testudinis similem fidem, pulsaveris eminus, ubi toni in octavo consonant, videbis paleam trementem, at ubi in unisono concordant, tunc alioqui quietæ testudinis fides, moræ impatiens, subsilit, præ lætitia gestit, & invisam paleam, subsultu excutit. An & hic satanas vobis fidicen erit? quam paleam non contingit subsilire, & si omnes fides alterius testudinis, unanimiter, fortiter & cominus pulsentur; nec etiam nudus tonus, alteram & quietam chordam, subsilire cogit: id nempe tunc, quilibet tonus efficeret: sed solus leno spiritus, in medio habitans, actionum naturalium fidus executor, & adjutor, simpathiam defert, promovet & concausat.

Cur nomen magiæ perhorrescimus? natura siquidem tota maga est, nec ullam habet agendi potentiam, quæ non à formæ suæ phantasia, & quidem magicè proferatur. At quia hæc phantasia, in corporibus electione carentibus

rentibus determinatæ est identitatis, idcirco ignoranter & rusticè nimirum, non phantasiæ illius rei; sed proprietati naturali ascriptum stetit; loco causæ, effectum videlicet causarum ignorantiâ adferentes, cùm alioqui omne agens, agat in objectum proprium, præsentiendo nempe illud, quò suam non temerè, sed in objectum duntaxat, spargat activitatem: post sensum nempe objecti; commotâ phantasiâ, dispergendo idealem entitatem, & copulando eam radio entitatis passivæ: hæc nempe fuit magica actio rerum naturalium, proprii tamen nominis magica & phantasia, est in electionis potestate dilatis creaturis. Per classes ibo. Proprietates itaque formales, manantes à formis trium principiorum, salis, sulphuris & mercurii: sive salis, pinguedinis, & liquoris, unde corpus unumquodque conflatur, & iterum resolvitur in eadem: estque Mercurius sive liquor, toties diversus, quot rerum sunt species, idem esto de sale & sulphure judicium, proprietates inquam ejusmodi, manant à phantasiis harum formarum, quæ quia corporales valde, & in sinu elementorum adhuc hærent: idcirco vocantur proprietates formales & occultæ, propter formarum ignorantiam, quæ alioqui sunt effectus magici, à phantasia dictarum formarum propagati: sed ignobiliores ac maximè corporales; finibus tamen quos respiciunt, abunde satisfacientes. Hujus generis sunt virtus subductiva alvi, somnifera &c. Sunt præterea nobiliores aliæ proprietates, ex phantasia formarum mixti, oriundæ, suntq; ejusmodi in toto, ratione formæ, ut magnetismus magnetis, virtus tincturarum, item specifica & appropriata omnia, quæ ratione vel totius homogenei, vel formæ alicujus partis integralis, non autem solius alicujus principii accidunt: qualia sunt quæ in carne, radice, foliis, fructu sita sunt, & non in trium separatorum inde ullo. Item antimonium quandiu manet in sua forma, summas obtinet: quas in suis principiis, nunquam assequitur, & hæ sunt quoq; de gremio corporali: ideoque magica spiritualis, in hisce adhuc occulta est, & tota deberi putata est naturæ, hanc contra magiam ineptè distinguendo. Sic rosæ folium, aliam habet virtutem, quam non habet caudex vel anthera: estque ea vis folio non ex tribus primis, sed ex vita ejus, natalis: quæ quando destruitur, tunc aliàs virtutes habet, ut puta granum in vita prima nutrit, quam si amittit, tunc prolificat. Tertiò deinceps est virtus magica, quæ profluit ex phantasia vitæ, totius integralis, ea est in brutis & homine externo: quæ magis absoluta, est jam spiritualis, nondum tamen ad summum deducta apicem, subindè tamen multa excitatione, forti phantasia, per entitatem introducta, ad magnum culmen ascendit, & hominis interni magiam veram æmulatur quàm proximè. Cæterum cujuscunq; bruti anima, vim habet creandi entitatem realem, & per voluntatem, dimittendi eandem longiùs; ejusmodi brutum est magicum,

Phantasia in electivis est varia ad lubitum, in aliis vero est determinatæ semper identitatis.

Primus gradus potestatis magicè habitat in formis trium principiorum.

Alter gradus est per phantasias formarum mixti, qua destructâ nempe, adhuc manent principia.

Tertius gradus ex phantasia animæ oritur.

Quæ bruta sint magica & agant extra se solo nutu.

cum,ut basiliscus,canis,pisces,multi,apud Olaum &c. talis quoq; est virtus habitans in sanguine multorum animalium, hinc nempe sacra pagina dicit,animam esse in sanguine extravenato,etiamnum per ignem cocto, fortassis&per fotum plane putrido. Postremo est virtus magica à corpore quasi abstracta, quæ fit excitamento interioris potestatis animæ, unde fiunt potentissimæ procreationes,impressiones augustissimæ, & validissimi effectus,utrobiq; scilicet natura maga est,& per phantasiam suam agit,& quia quò spiritualior, eò potentior, ideo quoq; (magica) etymon est analogon.

Quartus gradus magicæ potestatis est excitato intellectu hominum.

Vox magia analogon multorum ad unum tertium.

Omnis propemodum virtus magica excitatione eget, infima nempe per teporem prævium; excitatur scilicet vapor quidam,sive aura spiritualis, cujus ratione, densè dormiens phantasia, expergefit, incipitque velitatio corporeorum spirituum media,quæ est magnetismi,per attactum prævium excitatur. Summa autem, quæ est brutorum & hominum, conceptu intellectuali excitatur, & hominis quidem interni, non nisi per Spiritum sanctum,& per donum ejus, cabalam, excitatur: externi verò, per fortem imaginationem, assiduam & intensam speculationem, imo & in zagis per satanam excitatur. Sanguinis autem extravenati, in quo anima habitat, excitatur magica, quæ in potentia adhuc est ad actum; vel per ascendentem imaginationem fortiorem, puta magi, sanguine tanquam medio utentis, & in illud, entitatem suam accensam stabulantis; vel puta, unguenti armarii phantasia ascendente, latentis in sanguine proprietatis excitatrice: vel per præviam destinationem sanguinis ad corruptionem, per quam scilicet elementa,ad separationem disponuntur,& essentiæ(quæ putrere nesciunt) essentialesque phantasiæ, quæ in potentia proprietatum latebant, in actum deveniunt.

Omnis magica vis excitatione gaudet.

Phantasia sanguinis qui ducatur in actum.

Quod dicatur subjectum capax magnetismi.

Cujuscunq; igitur subjecti phantasia, validum obtinuit appetitum, ad alterius rei spiritum, ad aliquid inquam loco movendum, trahendum,expellendum vel repulsandum: ibidem, & non alibi, magnetismum, velut naturale ejus rei donum magicum,à Deo illi instabulatum,agnoscimus. Est igitur formalis quædam proprietas, in eo, à sympatheticis, abstrusis qualitatibus,segregata: quod harum motrix phantasia,non ad motum localem; sed tantū ad alterativum directè fluat. Esto itaq; omnis magnetismus,sympatheticus vel authopatheticus:nō tamē omnis sympathia,magnetica erit.

Quomodo differat magnetismus ab aliis formalibus proprietatibus.

Differentia magnetismi ab aliis proprietatibus.

Ad propositum nobis scopum revertentes: jam probè (opinor) intellectum est,inesse nedum sanguini,phantasiam & appetitum magicum,sed & humoribus, cibis, & excrementis: cum varia quoq; id morborum proles patefaciat: prægnantes peregrina enim appetunt, & virgines, naturali uteri exorbitantis astro, pallidæ, ac celeriter, quod appetunt,digerunt; non quidem ex ratione, nec consanguinitate naturæ humanæ, id poscentis: sed exotica humorum phantasiâ, sic stultè imperante, seductæ: quibus sordibus

Humores & sordes suam habent phantasiam.

bus expulsis, subitam læsorum appetituum sanitatem, sæpenumero restituimus: vel etiam saturata eorumdem humorum amente phantasiâ, compescuimus. Igitur in sanguine, sua est phantasia, quæ quia potentius ibidem viget, quam in rebus cæteris, ideo scriptura alto elogio, sanguinem adhuc coctum, & edi promptum, animatum vocat. Et quia eadem phantasia tradux inest, ob id nempe in posthumo, mores, gestus & conditiones avi emicant. Nobilitas ex bene merita virtute, ortum sumpsit; hinc nobilitas, immeritò continua stirpis propagatione, augeri suspicaretur, nisi avorum mores ac virtutes in seris nepotibus, elucescere sperarentur probabiliter. Nonnè etiam concepta lupi cum ovibus inimicitia, in eorum pellibus remanet? quocirca nedum phantasia animalis, in cruorem imprimitur, post obitum pervicax; verum etiam quicumq; stragulis, è pelle gulonis (animal est in Suevia frequens & voracissimum) contegitur, somniare cogitur continuò de epulis, voracitate, & insidiosa animalium venatione: pro indole scilicet, viventis illius animalis, adeoque solo tegmine externo, traducitur phantasiæ animantis, quōdam vivi, pellibus hospitata, in hominem subter dormientem. Itaq; ministeriò phantasiæ sanguinum fit, quod extravenatus, in paxillum assumptus, unguento magnetico introducitur. Tunc namque phantasia sanguinis, aliàs adhuc somnolenta, lentaq; ad actum, virtute unguenti magnetici excitata, ibidemq; reperiens balsamicam, & medicam unguenti virtutem, optat sibi inductam qualitatem, impertiri suo toti, atque exinde elicere spirituali magnetismo, omnem peregrinam tincturam: quod cum per se, non aptè satis queat efficere, opem usneæ, sanguinis, adipis & mumiæ implorat, quæ simul in balsamum coalita talem, qui non nisi sua phantasia quoq; medicus, magneticus simulq; omnis alienæ qualitatis è corpore tractivus est, cujus inquam recens sanguis, spiritu abundans, adportatus est; sive hominis fuerit, sive alterius animantis. Est igitur phantasia redux & extatica ex parte sanguinis recenter & novissimè apportati: tractus vero magneticus, in sanguine inceptus, medicâ unguenti virtute perficitur. Non trahit autem unguentum, vulneris infirmitatem, ad se, ut fiat pyxis Pandoræ: sed sanguinem noviter allatum, in spiritu alterat, medicum reddit, ejusq; potestatem excitat: inde illi virtus quædam medica, & magnetica quæ redit ad suum totum, curatura germanum spiritum sanguinis, per totum hominem: exugit scilicet, tristem impressionem è vulnerato, eamque, medica potestate, perituram, expellit, foras exigit, quæ virtus medica, domatrix mali, est partim in sanguine excita, partim etiam eidem ingenerata, per unguentum; spiritu nempe hujus, in spiritum sanguinis, sic imperante ex sua phantasia, id est, dono creato. Alioqui sanguis, integris putrescens viribus, sub testa ovi, & jam quasi compedibus, per præviam putredinem liberatus spiritus, trahit mediante canis, mumiâ realiterque

Cur scriptura sanguinem potius quam alios succos animatum dicat.

Semen habet traducem patris phantasiam.

Unde nobilitas orta.

Pelles lupi & ovis phantasiam inimicam vita prioris impressione retinuerunt.

Notabile.

Phantasia sanguinis recenter allati in unguento quid efficiat.

Modus magnetismi in unguento.

Obviatio.

trans-

Differentia inter curationem magneticam quæ per unguentum & illam quæ per ovum putridum fit.

transfert ægritudinem, quæ ſedet in phantaſiâ & aſtro ſordium, in ipſum canem: non aliam ſcilicet ob cauſam, quam quia ſine balſamo unguenti interveniente, magnetiſmus perficitur. Notavimus etiam, ſi vulneratum contingat plura ſimul recepiſſe vulnera, ſufficere ſanguinem, ex unico ejus ſaltem vulnere haberi, & curari una nimirum opera, quoque cætera, quia ſanguis ille, concordem cum ſpiritu totius, ſervat harmoniam, & ab eodem educit qualitatem infeſtam, nedum labiis vulneris: ſed & toti homini communicatam, ex uno nempe vulnere, ſolet totus homo quoque febricitare.

Notabile.

Ingens myſterium propalare hactenus diſtuli, oſtendere videlicet ad manum, in homine ſitam eſſe energiam, qua ſolo nutu, & phantaſia ſua queat agere extra ſe, & imprimere virtutem, aliquam influentiam, deinceps per ſe perſeverantem, & agentem in objectum longiſſime abſens, quo ſolo myſterio, quæ dicta ſunt hactenus de ideali entitate in formite ſpirituali aſportata & peregrè ad munia ſua abeunte, de magnetismo rerum omnium, tam phantaſia humana, quam cujusque rei propria genito, nec non de hominum magica, ſuper corporibus reliquis ſuperioritate, ad lucem venient.

Notabile myſterium humanæ imaginationis fundamentum magiæ naturalis.

Intellectus procreatam entitatem imprimit in objectum externum & ibi realiter perſeverat.

Clarum eſt, conſtatque ſine controverſia, ex chalybe acum fieri, quæ magnetis attactu, polum oſtendit navigantibus: chalybem verò irrito in acum cudi, & pixidi nautoriæ ad deſignandum polum imponi, ſi magnetis affrictus debitus, non præceſſerit. Quæ cum ſint extra dubium, nunc ſolo nutu, acum nauticam fabricare convenit: in incude igitur, qua cuditur acus ex chalybe, notatus ſit ſeptentrio, idque linea recta; ſtes faber, dorſo verſus ſeptentrionem, ut cum ducitur ſub malleo chalybs, ad faciendam acum, eam verſus te & Boream trahas: dico igitur, quod talis acus, ſic facta, ſine ullo auxilio alio, polum notabit, & quidem ſine variatione ſolita, quod ingens eſt myſterium. Inſuper acus, quæ fit ſuper lineam dictam, caſualiter, & inſcio fabro, eſt inanis, nec polum notat. Conſequitur hinc, quod imaginatio hominis fabricantis, illo momento quaſi nativitatis, cùm jam maximus fervor ignis deſierit nempe, & ſub obſcura adhuc rubedine, imprimat hujusmodi facultatem magneticam, & quidem in chalybem, ſive ſubjectum appropriatum. Non autem quod cœlum tunc imprimat: quia tunc etiam influeret non intendente fabro, quod falſum eſt? ſi namque cœlum influeret ad certam horam & poſitionem: jam triumpharet characteriſtica, & ſigillaria ſyderum, quam tranſimus.

Quomodo parentur ſigilla efficacia.

Sed conſtellatio quæ influit in chalybem (& omne fortaſſis ſigillum) ex cœlo microcoſmico, id eſt ex olympo noſtro fluit: irrita fuerunt idcirco ſigilla quæ non à mago, in phantaſiâ ſua exaltato cuderentur, interiores nempe entitates & phantaſiæ, cedere coguntur noſtræ; per quam ſapiens, dominabitur aſtris: imperio cujus ſubjecit rerum parens, quidquid cœlo concluſum eſt.

Quæ

Quæ de fantaſia imprimente in acum nauticam, allata ſunt, multorum teſtimonio, mea quoque experientia, & uniuscujusque experiri volentis, decies millies vera eſſe comprobabuntur. Sic aſarum nempe, & ſambuci extremitates, auſcultant imperanti fantaſiæ decerptoris, qui imprimit in plantam, hæc magneticè vero, in folium abſens: cum alioqui coɛto folio (ut recoɛta acu) & in potionem exhibito, periret virtus, fantaſià impreſſa, ſi à planta integrali magnetiſmus non foveretur, coɛtus ſanguis & edi paratus, animam adhuc continet; verum eſt. At vis iſta non ab impreſſione fantaſiæ humanæ & externæ, ſed à proprio ſuæ fantaſiæ dono, conſiſtere. Hoc paɛto quoque, clavus cordi equino infixus, ſpiritum zagæ detinet, & neɛtit, cum ſpiritu mumiali equi, quò ſimul torreantur, ut tormine illo, ceu equuleo, ipſa prodatur, utque tandem per judicem, deo infeſta, mortalibus pernicioſa, de cœtu horum tollatur, juxta legem Dei. Etenim ſi opus ad aliquod objeɛtum externum terminatur, id anima maga, ſine medio nequaquam aggreditur: ideo clavo utitur jam diɛto.

Objeɛtio.

Fantaſia per clavum ceu medium ſpiritum zagæ neɛtit.

Probato nunc eo, quod homo habeat vim per nutum agendi, aut movendi aliquod objeɛtum diſſitum: ſatis quoque confirmatum eſt, eodem naturali exemplo, & homini iſtam energiam deo datam, & naturaliter ipſi competere. Abſurdum fuit haɛtenus putaſſe, ſatanam moviſſe, alteraſſe, aſportaſſe quicquam, & applicuiſſe aɛtiva paſſivis motu locali, per ſolum nutum; cum nempe non dubitent, ipſum in diɛtis motibus, fuiſſe primum movens, extremitatibus quibus tangat, arripiat, aut transferat, vel aëreum (quod fingunt) corpus ſaltem, ullatenus moveat, attamen carentem. Abſurdum inquam ſatanam poſt lapſum, retinuiſſe magicam dignitatem, qua ſolo nutu agit quælibet, quia ejus donum erat naturale: eandem vero naturalem homini, ablatam eſſe, negatam & dæmoni datam creaturarum deſpeɛtiſſimo, ſi qui vero ſint effeɛtus tales ab homine prodeuntes, paɛtoque cum eo ſupplicio ſaltem, attribuere. Aperi oculos, gloriatus opimè in tanta veſtri ignorantia, haɛtenus eſt ſatan, tanquam ſi ipſi thymiama gloriæ, & dignitatis ſubfumigares, tibique dignitatem naturalem, ceu oculos erueres ipſique offerres.

Si ſatan naturaliter movet corpus ſine extremitate, cur non & homo interior? & cur non potiùs adhuc ſpiritum zagæ.

Diximus omnem fortaſſis vim magicam dormire, & excitatione opus habere: quod perpetuo verum eſt, ſi objeɛtum in quod agendum eſt, non ſit proximè diſpoſitum, ſi ejus interna fantaſia, non prorſus annuat agentis impreſſioni, vel etiam ſi robore, patiens ſit par, vel ſuperior agente. At contra, ubi objeɛtum eſt planè, ac proximè diſpoſitum, ut chalybs ad recipiendum magnetiſmum: vel planè debile, & ſibi conſcium (ut homicida, adulter, fur zaga) tunc patiens ſine multa excitatione, ſola exterioris hominis fantaſià in opus deduɛta, & in medium aliquod alligata, ſuccumbit magnetiſmo. Medio inquam utitur ſemper magus: ſic etenim, niſi præ-

gnans manum ad crus, frontem vel ſuos nates, extenderit, fœtus non ſignabitur in crure, fronte, vel natibus. Sic enim verba, ſive formæ ſacramentorum, ſemper operantur: quia ex opere operato: at quia exorciſmi non ſemper operantur, defectus non eſt in Deo: ſed tantum, quia mens inexcita Exorciſtæ, verba reddit torpida. Itaque nemo fœlix exorciſta, niſi qui virtutem magicam excitare ſuæ mentis, novit: vel ſine ſcientia, poteſt.

Præoccupatio.

Dices fortaſſis, unguento armario non aliam, quam componentis phantaſiâ, genitam, virtutem magneticam obtinuiſſe: erras. Attamen ſi iſtud daretur, nec inde melius haberes: ſiquidem non proinde ſatanæ veniret aſcribenda, ſi etenim unguentum non ingenita ſibi phantaſiâ, ſed exterius à componente impreſſa magneticum eſſet; cum non ſit propinquius dicti magnetiſmi medium, quàm ſanguis humanus, cum ſanguine humano; profectò ſolus ſanguis, tanquam ſubjectum diſpoſitiſſimum, pro unguento ſufficeret, & reliqua ſimplicia eſſent fruſtranea, quod falſum eſt, præſertim ſanguis taurinus, & mel, ubi per arma incruenta, unguento intrudentis phantaſia ſufficeret, ſine ſanguine taurino, quod falſum eſt. Denique magnetiſmus unguenti, eſſet planè generalis, quod componens, ad omnia cunctorum etiam brutorum vulnera, impreſſionem nimis liberalem, vagam, incertam & inſolidam, ſua phantaſiâ intendiſſet efficere. Quid ſi canem non intenderit, an unguentum propterea canis vulnus non eſſet ſanando? Apage. Quid bolus armenus, quid oleum lini, quid mel, quid denique ſanguis tauri, diſpoſitionis ad vulnus equinum aut humanum habet, ut in iſta tanquam medium proprium, & non in alia, componentis phantaſiâ imprimatur? quæ tamen ſi exulaverint, unguentum ſterile, & irritum dabunt. Eſt igitur naturalis phantaſiâ unguenti, cauſa magnetiſmi, & cauſa curationis propria, non imaginatio componentis.

Virtus unguenti non ab imaginatione componentis: ſed à ſimplicibus in unum coalitis eſt.

En habes noſtram, id eſt, chriſtianam philoſophiam, non ethnicorum deliria, aut otioſa ſomnia. Cave, quæſo, ne & me propterea in cenſuram injicias, qui in cenſuris promptior fuiſti. Tuus ſum & catholicus Romanus, cui nil quod Deo, quodque Eccleſiæ contrarium, penſitare fuit animus: non in rixas, non in alterius commentaria aut patrocinia, natum me ſcio. Idcirco quæ ſcivi, libertate philoſophica vulgi facere volui: unum illud adhuc ſubnectam. Quicumque effectum naturalem, à Deo ſic creatum, ſic datum creaturis, tribuit dæmoni; is alienat honorem Creatori debitum, & in ſatanam, eundem ignominiosè vertit: quod (pace tua dixero) ſi bene ſub tuam revocaveris anatomen, idololatriam expreſſam reperies. Rogo clementiſſimum parentem Deum, ipſe parcat delictis, quæ ex ignorantia non pertinaci, & humana fragilitate contraximus. Amen.

Author profeſſionem fidei dat. Profeſſio Authoris. Corollarium pro cenſore.

Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlis, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus & hi tres tantum unum ſunt (mox de humanitate Chriſti loquens) Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terris, ſanguis, ſpiritus, & aqua, & hi tres tantum unum ſunt. Nos igitur, qui parem humanitatem habemus, mirum non eſt, ſi ſanguinem & ſpiritum, conſimilis unitatis contineamus: ſitque ſanguinis actio, mere ſpiritualis. Imo in geneſi, propterea non ſanguinis etymo ſit vocatus, ſed ſpiritus rubei nomine inſignitus. Abſcede igitur quisquis es, à pertinacia, & alium, præter cacodæmonem, in ſanguine ſpiritum agnoſce, niſi ſcriptura ex adverſum eas.

ROBERTI FLUDDI DE FLUCTIBUS, DISCURSUS DE UNGUENTO ARMARIO.

EXimia eſt inter res ejusdem naturæ ſympathia, quemadmodum Diſputationum inter eas contrariarum antipathia admirabilis, quod quidem hominibus inſcitia obrutis impoſſibile primâ fronte videretur, niſi infallibiles hujusmodi naturarum proprietates, in rebus diverſis ocularis confirmaſſet experientia; Nec quidem extra hominis naturam quicquam invenitur, quod rerum ſympathiam magis arguat, quàm fortiſſima ipſius magnetis ad ferrum relatio, ejusque ad ſtellam polarem affectio; Nec certè (ut ad hominis regnum perveniamus) eſt quicquam, quod ſympathiam & compaſſionem inter eum atque partes vitali ſuæ diſpoſitioni appropriatas luculentius demonſtret, quàm manifeſta illa relatio, quæ obſervatur eſſe inter unguentum ex ſanguine, aliisq; hominis partibus conflatum, ac vulneratum, & inter cruorem à vulnerato effuſum, atque ſanguinis maſſam, quæ in ſauciato corpore adhuc reſervatur, unde via comparationis inter magnetis effectus & illos iſtiusmodi unguenti facta (utpote qui ſunt ſimillimi) unguentum hoc magneticum appellatur.

Primum igitur compoſitionis ejusdem ingredientia atque menſuras ipſorum vobis explicabimus, atque effectus illos quos praxis atque experientia, etiam ſtultorum magiſtra produxit, deſcribimus, quò facilius de

partibus humanis in illud ingredientibus dijudicare possitis. Deindè naturales operis istius occulti & sympathetici rationes ex ingenii mei, quale quale illud sit, sacrario seu myrothecio depromere mihi liceat, quo reverà vobis, quænam sit animi mei hàc in re sententia atque opinio, brevibus ostendam.

Compositio est hujusmodi.

℞. *Moscæ seu Usneæ ex Calvariâ hominis diu suspensi excrescentis, vel pro defectu ejusdem, de ossibus suspensi & laqueo præfocati, aëri diu expositis & concretis, simul atq; Arungiæ humanæ an. ℥ij. Mumij, sanguinis humani, Boli Armenici an. ℥j. Olei lini ℥ij. Terantur omnia in mortario, quousq; in unguentum reducantur subtile, quod in capsulam est reponendum, atq; sagaciter pro usu reservandum.*

Videmus ergò in hujusmodi compositione unguentum hoc ex rebus humanæ naturæ optimè convenientibus esse conflatum, & per consequens, quod magnum ad ejus sanitatem & existentiam respectum habeat, quippe ad cujus compositionem sanguis primo loco concurrit, in quo sita est vis vitæ. Hic (inquam) adsunt hominis & ossa & eorum essentia in forma moscæ seu usneæ excrescentis, hic ipsius caro in Mumio scilicet ex carne & balsamo confecto, hic humani corporis pinguedo cum cæteris ad unguenti istiusmodi perfectionem convenit, atque cum his omnibus sanguis (uti dictum est) permiscetur, qui erat prædictorum omnium origo & pabulum, utpotè in quo vitæ spiritus, & cum eo ipsa anima lucida, delitescere & occulto more agere solet: Ita ut integra corporis humani perfectio, ad hujusce unguenti pretiosi confectionem concurrere videatur. Atque hinc est, quòd tantus factus sit inter hoc unguentum & corporis vulnerati sanguinem respectus: Nam necesse est, ut aliquid sanguinis sauciati etiam ex vulneris profunditate eliciatur, quemadmodum ex sequentibus manifestè explicatur.

Cùm igitur vulnus alicui infligitur, aut instrumentùm vulnerans cruore perlitum est recuperandum, aut pro defectu illius lignum aliquod acutum in profundum patorem, ubi vulnus dehiscit est immittendum pro sanguine intingatur. Illud igitur instrumentum sive sit ensis, cultellus, securis, seu denique lignum aliquod ita sanguine infectum, ad locum capsulæ utcunque à patiente elongatæ reportari debet, deindè in unguentum immergatur, & in eo ita ad curationis complementum relinquatur: Interea temporis vulnus singulis matutinis temporibus recenti panno linteo in proprio patientis lotio madefacto ligari debet. Atque ita (Deo vovente) sine emplastro sanabitur. Est autem hoc in sauciatis expertum, qui

qui ab ipſo unguento per 10. aut 20. milliaria germanica diſtabant. Prodeſt etiam & aliis doloribus, utpote illis dentium & ſimilibus, qui à prava ſanguinis diſpoſitione provenire obſervantur. Item ſi clavo equi cujusdam pes aut per fabri ferrarii negligentiam, aut ab alio quodam accidente vulneretur, ligno in vulneris fundum immerſo, & in capſulam ſeu arculam repoſito, vulnus intra paucos dies ſanari repertum eſt.

In primis autem in curatione obiter hoc unum obſervandum eſt, quòd in ea ſummum & conſtans regimen ſit obſervandum; nam ſi unguentum hoc nimis calidè cuſtodiatur, & vulnus calore nimio erit affectum, vel ſi frigore rigeat de eadem etiam indiſpoſitione guſtabit & vulnus. Et jam in experientia & cognitione quidem mea hiſtoriam vobis recitare mihi liceat. Nobilis quidem & gradu eques auratus nomine S. Nic. Gilbourne mihi frater, utpote qui ſororem meam natu maximam duxit, vir quidem nemini (ut opinor) ex nobilibus Angliæ doctrinâ & philoſophiâ poſtponendus, cum ex officio ſuo (quod circa naves regias verſabatur) navalis Angliæ apparatus ei in cura eſſet, Hic (inquam) iſto unguento pixidem plenam ſecum retinens, fabrum quendam lignarium, ad naves reficiendas conductum, graviter ſecuri eſſe vulneratum audivit, quo annunciato, ſecurim cujus acies ſanguine vulnerati erat perlita protinus ad ſe adferri juſſit: & unguento ſuo ſecuris aciem cruentam perfricans, eamq; pannis linteis à frigore muniens, in conclavis ſui quendam clavum ſuspendebat, clauſoq; oſtio diſceſſit, & ſubitò vulneratus ille ſe ſolatium ſenſiſſe faſſus eſt, & in dies magis magisq; convaleſcere perrexit: At verò quodam die de vulnere ſuo atque de dolore, & intemperie ejusdem conqueſtus eſt admodum, aſtantesq; omnes ſunt admirati, quòd nullâ occaſione evidenti data, tam repentinâ inquietudine eſſet afflictus, ad fratrem meum ſtatim defugiunt, ipſeq; ad ſuum conclave feſtino gradu properat, invenitq; ſecurim forte fortuna humi proſtratam linteis amiculis deſtitutam, atque partem unctam aëris inclementiæ obnoxiam; quare vice ſecundâ ipſe inſtrumenti aciem unguento illinivit, eamq; linteis tegumentis inveſtiit, & immediatè vulneris dolor eſt mitigatus, illudq; ad priſtinam temperiem redactum, atque ita mox convaluit.

Jam verò ad curationis hujusce ſympatheticæ demonſtrationem naturalem progrediemur, ut non modo ore experientiæ loquamur, cum hic ſit mechanicorum mos atque conſuetudo, ſed rationibus ab occulto naturæ gremio ſeu promptuario decerptis, more philoſophorum hujus actionis myſterium luculenter depingamus.

Cùm aër (uti antea dictum eſt) ſit medium ſeu vehiculum ſpiritus cujuslibet rei, qui etiam currus ipſius animæ ſeu lucis cœleſtis ſeu agentis primarii dicitur: Porrò etiam cùm ſanguis ſit horum omnium receptaculum,

culum, ſequitur inde quòd ſanguinis in vena ſeu arteria motus ſit ab ipſius ſpiritus impulſu, ut ille iterum à luce ſeu anima in ea tanquam à vento recta agitatur, quæ & ratione ſimili in homine à ſpiritu intellectuali in animæ centro inhabitante incitatur, in cujus etiam meditullio reſidet mens divina tanquam princeps, imperator, atque primum internum agens, quòd eſt mundi majoris principium ante omnia factum (juxta illud
Cap. 1. Eccleſiaſtici, Sapientia ante omnia creata.) Hæc ergò mens erat primus ſpiritus mundani in ſuo organo inflator, primus chordæ Monochordi mundani impulſor, in ſpiritu lucido ſeu Empyreo ſemper ambiens, ut ille in luce ſeu anima cœleſti, qui etiam cùm ſuo ſpiritu in aëreo ſpiritu non aliter vehitur, quàm ille in ſanguine. Hæc ergò eſt ratio quòd ſanguis non aliter aëri viſibili nexu naturæ concatenetur, quàm elementum aquæ terræ, atque iterum aër ſanguinis viſibilis, aëri inviſibili in eo inſito, quàm elementum aquæ illi aëris.

Atque etiam anima lucida cum ſuo vehiculo lucido aëri (in quo vehitur) quàm elementum aëris igni. Porrò etiam ſe habet ſpiritus intellectualis ad animam, ut ſubſtantia cœleſtis ſeu æetherea ad illam Empyream, ſeu ſpiritum intellectualem, ut Deus ad ſpiritum Angeli, cum quo undiq;
Pſal. 104. circundatur, (juxta illud quidem Pſalmiſtæ regii) Deus eſt amictus lumi-
v. 2. ne hoc eſt ſpiritu igneo. Ex quibus manifeſtum eſt, quòd ſanguis & vita primariò moventur à mente, at ſecundariò ab anima, cujus impulſu provocatur ſpiritus, ad cujus nutum ſanguis movetur in ſua vena: quod
Piman. 10. etiam confirmat Mercur. Triſmeg. hujuſmodi ſermone.

Anima humana in hunc vehitur modum, Mens in ratione, ratio in anima, anima in ſpiritu, & ſpiritus in corpore, ac tandem ſpiritus per venas arteriasq; ſanguinemq; diffuſus animal undiq; ciet, molemq; corporis ſuſpenſam ſuſtinet atque circumfert.

Ex his ergò liquet, quòd quatenus ſanguinis ſubſtantia ſuo ſpiritui nexu quidem inſeparabili conjungitur, atque ejus ſpiritus nihil ſit aliud quàm aër, cui anima cœleſtis ineſt, hocq; continuo nexu, non aliter quàm æther aëri, inde & ſequatur, quòd relatio inter ſanguinem & ſuum ſpiritum ſit admirabilis & firma, ſimiliter ejus ſpiritus cùm ſit nihil aliud, quàm aër in ſanguine incluſus ita adhæreat aëri in macrocoſmo, ut pars ſuo toto vel ut gutta aqua cum ſuo toto modo inſeparabili unitur.

At verò quatenus hic ſpiritus eſt ſanguini incluſus, eiq; adhæret, non aliter quàm aër aquæ, ſimiliter quatenus animæ ſpecificæ hujus vel illius hominis factus eſt cuſtos, eatenus iſtius vel illius individui natura participat, quemadmodum verbi gratia, aqua vel croco, vel herbis, vel ſantalis, aut rubeo tinctorum vel atramento imbuta, ſi in flumen ex tinctoris officina paulatim effluat, ſpeciem tamen ſuam tinctam retinebit à limpida flumi-

fluminis aqua distinctam, quæ in medio illius fluminis lineam quandam in longitudinem protensam, designare atque protrahere videbitur, & tamen substantia ejus cum illa aquæ fluminis ita adligabitur, ut cum ea continua esse videatur. Sic etiam spiritus hic sanguineus, tametsi ab humano laboratorio effluxerit, tamen naturæ suæ vestigia invisibilia in suo simili videlicet in aëre ubicunque portabitur, relinquet, ita ut à loco vulnerato à quo exivit, usque ad locum pixidis seu capsulæ unguento hujusmodi magnetico repletæ, lineam quandam invisibilem, de natura sanguinis visibilis, qui per lignum vel arma ad sanitatis arculam transfertur extendere, & in suum simile aërem videlicet imprimere videatur: Nam tametsi omnis aër sit de ejusdem natura atque substantia, tamen est Mercurius ille mundanus, cujus partes nunnullæ ab aliis discrepare videntur, non respectu substantiæ, cùm in ea conveniant omnes, sed respectu proprietatis loci vel corporis, per quod transivit aër quemadmodum aqua non mutatur ab aquea sua dispositione, sed tamen de natura sulphurea, ferrea, aluminosa, simul atque de loci coloribus & qualitatibus participare solet, quibus à natura seu qualitate aquæ dulcis discrepare videtur.

Sic etiam observatur, quòd natura dulcis fluminis Indorum Occidentalium, Amazon dicti, per multa miliaria in mare salsum ingrediatur atq; penetret, priusquam aut à figura & motu, aut dispositione sua dulci à natura aquæ marinæ utcunque immensæ, alteretur aut discrepare videatur. Hic ergò Mercurius mundanus seu sublunaris omnia sive in cœlo, seu denique in terris penetrans, more mercurii cœlestis, omnium qualitatum est capax, & tamen in sua substantia aërea (quæ est nihil aliud quàm aqua subtilis) est semper constans, cùm semel vim animalem induit, eam quidem subitò deponere non est facile, nam natura humida formam suam lucidam tam avidè appetit, ut eam semel acquisitam non tam citò deponat aut amittat.

Unde liquet, quod linea ista spiritualis invisibiliter in aëre inter vulneratum & capsulæ locum protracta sive extensa, & suam formam animalem secum rapiat, quæ etiam anima à suo toto in corpore vulnerato contento non minus dividitur quàm radius solis à sole, ut igitur radius solis in spiritu mundano natans, est quasi nuntius inter cœlum & terram, sic etiam radius hic animalis est fidelis conductor naturæ salutiferæ, à Balsami myrothecio, ad corpus læsum atque sauciatum, ejusq; medium; seu linea directrix, seu spiritum salutiferum mediante anima dirigens, est spiritus, invisibiliter in aëre porrectus, qui nisi in aëre occulto modo esset figuratus, unguenti virtus huc atque illuc efflueret, nihilq; proficui ad vulneratum afferret.

Simili quidem ratione videmus, quòd si in visione optica radius pyramidalis

midalis non esset, spiritus quidem visuales ad objectum egredi & tum postea regrediendo de objecti certitudine sensus efficere certiores non possent, acies enim aspectus animæ vulnerati est in capsula, in qua sanitas expectata delitescit, atque magnetica eadem animæ in objectum intuens vis illius medicamenti vires spirituales attrahit, mediante suo radio in organo spirituali movente, qui radius est radius pyramidalis aspectus ipsius animæ, atque hujusmodi animæ intuitus est compassione & amore sui subjecti seu tabernaculi plenus, in quidem ad se attrahit quæ sunt salutaria, ut ejus aspectu antipathetico seu odio pleno objecta propul[illegible]re atque evitare conatur.

Sed ut luculentius adhuc operationem istam myst[illegible]am explicemus & demonstremus: Si filum aliquod de uno loco in alium fortiter extendatur, hoc filum occultæ spiritus sanguinei lineæ comparamus, cujus unam extremitatem si digito percutias, hic anima tua pulsans, animæ vulnerati, radium suum per lineam spiritualem emittentis refertur, radius autem ab anima pulsantis emissus est virtus illa universum filum à termino à quo ad terminum ad quem vibrans atque quatiens, estq; nuncius quasi deferens per organon suum spirituale voluntatem sui integri, hoc est animæ quæ est totius & per consequens omnium partium Domina. Videmus igitur, quòd filum hoc ita protensum, ita in suis partibus sit continuum ut principio ejusdem pulso, integra ejus substantia resonare atque vibrare videatur, sic anima pulsante lineæ istius aëream partem vulneri continuam, per multiplicationem vis illa agitans (quam animæ radium supra nuncupavimus) ad aliam lineæ spiritualis extremitatem in capsulæ profunditatem mediante ligno intrusam migrat, atque vi suâ attractivâ seu magneticâ naturam unguenti faciliùs ideò ad se trahit, quia naturali quadam sympathiâ cum ea symbolizare atque convenire videtur, nam natura lætatur in sua natura, natura naturam sibi similem adjuvat, natura à sua natura simili refici solet. Sic sanguis humanus cum suo simili in ossibus, axungiâ, mumio, & sanguine (quæ ad unguenti compositionem concurrunt) facillimè sympathetico consensu & symphoniaco amore delectatur, adunatur atque in defectu illius reficitur, nam vis unita est fortior, & natura naturæ unita res omnes utcunque præter naturam se habentes vincere atque superare potest: Hinc ergò oritur secreta illa inter pravos spiritus & cacomagos unio & combinatio, quâ homines inepti à Diabolo turpiter decipiuntur. Unde Diabolus seu spiritus malignus in vitamento hujusmodi stipis, venificæ voluntatem atque imperata implere gestit. Unde sæpicule commercium est factum inter eos, ut spiritus ille quacunque figurâ indutus, sanguinis portionem sugendo quotidiè sibi hauriat, quo spiritus cacomagi in sanguine delitescens, idem cum illo maligni spiritus fiat, atque ita in

ita in naturam diabolicam convertitur, quo à cultu tandem diabolico impossibile est recedere. Imo verò pro defectu sanguinis sortiarii partes hominis à sanguine ortas colligere solebant, videlicet ossa sepulchrorum crines barbitonsorum, uti in Apulejo legitur. Imo verò & ubi talia deesse observant, vel calceos, vel chirothecas, vel res aliquas hujusmodi quæ sudore corporis inficiuntur, accipere solent, quemadmodum ex quorundam sortiariorum hic in Anglia degentium confessione explicatum est: Tantus inquam est inter spiritum unius sanguinis, & sui similis concentus atque sympathia, ut vel unico sanguine, aut ab eo orto male vel bene à mago in dissitis locis tractato, & alter aut vexabitur, aut gaudio & salute afficietur, quibus optimè percipitur, quanta sit inter sanguinem unius & sanguinem alterius compassio, etiam in locis ab invicem longè distantibus, quæ quidem fit propter occultum spiritum in iis conclusum, cujus actus est animæ radius, at replicare quis possit fortasse, quòd linea hujusmodi invisibilis in aëre à vulnerato ad pixidis sedem protracta, motu hominum vel animantium possit rumpi atque in partes dividi & quod exinde sequeretur, ut unguenti virtus in vanum operaretur, utpote cujus spiritus conducens est interruptus, & hâc ratione vim sanativam ad optatum portum conducere nequit; cui respondemus, quòd eadem sit ratio in aëris divisione ac ipsius aquæ, nam si pars aquæ in flumine aliquo in longitudine more lineæ tingatur, & cymba per ejus medium transiens ipsam lineam sic tinctam dividerit, ejus tamen partes nictu quasi oculi ad invicem iterum rejungi percipiuntur, nec etiam sequitur quòd aër in duas partes ense divisus in substantiæ unitatem non revertatur.

Concludimus ergò quòd admirabiles sint & stupendi spiritus invisibilis in substantia sanguinis humani occultati effectus, tam sympathetici quàm antipathetici, de illis superius jam locuti sumus, de his inferius paucis agemus. Atque hac de causa Arbatel (vir in mysteriis supernaturalibus admodum versatus) tractatum integrum instituit de Magia microcosmica, in qua denotat quid microcosmus per suum spiritum, & sibi à nativitate additos genios, magicè hoc est sapientiâ spirituali effecerit, & quomodo: atque per sapientiam illam omnium doctricem mentem in anima humana mediante spiritu suo intellectuali vectam, ut animam in spiritu humano intelligimus.

DANIEL BECKERUS,
DE
UNGUENTO ARMARIO.

Usnea Microcosmi, nil aliud est, quàm muscus ille, qui calvariæ humanæ adnascitur: hancque revera dari vel loca sepulchris destinata, docent. Sic Hildanus partem ejus inde desumptam, imò frustrum Cranii hum. cui usnea adhuc dum adhærebat, amico transmisit, ut videre est Cent. 3. observ. 38. Utrum v. Usnea hæc in Craniis suspensorum inveniatur, dubitat quidam magni nominis Medico-Chirurgus, qui se nunquam eam reperire potuisse ait, pergitque: Et profecto quomodo Craniis in patibulo ventis, pluviis, grandinibusque impetuosis expositis, usnea adnasci possit, nondum video: Verum vix sufficere videntur hæ rationes ad impugnandam Usneæ generationem in Cranio suspensorum:

Primum enim, quod ipse non observavit, observarunt alii Medici clarissimi: Imò est adhuc nunc aliquod Cranium apud Clarissimum Ducis Borussi. in Regiomont. Pharmacopæum Dn. Casparum Pancerum, exoticis & raris gaudentem, quod ex patibulo fuit desumptum Usnea decoratum:

Deindè: Venti, pluviæ, grandines magis disponent solidam Cranii partem, quo Solis radii, in caput totum agentes facilius florem hunc ex ipso cerebro, alias, ut supra dictum, magnarum in Medicina virium, elicere & evocare possint: hinc, teste Tabernæmontan. lib. 2. pag. 488. nonnulli Medici aut Pharmacopæi Cranium aëri locoque humidiorique exponunt, quo sic facilius muscus proveniat.

Tertiò nec impetus eorundem Meteororum generationem hanc impediunt, cùm & è locis minus dispositis, imò saxeis, & illis tempestatibus æquè expositis, herbulas egregias enasci videamus:

Enascitur ergò, & adnascitur Muscus, quem Libav. l. 2. Alchym. p. 185. florem Cranii appellat, Craniis strangulatorum, rota contusorum, aut

palo

palo affixis aliisque in locis sepositis capitibus ex sepulchris desumptis: cujus usus est.

1. In Hæmorrhagia narium, si portio ejus indatur: sic n. Hildan. Cent. 2. pagin. 54. Moscum, qui Craniis hominum aëri expositis adnascitur, in subtilissimum pulverem redactum, præstantissimum esse in sistenda Hæmorrhagia non rarò expertus sum: Subscribit Finckius pag. 68. Paracelsus in manual. pag. 94. & Tabernæmont. l. c. Ego similiter exoptatum in praxi ejusdem vidi effectum, desperatamque sic emendavi hæmorrhagiam, tum in Juvene quodam An. 1626. qui jam pro agonizante ab astantibus habebatur, tum in aliis.

Eandem in sindone rubra de collo suspensam in simili casu commendat Senn. l. 1. Practic. pag. 977. ubi & compositum amuletum cum eadem parat, & est sequens.

℞. *Cinerem bufonis unius*
Lapid hæmatit. ʒ. ß.
Musci Cran hum. pulverisat.
Umbilici marini.
Corall. rubr. præpar. an. ℈j.
Rad. tormentill. bistort ʒ. ß.
Bursæ pastor. fl. bellid. minor.
anagall. rubræ an. P. j.

F. pulvis, qui in sericum rubrum includatur, F. Saccus collo appendendus.

2. In Hæmorrhagia vulnerum: Weickard. pag. 566.

℞. *Thuris, Aloes an. partes æquales, pulverisa subtilissimè, & cum albumine ovi incorporentur, addendo Muscum de Cranio hominis defuncti, excipiantur lanugine Panni veteris, & utere.*

Hildan. Cent. 1. Epistilar. Centur. 4. Observ. adnexarum sequens pessarium ad sistendum sanguinem commendat.

℞. *Farinæ volatilis* ℥ij.
Terræ sigill Sanguin. Dracon.
Gypsi, Ciner. aquatil. ranar.
an. ʒiij.
Musci Cranii Hum. ʒj.

Misce, F. pulvis subtilissimus.

Untzerus lib. de Pest. 3. p. 267. Usneam in manibus retentam in Hæmorrhagia incantamenti instar quemcunque sanguinis fluxum è vestigio supprimere & restringere tradit.

3. In Dysenteria.

Poppius l. 2. Thesaur. med. p. 410. ℈j. Usneæ exhibet.

4. In uteri procidentia.

Hinc Weikard. pag. 356. in uterum ſequens injiciendum efficax eſſe ſcribit:

℞. *Gandul. exſiccat.* ℥iij.
Vſneæ Cran. ℥j.
Rad. conſolid. biſtort.
tormentill. an. ℥ß.
Terræ ſigillat. ℥iij.
Lapid. calamin. Ciner. Sarment.
Herniar. ſiccæ an. ʒij.
Abſinth. ʒj.

Coq. in aq. fol. quercus, & tertiâ parte vini rubri ad Menſ. j. pro injectione, quæ efficacior erit, ſi parum aluminis addatur.

5. Sunt, qui in deſperato menſium profluvio ex Uſnea pillulos parandas & exhibendas ſuadent: E. G.

℞. *Muſci. Cran. Hum.*
Magiſt. Corall. perlar.
an. ℈ß.
C. C. Philoſ. præparat. ℈j.
Boli Orient. gr. vij. M.

Alii linteolo obvolutam Uſneam inferiori immittunt parti.

6. Ingreditur quoque confectionem unguenti Hopliatrici, cujus baſin conſtituere nonnullis creditur: de quo hic paululum agere placet: Unguentum hoc aliâs magneticum dicitur, quod, ut magnes ferrum abſconditâ & occultâ facultate trahat, ita & haut diſſimili occultaque vi vulnus inflictum ſanetur: Aliâs Armarium, vel etiam Martiale, quod non vulneri, ut communiter fieri ſolet, ſed armis unguentum affricetur, & ſic ſanatio peragatur: aliâs ſympatheticum, quòd ejusmodi cum vulnere habeat ſympathiam, ut, ſi nonnihil ſanguinis, quod telo adhæreat, eo imbuatur, virtus ſanativa à cœlo in vulnus transferatur, & in hoc ex disjunctione & ſolutione unitatis, Unionem efficiat naturalem: vocatur & ſtellatum, quòd à ſideribus mirificam illam facultatem habeat, vel quòd certo ſtellarum poſitu & conſtellatione componendum ſit.

Quis hujus unguenti autor primus ſit, dubitatur: Nonnulli Paracelſum fuiſſe exiſtimant, verùm in Tomis ejusdem, ne gry de eodem reperitur: Keckerm. lib. 1. Syſtemat. Phyſic. c. 9. Curationis hujus per prædictum unguentum autorem Italum quendam Parmenſem Anshelmum inſignem Magum fuiſſe aſſerit.

Deſcriptiones hujus unguenti variæ circumferuntur, & diverſimodè à diverſis

à diversis paratur: Weckerus. lib. 5. de Secret. p. 189. & ex eo Franciscus Tidicæus de Theriac. pag. 279. sequentem ponunt compositionem.

℞. *Usneæ human.* ℥ij.
Axungiæ hum. ℥ij.
Mumiæ. Sanguin. Hum. an. ℥. *Dimid.*
Ol. lini. ℥ij.
rosar.
Boli armen. an. ℥j.

Omnia simul in mortario terantur tamdiu, donec subtilissimum inde fiat unguentum, quod in capsulam reponas, ut, cùm vulnus aliquod oblatum fuerit, lignum in sanguine vulneris intingas, ut sanguinolentum fiat, quod exsiccatum unguento supra scripto prorsum intrudatur, & in eo relinquatur: Postmodum vulnus mane singulis diebus recenti fasciâ, lotio proprio patientis madefacta, ligetur & sanabitur, &c. Poteris ad hunc modum curare distantem à te miliaribus decem, aut viginti, cùm sanguinem ejus habueris: Prodest etiam ad alios dolores, uti dentium, & quorumvis damnorum, sanguinolentum lignum hoc in unguentum trusum, & in eo relictum: Item, si clavo pes equi per ferrarium fabrum læsus fuerit, ligno sanguine tincto, & in capsulam truso, vel in unguentum ibidemque relicto, curabitur.

Aliam descriptionem habet Fr. Tidicæus p. seq. & seq. describit.

℞. *Axungiam Apri, alii habent Fibri. i. e. Castorii, id quod rationi consentaneum est, propter utilitatem, quæ ex Castorio in Theriaca expectatur.*

Axungiam Ursi, quæ quo vetustior est, eò melior: Hæc dissolvantur igne leni, tum infundantur aquæ frigidæ, inde quicquid salsuginosi, inest, subsidet in fundo: Tum accipe lumbricorum terrestr. purgatorum uncias tres, spermat. ranarum. ℥iij. Hæc exsiccentur supra prunas in patella ferrea, eousque, ut pulverisari possint:

In confectione unguenti accipe.

Lumbricorum. tostor. ligni santalin.
Lapid. hæmatit. rad. consolid. maj. *an.* ℥ß.
Usneæ. human. ℨij.

Hæc omnia in pulverem redigantur tenuem, huic admisce Axung. Ursi.

apri Sylvestr. an. ℨ. X. vel tantum ut æquale pondus sit pulverum & pinguedin. bene invicem incorporentur in formam unguenti.

Haut absimilem, nonnullis tamen omissis habet, Cornarius in præmeditationibus Medicinal. & est seq.

℞. *Adipis apri.* ℥ij.
ursi sine Sale. ℥j. ß.
pulver. lumbricor. terr.
santal. rubr.
lapid. hæmatit. an. ʒj. ß.
Musci ex ossibus defunctor. ʒß.

misceantur & incorporentur omnia simul pro linimento, quo vulneratorum arma inungantur: Weickard. l. 4. de extern. corpor. aff. p. 641. seq. depingit.

℞. *Pingued. apri. Ursæ an.*
℥iiij.
cervi. ℥ij.
Castor. vetustissimi & rancid.
ʒ. v.

Dissolvantur ad ignem, & colentur per linteum, adde: Lumbricor. lib. 1. (qui tamen prius in musco Fagi, aut quercus repurgati, deindè in clibano torrefacti & pulverisati.)

Santali rubri odorif.
Hæmatit. an. ℥ß.
musci de Cr. hominis, aut si desit, ipsius Cranii human. ʒ. j. *misceantur & coq. ad unguenti consistentiam.*

In officina Magdeburgensi quondam tale sine Mumiâ conficiebatur.

℞. *Axung. apri sylvestr.*
ursi an. ℥ij.

Dissolve simul lento igne cum vini rubri. ℥iij. deindè fundantur in aq. frig. separa hinc, & collige Axungias; postea adde,

Pulv. lumbricor. terr.
Santal. rubr.
lap. hæmatit. præp. an. ℥j.
Mumiæ. Vitriol. an. ℥ß.
M. F. l. a. unguentum.

Tandem maximè commendatur illud, quod est apud Croll. Basilic. Chymic. pag. 278. ubi simul modus applicandi depingitur.

℞. *Adip. Verr. aprugn.*
ursi. an. ℥iiij.

Utriusque animalis adeps prius in vino rubro per dimidiam horam lento igne bulliat, postea effunditur super aquam frigidam, & cochleari colligitur pinguedo innatans, quicquid fundum petit, abjiciatur,

Postea ℞. Lumbricor. ex vino vel aqua loror. sextarios duos, torrefiant in olla tecta in fornace pistoris, cavendum tamen, ne adurantur, postea terantur in pulverem.

℞. Hujus pulv. Cerebri aprug. in vesica propria cum Urina ejusdem aliquantulum macerati, & postea siccati.

Santal. citr. odorif.
Mumiæ comm.
hæmatit. an. ℥ij.

Demum accipe Usneæ è Cranio hominis violentâ morte perempti, inprimis patibulo, abrasæ Lunâ crescente, & in bona domo existente, Veneris, si fieri possit, non Martis aut Saturni, ad pondus unius drachmæ: Ex omnibus tritis & invicem mixtis cum Adipe s. a. unguentum fiat, in vitro clauso, vel pixide ad suos usus diligenter asservandum: paretur hoc unguentum Autumno circa 10. & 11. Septembr.

Hoc unguento sanantur omnia vulnera, quocunque telo, ictu, jactu, cuicunque etiam Sexui inflicta modò telum haberi possit (ne tamen Nervi arteriæ, nec unum è tribus principalioribus membris læsum sit.)

OBSERVATIONES.

1. Ungatur telum, quo homo vulneratus est, semel singulis diebus si necessitas urgeat & vulnus sit ingens: alioquin secundo vel tertio die inunxisse sufficiat: Servetur in mundo linteolo, & loco tepido non nimis calido, nec squalido, ne damnum inferatur patienti:

2. Cavendum, ne pulvis super telum cadat, nec ventus afflet in loco frigido, alioquin patiens ad insaniam redigeretur.

3. Antequam telum ungas, considera, an punctim vulnus factum sit, quod si est, ungatur defensorium illud superius, non inferius, descendendo, alioquin nocumentum adferetur ægrotanti.

4. Si verò non possis cognoscere, quàm profundè vel quomodo defensorium in carnem introiverit, poteris illud telum perungere, alioquin sufficiat locum teli, quo aliquis læsus, inunxisse.

5. Non est necesse consuere vulnus more barbitonsorum, sed saltem linteolo mundo quotidiè circumligare in patientis urina prius madefacto.

6. Quo die inungitur telum, abstineat à Venere, & vulneratus, & is qui telum inungit.

7. Ante inunctionem teli vulnerato etiam sistatur sanguis citissimè.

8. In fracturis & ruptura ossium aliquid pulveris symphiti majoris, vel Ostiocollæ poteris addere unguento, vel de radicibus Ellebori nigri:

9. Ha-

9. Habito telo, quo quis læſus, & cupias ſcire, utrum patiens ſit moriturus, vel ſupervicturus, ſic experiere, antequam telum inungatur: Si ille telo ſupra carbones calefacto in tantum, quod poſſis manum deſuper tenere, ſubtiliſsimum pulverem è Santalo rubro & hæmatite aſperſeris, ſi ſudat guttas ſanguinis, moritur patiens, ſin minus, evadet.

10. Non habitis armis ſ. telo nihilominus quamlibet cutis aperturam & læſionem violentam, per quam ſanguis egreditur, hoc unguento ſanari poſſe, ita ut lignellum de Salice in apertura cruenta madefiat, & poſtquam ſanguis adhærens ſiccatus eſt, ſpontè per ſe demum infigatur ſupradicto unguento in pyxide aſſervato, intus relinquendo:

11. Si vulnus forte magnum & profundum eſſet, ſingulis auroris mundificari poteſt, & recenti linteolo ligari ſine omni alio uſu extraneorum oleorum unguentorum & ſimilium: Tunc ſanatur hoc vulnus quoquemodo inflictum per ſe, & ſufficit lignellum ſemel tantum in apertura ſeu vulnere cruento prius madefactum, unguento pyxidis infixum manere uſque ad ſanationem plenariam.

12. Sic etiam in dolore dentium ſanando, dens dolens tam diu fricetur ſcalpello, donec ſanguinem emittat: Scalpellum poſt exſiccationem ſanguinis ungatur hoc unguento: ſic confeſtim ſedatur dolor.

13. Si equus ſit clavo transfixus in pede, extrahatur prius clavus, & inungatur, & citò curabitur pes equi ſine ſuppuratione.

Hæc itaque eſt ratio, quî componi & in uſum trahi poſſit medicamentum prædictum, cujus felicem curationis ſucceſſum plurimi deprædicant, infinitaque ſic curatorum exempla in medium adducunt: Et quotidiana de his quoque teſtatur experientia, plurimos vulneratos ſolo hujus medicamenti uſu reſtitutos eſſe: Infelicem tamen hujus unguenti ſucceſsum ex Hildano notare poſſumus. Is enim Cent. 3. obſerv. medicin. Sic habet.

Genere & Virtute verè Nobilis matrona juvenis, & optimo corporis habitu prædita, cùm ante menſem feliciter peperiſſet, neſcio, quonam infortunio, factum, quòd vicinâ die poſt partum vulnus ad latus papillæ ſiniſtræ verſus ſternum acceperit: Vulnus, etſi non usque adeò profundum eſſet, ſanguis tamen copiosè effluxit: à Chirurgo reſtricto ſanguine, non vulnus, ſed cultrum quo inflictum fuerat, curabant & tractabant quotidiè, & quidem, ut par eſt, diligenter; citò, & uti videbatur, ſatis feliciter, & ferè absque dolore curatum fuit vulnus: Sed quid fit? Vix cicatrice inductâ obtuſo in profundo mammæ oborto dolore, febre cum rigore lumborum & capitis dolore, obruta fuit ægra: mox indureſcit, mammæ maximo cum dolore, non ſolùm mammæ verùm etiam nuchæ & ſcapulæ,

adeoque

adeoque totius istius lateris: Iterum advocatur Chirurgus, qui etsi omnem adhiberet diligentiam, symptomata tamen de die in diem magis magisque accreverunt: Tandem decimâ nonâ Aprilis, ego quoque accersitus ad ipsam perveni, & mammam supra modum tumefactam, ac undique ferè induratam offendi: Dolor maximus & pungitivus, febrisque continua aderant; Cicatrix præcedentis vulneris vix apparebat: circa papillam livida erat cutis, ita tamen mollis, ut fluctuatio puris tactu facilè deprehendi posset: Quapropter suasi, ut incideretur vomica: Consensum porrò cùm dedisset ægra, & adstantes negotium adprobassent, scalpello incurvato abscessum incidi pus copiosè, & quidem cum impetu effluxit.

Hinc dolor mox sedatus est, reliquâ quoque symptomata paulatim remiserunt, &c.

Si quis verò de causa curationis Hopliatricæ, scilicet Magnetici hujus unguenti velit esse sollicitus, varios hâc de re, & contrariè sentientes audiet authores, quorum rationes breviter recensendo, enarrabo, & cuique liberum sine omni decisione relinquam judicium.

Sunt primò, qui Naturale quid hic subesse negant: alii verò his sese opponentes, tanquam pro aris & focis pro unguento hoc pugnam suscipiunt.

Illi, utut concedant ingredientia esse ex rerum naturalium Catalogo, modumque ipsum compositionis omni carere suspicione, curationem tamen ipsam omni Philosophico & Physico carere fundamento dicunt: nec sine rationibus:

Nam primò: Curatio illa non peragitur secundum indicationes in curandis vulneribus necessarias: In naturali enim & Medica, methodicaque vulnerum curatione plures indicationes, eæque differentes occurrunt, quibus certo ordine, prout diversa vulnerum tempora requirunt, satisfaciendum: quod sanè hîc non fit, nam in unctione unicâ, & unico remedio indifferenter omnibus & diversis occurrere volunt:

Secundò. Nullus est hic applicandi modus naturalis: Contactus enim mutuus, unde vis unguenti in locum affectum derivari potest, necessarius est: hîc verò nullus datur, cùm non læsæ parti; sed Instrumento lædenti unguentum affricetur: Imò unguentum non animato & vivo adhuc corpori, quod medicamentum adhibitum in actum deducere possit, sed inanimato & vitæ experti, quodque nullam vim in unguentum exerere potest, applicatur.

Tertiò: Nulla hîc virtualis actio aut contactus admitti potest: Verum quidem est, varias & occultas in Natura dari proprietates, unde admirandi sæpè conjiciuntur effectus: varias & infinitas rebus naturalibus inesse fa-

cultates, unde ſympathiæ & antipathiæ ſuam ducunt originem:
In hopliatria tamen nulla virtualis actionis conſpicitur ratio: Trahit Magnes ferrum vi ſanè occultâ, ſed non ex remotiori loco; certa hic requiritur diſtantia: ſunt plantæ plantis animalia animalibus infenſa, infeſta & infauſta, at nulla à remotioribus partibus actio obſervatur, in immenſum enim & infinitum vis illa diffundi nequit: at facultati unguenti Hopliatrici de telo inuncto ad vulnus peregrinandæ, duodecim viginti, imò plura præfiguntur milliaria: Quæ hîc inter agens & patiens diſtantiæ proportio! Quòd ſi verò mirifica illa Magnetica & Balſamica vis ad diſtantiſsima etiam efficax objicitur: quî, quæſo, à tantillo ſanguinis, & quidem concreti, tanta vis promanare poteſt? quî ſpiritus illi balſamici multiplicem faſciarum ſuperinductarum convolutionem tranſire, ciſtam perrumpere, ad remotum vulnus in lecto forſan & cubiculo undique concluſo repoſitum permeare poterunt? Quod ſi aëre exiſtente turbido vix radii ſolares vires ſuas exerere, & ad corpora noſtra extendere poſſunt, quî ſpiritus illi vectorii, à ventorum turbine facilè agitandi ad vulnus illæſi pervenient! Quinimo nulli hic ſpiritus vitales, aut medicinales, ne dum ad diſtantiſsima etiam operantes, admittuntur: Cùm ejuſmodi in ſanguine illo profuſo, confuſo non reſtitent, ſed primo momento evaneſcant: emoritur enim illico refrigeratus ſanguis, nullamque viventis facultatis opem amplius edere valet.

Quartò. Uſnea pro fundamento & baſi haberi nequit: Hanc quidem defenſores Curationis Hopliatricæ pluribus extollunt, verum ſine cauſa: Si enim baſis eſſet hujus medicamenti, omnium quoque compoſitionem ingrederetur; verùm dantur deſcriptiones, quæ Uſneâ deſtituuntur: Et dum alii portionem de Uſnea inſtar avellanæ ſumunt, quid quæſo auxilii ex tantilla quantitate ſperandum?

Quintò: Curatio, ſi quæ peragitur, non medicamenti illius, ſed Naturæ beneficio peragitur: Videmus id in ſimilibus vulneribus, ubi Natura, quæ morborum curatrix eſt, ipſam ſanationem & conſolidationem molitur, & procurat: inprimis, ſi impedimenta omnia removeantur, & vulnus diligentiâ quâdam tractetur: quod hic fit, ubi mundificatio, & quidem cum urina propria bis de die inſtituitur: quis non diceret, ab ipſa natura ſcilicet balſamo naturæ interno ſui ſanationem promovente conſolidationem provenire: Canes ſanè & alia animalia vulnera ſibi inflicta, lingendo ſæpiſsimè curant: quidni & hîc à Natura ſimile quid expectandum?

Sextò: Nulla hic ab Anima Mundi, quam Vectorem illius facultatis Magneticæ ſtatuunt, provenire poteſt: Non Entis enim nulla eſt affectio, nulla

nulla qualitas nulla actio: de cujus examinatione & exanimatione alii videantur authores.

Hisce sese opponunt alii, Hopliatriæ patrocinium strenuè suscipientes: Clarissimus Tidicæus in tractatu de Theriaca fidem huic rei non omnino denegandam esse censet, quippe cùm à tanto tempore experientia certa & affirmatio non levium, sed fide dignissimorum hominum hanc curationem confirmârint, & potius in id incumbendum dicit, an aliquid probabilitatis & verisimilitudinis ex Philosophiæ abditis & approbatione atque testimonio summorum Philosophorum huic rei conciliari possit.

Fundamentum verò totius curationis dicit esse, mirum & occultum illum rerum naturalium consensum: Et quemadmodum, inquit, Magnes, & quicquid magneticam naturam contraxit in pyxide nautica, in solariis vel Horologiis perpetuo, semper & infallibiliter plagas mundi distinguit à septentrione. Ita & occulto modo, licet distantissima sint corpora, curationem tamen perfici posse.

Et cùm inter agens & patiens requiratur quædam repassio, simile quid & hic fieri: Telum, inquit, in vulnus agit suum caro vulnerata rursus agit in telum, infundens in illud aliquid sui, etsi id adeò exiguum sit, ut gradus illius mutationis & alterationis à nobis percipi nequeat, tantum tamen est, ut jam telum cum vulnere cognationem quandam, affinitatem atque consensum contraxerit, adeoque similitudinem, quæ utut non sit idem, est quasi idem: Inde unguentum agens in totum, est, ac si ageret in vulnus, telo affinitate q. junctum.

Hæc omnia melius explicare conatur Goclenius Junior in Synarthrosi Magnetica, ubi inter alia pag. 226. hæc habet: Virtus Magnetica à telo, unguento delibuto propagatur ad vulnus propter Naturæ cognationem & continuationem, quam sequitur successiva impulsio per medium aërem, spiritu stellato & primario quodam ac Magnetico vigore ac potentiâ imprægnatum: In unguento est Spiritus Balsamicus (in sanguine humano, Mumiâ & adipe humano potissimum latitans) hic excitatur scilicet potius evocatur à spiritu consimili, sibique sympathetico, spiritu scilicet mundi stellato, ad effectum singularem producendum: Hic spiritus evocans, dirigens, disponensque corpora ac res mutuo quodam Naturæ nexu sibi devinciens, non est quivis, sed determinatus, is scilicet quo præsente & tangente fit effectus, absente non fit, decedente cessat: Hic ergò prima motus causa agnoscendus est; hic dirigit, deducitque vim sanativam in spiritu balsamico fixam ad vulnus.

Sunt enim hi spiritus sympathetici, mutuoque se appetunt, & propter

Uuu 2 hunc

hunc occultum, naturalem tamen appetitum ad determinatum effectum conſpirant, ut ita in totum & verè dixiſſe liceat: Magneticam curam vulnerum fieri per meram virtutum transplantationem, quam efficit & perficit appetitus inter ſpiritum Balſamicum & Spiritum Mundi.

Ulterius progreditur Cl. D. Johannes Hartmannus Profeſſor olim Marpurgi, qui in Collegio Chymico privato vindicias hujus unguenti ſequentibus aliquando exhibere voluit: Ita autem ille.

Sanari Vulnera ab unguento, non ipſis ſed vel armis, vel quod armorum vicem ſuſtinet, affricato, nemo non vidit, aut intellexit hactenus, nemo non expertus eſt: quorſum igitur attinet in manifeſta experientiæ luce cæcutire: quamvis adhucdum, cur iſthæc fiant, cauſæ veræ & adæquatæ inveſtigando explorari non potuerint: Magnes trahit ferrum, & utrumque miro modo inter ſe afficitur, ſed quis tam ingenioſus fuit unquam, qui iſtius mirabilitatis potuerit reddere cauſas connatas, & effectionem iſtam unicè molientes? Eodem pacto de unguento hoc ſtatuendum eſt, nec ſtatim ad Diabolicas artes, licet præter propter opinionem noſtram valdè efficaces, recurrendum, vel rei hiſtoria in dubium revocanda, aut prorſus perneganda, mundificationi vulneris totum asſignando, quo pacto idem, vel ſine inunctione teli conſolidari poſſit, ubi in cauſarum momenta minus inquirere licet.

Sed dicant nobis ejusmodi exagitatores:

1. Quamobrem ab hac Chirurgia vulneris, parum aut omnino nihil efficiatur, ſi Uſnea à capite ſuſpenſorum non admixta unguento fuerit!

2. Quî fiat, quòd fruſtrà telum inungatur, niſi cruore è vulnere manante tinctum fuerit?

3. Quî fiat, quod ægro vel dolores, vel levamina ab eo, qui curat pro libitu ſuo & per intervalla conciliari poſſint;

4. Quid cauſæ ſubſit, quòd fractura oſſium non reſarciatur vel ſaltem non æquè bene niſi vel Oſtiocolla, vel radix Symphiti majoris unguento adjungatur?

5. Cur, prout vulnus vel punctim vel cæſim inflictum ſit, telum diverſimodè perungi oporteat?

6. Quòd denique, ſi vulneratus diætæ limites à Medico imperatos transgreſſus fuerit, totum id confeſtim prodatur in teli ligatura:

Hæc & ſimilia explicent illi, quicunque ſtrenuè contra hanc ipſam Chirurgiæ Martialis experientiam, calamum ſtringunt: Libavius hic nullam ſympathiam concedit, eamque rerum naturalium ſolum eſſe, contendit: atque ſympathia eſt continuatio Naturæ, ejusque convenientia: tametſi enim diſſita ſint Magnetis & ferri corpora, in iis tamen ita Natura continuatur, ut etiam conveniant in unam: quidni verò inter vulnus & unguentum

guentum ipſum continuationem quandam, ac propterea ſympathiam eſſe, aſſeramus? Quid verò illa ſit, in quo conſiſtat, & quomodo fiat, & quæ ſit ejus cauſa, hoc verò eſt quod quæritur:

Atqui nemo unquam tantam ingenii divinitatem ſibi attribuerit, ut iſthæc per omnia ad unguem explicare potuerit: Quieſcendum tamen non eſt, ſed conandum, quousque mens noſtra poteſt.

Eſſe itaque ſympathiam in hac cura exploratum eſt, in qua primo conſiderandum eſt ſubjectum ſeu Materia, in qua ipſe nempè ſanguis: Secundo Efficiens à qua, quæ eſt Spiritus Mundi ſecretus Univerſalis, omnia, perluſtrans. Tertio cauſa Inſtrumentalis, ſine qua non perficitur cura: Dicimus igitur Unguenti Martialis baſin eſſe Uſneam S. Spiritum animalem coagulatum ſcilicet corporeum: cùm enim ſtrangulantur homines, ſpiritus vitales & naturales ſurſum feruntur, ibidemque, cùm exitus propter ſolidam Cranii duritiem nullus pateat inter ſuffocandum unâ cum animalibus includuntur, & quaſi carceribus quibusdam circumſcribuntur donec temporis progreſſu in unum coaleſcant, & foras ad Cranii circumferentiam erumpant: Hinc accedente Mercurio ſeu Spiritu Mundi à Neptuno per pluvias, rorem, nivem, pruinas, tanquam externa vehicula in hæc inferiora effuſo, fit Uſnea baſis ſcilicet hujus medicamenti, quæ in ſe continet omnes virtutes animales, vitales & naturales, quas eodem modo poſtea ipſi unguento communicat: Quoad ſanguinem: etſi, dum ille adhuc ſpirans è vulnere manat, ſpiritus volatiles illico in aërem evaneſcant, tamen ſpiritus ſali ſanguinis fixo inhærentes, quia non expelluntur, ſed retinentur in ipſo, cujus pars ſunt, nullo prorſus modo ſeſe ſubducere poſſunt: Eſt itaque in ſanguine adhuc aliquid in qua tales operationes fiunt: Quamprimum ergò telum medicamento perungitur, quod fit actu calidè, ſtatim ſal fixum ſanguinis, in Enſe ſ. telo attrahit Magneticâ & naturali, ſibique inſitâ virtute ſpiritum animalem ex unguento, qui duo ſpiritus interveniente Spiritu Mundi, qui per cuncta diffuſus atque inſertus, omnium idealium ſeminum & rationum vector, omnium complexu ſuo conciliator, atque ita activa ſecundum proportionem paſſivis applicando, omnium, quæ fiunt, proximus autor evadit, amicabili nexu & copulâ uniuntur: Hinc ſanè fit, ut quicquid vel commodi, vel incommodi Spiritus ille extra venas coagulatus ſentit, idem ſtatim congeneri ſuo in venis reſidenti ſympatheticè communicet, idque non niſi medio Univerſalis illius ſpiritus, omnium corporum clauſtra reſerantis, qui videlicet, huic congaudet, vel compatitur.

Atque exindè fit, cur æger doleat, ſi telum igni admoveatur, vel aëri turbido frigidoque exponatur: quia ſcilicet animalis, qui eſt extra hominem in telo prius patitur, & poſtea paſſionem ſuam communicat illi, qui

intra corpus ægri degit, per idem vehiculum, quo non tantum hæc, ſed omnia alia in mundo fiunt. Quinimo, hinç quoque vice versâ & id excutitur, quamobrem, ſi æger, vel cæpas, vel allium, &c. comederit, Veneremque exercuerit, id ſtatim in telo obſervetur: quia nempe animalis ſpiritus in homine primum patitur, ac poſtea ſpiritum ſibi Homogeneum in telo paſſionis ſuæ participem reddit: Hæc igitur eſt hujus actionis cauſa: atque exinde reliquæ illæ paulò ante enumeratæ quæſtiones ſolvuntur & explicantur.

PETRUS BORELLUS, DE CURATIONIBUS SYMPATHETICIS.

MUltæ fiunt curæ nunc verbis, nunc levium rerum & inutilium ut videtur admonitione, nunc herbæ ad caminum exſiccatione vel ſub fimo repoſitione & dum putreſcunt & exſiccantur, malum etiam quod tetigerunt curatur. Quo remedio quidam Lutetiæ fœliciter utitur, relatum mihi eſt à viro veraci illum febrem curaſſe Sola caryophilli febricitantis irroratione: neſcio an urina ægri illud faceret ſed cùm exſiccabatur etiam curatus fuit æger. Hæc & Fernelium & alios perturbârunt, ego etiam niſi ad Sympathiam recurram & ad mumiæ & morbi transplantationem, de quibus Tenzelius & Rhumelius optimè diſſeruerunt. Vidi enim rem ſatis miram & non ſemel à villulæ meæ ruſtico peractam, omnes alios ruſticos curabat, qui doloribus vel fracturis detinebantur, ad fracturas & luxationes non ægro remedia admovebat ſed ſcamni ſui pedi, ad dolores colli, jugum vaccarum mulieribus, boum verò viris imponebat & ſic curabantur. Aliaque ſic ridicula adhuc facit, & tamen multi curantur vel imaginatione vel fide ſuâ, adeò ut magnus ſit ruſticorum & famoſus Medicus.

Dubitant multi de rerum Sympathiis & præcipuè, de pulveris Sympathici viribus, ſed male, ut ſequentibus videbunt obſervationibus. Clariſ-

ſimus

ſimus & celeberrimus Vir Kenelmus Digbæus qui utraque Minerva ſibi nomen faciens undique fulſit, primus eſt qui è Barbaria pulverem illum, ejusque arcanum attulit, & tantas ex eo curas fecit, ut pro Mago à nonnullis haberetur, Rexque Magnæ Britanniæ effecta hæc propriis cernere oculis voluerit, quod ad ſatietatem vidit, dumque *lintea* ſanguinea in aquam Vitriolo communi ſeu cuperoſa imprægnatam (præſtat enim Calcinato) infundebantur, levabantur ægri ab inflammationibus & doloribus, ſi verò igni admoverentur, cruciabantur.

Idem expertus eſt doctiſsimus D. de Loberie Presbyter Pariſienſis curioſiſsimus.

Quo pacto autem hæc fieri poſſint, breviter dicam tranſpirationes corporum omnium ad ſpheram maximam devehuntur per luminis radiorum reflexionem & per ventum, &c. Imò aliquando ad 60. & centum Leucas: hinc fit, quòd qui Hiſpaniæ oras conſcendunt. Maritimas, odores Rorismarini à 60. Leucas percipiant, quique ex India Europam petunt terræ odorem è Longinquo etiam naribus carpunt; ut Columbus de India fecerat & inde novæ terræ argumentum deſumebat. Sunt præterea magnetes in rebus omnibus qui tranſpirationes rerum alliciunt præcipuè ſimilium. Sic accidit D. Ferrerio Chimico operatoriſpercelebri, quod cùm roſarum eſſentiam facere decreviſſet roſas in cella vinaria fermentationis ergò reliquerat, deindè oleum tartari in eadem cella faciens, illud Oleum roſas planè redoluit quoniam roſaceas atomos per cellam ſparſas attraxerat, poſtea odorem illum amiſit, ſed anno ſequenti roſarum tempore eum recuperavit, & ſic per 12. annos & plures idem fecit adhucque facit, quia atomos roſarum per totum aërem volitantes dum florent roſæ, ab aëre ſeparat & ad ſe allicit magnes ille roſaceus in illo delitefcens. Sic turbantur vina Anglica etiam in cellis dum Gallicæ florent vineæ à quibus delata fuerunt in Angliam, Magnesque ille vini Anglici Gallicas vini atomos attrahit. Idem in tritico, fructibus, &c. accidit quotidiè: quæ alterantur Florentibus ſimilibus, carnesque in artocreatibus corrumpuntur vel guſtum perdunt dum æſtu amoris percita ſunt ſimilia animalia quorum carnes in artocrea poſuerunt. Per easdem Sympathias nocemus viris & pueris præcipuè ſi carbones vivos, ſulfur incenſum, & ferrum candens in ſtercora eorum immittamus, nocemus & vaccis, &c. Si earum lac in ignem projiciamus & forſan ob hæc in lege Moſis prohibitum erat, ne caro hæduli in matris lacte coqueretur, quod à nullo Theologorum ut opinor obſervatum eſt, dolores enim matri & lactis penuriam vel defectum faceret.

Visum est etiam caput mortuum ambaræ, quæ cùm juxta essentiam suam remansisset, eam ad se rursus attraxerat.

Fuit & puer apud D. de Claus Medicum, (quem honoris & scientiæ suæ insolitæ ergò nomino) qui ad mortem ferè deductus est Clunium inflammatione nimiâ quæ tamen brevi curata est abstinendo à more ejus fœces ad ignem deducendi, ut D. Digbæus supra memoratus observavit, mihiq; cum horum majori parte retulit, quique de iis fusè in docta sua Philosophia Dygbeana disseruit.

Per eandem attractionem admotio venenatorum omnium vulneribus suis, repetunt venena propria inflicta cum vulnere, ut ignis digiti ambusti, admotione, ardorem ejus tollit.

Si ergò per aëra fit via quædam (tanquam radius Solis per fenestram) ex emissionibus rerum per quam communicantur Sympathicè remedia morbis admota, & per quam amici, & pater cum filio, &c. Sibi communicant accidentia, sicque horrore, vel sensu quopiam obscuro, si ægrotent vel moriantur percipimus, quod fit retractione suarum atomorum vel specierum intentionalium ad magnetem recurrentium, vel morientium Magnete suo extincto, ut perit nasus insitus mutuatus pereunte eo à quo mutuatus est.

Sed de his plura aliâs dicemus.

THOMAS BARTHOLINUS,

DE TRANSPLANTATIONE MORBORUM.

MAgnum Naturæ pando mysterium. Transplantatio morborum, stupendum est remedium, quo ægritudines hujus vel illius transferuntur vel in animal brutum, vel in alium hominem, vel in rem inanimatam. Superstitiosa quidem plurimis videtur curatio, sed si quidem naturalia adhibentur remedia nulla, concurrente superstitione aut verbis aut characteribus, aut gestibus, quanquam non semper manca mortalium mens rationem assequatur, damnare non ausim, quod experientiâ plures comprobârunt.

In sa-

In ſacris veſtigia quædam Transplantationis hujus obſervo, quanquam miraculoſæ, de agno apud Moſen & porcis in Evangelio. Primus is modus eſt transplantationis morborum in animalia bruta. Nonnulli Phthiſicos ſanant, evacuato ex brachiis ægrorum ſanguine, & gallo gallinaceo propinato. Flud Anglus podagram cujusdam in cane familiari quocum dormiebat, fertur transplantaſſe, quâ deindè torquebatur canis certis periodis quemadmodum ante Dominus. Sanguine ex Mediana ægrotantis extracto, ovi gallinacei teſta artificiosè incluſo, & deindè ova gallinæ per. 14. dies ſuppoſito poſtmodum famelicæ exhibito, icterum, morbosque quoscunque ex ſcorbuto, Cachexia, Hydrope ortos abolere apud multos innotuit. Sunt apud nos qui experti ſint, morbos plerosque curari, ſi reſciſi ungues ex manibus pedibusque ægrorum alligentur piſci vivo & in mare demittatur piſcis. De hominibus alii fide digni obſervârunt, ſtrumas aliosque tumores aboleri, ſi pars effecta affricetur ad manum cadaveris humani, ita enim ſenſim evaneſcere tumores prout ſenſim putreſcit cadaver, quod tardius hyeme, æſtate citius contingit. Frequentior tertia ſpecies Transplantationis in res inanimas quascunque. In folia ſæpè vetulæ Calabricæ morbos transferebant, ut mihi teſtabantur. P. Caſtellus Clariſſimus Meſſanæ Medicus expertus eſt hæmorrhoides ſi tangantur tuberoſâ radice Chondrillæ, ſiccari ſi chondrilla ſiccetur, corumpi verò ſi corrumpatur, quare ſub camino exſiccandam ſuadet. Petiam ſanguine imbutam ſub cineribus calidis poſitam menſes ſiſtere ſcribit Panarolus in faſcicul. Arcan.

Duplex ſcirrhi lienis curati ſympathethicum remedium deſcribit Jo. Bapt. Sitonus Jatroſoph. Miſcell. tract. 29. Prius eſt, ſi trium vel quinque noctium urina ab ægro ſcirrhum lienis patientiæ micta ſingulis auroris cum ſufficiente cineris, communis quantitate commiſceatur, ſolisque radiis ſiccandum quotidiè exponatur totum mixtum illud ex urina & cinere, donec exſiccatione peracta tota maſſa igni domeſtico apponatur, & diſſolvi paulatim ex ſe permittatur, quia maſſæ illius diſſolutione perfectâ diſſolutum eſſe volunt & ſcirrhum: Secundum autem fit, ſi ex urina ſcirrhum patientis hominis phiala vitrea impleatur ſtuppaque lini vel cannabis aut communi papyro clauſa humi ſepeliatur ab homine jejuno & ibi dimittatur quousque tota abſumpta ſit urina, quia illa conſumpta urina conſumptum dicunt ſcirrhum. Generoſus quidam vir in Patria noſtra ad febrem aliud ſecretum mihi communicavit, quod ſuccedere in propria uxore expertus eſt. Ovum in urina ægræ inſtante paroxysmo excreta ebulliat, donec omnis humiditas ſit abſumpta: Tum excorti-

catum ovum ſterquilinio immittatur, & quàm citò à formicis conſumitur, tam promptè febris ceſſat. Lues venerea & cancri perſanari dicuntur, ſi baltheus Mercurio illitus corporique applicatus profundè in terram demergatur.

Ad quartanam alii hoc commendant: Ægri urina in olla nova excipiatur miſceaturque illi farina ex ſiligine, & in pultem redigatur. Puls arbori ſeu ceraſo ſeu alii illinatur ut avibus cedat in prædam tantum enim quartanæ decedet quantum ex pulte aves comederint. Sunt teſte Scrodero l. 5. Pharm. Med. Chym. claſſ. 1. §. 23. qui ad quartanam capillos patientis cum aliis in corpore diſperſis pilis permixto, ovo imponunt, duriter coquunt & avibus deglutienda objiciunt, qua ratione quartanam curatum iri volunt. Lardo perfricatas verrucas, poſtea in terram defoſſo evanuiſſe experta mihi mulier retulit.

Idem ſuâ experientiâ confirmat Verulamius Cant. 10. Sylv. hiſt. 997. puer enim admodum in digito verrucam habuit circa annum ætatis ſuæ decimum ſextum cùm Pariſiis degeret, ſenſim in utrâque manu ſubnaſcentibus pluribus ad minimum centum menſis ſpatio. Angeli oratoris uxor, femina minimè ſuperſtitioſa dixit quodam die velle ſe quicquid verrucarum manus fœdabat, tollere. Poſt accepit lardi particulam, pelle non exutam, cujus pinguedine illevit omnes verrucas, & inter eas quæ pene ipſi eo usque fuerat coæva. Clavo deindè affixam lardi particulam ad poſtem feneſtræ cubiculi ſui, quod meridiem ſpectabat ſoli expoſuit putrefaciendam. Succeſſus fuit, quòd omnes verrucæ intra ſeptem menſes prorſus evanuerunt, etiam illa quæ reliquas ætate anteibat. Exemplum habet Salmuth. Cent. 3. Obs. 34. intenſiſſimi doloris brachii per transplantationem ſublati. Corallos enim rubros cum foliis quercus contuſos partique affectæ ad ſuppurationem usque impoſitos, in foramen in radice quercus orientem verſus ſpectantis mane terebra factum immittebant, & cuneo ex eadem arbore obturabant. Dolor inde planè ceſſavit, & cùm refoderetur amuletum extemplò cruciatus ſæviores recurrebant. Ramum ſalicis dentibus ſcorbuticorum alii affricant, & fumo camini exponunt, ut cum rami exſiccatione ſanentur dentes. Nihil tritius, quàm faſcias ægrorum patibulis ſuspendi, quod Transplantationis beneficium eſt, ſi ſuccedat. Hydropicos veſicâ bubulâ ægrotantis lotio repletâ in furno fumante aliquandiu, ſuſpenſâ & deinde effuſo lotio ac veſicâ in cloacam conjecta detumeſcere narrat Jo. Löſelius de Podagr. Sect. 2. Membr. 2. Art. 2. Subs. 5. Ubi & transplantatoriam artem Podagræ incipientis ita deſcribit: Ægro pilos in utroque crure novacula demunt, & inſimul ungues manuum pedum-

que

que ſtato tempore verè ſcilicet, arboribus de integro ſuccum recipientibus & quidem propridiè ante novilunium, reſecant, poſt terebrâ, in populo albâ vel quercu vireſcente, foramine facto ad medulloſam usque arboris partem, unguium ſegmina & pilorum filamenta in locum excavatum, nullo ſequeſtri adhibito transportant, foramine ligneolo ex arboris cujusdam ramulo fabricato, accurate & profundè clauſo Ligneoli propendens particula proximè arborem ſecuri amputatur, & admoto fimo vaccino ſaucia ligni pars propediem optimè deligatur. Quod ſi trimeſtri ſpacio malum podagricum haud recurrat arborem magneticâ virtute efficaciſſimam arguit. Similis huic transplantationi eſt balneum lactis, quo ſe non ita pridem nobilis femina Cimbrica immerſerat occulto morbo laborans quod lac porcis exhibitum, omnes enecabat, ægra convaleſcente. Plura paſſim occurrunt hujus curationis exempla, quæ miraculis ſunt vicina, quia à communi ratione recedunt. Multi tamen in Natura ſunt effectus, quorum cauſas nemo aſſequitur, niſi qui fecit. Occultæ ſunt & magneticæ in mundo virtutes, quibus etiam diſſita invicem alunt commercium. Ita unguento armario vulnera abſentia ſanantur ſi cruoris tantum guttula ex vulnere telis vel linteis inſideat. Et quæcunque ex corpore vivente prodeunt, longius quanquam ſeparentur occulta ſympathia feruntur ad ſuam originem, & tacita attrahunt. Non negandum tamen ſæpè caſu ſucceſſiſſe in exemptis allatis felicem eventum ſæpè nullum. Nos limites naturæ non figimus, nec prorſus damnamus, quæ imperita ratio non percipit, quaſi verò menſuram ullius rei poſſit agere qui ſui neſciat, ut eleganter Plinius lib. 2. cap. 1.

PETRI SERVII
DISSERTATIO
DE UNGUENTO ARMARIO
SIVE
DE NATURÆ ARTISQUE MIRACULIS.

Domicus Panarolus Arcan. fascicul. 1.

AD confirmationem operis, quod doctissimus *Servius* complevit de Unguento Armario, sciendum est, quod pehi sanguine imbuta sub cineribus calidis posita, menses sistit experimento pluries comprobata; quin etiam Magister meus *Petrus Castellus* ajebat se expertum fuisse, hæmorrhoides, si tangantur tuberosâ radice Chondrillæ, siccari, si Chondrillæ siccetur, corrumpi vero si corrumpatur, quapropter sub caumino exiccanda ponitur post hujusmodi contactum. Chondrilla tuberosa.

Imprimatur, si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

I. B. Alterius Epis. Cam. Vices.

Dissertationem hanc Petri Servii De Unguento Armario majori quâ potui diligentia perlegi, eamq; nihil orthodoxæ fidei absonum, nihil probis moribus adversum continere cognovi.

Ego Angelus Colius Senen, ipsis Kalendis Augusti 1637.

Imprimatur

Fr. Reginaldus Lucarius Sac. Pal. Apost. Mag.

Illustriss. & Reverendiss. D.

D. Fausto POLO ARCHIEPISCOPO AMASIÆ

Et Summo Domus Pontificis Præfecto.

PETRUS SERVIUS F.

INcrebuit consuetudo ab antiquissimis usq; ducta temporibus (ILLUSTRISSIME POLI) ut nullum quisque librum in publicam lucem proferat, quem Patroni alicujus clientelæ non committat. Mihi verò vetus hoc institutum tuenti, cujus fidei Dissertationem meam commendarem atque concrederem, diu deliberandum non fuit, apud Te enim nata, tuaque munificentia adulta, Te Patronum jure accedit, tuumque fidenter implorat patrocinium. Et verò qui non fidat, qui non speret à Te patrocinium, quem fautorem, quem tutorem, quem parentem semper habuit? Jam inde ab eo tempore, quo primum in tuam clientelam suscepti fuimus, perpetuis à Te beneficiis, perenni benignitate, nunquam intermissa gratia affecti obstrictique semper fuimus. Dedecus est, inquies, semper sumere, nilque dare: Dedecus, fateor. At neque, Tui sitiunt fontes, neque, è me pumice exprimi aqua potest. Tu is es, Præsul amplissime, qui auctoritate & gratia polles, quique innata benignitate & liberalitate singulari nostris, imò omnium, commodis uberrimè velis consultum. Ego verò quasi Ulysses apud Alcinoum nihil habens, quod pro ingentibus meritis rependam, præter aliqua mentis munera, audeo tenui hoc opusculo ad Te adire, tuæque munificentiæ veluti litare: Quod sane eo fidentius audeo, quo certior sum, Non esse minus regium parva accipere, quàm largiri magna. Excipe igitur hoc, quodcunque est, non quidem ut debitam gratiam meritamque, sed vel ut ingentis accepti beneficii exiguum testimonium, vel ut clientem in tuam fidem & patrocinium sese conferentem. Vale & vive tum amplissimis muneribus ingenio tuo debitis naturaque dignissimis ab URBANO Pontifice omnium Maximo incredibili sedulitati Tuæ, curæ, prudentiæque delatis; tum iis, quæ omnium judicio & acclamatione Te manent, Summis Virtutis Insignibus. Iterum vale DDCXXXVII.

PETRI SERVII SPOLETINI

In Gymnasio Rom. Medicinæ Theor. Ord. Professoris P.

DISSERTATIO DE UNGUENTO ARMARIO ET SYMPATHICO VULGO APPELLATIO.

SIVE

DE NATURÆ ARTISQUE MIRACULIS.

DISSERTATIONIS ARGUMENTUM.

UNGUENTUM vulnerarium, quod non vulneri, ſed gladio aut panno, vulnerati ſanguine tincto, ſalubriter adhibetur, à doctiſſimis quibusque Philoſophis in quæſtionem vocatur. *De unguento prima opinio.* Nonnulli aut nimis ſimplices & creduli, aut in per veſtigandis naturæ viribus, in duſtriaque artis experienda accuratè verſati, id è ſecreto naturæ gremio, artis induſtria productum arbitrantur. *Altera opinio.* Complures verò inuſitata, illius medicatione permoti à dæmone mutuatum eſſe vires exiſtimant. *Tertiæ opinio.* Alii demum, nec medicamento nec dæmoni hac de re facilè credentes, neutri ſanitatem, adhibito unguento redditam, adſcribunt, ſed uni naturæ tanquam certiſſimo vulnerum medico. Itaque ab unguento contra omnes ejus hoſtes ſtare qui vult, non experimentis, *Diſſertationis finis.* ſed rationibus præſto eſſe debet. Ergo non tam quærendum hic eſt, An unguentum ſympathicum naturale ſit, quam, an naturale eſſe POSSIT: quærendum, inquam, Num artis induſtria naturæque vires ejusmodi POSSINT unguentum componere, quod panno ſolùm gladiove cruento illitum, abſenti vulneri, centumque millium intervallo disjuncto medeatur.

Quare nihil ſane moror, fueritne unquam ab unguento ſympathico vulnus ſanatum, an nunquam fuerit: Imo nihil moror, ſitne revera, id, *Ratio diſſerendi de unguento.* vel non ſit in rerum medicarum univerſitate. Artem verò ſolertem & operoſam, ſummis & arcanis naturæ viribus munitam POSSE haud abſimile unguentum componere, duplici argumentorum genere contendam: Primo naturæ artisque mirandis operibus: Iis nempè, quæ, etſi unguento haud plane ſimilia ſunt, tamen ita informant animum ad induſtriam artis & naturæ vires cognoſcendas, ut eum ad ſympathici unguenti naturam asſequendam alliciat & facile flectat. *Duplex miraculorum genus.* Plurimis enim naturæ artisque miraculis eruditus animus, unguenti vim eſſe naturalem, ſibi perſuaderi

ſuaderi facilè patietur. Alterum verò genus argumentorum ea comprehendit, quæ unguento ſunt virtute ſimillima, naſum nempè arte reſtitutum, Apulum araneum, malum Punicum, uvam, ceraſum, morum ceteræque maculæ, quæ ex fœminarum malacia in qualibet parte corporis veniunt, & ſtatis anni temporibus mirabiliter commutantur. His abſolutis, adverſariorum rationes, ſine fuco & fallacia à me collectas, majori vi ſubjiciam, ſubjectasque ſtrenuè refutabo.

Genus humanum eo rerum cognoſcendarum agendarumque libidine adactum fuit, ut non ſolum maximos per ſe labores ſubierit æſtus, algores, vigilias, longa ac difficillima itinera terra marique ſuſceperit: verum etiam pravos ipſos dæmones conſuluerit. Sane Chaldæi primo, Hebræi, Perſæ atque Ægyptii, in rebus cognoſcendis nimium curioſi, ſuperſtitione ſe obligare cœperunt; mox GRÆCI, demum Latini. Nam ſicuti Zoroaſter Medo Perſa magno carminum volumine Magiam condit. Hermippus interpretatus eſt, imitatus Nactabis, Typhon, Dardanus, Simon. Corinondas & Appollonius Tyanæus; ita Oſtanes Xerxis Perſarum Regis exercitum ſecutus, è Perſide in Græciam aſportavit, ceterum ab ingenioſa gente, adeò curioſè excepta cultaque fuit ars, ut Democriti & aliorum philoſophorum opera ſtudioque longè lateque ſerpſerit, & in Italiam etiam penetraverit, ut vel ex eo conſtat, quòd Romani jam inde à primis reipublicæ Temporibus Chaldæorum præſtigias lege duodecim tabularum damnaverint. Imò verò, ut Livius addit, Senatus conſulto conquiſiti fuerunt omnes veneficorum libri igne comburendi. Verum enim verò ut hominum animus rerum cognoſcendarum deſiderio nunquam non flagravit, ut cacodæmon nunquam homini non paravit inſidias, ita nefaria hæc ars nulla unquam lege nullaque pœna aboleri potuit. Nam etiam ætate noſtra apud Lappos, Finnos, cæteroſque populos ad ultimum ſeptentrionem pertinentes excolitur, & per ſummum dedecus exercetur: adeò ut ventos fere nutu & quaſi arbitratu commoveant & paſſim navarchis venditent; tempeſtates procellasque excitent, morbos ab aliis in alios homines transponant, non abſimili modo, quo ſegetes apud Virgilium:

Hominum ſciendi deſiderium.

Magia apud Chaldaos nata.

Qui eam excoluerint.

In Italiam penetravit.

Roma damnata.

Magia fruſtrà legibus vetita.

Morborum transpoſitio.

Atque ſatas alio vidi traducere meſſes. Ceterum ſicuti hæc magica eſſe ac ſuperſtitioſa, nullus Chriſtiana religione imbutus inficiari poteſt; ita quævis admiranda, quæ intelligentia comprehendi non poſſunt, cacodæmonis dolis, machinis, fallaciis, tribuenda eſſe, is ſolùm aſſeverabit, qui vere oſcitanter in naturæ viribus, induſtriaque artis exploranda verſatus ſit:

Multa enim tegit ſacro involucro natura, multa acutum audaxque, hominum ingenium patravit, multa aſſiduo induſtrioque labore perfecit, quæ rudibus dæmoniaca, gnara naturalia, omnibus admiranda videntur.

De

Quid censendum de unguento. De unguento verò sympathico quid censendum sit, an cacodæmonis opus habendum, an potius naturæ artisque thesaurus, è fœcundissimo ejus gremio solertissima hujus industria promptus, haud satis me scire fateor. Sane acer & attentus animus, cum unguenti vires perpendit, stupet, obtutuque hæret defixus in uno, inscius, quo se vertat, quid annuat, quid renuat. Cæterum in tanto medicamenti miraculo, & in tanta rerum ignoratione audendum aliquid est, &

Quid nostri valeant humeri, quid ferre recusent.

periclitandum.

Unguenti usus frequens. Et sane exploratum apud omnes fere gentes videtur, adhibito unguento sympathico, gladioque tantum illito, vulnus sanari: Sanitatem vero acceptam referri POSSE unguento sua vi ac naturaliter agenti, illud argumento est, quòd non tantum id videatur miraculum, ut vel à natura, vel ab arte ad bonos malosve dæmones sit provocandum. Nam & natura suis tantum viribus freta atque munita, & ars propria, non à dæmonæ accersita, industria sexcenta creat ac gignit, quæ similem nobis admirationem movent, & ut naturalia primo aliqua in medium afferam, quibus veluti in dissertationis limine informem erudiamque Lectoris animum ad unguenti naturam deinde congnoscendam.

Naturæ miracula.

1. Magnes. Quid mirabilius Magnete (obsecro te, Lector, cave sis in judicando curiosus: Omnia, si lubet, perlege, ac tum meo scripto censoriæ severitatis notam libere & plane stoice inure) Quid inquam, mirabilius magnete, aut ferro magneti affricato ad polum, vel stellas ei proximas, montesve magneticos sese perpetuo convertente.

2. Terra Nyli. Quid mirabilius Nyli terra, quæ exiccata illa quidem ac diligenter asservata, eodem semper pondere gravis est; ad XVII. verò diem Junii nullius rei accessione se ipsa ponderosior evadit?

3. Fulmen. Quid mirabilius Fulmine intacta vagina ferrum absumente, aut intacto ferro vaginam; nummos illæsa crumena, integro dolio vinum, pannos pyxide armarioque incolumi.

4. Ignis Heclæ. Quid mirabilius igne montis Heclæ, qui stupâ extinguitur? Aut montis Chimeræ, qui fœno? aut Coloniæ Vibiorum, qui pannis?

5. Cautes Harpasi. Quid mirabilius Horrida Harpasi caute, quæ uno digito mobilis est, eadem, si toto corpore impellatur resistens?

6. Herba Bengalæ. Quid mirabilius herba in Insulis Bengala & Zeirano nata, quæ ligna ad se se ea vi allicit, vel potius trahit, ut ea ex hominum manibus abripere videatur?

7. Medulla ferrea. Quid mirabilius Javæ majoris arbore, cujus medulla ferrea est, fructus ferreo impenetrabilis?

Quid

Quid mirabilius Arbore illa, Pudifera jure appellata, quæ rerum accessum videtur sensu percipere? Nam appropinquante homine vel animali, ramos constringit, recedente pandit. Idem quoque spongiam facere confessum ac receptum est? 8. *Arbor Pudifica.*

Quid mirabilius Æschynomene Appollodori herba, quæ tangentem manum refugit foliorum contractione? 9. *Appollodori herba.*

Quid mirabilius Mimosa hortensi, quæ manu admota senescit, reviviscit remota? 10. *Mimosa hortensis.*

Quid mirabilius Insulæ Cimbubon arbore, cujus frondes si decidant, non actæ, impulsæque, sed suâ vi repunt, suisve quasi pedibus; manu aut stilo tactæ abeunt ac refugiunt? 11. *Arboris folia motu prædita.*

Quid mirabilius arbore in Malacca, cujus radices ad Orientem solem vergentes venenis medentur; quæ verò ad occidentem ipsissima venena sunt? Quod ipsum de arborum foliis in Insulis Philippinis litteris proditum est? 12. *Malaccæ arbores.*

Quid mirabilius Americana arbore serpentifera? ferunt enim in Chile frigidissima Americæ provincia arborem esse, in cujus foliis vermes nascuntur, qui cum inde decidunt, serpentes fiunt? 13. *Arbores serpentiferæ.*

Quid mirabilius anatiferis Scotiæ aut lignis aut arbustis? in ea enim provincia, vel potius in Hebridibus Insulis Scotiæ adjacentibus, arbores, lignaque sunt navium fragmenta, ex quibus vermes pullulant, qui paulatim enato capite, pedibus atque alis in anates vertuntur? 14. *Arbores anatiferæ.*

Quid mirabilius Cane canicidas, nunquam antea à se visos, allatrante? 15. *Canis natura.*

Quid mirabilius Agno Scythica? Profectò (utor Scaligeri verbis) superiora ludum putes, præut est admirabilis Tartaricus frutex. Tartarorum horda primaria Zavolha est, vetustissimæ nobilitatis commendatione: In eo agro serunt semen seminis melonis simillimum, sed minus oblongũ. Ex eo sato Plantam exire, quam Boramez, id est, agnum vocant. Crescit enim agni figura ad pedum ferè trium altitudinem, quem pedibus, ungulis, auribus, toto capite, præterquam cornibus repræsentat. Pro cornibus pilos gerit singularis cornu specie. Obducitur corio tenuissimo: cujus detracti usus ad capitum tegmina incolis. Ferunt internam pulpam gammari referre carnes: Ceterum è vulnere quoque sanguinem emanare. Dulcore esse admirabili: Radicem humo exertam surrigere ad umbilicum usque. Illud miraculi fovet magnitudinem: Quamdiu vicinis obsidetur herbulis, tamdiu vivere quasi agnum in læto pascuo; absumptis illis tabescere atque interire. Idq; non solùm vel casu vel tractu temporis, sed etiam experiundi gratia, subtractis atq; ablatis evenire. Quin illud auget admirationem: appeti à Lupis eum, non item ab aliis, quæ carne vescantur? 16. *Agnus Scythicus.* *Miracula.*

Quid mirabilius remora verè pisciculo currentem navim, velis, remisque 17. *Remora.*

que actam imo tempestate ac procellis jactatam solo carinæ ad hæsu illico sistente?

18. *Remora Indica.* Quid mirabilius alio pisciculo navim non modo sistente, verum contra vim cursumq; ventorum retrò inhibente? Audi si lubet Linschottan, In Navigatione, auctorem fide dignum. Navis ex Mozambique tendens per quatuordecim dierum spacium vento secundo, nihil obstante retro cessit: Cumq; maximè nautæ causam inquirerent, & veneficia suspicarentur, piscem tandem sub navi invenerunt, qui navim in tergo contra venti appulsum natando portavit. Hoc autem magna cum difficultate depulso, rectum statim cursum tenuerunt?

19. *Clavicula in vesicam penetrata.* Quid mirabilius ferrea clavicula ex ore in vesicam illapsa? Penetratis nempe exilibus meseræi venis, compacto jecinore, densis durisq; renibus, solidis & acutissimo sensu præditis ureteribus: Et quod in admirationem omnium maximam stupidissimum quemque traducere potest, quid mirabilius ferreæ hujus clavis in vesicam ingressu? adeò mirandum hoc est, ut nimis (dicere ausim) admirarer, si ea in vesica genita esset.

20. *Urinæ profluvii mira historia.* Quid mirabilius muliere eo urinæ profluvio laborante, ut uno die ducentas urinæ libras fecerit, ab omni tamen potu abhorrens? Mirabilis æquè & incredibilis morbi historiam, à Gabriele Fonseca medico urbis primario mihi tibique lector: scriptam hic habes: Nobilis Monialis ex præclara familia de Franchis temperamenti ab ortu calidi, & sicci annos nata 27. cum variis affectionibus vexaretur tandem anno sal. 1637. Mense Martio, incidit in admirabile urinæ profluvium, cum subinde una die excederet mictu quantitatem ducentarum librarum, eratque urina valdè tenuis colore & substantia æque persimilis, in qua innatabant aliquot flosculi instar nivis: & quod non minus admirabile in tanta urinæ profluvione observatum fuit, cum hoc urinæ profluvio aliquibus diebus perseverante, *Verè miraculum.* omne potus genus ita vehementer abhorrebat, ut me potum ipsi suadentem (ne tota in urinam liquesceret) odio prosequeretur, lacrimasque hac de causa effunderet, curantique Medico irasceretur, quòd me ad consultandum vocasset. Fuit simul accersitus Excellentissimus Benedictus Averrhinus insignis urbis medicus, adfuit etiam Excellentissimus medicus Joh. Jacobus Baldinus famâ in urbe & in orbe clarus medicus ordinar. Dicti Monasterii nuncupati de Campo Martio. hæc tamen transactis aliquibus diebus convaluit. Hæc eadem monialis duobus transactis mensibus incidit in omnimodam urinæ suppressionem, siti tamen ingenti flagrabat, cùm ipse curationi præessem, quia Romæ aberat medicus ordinarius, nihilque minxit per spatium quatuordecim dierum, tandem usu spiritus terebinthi urinam copiosam reddit, rejecta cum urina materia sabulum calcemque referente. Gabr. Fonseca Medic. Rom.

Præclarissimus Zachiæ etiam interfuit curationi.

Quid

Quid mirabilius Pyrrhi Epirotarum Regis digitorum lienosos tactu sanante, tum ignis omnem à se injuriam arcente? Vim lienosis salutarem naturæ acceptam referendam esse, vel Reges Galliarum declarant, qui omnes tactu strumis medentur? 21. *Pyrrhi digitus admirabilis* *Regum Galli mirabilis.*

Ignis verò repellendi vim ab eadem natura manasse, illud argumento est, quòd plurima sint, quæ ignibus non absumantur. 22.

Ut Linteum ex amianto, quod ardens in focis sordes exuit, splendetque magis, quàm aquis saponeque absterſum. 23. *Linteum ignem eludens.*

Ut Regum funebres tunicæ ex asbestino, quibus eorum corpora obvoluta comburebantur, ut ab reliquo cinere separarentur.

Ut castellum ligneum à Cæsare in Gallia Cisalpina igne frustra oppugnatum. 24. 25. *Castellum ac Turris ab igne non acta.*

Ut lignea Turris ab Archelao Mithridatis Ponti Regis præfecto contra Syllam extructa.

Ut Salamandra, quæ non solum ab igne non læditur: Sed eum nulla sui læsione tactu extinguit non alio modo quàm glacies. 26. 27. *Salamandra.*

Ut (quod magis ad rem pertinet) serva Æthiop. & Rusticus Picenus, de quibus certissima narrare, ut me non piget; ita verissimè narrata, te Lector ne tædeat audire. Rodericus Fonseca magnæ existimationis, medicus, dum Pisis Medicinam profiteretur, servam emit Æthiop. operæ domesticæ, causa, quæ, cum luberet tractabat ignem, carbonibus nulla sui læsione manu oreque sumptis. Rem narro mihi narratam à Gabriele Fonseca Roderici nepote & medico Romano præstantissimo: quam me hercule adscribere non auderem, nisi vir spectatæ fidei mihi nuper testatus esset, se periculum sexcenties fecisse aperteq; vidisse, carbones eam vere candentes compressa in pugnum manu tamdiu tenuisse, dum pene extinguerentur, nullo plane ignis vestigio in manu impresso. *Mulier ab igne non læsa.*

Mihi verò hæc scribenti (vide obsecro, quid tulerit casus) haud absimile videre contigit: Nam cum in Nosocomio Sancti Spiritus curandis ægris pomeridianam operam navarem, vidi mulierem & ipsam Æthiop. quæ verè mendicans, ut frigoris vim depelleret, carbones maxime candentes è foco illo prægrandi, quo valetudinarium incalescit, in proximum terreum foculum, quem secum ignis subripiendi causa gerere solet, nuda manu asportabat. Ipse verò re, quàm animo tum calamoque volvebam, mirum in modum commotus, statim illuc advolavi, rogavique mulierem, ut, me propius inspectante, carbones nudis manibus tractaret: dicto paruit, sumpsitque plurimum ignis illæsis manibus. Postridie adfuit summo mane, iterum facinorum prompta, proposito heterna die à me præmio. Quid multis opus est? Ipsa manibus gemellis iisque cavaticis veluti ferreo batillo ignis acervulum è foco sumebat asportabatq; ut die præterita in proxi- *Mulier ab igne non læsa.* *Animadver.*

mum terreum foculum: Quod ipsum singulis prope diebus, cum igne indigeret, eam factitasse, testabantur omnes, qui apud valetudinarium serviunt.

Quæ cum ita sint, non est, cur ficta & commenta fabula habeantur, quæ de Picente vulgò feruntur, quæque mihi sunt penitus explorata.

30. *Monstri simile Picenis facinus.* Et quidem vulgare in Piceno est, & omnino pervagatum, Martinum Cechonem ex oppido, vulgo Monte Lupone, manu ignem carbonesque candentes & sumere & diu multumque tenere, in os etiam injicere, injectos dentibus conterere, palatoq; extinguere; ano veluti balanum inserere, natibus nudis, pedibusque calcare, linguam fervente lardo, ut assam carnem consuevimus, diu perfundere; candelam ardentem exertæ linguæ supponere, aliaque agere, quæ monstri similia sunt, & plane inaudita. Sed vere, ut ait Cicero, nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. Ego sane primà fronte fabulosum id arbitratus fui, etiam si per literas de re certior fierem tum ab aliis compluribus, tum maxime à Capuccinis Viris, *Facinoris testes.* quos esse ab omni fuco mendacio & jactatione alienos notissimum est: re tamen diligentius quæsita, omnem ipse mihi sustuli dubitationem. Nam Fratri Nicolao Accursio è Franciscana familia, amicissimo viro misi, ut Roma Tolentinum reversus, Montem Luponem iret, hominem conveniret, remq; diligenter penitusq; cognosceret. Is verò scriptis nuper ad me literis testatus est, se quatriduo rem explorandam diligenter fideliterque curasse, atque à viris ingenuis oculatisque testibus ea omnia accepisse, quæ à me supra scripta sunt. Martinum verò seducendum in Franciscanorum monasterium, & ad cænam invitandum per amicos curasse: qui, cum de re suspicaretur, renuit prorsus, domum se abdidit, foresque occlusit, recusat enim nunc ignem tractare, à Censoribus Catholicæ Religionis caute sibi cavens. Idem se iterum ac sæpius vidisse, testatus est Joannes Franciscus Basuechius Jure consultus Martini popularis: testatus, inquam, literis ad Josephum Paradisum medicum à Montalto, paucis ab huic diebus Romam missis & apud me asservatis. Id, Lector, non auderem literis prodere, mendacii suspicionem reverens, nisi in agrum Picenum omnino pervulgatum, atque.

Omnibus & lippis notum & tonsoribus esset.

31. *Interfecti sanguis.* Quid mirabilius concreto jam interfecti sanguine, ac pene congelato, adventante homicida, resoluto & fluente? Neque est, cur minus credulus ludum hæc jocumque dicas, quia duo tibi narrabo & mirabilia & verissima, quæ rem vel Thimoni Nicæo hominum obstinatissimo persuaderent. Primum est Cæsenatis pueri, à patre interfecti. Nam Julianus Malacava, olim faber ferrarius, mox decurio, cum mulierem ardenter amaret, nec aliâ se ratione voti compotem fieri posse intelligeret, quam inito cum

amasia matrimonio, de uxoris nece cogitavit. Laqueo igitur facinus aggressus eam utero gravem strangulavit. Triduo post., re patefactâ, puer cæso matris utero extractus, adveniente patre, qui, ne in culpa & suspicione criminis poneretur, rusticationem simulaverat, sanguinem ex naribus effudit, tertio nonas Februarii DDCXXXII. ut constat ex historia fide publica consignata, & Cæsena ad me nuper missa, ex quo sanguine effuso suspicione de homicida Prætori injecta, in carcerem is vinculaque conjectus fuit, & quæstione habita, rem omnem fassus est, laqueoque suspensus XII. Cal. Decembris DD. CXXXIII.

Facinus immane.

Congelatus sanguis resolutus.

Alterum, quod subjiciam, non occisi hominis & homicidæ, sed (quod magis mireris) novam ac mirabilem, certe non adhuc animadversam inter homines sympathiam declarat. Etenim mense Julio superioris anni DD CXXXVI. Josephus Petri Pauli Peregrini, ad Divum Augstinum barbitonsoris, filius flumine obrutus octiduo latuit: hebdomada verò elapsa è Tiberi emersus, secundoque flumine vectus ad Arcum Parmæ (sic enim cloacam appellant è regione molis Hadriani) ab iis qui in Tibere natabant, delatus fuit semiputridus, ac pene informis, sanguine exhausto, spiritu extincto, & corpore fere omni putredine confecto. Adveniente verò fratre germano, sanguinem ex ambabus naribus effudit, omnibus, qui aderant, miraculo stupescentibus. Hæc, Lector, non ex Aphrannis aut mulierculis audivi; sed cum ex aliis ocularis testibus, tum ex ipso defuncti fratre cognovi sub eosdem dies, quibus sanguis profluxit. 32.

Quid mirabilius (re dispares historias, miraculo tamen pares adscribo: mirabiliores interdum non æquè mirandis subjicio, interdum è contrario minus mirabiles mirabilioribus, neglecto fere dignitatis ordine quē servare, & difficile, & inutile esset). Quid, inquam, mirabilius pileato ac palliato puero Paderbornæ nato? Fertur enim hæretica mulier, cum odio plusquam Vatiniano Catholicos prosequeretur, & ubique obvios maledictis vexaret, puerum peperisse pileo, pallioque Catholicorum more vestitum. 33.

Vere monstrum.

Quid mirabilius vulnere thoraci infantis, utero gestati inflicto, gladio tamen non pueri, sed gravidæ thoracem vulnerante. 34.

Vulnus mirificissimū.

Quid mirabilius alio vulnere fœtus fronti, in utero adhuc latentis, vere illato (nam ex eo vulnere nimio sanguine fluente interiit) illato, inquam, ab irato patre, matris fronti stricto gladio solum minitante? Utrumque sane scribunt probatissimi auctores, Gemma, Fienus, Derlius, ceteri. 35.

Quid mirabilius lapideo fœtu è cæso matris utero educto? Apud Senones enim mulier ex viro gravida, cum XXIII. annis in alvo gestasset, fœtum duravit in lapidem. 36.

37. *Gemma lunaris.* Quid mirabilius Leonis Decimi Pont. Max. gemma, quæ Lunæ colorem lumenque æmulata, albeſcit ac ſplendet, creſcente Luna; ſeneſcente verò, obſcuratur?

38. *Caro & lignum foſſile.* Quid mirabilius carne lignoque foſſili? Quod fraudem illam impoſturamque cenſeas, veritatem ipſam hoc exiſtimes neceſſe eſt. Nam Aquas partæ Umbriæ oppido lignum, ut Tiburi lapides, è terræ viſceribus effoditur verſicolare variegatum, & in vermiculatum opus non ſecus ac ebenus elaborandum.

39. *Specus ſerpentum in Etruria.* Quid mirabilius Spelunca ſerpentum ad oppidum vulgo il Saſſa, difficillimos quosque morbos, paralyſim, lepram, elephantiaſim, arthritidem, luem veneream (reductus hoc affirmo,) tumores, doloresque varios & accerrimos ſanante? ſanante, inquam, tum vapore tepido lenique, tum ſerpentum magna copia, qui nudatum ægrum, opioque ſopitum (obdormiſcunt enim opio, qui ſpecum valetudinis cauſa ingrediuntur, ut horribilem ſerpentum aſpectum, per univerſum corpus commeantium, ferre poſſint: nonnulli tamen magis cordati à terribilibus beſtiis minime ſibi metuentes, opium ſomnumq; negligunt) circumeunt, contegunt lingunt, & omnem morbi labem abſtergunt penitusq; exſugunt. Mirabilis profectò res eſt, & literis monumentisq; conſignanda: quam ego pluribus longiusque proſequerer, niſi *Petrus Bourdelotius medicus.* Petrus Bourdelotius Pariſinus, medicus ingenio ac literatura eximius, ſuperioribus menſibus hujus ejusdem anni 1637. univerſam ejus Etruriæ partem, quæ Roma, Navale Cæretanorum, inde Barcennum, Alſiumq; porrigitur, peragratus ſpecum accurate inſpexiſſet, loci naturam exploraſſet, ſingula quæque notaſſet, & peculiarem elegantemq; diſſertationem conſcripſiſſet, in vulgus proferendam.

40. *Animal in ſaxo genitum.* Quid mirabilius beſtiola in præduri minimeque pervii lapidis viſcere nata? Exploratum enim eſt è magno, duriſſimo, compactoque lapide ſciſſo beſtiolam prodiiſſe, non è ſuæ ſpeciei ſeminario, ſed ex ſeminario, ſed ex materia humoreque intus latente, atque vi extrinſecus influente genitam.

41. Quid mirabilibus Rana ex aquæ gutta ſiccoque pulvere temporis momento nata? Conſtat enim terram aſſiduis ſolibus coctam & peruſtam, miſtamque humori è nube guttatim expreſso, in ranam illico formari, proſilire, ac ſaltare; formato ſtatim capitulo, pediculis, corpuſculo, omnibusque particulis mirabili celeritate elaboratis, expolitis, perfectis.

42. Quid mirabilius ſerpente, in ſiniſtro cordis ventriculo nato? Epitomen hujus hiſtoriæ ab Edoardo Majo Britannico ſermone ſcriptæ, ita concinnavit Latineque reddidit Riccardus London Londinenſis, vir medicina, Græca, Latinaq; literatura eruditus, & apud noſtrum Noſocomium Sancti Spiritus medicus Adſiſtens. Narratio certiſſima de monſtro quodam

dam seu serpente, in sinistro cordis ventriculo invento Londini in Anglia 7. Octob. 1637. aperto cadavere Joannis Pennanti ætatis suæ XXI. juvenis purulenta & ulcerosa materia plenam, parte superiore ruptam omnino corruptam invenimus. Ren dexter penitus consumptus, sinister ad duorum instar tumefactus, saniosa insuper materia refertus fuit. Intus partes carnosæ radicitus exesæ, tunicisque exterioribus exceptis, restabat nihil. Hepatis portio membranis, costalibus adnascebatur. Pulmones non illaudabiles. Cor globosum, magis latum quàm longum, dexterum ventriculum coloris cinericii corrugatum marsupioque coreaceo absque pecunia simillimum, sed intus omni materia expertem reperimus: liquor ille pericardii funditus exiccabatur. Sinister cordis ventriculus triplo grandior dextero extitit, duritiemque lapidis præ se ferebat, in quo incisione facta sanguis affatim effluxit, carnosaque quadam substantia plicis insimul involuta serpentis similitudine videbatur: Corpore erat albo, imò albissimo cutis humanæ colorem æmulabatur, sed cute lubrica, pellucida & quasi pigmento oblita. Crura ramique carnei coloris fibræ etiam ligulæ nervi aut quocunque alio nomine insignire placuerit, inventa fuerunt. Corpus stilo perforatum, concavum, sed alias solidum ad longitudinem palmæ Romanæ minoris habuit: intestinum insuper, vena, arteria, aut ἀνάλογόν τι usibus naturæ inserviens in hoc monstro repertum fuit. *Serpentis historia mirabilis.*

Quid mirabilius hædera in cervæ cornu nata ac virente?

Aut spica farris è naso Aretinæ mulieris tanquam è pingui agro prodeunte? *43. Hædera mirabilis.*

Quid mirabilius arbore multis ramis foliisque in thorace Hispani hominis virescente? Quod sane asserere non auderem, nisi illustrissimus vir spectatæ, fidei, prisci moris, & magnæ eruditionis historiæ epitomen fide publica consignatum, mihi communicasset: quæ hujusmodi est: Roccus Martinus Hispanus, ex oppido vulgo Orea, annum agens duodevigesimum ex arbore lapsus, pruni sylvestris spinum offendit, qui cum altius in thoracem penetrâsset, intus hæsit. Ergo diu latens paulatim eo humores attraxit, tumorem concitavit & apostema: quo maturato sectoque, & magnâ puris vi expressa, ille equi seto simillimus jam factus, hoc est multis filis veluti radicibus actis; penitus defixus hærebat, nec à chirurgo præ dolore ulla extrahendus arte. Itaque chirurgus eo intus relicto ad sanandum ulcus & cicatricem obducendam animum manumque convertit. Temporis processu (vide naturæ miraculum) è thorace spinus sensim & sine sensu prodire cœpit, augescere, virere, & ramulos frondesque emittere, non secus ac si in pingui & fœcundo solo insitus esset: è cujus trunco decisus ramulus apud Illustrissimũ asservatur. Romam una cum fidelissima historia Didaco Jagvez Hispano missus hoc eodem anno D DCXXXVII. *44. Spica mirabilis. 45. Arbor mirificissima. Vere miraculum.*

Jam

46. *Hactenus naturæ miranda. Artis miracula.* Jam verò si tædet naturæ miracula diutius contemplari, lubetque artis industriam, operaq; summo facta artificio internis, ut ajunt, oculis intueri, converte, obsecro te, animum ad Archimedis sphæram, in qua

Archimedis sphæra ejusdem speculum.

Inclusus variis famulatur spiritus astris,
Et vivum certis motibus urget opus:
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata novo Cynthia mense redit.
Jamq; suum volvens audax industria mundum
Gaudet & humana sydera mente regit.

47. Converte animum ad ejusdem Archimedis speculum è longinquo Romanorum classem comburens.

48. *Homeri Ilias.* Ad Iliadem Homeri, membranula scriptam, inclusamque nuci.

49. *Architæ columba.* Ad Architæ Tarentini ligneam columbam, quæ ea elaborata fuit industria, eo facta, inflataq; artificio, iis ponderibus librata, ut vivæ volatum imitaretur.

50. *Navis & Quadriga Myrmecidæ.* Converte animum ad navim quadrigamque non quidem Serapidis, quæ licet ferrea gravissimaque nullis tamen alligata vinculis, sed suis librata ponderibus in medio templi pendebat.

Sed ad myrmecidæ, qui eam quidem ligneam extruxit, prora, puppi, clavo, carina ancora cordisq; distinctam; remis ac remigibus ornatam; 51. velis arboribus, ceterisque munitam; adeò tamen pusillam ac minutam, ut apiculæ pinnis universa tegeretur.

52. Currum fabre fecit numeris omnibus absolutum, quatuorq; ornatum equis, quem musca alis undique operiebat. Fabulosa putes hæc ab antiquis desumpta, tanquam antiquitate solum fidem his & auctoritatem afferente?

53. Converte animum ad vitreum globum Trebellii, in quo purissimo liquore quodam immisso additisque nonnullis mirabilis olei guttulis, chaos primum, deinde paulatim secretis partibus elementa in globum circumfusa distinctè aperteque apparebant. Mox purior quædam lucidiorque liquoris pars, supra elementa circumvecta concrescebat, sole, luna sideribusque vestita: Quæ non extrinsecus adhibito instrumento, sed spiritu intrinsecus permeante, mirabili constantique vertigine acta, cœlorum motum prodigiose referebant.

54. *Alberti M. caput.* Converte animum ad ligneum Alberti Magni caput humana voce loquens.

55. *Severini statua.* Ad statuam à Severino Boëthio Ravennæ eo artificio factam, ut quasi solis æmula in orbem sua vi exoriente in occasum assiduè moveretur.

56. *Antiquorũ lucerna.* Ad exiguam antiquorum lucernam, mille & septingentos annos perpetuo ardentem.

Ad

Ad imaginem cujusque ſimillimam ab cæco ſculptore ex argilla expreſſam. Scio complures exiſtimaturos, rem commentitiam eſſe ac verè fabuloſam. Et me quidem puderet id literis tradere, niſi Romæ nunc notum omnibus eſſet, ac pervulgatum. Joannes Gambaſſius Volateranus à prima adoleſcentia ad vigeſimum usque annum cum magna ſui nominis celebritate ſtatuariam exercuit: mox oculis captus, decennio jacuit ocioſus, & nunquam operarius: aſſidue tamen toto animo rationem cogitans, per quam gloriam ſtatuaria ſibi partam, aut retineret aut revocaret. Itaque aciem, quam morbus à conſuetudine oculorum abduxerat, menti ingenioque adjunxit, & exacuit adeò, ut facinus aggreſſus ſit ex omni ætattum memoria inauditum. Coſmi Etruriæ Magni Ducis effigiem ex argilla ſibi fingendam ſuſcepit, exemplo ſumpto ex marmorea Cosmi ſtatua manibus contrectata: quam quidem adeò ſimilem expreſſit, ut quisque tanquam novo artis miraculo ſtupidus hæſerit. Is ergo operis præſtantia, & ſecunda omnium acclamatione excitatus, Romam venit ſuperiori anno DDCXXXVI. ut in hoc virtutum omnium theatro ſuæ artis ſpecimen ederet. Et primo quidem Urbani Octavi Pontificis Max. ſtatuam ad ſummam usque ſimilitudinem omniumque admirationem protulit, Urbanoq; dono dedit: mox Ducis Barcenni, Equitis Gualdi ac cæterorum. Imo, cum ad Divi Honufrii in Janiculo ægrotaret, mihi medicinam ſibi facienti, ſæpè opificium ſuum profeſſus fuit. Renui prorſus, ne tam præclaro opere opella mea compenſanda videretur. Cùm verò pleriq; tanto miraculo ſtupeſcentes, de ſimulata cæcitate ſuspicarentur, in occluſo & cæco cubiculo plaſten exercere juſſus fuit: quam cum ſimilitudine perfectam edidiſſet, & venuſtatem illam faciei cujusque propriam mirè expreſſiſſet certam ſpeciem, vultum gravem, comitemve, hilarem aut triſtem, &, ut verbo dicam, verè loquentem & pene reconditos cujusque mores indicantem effinxiſſet; ſuæ artis præſtantiam omnibus perſuaſit. Rem autem apud Philippum Saracenum publicum Tabellionem teſtati ſunt complures locupletiſſimi, & oculati teſtes, ut ex literis publicis futura ſecula miraculum crederent.

57. Cæci ſculptoris opera.

Etruriæ Ducis effigies.

Urbani VIII. P. M. Effigies. Bracciani Ducis ſtatua.

Facinus publicis literis conſignatur.

Converte animum ad artem memoriæ, qua juvenis Corſicus triginta ſex millia nominum, latinorum, græcorum, barbarorum, ſignificantium, & inter ſeſe nihil cohærentium eo planè ordine reddebat, quo ſemel acceperat, nusquam prope inſiſtens, nusquam hæſitans: quodq; admirabilius eſt, ab ultimo incipiens ſurſum verſus perveniebat ad primum, tertium, quintum, & ſic deinceps omnia diceret: imo verò vel anno elapſo eodem ordine, & quo quisque alio vellet, omnia repeteret.

58. Memoria omnium maxima.

59. *Telescopiũ mirabile.* Converte animum ad Telescopium, aliaque mirabilia specilla, quibus ars ita fallit oculos, ut remotissima propinqua referat, minima reddat maxima, adeò ut milii granum omnino exiguum cedrum exhibeat amplissimum.

60. *Aquila Regiomontani.* Ad Regiomontani aquilam ligneam, quæ Maximiliano Cæsari Norimberga venienti mirabili volatu obviam processit, eumque leni suspensoque volatu in Urbem prosecuta est.

61. *Ejusdem musca.* Ad ferream ejusdem muscam, quæ cum ex ejus manibus evolasset, & in orbem, hospitibus quasi salutaris, per cubiculum oberrasset, revolavit eo, unde evolavit.

62. *Oswaldi pateræ ex ebore.* Ad eburneas pateras mille & sexcentas, in piperis grano, torno elaborato formatoque in pateram inclusas. Nam Oswaldus Norhingherus Sueus Toreuta omnium qui sunt quique fuerunt præstantissimus (id enim existimandum est ex opere supra humanam credulitatem, vires certe sedulitatemque humanam) pateras mille & sexcentas ex ebore torno fecit, perfectas illas quidem, & numeris omnibus membrisque absolutas: adeò *In piperis grano inclusæ.* tamen parvas & minutas, adeò exiles ac tenues ut omnes (mirabile dictu, mirabile factu) calice vel potius caliculo, ex vulgaris piperis grano torno facto, includerentur. Mirabile hoc opus è Germania Romam secum apportavit Joannes Carolus Schad à Mitelbrach, sedente Paulo V. Pont. Max. vidit autem conspicillo parvitate pene invisibiles, atque adeo numeravit tum quivis alius (facta enim fuit unicuique videndi facultas) tum maximè Caspar Scioppius & Joannes Faber Bambergensis medicus Romanus.

63. *Bombardæ mirabiles.* Ad ligneas bombardas, curru munitas, rotis instructas, ornatas denique omni apparatu bellico usuque necessario, minutissimas illas quidem ac tenuissimas; ut viginti quinque numero una cum triginta calicibus ligneis affabre torno factis in uno eoque mediocri piperis grano includerentur. Hæc paucis ab hinc diebus passim ostentabat Jo. Baptista Ferrarius è societate Jesu, vir doctrina & religione clarus.

64. *Stevini currus.* Ad currum Stevini veliferum, quo septendecim milliaria duabus horis se confecisse affirmat: quem profecto si quis non equis ductum, sed actum hominis ingenio vidisset, miraculo perculsus ab arte ad dæmones stolide provocasset.

66. *Pyxides mirabiles.* Ad duas illas rotundas pyxides, alphabeto in ora distinctas eoque artificio fabrefactas, ut si hujus stylus in centro situs moveatur ad A. aut B. alter stylus alterius pyxidis, Persiis verbi causa eodem artificio extructæ, ad eandem literam suam sponte converteretur. Si hic ad C.D.E. ceterasve, ille hujus motum secutus in easdem literas feratur: adeò ut cum absente loqui possimus, nulla aut voce aut scriptura intercedente.

Ad

Ad tabulam, in qua aſperſi temere videntur colores, vel ea certe ab imperito puero coloribus tincta & confuſa, nulla fere arte depicta: in cujus tamen medio, cylindro tamen ferreo politiſſimoque poſito, ſtatim in hoc velut in ſpeculo refertur imago ſimillima cujusvis, mentitis pigmentis fucatisque, adumbrati: his nempe, mirabili quadam arte diſpoſitis, hominis adumbrati ſpeciem ad cylindrum emittentibus. 66. *Artificioſa tabula.*

Ad roſam ex cineribus uſtis ſolerti tamen & ingenioſo artificio excultis & elaboratis, quatuor & viginti horis natam, adultam, perfectamque. 67. *Roſa die nata.*

Ad ſtylum aut ſphæram ligneam eamque planam in aquæ amphora natantem, & aſſiduè orbico motu concitam; quæ nempe exoriente ſole ſolem orientem ſpectet, [illegible]atim una cum eo in meridiem vergat, & inde in occaſum, ſolis autem æmula aut pediſſequa. 68. *Sphæra ſolis pediſſequa.*

Ad muſicum illud inſtrumentum, quod tranquillo, puro, ſerenoque cœlo, leniſſima aut potius nulla ſpirante aurâ, non artificis manu, ſed intrinſeco quodam citharœdo ac ſymphoniaco genio mirabili harmonia ſonante altero pari artificio temperatur. 69. *Muſicum inſtrumentum mirabile.*

Demum ne pluribus tuas, Lector, aures obtundam, converte animum ad vulgatam quidem rem omnibusque notam, ſed meo judicio rerum omnium maximum miraculum. Deus immortalis! quid mirabilius bombardæ fragore aut ictu? Mentior: quid mirabilius ferrei globi impetu? qua vi fertur ponderoſus ille globus? quis ei vim impreſſit in tormento? vel potius quis extra tormentum fovet? Neq; dicas, eſſe Virtutem impreſſam, quæ globum pellit fugatque; quia purũ id eſt nomen, nihil me præterea docens. Scitum namq; illud eſſe vellem Vim, Qualitatem, Virtutem, Proprietatem generalia quædam eſſe nomina, rebus omnibus ignotis ab cæco ignaroque Philoſopho impoſita: quod enim ille neſcit, nec ullo aſſequi modo poteſt, vim, qualitatem, virtutem aut proprietatem appellat, pulchro nomine ſuam tegens ignorantiam, imo (quod magis dolendũ eſt) putans iis nominibus, omnes ſe quæſtiones diſſolvere, rebusq; omnibus obſcuris veritatis lucem afferre. Ego (fateor ingenue) in volante furenteq; bombardæ globo nihil animo videre poſſum nec intrinſecus ab ignito pulvere, communicatum, nec extrinſecus adhæreſcens; nihil mente compræhendere, quod tam mirabile impetu ſæviſſimo reflante borea, ingentẽ ac ponderoſũ globum propellat. Id ſolùm affirmare non dubito, ſi bombarda nunc primo hominibus innoteſceret, & cum ingenti tonitru & fragore maximo ferreo globo ſemel exploſo collabentem ruentemque domum videremus; miraculo ſtupidi timoreque perculſi taceremus, rem omnem non ad ſolertiam artis, ſed ad cacodæmonis terricula acceptam referentes. Aër, inquies, ignito pulvere commotus impulſusq; globum extrudit & propellit. Nugas agis: nam vel ſæviſſimè reflantibus auſtris, tormentum vi maxima globum evo- 70. *Miraculũ omnium maximum.* *Virtus impreſſa refellitur.* *Aër exploditur.*

mit ac projicit; globus eodem impetu volat ac furit. Accedit, quod globo prope nos velocissime rapideque lato, proximus aër leviter commovetur: certe non ita, ut nos impellat aut protrudat. Non ergo hic extrudit & exprimit volantem globum. Demum projecta ab aëre commoto & extrudente non ferri, certissimo argumento est turbo verbere actus, qui, flante borea vel aliter in diversum concitato aëre, in orbem movetur: & sagitta, quæ scindit potius finditque aërem, quàm ab eo compressa extrudatur.

Ratio & experientia certissima.

Sed esto in expellendo nitatur aër, incassum tamen hic agit, Nec sane proficit. Nam projecta res quantum à posteriore extrudente aëre impellitur, tantundem ab anteriore resistente retardatur. Neque aër lapidem subsequens (quæ Platonis est opinio) ac, ne detur vacuum, succedens in ejus locum, lapidem movet, quia aër satis habet, si impleat, ne detur vacuum: Imò si lapide moto, aër subit in ejus locum; hic non movet, sed motum lapidem sequitur. Aristoteles ait antecedentem aërem à lapide compressum vicinum comprimere; ac ne detur vacuum, subire in posteriores locum, & sic projectum extrudere. Sed à compresso aëre projecta non moveri, illud etiam argumento est, quod aëre magis compresso, minus ac segnius projecta moveantur; velocius verò minus compresso. Etenim parva pila batillo sphæristico verberata segnius funditur, quàm reticulo acta. Intendas oportet mentis aciem, ut hæc assequaris; exuas aliorum placita, ut credas. Jam verò hisce naturæ artisque miraculis informatus animus & utriusq; veluti sacris initiatus fidelius in eis, quæ unguento sympathico similiora sunt, deinde versabitur. Et primò quidem ea sunt accuratè animadvertenda, quæ ex mulierum malacia summoque objectæ rei desiderio in fœtu gignuntur: quorum aliqua etsi à nobis suprà commemorata sunt, quia tamen illa miracula potius, quam virtutis similitudine ad unguentum pertinent, ideò alia nunc sunt afferenda, quæ ad unguenti vim proxime accedunt.

Secundum genus miraculorum.

71. Ego sane octennem puerum novi, unguentarii filium, ac nepotem panis custodis Urbano VIII. Pont. Max. cui ex matris malacia intempestivoq; leporis appetitu in dextera genæ leporinæ pellis vestigium impressum est, ipsissimis animalis pilis subfulvis longiusculis ac tenellis refertum: adeò ut verius diceres avulsos ex lepore pilos genæ insitos fuisse, quam ex materna imaginatione adnatos. Unde, obsecro, pili color leporinus? unde insignis & maxima similitudo? unde? nisi ex influente desiderati leporis vi atque spiritu? Ex imaginatione, inquies, vehementi gravidæ matris. Mendosè, nam mater desiderio flagrans imprimit quidem in puero tenello rei desideratæ vestigium; Similitudo verò non ex ea, sed ex lepore desiderato in vestigium derivatur. Quare pili color, tenuitas, levitas non matri,

Malaciæ exemplum.

Maculæ similitudo unde.

matri, sed lepori referenda sunt. Quod si minus credulus, imò vere fastidiosus rem plane contemnas præbe aures historiæ quam tibi fidelissimè narrabo.

Nobili Matronæ Florentinæ (nomen autem reticeo incertus, placeat an displiceat pulchrę honestæq; rem pate fieri) maculatum est dexterũ tempus uvæ macula, fusca illa quidem & adeò obscura, ut vix oculis pateat; imò nec vix quidem, nisi diligenter inspectantibus, etiamsi in carne candidissima impressa sit. Frondentibus autem ac virentibus vitibus, mirum in modum macula virescens vel lusciosó conspicua est: fœcundis fructuque exuberantibus, ferè intumescit; mox è viridi colore paulatim vergit flavum, deinde haud obscurè flavet, flavente uva ac plane maturata; demum appropinquante hieme, vitibusque pampino nudatis, prope evanescit, subfusco solùm colore leviter adumbrata. Unde mirabilius hic maculæ motus, color varius & plane inconstans, constanti tamen ac definito tempore singulis annis commutatis, nisi ex vitibus uvisque ardenter desideratis? 72. *Maculæ uvæ historia.* *Mira commutatio.*

Eodem planè modò Andreæ Labiæ nobilis veneti variat insignis macula, universæ dexteræ genæ ex vini rubri desiderio à matre impressa: nam vere attollitur & mire rubescit appropinquante autumno uvisque maturescentibus; facta verò vindemia detumet & paulatim languescit. 73. *Vini macunla historia.*

Neque discrepat ab his mali punici fusca macula, nobili mulieri ex malacia impressa: quæ colorem mutat & omnino rubescit, rubentibus punicis à matre desideratis. 74. *Mali punici historia.*

Et famulæ Principis Cæsii magnæ ac frequentes quasi verrucæ in manu extuberant, fragis æstate pullulantibus; plane subsident & evanescunt, iis frugibus hieme abolitis: iterum extuberant, subsident iterum, æstate nova, novoque hieme adveniente. Res igitur desiderata è longissimo indefinitoque intervallo vim emittit in maculam fœtui desiderio matris impressam. 75. *Verrucarum historia.*

Haud absimile est, quod de vino doliare scribunt probatissimi auctores, ac scientissimi vinarii experimento comprobant. Commoveri illud quidem ac perturbati asserunt, turgentibus in palmite gemmis, novoque vino pendente; quo in cellariis condito, denuo clarescere. 76. *Vini doliaris historia.*

Quare non est, cur temere levitatis insimules auctores omnium maximos, Aristotelem & Theophrastum, qui scribunt ursorum adipem latebrarum tempore exundantem & intumescentem vasa implere: nimirum cum ursi in speluncis hieme latent, eorum adipem in vase asservatum commoveri & intumescere, spiritu ex viventibus ursis influente turgentem, neque enim difficilius ex ursis quam ex uvis vinoque pendente spiritus emanat, qui alio pertingens alia aliter afficiat. 77. *Ursorum adipis historia mira.*

78. *Vulgi pervicacia.* Quod si hæc à communi hominum intelligentia disjuncta & non adhuc à natura nobis enodata contemnas (nam ea est quorundam pervicacia ut quæ propria intelligentia freti non assequuntur, vel per summam naturæ injuriam negare audeant) quod si expertissimis viris experimenta, aut nugas, objicias; profecto necesse est, ut non Theophrasto solum probato graveque auctore, sed visu etiam olfactuque invito inficieris.

79. *Cæparum & alliorum historia.* E cæpis & alliis in cellario conditis tunc acriorem acutioremque non efflari odorem, cum eorum species in terra progerminat. Etenim & Theophrastus & experimentum testatur, allia cæpasque asservatas ea cum propria specie continuitate conjunctioneque naturæ consociata esse, ut cum hæ tempestivæ satæ germinant, illa commoveantur, & veluti spiritu intus alente excitato, acutius & vehementius oleant.

Gallica historia. Dum vero hæc scriberem, nec adhuc manum de tabula, Illustrissimus vir Franciscus Maria Suaresius Episcopus Vasionensis, cui rudimentum hujus disputationis tradideram, duas mihi suppeditavit historias, sibi à præstantissimo Alberto medico Carpento ract. per literas communicatas, unguento sympathico mire faventes: quibus ut fides magis habeatur, ipsarum literarum exemplum huc adscribere, operæ pretium duco.

Illustriss. & Reverendiss. D. D.

DE SUARES VASIONENSI EPISCOPO.

Censura Alberti medici. TRactatum de Unguento Armario Clarissimi Domini Petri Servii tuo nutu & gratia perlegi, Præsul Illustrissime. Jubet tua dominatio, ut quod de eo sentiam, ingenuè proferam. Sententia mea suffragium erit illi gratiosum, & favens, quantum egregios illustrium virorum conatus soleo approbare, & collaudare. Nihil in hoc genere ornatius, nihil eruditius, dici posse puto, eodem stylo ad hujus operis integritatem duo persequi desiderarem; alterum propria auctoris experientia in tanti remedii confirmationem, alterum ejusdem remedii descriptionis examen. Illa à tanto auctore omnem demeret damnatæ magiæ suspicionem, cujus non est expers Crollius, qui & pollicetur medendi methodum per verba, & caracteres & observationes nonnullas in usu istius unguenti, quod vocat sympathicum commendat, quas inanes & pene futiles existimem. Eadem experientia decerneret quæstionem, an sit, antequam perquirantur ejusdem rei proprietates, & propter quid, rei existentiam certam faceret, quam alii negant, & solam nobis relinqueret admirationem, ut in pluribus naturæ operibus, veluti in puella Massiliensi sedecim circiter annorum, quam ante quadraginta

Crollius vere superstitiosus.

draginta annos novi pulchram & nobilem. Hæc in prima frontis pilosa parte morum gestabat ex imaginatione matris uterum gerentis, quod veris initio, dum ejus speciei arbores surgunt, intumescebat & virescebat, postmodum rubescebat & nigrescebat, uti ejusmodi fructus ad maturitatem perfectam pertingere solent, decisis ex arbore fructibus & foliis, planus remanebat locus ad proximum ver. *80. Massiliensis puellæ historia.*

Vivit adhuc eruditissimus Doctor Medicus Aptensis Dominus Lelong qui cerasum eodem modo progrediens prope auricularum digitum defert. Mirari liceat sympathiam & veluti dependentiam animalis à vegetabili. *81. Cerasi historia.*

Unguenti descriptio satisfaciet quæstioni, quid sit, ego aliquantulum diversam apud varios auctores animadverti. In illius examine mire eluceret singularis auctoris eloquentia & uberior doctrina, cujus velim esse æmulus, ut & Dominationis Vestræ illustrissimæ servus obsequentissimus,

Carpentoracti 2. Mar. 1637.

Albertus Medicus.

Hæc autem cum ita sese habeant, non est, quod aniles superstitiones aut commenta esse existimes, quæ à gravissimis viris de naso arte restituto, deque Apuli aranei veneno commemorentur.

Et quidem satis inter omnes constat, Petrum Bojanum, Taliacotium, cæterosq; nobiles chirurgos amputatum nasum tum ex propria ægri carne, tum ex aliena non sine magna hominum admiratione refecisse. Cæterum in hac vere miranda chirurgia illud accidit præter expectationem & opinionem omnium, ut nasus ex propria ægri carne restitutus, nunquam contabuerit: Qui verò ex aliena, tamdiu incolumis fuerit, quamdiu alter homo, è cujus carne refectus fuit nasus, vixerit. Nam eo mortuo, sensim contabuit adnatus nasus, ac tabe, & putredine confectus decidit. Unde obsecro, portentum hoc & miraculum, nisi ex verè miraculi & prodigioso spirituum è vivente homine ad nasum effluvio? Nonne hic homo, cum viveret, quamvis longissimè disjunctus, quandam vim salutarem, vitalemque emittebat in nasum restitutum? Quid verò sit hæc vis, quomodo è longinquo feratur in nasum, fateor, me plane ignorare, puto in naturæ penetrali intime & obscure delitescere, & nobis datum esse, admirari potius, quam novisse. *82. Bojani & Taliacotii mira opera.* *Naturæ vere miraculum.* *Mirandus influxus.*

Neque verè fide dignis auctoribus abroganda fides est, aut temere renuenda quæ docti ingenuique viri testantur. Ego sane non tantum apud probatos auctores expertosque ea legi, sed etiam à nobili eruditoque viro, & ab omni fuco alienissimo accepi, Panormitanum equitem multos annos habuisse nasum è famuli carne restitutum; hoc verò mortuo, eundem misisse. *Confirmatio historiæ.*

Quid

83. *Apuli aranei historia.* Quid dicemus de vi illa plane mirabili, quæ ab araneo (tarantulam Apuli nominant) in commorſum hominem è longinquo derivatur? nonne conſtat, commorſum ab araneo ſingulis annis ſub idem tempus, quo impreſſum fuit venenum, iisdem ſymptomatibus corripi, donec araneus moriatur? nonne eo mortuo, cantamine quodam arteque accerſito, paulatim contabeſcens impreſſum venenum tandem aboletur? vana, dices hæc ſunt, futilia, & aniles fabulæ. *Firmatur historia exemplis.* Vana igitur putes, neceſſe eſt, vinum, uvam, malum punicum, fraga, ceraſum, morum, allia, cæpas, aliaque hujusmodi ſexcenta, quæ vi & energia, longiſſimo intervallo derivata, aperte commutantur, quæque actionem nobis in diſtans atteſtantur. Imò verò neceſſe eſt, ut Timone Nicæo obſtinatior, exhauſto ſapientis rubore, nec ſenſui nec experimento credendum putes. *Timon Nicæus hominum obstinatissimus.*

Cur huc congestæ tot historiæ. Quorſum, inquies, hæc? Quorſum tot tantaque naturæ, artisque miracula, huc quaſi in faſtidium adducta? nempe, ut intelligas, naturam plurima in rerum univerſitatem, atque in hominum proſpectum, quotidie magis magisque miranda producere, quæ unguento ſympathico paria ac ſimilia ſunt. Utque intelligas, nihil pene ex eo genere eſſe, quod fieri non poteſt: imò verò immenſam eſſe naturæ vim; infinitam & omnino interminatam Dei potentiam: adeò ut Poſſibile Deo dicere auſim) & naturæ æquale habendum videatur. *Possibile interminatum est.* Quod ſi ita eſt, quis negare audet, ſolertem, ſubtilem, & reconditam artem, comitem æmulam, adminiſtramque naturæ, hujus arcana ſedulo ſcrutatam ac penitus aſſecutam, ejusmodi POSSE unguentum componere, quod gladio ſolum pannove illitum abſenti vulneri medeatur?

Sed alium video Ariſtarchum, me aut tanquam nimis credulum & ſimplicem illudentem, aut increpantem tanquam ignarum rudemque philoſophum, qui rem aſſeram; nulla fultam ratione, nullaque veri ſpecie fucatam. Sed heus tu? fabellam geſtis audire? morem geram: nam & ipſe tuas geſtio nutantes auriculas videre. *Quodam fabellam narrante, asinus auriculas movebat.* Etenim de rebus abditis, quæ arcana vi agere dicuntur, ratiocinari eſt vere fabulari: ita quidem ſentio, ac profiteor: etſi complures eſſe ſciam, qui, propria intelligentia freti, rerum ferè omnium ſcientiam ſe conſequi facile poſſe arbitrentur. *Differitur de ratione, qua ung. agit.* Cæterum ut intellectum noſtrum inhiantem veritati aliqua veri ſpecie capiamus, & fucum aliquem mentitæ veritatis ei obducamus, aut certè blandiamur veritatem affectanti, ſic puto implicatam rem explicari poſſe. Rarum apud omnes pene Philoſophos eſt, cœlum ita cum orbe terræ conſociatum eſſe, ita huic patrocinari atque præeſſe, ut nihil hic agatur, quod inde vim non deducat præcipuam. *Aristotelis Platonis Fernelii placita.* Sic Ariſtoteles dixit, à ſole & homine hominem generari; Sic Plato unicuique ſpeciei non ſolum peculiare

peculiare astrum patefecit, viresque impertiri censuit; sed ipsas etiam specierum ideas inde accersivit. Sic Fernelius calorem omnium rerum omnium opificem, tanquam alter Prometheus, de cœlo duxit. Hic autem calor, vis hæc cœlestis auctor est rerum omnium præcipuus, & ut è cœlo demissus, rebus intime inseritur; ita omnia simul amice nectit & mirabili sympathia vincit. Necessario enim (inquit Cicero) omnia uno divino ac continuato spiritu continentur: atque adeò, ut ait Scaliger concors & consentiens natura sibi rerum omnium, tum superiorum tum nostratium mirabili serie perpetuaque necessitudine conjungit, ita ut non solum in rebus tanquam gradus, additus, recessus superatis, verum etiam eorum, quæ sejuncta penitus videntur, substantiarum commistiones. Quare unum quodque cum altero sympathia consociatum, ut magnes cum astris, palea cum succino, cum ferro magnes ceteraque sexcenta, per eum spiritum suas vires impertitur (spiritum autem appello, quicquid sit illud, quo res invicem amice nectuntur, è cœlo derivatum) sic homo vivens in nasum alienum salutarem vim emittere videtur: sic Apulus Araneus in commorsum hominem perniciosum effundere venenum: sic fraga, cerasus, morus, carnea, frago, morum, cerasumque in tumorem attollere, viriditate, rubore, ac nigritia suffundere: sic allia cæpeque satæ allia cepasque in cellario conditas a vere & excitare, sic uva in vitibus cum doliare vinum, tum hominis maculam commovere: sic homicida homini occiso quiddam impertiri, quo sanguinem concretum resolvat: sic demum unguentum sympathicum ejusmodi in vulnera vires emittere, quibus ea medeatur.

Calor hic & spiritus est anima mundi. Omnia per spiritum una nectuntur.

Quomo cerasus & macula fœtū afficiat.

Quomodo ung. armar. agat in distans.

Ceterum quia veritas in occulto latet, à natura in profundo demersa, limaturque, ut ait Cicero, in disputatione subtilius & in lucem profertur clarissimam, operæ pretium est, quo res, discussa omni caligine, aperte omnibus pateat, adversariorum rationes diligenter colligere, fideliter afferre & strenuè refutare.

Veritas rerum latet.

Et primo quidem diversa medicamenti compositio negotium nonnullis maximè facessit, illudque vanum esse facile persuadet. Nam inquiunt, si inconstans est atque dissimilis unguenti structura, fieri non potest, ut constans sit, firmaque, & nullo dæmonis fucata dolo ejus facultas. Et quidem humanum sanguinem, à plerisque in compositione usurpatum, respuunt aliqui & plane aspernantur.

Primum argumentum adversariorum solvitur.

Adipem necessarium esse nonnulli ajunt, inutilem futilemque alii. Usneam (sic enim isti Cittiaci, advenæ omnino atque ignobiles verborum opifices, Muscum appellant, in cranio suspensi hominis natum: putantes se, quod olim Tiberius Cæsar nequivit, barbara nomina civitate Romana donare posse) Muscum, inquam, nonnulli summopere prædicant,

Unguenti compositio varia.

contemnunt nõnulli tanquã ſupervacuum. Terebinthinam, bolũ, armeniũ, oleum lini, roſaceum, ſantalos rubros, lumbricos, apri urſiq; adipem, conſolidam majorem, lapidem hæmatitem ſunt qui approbant, ſunt qui plane improbant. Imò, verò adeò inter ſe diſcrepant unguenti auctores & vindices, ut pro ſuo quisque genio, quod lubet, unguento ingerere videatur.

Uſneaquid. Paracelſus qui vel auctor vel aſſertor ejus medicamenti eſſe cenſetur eoque Maximilianum Cæſarem donaſſe fertur, hanc commentus eſt compoſitionem : ℞. Usneæ uncias duas, numiæ unciam ſemiſſem, olei lini drachmas duas roſacei boli armeni ana unciam unam : miſce fiat unguentum :

Joh. Baptiſtæ Portæ compoſitio. *Roberti Flud compoſitio.* Joannes Baptiſta Porta eandem probat, addita ſolum terebinthinæ uncia. Eandem Rodolphus Goclenius : haud abſimilem Robertus Flud : diverſam Osvvaldus Gabelchoverus ; ℞. Pinguedinis apri, urſi ana libram unam, eaque liquefacta abluantur vino rubro, adde pulveris lapidis hæmatitis unciam unam, ſantali rubri drachmas ſex, lumbricorum præparatorum drachmas duas, usneæ quantum haberi poteſt, miſce fiat unguentum.

Jacobi Coleri compoſitio. Huic conſimilis à Jacobo Colero tradita eſt: ℞. Pinguedinis verris apprugni domeſtici urſini ana libram ſemiſſem muſci è cranio humano pugillum unum, lubricorum terreſt. menſ. ¼ lapidis hæmatitis uncias duas, ſantali rubri, radicis conſolidæ majoris ana uncias tres, miſce cum vino fiat unguentum.

Crollii cõpoſitio. Plurimum verò ab his diſtat Crolli deſcriptio : nam hic rejecta pinguedine apri, verris, atque urſi, uſurpat apri cerebrum : muſcum vero abradendum jubet, Lunâ creſcente & in bona domo, ut loquitur, exiſtente Veneris, ſi fieri poteſt, non Martis aut Saturni.

Jo. Wittichii compoſitio. At verò Joannes Wittichius ab his omnibus maximè diſſentit, &, ut videtur, veluti

Cumæa Sibylla horrendas canit ambages.

muſcum, mumiam, adipem, ſanguinemque humanum aſpernatur : quæ tamen alii fundamentum unguenti præcipuum eſſe prædicant.

Quid à diverſa compoſitione conſequatur. Jam verò ſi adeò inter ſe diſcrepant unguenti artifices, ſi quod alii jaciunt tanquam fundamentum, alii velut inutile ineptumque evertunt, quis eſt tam antiquus & ſimplex, qui id vanum eſſe non putet ? Sola, inquiunt compoſitionis diſcrepantia unguenti vanitatem atteſtatur.

Argumentum diſſolvitur. Ceterum nugæ ſunt hæc, meræ nugæ : vix enim ullum eſt generoſum nobileque medicamentum, cujus apud omnes una ſit & plane conſtituta componendi ratio. Theriaca, electuarium ex hiacintho, & Mithridaticum antidotum, (ut ſexcenta prætermittam) id unicuique declarat. De unguento verò ſympathico omnes in eo conſentiunt (unum excipio Wittichium, de quo poſteà dicam)

Unguentũ componitur ex re ſympathica. ut componatur ex re quapiam ſympathica, humano ſanguine, vel muſco vel adipe, mumiâve, quæ cum homine cognatione quadam ſympathia conſociata non eſſe, bardus eſſet ac plane ſtupidus, qui inficia-

inficiari vellet. Conveniunt etiam componendum id esse ex iis, quæ scopo vulneris collimando apta sunt. Scopus, si credimus Galeno cæterisque medicinæ proceribus, maximè est diducta labra adducere, adducta conservare, unire, &, ut plane coalescant, operam dare; fluentem sanguinem sistere, imminentem inflammationem cavere, suppurare contusam carnem & cutim; suppuratis novam sufficere, naturalem partis calorem spiritusq; fovere, tueri ac retinere temperamentum, atque omnibus symptomatis mederi. Horum aliqua natura efficit, aliqua ars medica, natura quidem unit, glutinatque vulnus, quod præcipuum est hujus opus; contusam carnem ac laceratam cutim coquit in pus, coctum expellit, expulso novam carnem substituit. Ars fere amovet impedimenta, quo natura ea omnia perficere possit. Nam primo quidem eo incumbit ars, ut, si quid inhiante vulnere interceptum est, telum, sanguinis grumus, simileque extrahat, deinde verò ut sanguinem fluentem sistat, ne calore spirituque evaporato pars langueat ac frigeat, impotens proinde futuræ coctioni expulsioni, generationi, glutinationi; tum adducit labra, adductaque conservat, naturam puri coquendo incumbentem, expellentem, generantem, atque cicraticem ducentem, fovet: demum, ut inflammationem ceteraque symptomata, vulneri familiaria, accessu prohibeat, enititur & elaborat. Jam quæ fiunt à natura, nulla fere medici ope fiunt: quæ verò ab arte, partim per chirurgi manum, fasciam, linteum, phlebotomiam, ceteraque; partim per adhibita appositaque medicamenta, oleum unguentum, emplastrum, cerasum, ac similia efficiuntur. Etenim interceptum quidpiam instrumento ex hiante vulnere extrahitur, dissita labra manu coëunt, coita servantur fascia, inflammationem phlebotomia prohibet, medicamentum purgans, cucurbitulæ, frictiones, ceteraque hujusmodi. At verò fluentem sanguinem imposita medicamenta sistunt, evaporantem spiritum, caloremque exhalantem obducta illitaque pharmaca retinent; naturam, contusæ carnis suppurationi incumbentem, olea fovent, unguenta, emplastra, ceteraque: abstersioni, expulsioni, novæ carnis generationi medicamenta naturæ opem ferentia auxilium Hispanæ, balsamum nostrate, alia, quæ vulneraria dicuntur. Jam verò (gradatim descendo in unguentum sympathicum) quæcunque ab aliis vulnerariis medicamentis effici dicuntur, ab unguento sympathico effici posse, mihi persuaderi facilè patior.

Scopus in vulneribus sanandis.

Quid præstet natura in vulneribus.

Quid ars præstet in vulneribus.

In quo discrepet ars à natura. Diligenter adverte.

Peculiaria de unguento armario.

Nam fluentem ex vulnere sanguinem armenius bolus sistit, spiritum & naturalem partis calorem evaporantem, oleum & alia unguine suo exitu prohibent: suppurationẽ contusæ carnis adeps juvat; glutinationi idem bolus armenius opitulatur, abstersioni terebinthina, expulsioni puris, novæ

Singulæ unguenti partes examinantur.

carnis generationi, aliisque, quæ natura medicamento auxiliante absolvit, eo præstò sunt, quæ calorem fovent, & naturale partis temperamentum tuentur. Ex quibus omnibus unguentum hoc vulnerarium constare, unusquisque ejus compositionem perpendens intelligere potest. Archimedes, inquies, non posset melius describere, si unguenti artifices in eo componendo una omnes consentirent. Sed Wittichius à ceteris dissentit, & pleraque consulto prætermittit, quibus deficientibus operationes omnes, quas proximè nominavimus, deficere necesse est: & tamen sanitatem ex unguento partam prædicat, affirmat, jurat: ex unguento igitur nulla vi naturali prædito, nulla aut aperta aut addita facultate instructo: sed potius (ut conjectare licet ex sanitate mirabiliter recuperata, & ex unguento ex nugis composito) certa superstitione fucata sed

Objiciunt unguenti hostes.

Objectio dissolvitur.

Nasutus sis usque licet, sis denique nasus.

nihil tamen in nostro unguento subodorare poteris, quod pio animo male oleat. Si Wittichius expertus aliquando est unguentum sine adipe, sanguine, cæterisque sympathicis vulnera sanare, naturæ sanitatem acceptam fero, non unguento, non dæmoni: non quidem unguento, quia nulla pene vi præditum est, nulla sympathia cum ægro conjunctum. Non dæmoni, quia non est, cur velut in Theatrum Deos advocemus, ut solvant nodum fabulæ, si mirabilis effectus causarum rei manifestæ adscribere possumus: naturæ scilicet quæ τῶν νόσων ἰατρός. Cur ergo, inquies, quævis sanatio, quæ à quovis medicamento sympathico parta dicitur, naturæ adscribenda non est? Nempe ob eandem causam, ob quam, adhibito verbi causa Hispanæ oleo, medicamento non naturæ sanitas adscribitur: quia scilicet unguento sanandi vi prædito accepta referri potest, nullo hinc absurdo consequente; ut ex rationibus adversariorum à nobis refutatis ac deinceps refutandis liquido constat: Sanguinem verò, muscum, mumiam, ceteraque ex homine sumpta, necessaria esse unguento conficiendo, ideo existimamus, quod ægro per ea arctissima cum unguento cognatio sit: Etenim in homine hominisque partibus calor inest cœlestis, præcipuus actionum auctor, cujus vim esse plane mirabilem ac vere cœlestem ex Aristotele & Platone liquet, liquet ex Hippocrate, qui libro de principiis, Mihi quidem videtur, inquit, quod calidum vocamus immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia tum præsentia tum futura. Calor autem hic, spiritusve, sicuti minimis quibusq; corporis partibus penitus inseritur, ita est earum οὐσία & veluti essentia ac natura, quas mutuo quodam consensu & occulta sympathia arctissime vincit.

Sanguis hum. necessarius in unguento.

Calor naturalis est vere cœlestis.

Cur sanguis hum. sit necessarius unguent.

Quare mirandum non est, si adeps humanus, mumia, muscus, & sanguis, qui seminarium est caloris & spiritus cognationem habeant cum

genere.

generere humano. Mirabitur hæc rudis Ariſtarchus, non ſecus ac ſi mulier videtur, aut ſi bos ediderit agnum: vel certe contemnet, quaſi nos ab rationibus inopes, & noſtri ingenii viribus diffidentes ad cœleſtia confugiamus. Cæterum non eſt, cur vere moroſus ac difficilis omnia faſtidias: mihi ſane nihil otioſius eſt eo hominum genere, cujus palatum adeo ſapit, ut omnia plane ſtomachetur: cui nec Demoſthenes ſatisfacit, nec Coæ Veneris pulchritudo, aut ſimulacrum Jovis Olympici. Etenim calorem ſpiritumque è cœlo deductum translatumque ad nos, omnes ſapientes antiqui, recentiores agnoſcunt, in quæſtionem minime revocandum. *Moroſitas odioſa eſt.*

Alii vero ingenii aciem in omnes unguenti partes acrius intendentes, ſingula quæque diligenter examinant: Cumque earum nullam advertant ea vi præditam, ut abſenti vulneri mederi poſſit, unguenti præſtantiam, ut vanitatem & malitiam, nobis objiciunt. Neque enim (inquiunt) ſanguis humanus, neque pinguedo, muſcus, terebinthina, oleum lini, bolus armenius, aut quidvis aliud in unguentum uſurpatum, ejusmodi vi præditum eſſe videtur. Heu priſca fides! Tam ne bardus es, tam rudis medicus, in philoſophia, tam hoſpes & advena, ut neſcias, ſexcenta eſſe, quæ ſigillatim æſtimatæ, inutilia pene ſunt, nulla (dicere auſim) vi prædita? Si vero generatim, penitus admiranda? Theriacam habes, vel potius (quod magis mireris) habes foſſile ſtibium, vulgo antimonium, nulla purgandi vi præditum; habes chryſocollam, quæ, ſi ethimologiam ſpectes, alvum potius tardat: nam auri gluten Latinis ſignificat: miſta habes hæc eadem, incredibilem purgandi vim omniumque maximam ex mixtione adepta. Quid dicemus de pulvere nitrato? vim ejus eſſe admirabilem, quippe qui tonitrua & fulmina imitetur & æquet, ſciunt omnes; omnesque ſciunt, neque ſulphur, aut carbonem, ex quibus iis conſtat, ea vi prædita eſſe. Itaque hoc argumentum, quod principio velut Euripidis emphidexium eſſe videbatur, infimum revera futileque eſt, 2. *Alterum argumentum adverſariorum.* *Diſſolvitur argumentum.* *Compoſitio quantum poſſit.* *Pulvis tormentarius admirabilis.*

Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil.

Nonnulli verò (ridendi profecto ſunt hi) unguenti ſuperſtitionem ex eo conjectant, quod ſuſpenſi hominis muſcus in compoſitionem uſurpetur. Si enim inquiunt, naturalis eſſet unguenti vis, non magis laqueo, quam morbo mortui hominis muſcus utilis ac ſalubris eſſet. Sed vere audio aniculàrum murmura, quæ hoc ipſo, quod aliquid ſuſpenſi hominis adhibetur, de ſuperſtitione continuo trepidantes & meticuloſæ ſuſpicantur. Philoſophi eſt animadvertere, hominem morbo non confectum uberiori ſpirituum copia circumfluere, morbo verò afflictum ſpiritibus exhauſtis contabeſcere. Suſpenſum præterea uberrimos laqueo ſpiritus ad caput allicere ac trahere: hoc igitur ſpiritibus turgeſcens, & radicati etiam humidi ſuccoſus, fœcundiori & præſtantiori muſci ſeminario præditum eſt. 3. *Tertiũ argumentum.* *Diſſolvitur argumentum.* *Muſcus ſuſpenſi hominis præſtãtior.*

In unguento autem tam mirabili componendo selectissima præstantissimaque usurpanda esse, quis dubitat?

Neque vero aditus ad caput laqueo spiritibus intercluditur ita, ut in thorace omnes & faucibus hæreant: quia ligatum pressumque guttur sanguinem non spiritus transitu prohibet. Declarat id quidem calor faciei non mediocris, rubor, & vinculo arctius stringente, & spiritibus propterea eo ingruentibus, plumbeus color, quo facies perfunditur.

4. Quantum argumentum. Dissolvitur argumentum. Quæ sympathia sit necessaria unguento. Neque est cur sympathiam sanguinis adipis musci cum homine vanam & fabulosam putet, Sennertus quod sanguis, exempli causa, corrumpatur ac putrescat, corpore unde missus est, convalescente, imò plane incolumi; quia sympathia inter sanguinem & hominem non ea est, quæ ad producendam vitam, vel ad valetudinem tuendam sit necessaria; sed quæ ad quasdam actiones sui perutilis. Exemplo rem aperio: venenum à scorpione membro impressum arctissima cum scorpione sympathia conjunctum est: ut patet ex eo, quod hic, contusus est vulneri appositus, revocat exugitque venenum à se membro actum inspiratumque; & tamen is dum vixisset incolumis, etiam si impressum à se venenum una cum homine extinctum esset. *Scorpius venenum.* Non enim unquam scorpius cum homine venenato interiit, aut interiisse fertur.

5. Quintum argumentum. De sphæra activitatis complura. Mihi verò laborandum non est (ut vehementer laborandum, summisq; ingenii viribus contendendum omnes arbitrantur) de sphæra, ut vocant, activitatis unguenti vulnerarii. Nam etsi plurima agentia naturalia certā nobis sphæram habent activitatis, certum spatium, ἀπόῤῥοιαν seu virtutis effluvium circumscribens, aut vim certò aliquò emittere nobis videantur: tamen multa sunt, quorum sphæra quàm late longeque pateat, haud certo scimus, aut, si scimus, eam longius pertingere ac prope indefinitam esse intelligimus. Et verò quam sphæram activitatis habere putamus magnetem, *Sphæra activitatis magnetis Solis.* vel potius stellam ad se magnetem allicientes? Quam sphæram illuminandi nostraque corpora variis qualitatibus afficiendi habere Solem, Lunam, stellas, supera denique omnia? Sol ex infinito prope intervallo sua vi ad terram usque pertingit, longiusq; progrederetur, si terra esset longius dissita. *Lunæ.* Luna plena, novaq; imo intermestris ac dimidiata Halum lunari morbo æque afficit atq; Ægyptium, Persam, Indum, ceteros orienti proximos: quinimò per æque hos atque Gallos, Germanos, Norvegos aliosq; ultimū occidentem & septentrionem incolentes. *Ignis.* Ignis exurit lignum, sibi contiguum; calefacit hominem, sibi vicinū; illuminat aërem, longè distantem. Quid? etiam è longinquo interdum ignis comburit. Nam aproxeos herbæ radicem à se distantem accendit, longius pertingens sua vi, quam vulgus *Objicitur.* hominum opinetur. Corruet inquies, Porticus Stoicorum, Liceum, Academia, ceteraque philosophorum gymnasia ruinas agent, si incertam esse dixeris, minimeque constitutam agentium sphæram activitatis. Corruant,

nihil

nihil moror, penitusque labantur, si infirmo nitantur fundamento. Sed revera corruere non finit, undique fulcit ac sustentat, qui rem intentis oculis contemplatur. Definita est atque certa agentibus, non nobis, eorum, eorum sphæra activitatis, vim certe aliquam emittunt omnia: quo vero, quàm longe latéque non raró ignoramus, putantes breviori definitam esse intervallo, quam revera sit. Quam igitur activitatis sphæram homines esse putamus alienum de longinquo nasum servantis? Apuli aranei impressum membro venenum foventis? mori ac cerasi sui quasi speciem in modum tam mirandum in homine immutantis? aut ejus qui ex Gallia in Italiam canem allexit? Fertur enim canis dominum, ex Lugdunensi Gallia, in Italiam profectum, è longissimo intervallo pluriumq; dierum flexuoso, incertoq; itinere, & insecutus & consecutus fuisse. Fabellam putas de cane quæ narro, ab aliis mihi narrata? Audi historiam domesticam ac verissimam. Servio meo germano fratre, Roma Spoletum redeunte, domesticus canis latrare cœpit, & inconsueto queruloq; ululatu domũ implere multo ante, quam is domum appropinquaret: Imò veró ultro ac citro commeare & undique discurrere: tandem moræ impatiens aperta janua domo prosiliit, & redeunti Servio longe obviam processit. Idem canis (quod certe longe mirabilius est) ab eo die, quo Servius Spoleto Romam profectus fuit, moerens, demissus afflictus & ab omniũ consuetudine abhorrens in angulo domus perpetuo fere dormitabat & à cibo pene omni sese abstinebat. Cum vero primum frater Roma Spoletum versus iter iniret, statim canis mœrore deposito se erigere cœpit & consueto cibo reficere. Neque veró existimes, casu id semel accidisse, quia toties contigit quoties Spoleto Romam Servius migraret, ac Roma Spoletum reverteretur. Quin imo domestici omnes ex eo conjectabant, Servium, in patriam reversurum, jam in viam se dedisse, quod canis recenti ac repentina hilaritate pristinam tristitiam relaxaret, omnibusq; nova festivitate blandiretur. Illud etiam, quod de fele à dignissimo præstantissimoque Poëta Francisco Stelluto nuper accepi omnino improbat certam ἀπόῤῥοιαν: Felis Æsio è Capuccinorum domo in aliam eorundem Patrum duodecim millia passuum Æsio distantem, sacco conclusus, cum transportatus esset, eadem die per arduam latebrosam ac transversus viam Æsium repetiit. Jam veró Sennerte (hunc appello, quippe accerrimum omnium atque infestissimum unguenti hostem) quod nam spirituũ effluvium manare putas è fele Æsio profecto? è Spoletino homine ex urbe vix pedem efferente? Quam sphæram activitatis esse putas ursi, ursinum adipem in vase asservatum commoventis? leporis leporinos pilos tenello puero planeque imberbi in genam inserentis? uvæ vinum doliare maculamque hum: commoventis? mali punici mulieris occipitium; vini rubri viri genam tam facile ac perspicue immutantis? fragorum carnea fraga incredibili vi afficientium? Vanum profecto est, quod vulgo omnes asserunt de certa nobis sphæra activitatis.

Qua-

Responde-tur.

Quomodo sit definita agentium sphara activitatis.

Historia de cane.

Domestica historia.

Miranda de cane.

Historia de fele.

Dissolvitur argumentum.

Ursini adipis leporis ceterorum sphara.

6. *Sextum argumentum.* Quare minùs facessit negocium, quod de medicamento pyxide conjungit Sennertus. Nam etsi mirandum est, unguentum, gladio in arca aliove incluso adhibitum, (nam medicatis gladius in armario includitur, ut aëris vim effugiat: alioquin enim vulnus non mediocri afficitur detrimento) vim in vulnus è longinquo effundere, pervadens nempe arculã, ubi conditũ est, domi parietes, valles, montes & quicquid tandẽ interjectum est; *Vis unguẽti quocunque pervadit.* seque insinuans in occlusum vulnerati domicilium, in circumlitas obductasque vulneri fascias, demum in ipsum membrum vulnere affectum: quamvis, inquam, hæc miranda sint, nec ab unguento præstari posse videantur, *Vere miranda.* longe tamen mirabilius est polum, stellasve, aut montes, quos recentiores comminiscuntur, magneticos sub polis assurgentes, ex infinito prope intervallo, superatis immensis montibus, vallibus ingentibus spatioque longissimo in magnetem vim emittere plane admirabilem, quæ cum à commoto aëre non agitetur, non jactetur à vento, nec prohibeatur, quo minus ad magnetem pertingat; mirandum non est, si unguenti vires è pyxide in vulnus recta ferantur, nullo aëre aut vento disjectæ, neque parietibus domorum, montium vastitate, aut longa vallium intercapedine prohibentibus.

7. *Septimum argumentum.* Revocant præterea in dubium vim medicamenti, quod non semper, quod non omnibus medeatur vulneribus. Nam, inquiunt, fieri potest, ut quando adhibito medicamento vulnus sanatur, non unguento revera, sed naturæ morborum omnium medico, sanitas accepta referenda sit: *Vulneris sanatio est naturæ opus.* præsertim cum vulnerum sanatio, quæ in glutinatione maxime consistit, solius sit naturæ opus, medicus vero impedimenta solum amoveat. Vin dicam, quod sentio? hoc argumentum Sennerto non parcit, *Dissolvitur argumentum.*

——————Revolutaque tela
Vertit in auctorem.———

sive enim unguento sympathico, sive quovis alio medicamento vulneri opituleris, natura semper est morbi medicus, cum vulneris sanatio, ut dictum est, in glutinatione sita maximè sit, quæ solius est naturæ opus. Possem igitur (si res ita se se haberet) omnia medicamenta tanquam inania respuere, vulneris sanitatem unius naturæ viribus adscribens. *Discrimen inter ung. arm. & alia.* Unguentum sympathicum efficit ea omnia, quæ unumquodque aliud vulnerarium medicamentum, eo tamen discrimine, quod illud jucundius hoc molestius; illud absens, hoc præsens; illud mirabili, hoc vulgari ratione efficiat.

8. *Octavum argumentum.* Quod verò ad vulnera sananda opus sit multiplici operatione, quæ ab uno unguento sympathico minimè præstari possunt, ut Sordium abstersio, puris concoctio, excrementorum expulsio, carnis generatio; sunt meræ nugæ. Nam exploratum est, sexcenta alia medicamenta, ut Ducis

Etruriæ

Etruriæ balsamum, ea omnia exequi & perficere. Passim non in Italia solum & Hispania, sed etiam in Gallia, Belgio, Germania unum vulneribus sanandis sæpè adhibetur Hispanæ oleum, Romæ quidem celebre est, & vulnerarium omnium medicamentorum longe præstantissimum (id enim testantur unanimes experti Chirurgi) Balsamum à Tobia excellenti chymico & botanico scientissimo optimi Principis Francisci Cardinalis Barberini paratum; à quo solo operationes omnes vulneribus necessariæ, quas pollicentur complura alia medicamenta, præstantur, Abstersio, Concoctio, Expulsio, Generatio, Glutinatio. *argumentum dissolbitur.* *Balsamum Tobiæ præstantiß.*

Præterea unguentum sympathicum ex glutinantibus constat, ex suppurantibus, renovantibus cæterisque necessariis. Demum unicum, solaque ligatura haud exiguis vulneribus sæpè medentur: quæ quia ex abstergentibus, concoquentibus, glutinantibus, ceterisque talibus non constant, non sunt propterea tanquam inutilia improbanda. Itaque quocunque tandem argumentum dirigas, quovis modo flectas & tuo arbitratu invertas, ut thymbra semper erit, ex qua lancem facere nemo potest. *Ung. arm. constat ex omnibus necessariis.*

9. *Nonum argumentum.* Neq; vulneratarum partium diversitas nobis, ut Sennerto negocium facessit, unguentumque infirmat: nam etsi caro, ut doctissimus hic vir nobis objectat, nervus, membrana diverso temperamento prædita sunt diversoq; proinde medicamento indigere videantur; tamen & balsamum Cardinalis Barberini & Ducis Etruriæ, & oleum Hispanæ, & alia sexcenta diversis medentur tum partibus, tum vulneribus. Itaque ex eo quod dispar sit variaque vulneratarum partium temperies, non tamen opus est medicamento plane diverso. Uno igitur unguento Sympathico, sicut uno Hispanæ oleo, aliis atque aliis partibus temperamento dissidentibus opitulari possumus. *Partium diversa temperies.*

10. *Decimum argumentum.* Quod si quis (decimum est Sennerti argumentum) uno tempore plura vulnera diversis in partibus à diversis armis acceperit, unum ne telum in ungere sufficiet? & vis ne ejus ad omnia vulnera feretur? aut omnia ne tela in ungenda erunt? & anne unguentum quodlibet faciet suum officium? & hoc ad istud vulnus, quod hoc telo inflictum est, recta perget; illud ad aliud, quod alio telo illatum est? Sive plura, Sennerte, sive unum telum inunxeris, vis medicamenti fertur in Vulnera, nam sanguis, in unum pluresve gladios ex uno vel pluribus vulneribus missus, idem sanguis est, eademque sympathia & affinitate cum uno atque altero vulnere devinctus est, ac proinde is unus in unum gladium effusus, deferre potest unguenti vim in partes omnes vulneratas. Neque verò medicamenta, quæ occulta vi ac sympathia agere dicuntur, ex quantitate solum, sed ex qualitate multo maximè æstimantur.

11. Undecimũ argumentum. De pyxide, quod addunt, ſatis mirari non poſſum, nam in ea conditum medicamentum vulnera nõ ſanat (miratur enim Sennertus ignaviam medicamenti in pyxide occluſi. Si enim, inquit, unguentum gladio illitum per ſympathiam vulneri medetur, non illitum etiam, nempe conditum in arcula, mederetur: cum ubique iisdem ſympathiæ vinculis vulneri conjunctum ſit) non ſanat, inquam, vulnera in pyxide aſſervatum, quia non fertur in vulnus: non fertur autem, quia vectorem non habet analogia & affinitate ſibi devinctum: ac proinde iners & ignavum in pyxide latet. *Argumentum diſſolvitur.* Quod ſi affricetur ſanguini, vel potius gladio cruento, jam vectorem nactum, prompte fertur in vulnus, certa medicina ſalubre.

12. Duodecimum argumentum. Sanguinem verò medicamenti vectorem (nam ſanguine intercedente vis medicamenti è gladio fertur in vulnus) in atomos diſſolvi & undequaque diffundi, ut vim medicamenti deferat in vulnus, aut non eſt neceſſe, aut ſi neceſſe, nobis, ut Sennertus contendit, explicandum non eſt, id qua ratione fiat: quia, ut ſupra diximus, quæ agunt ex intervallo, ut abdita vi agunt ex intervallo, ut abdita vi agunt, ita abdito modo: & ſicuti agere ſcimus re docti, ita neſcimus, quomodo agant. *Agentia in diſtans abdito modo agunt.* Putare verò ſe omnia ſcire poſſe, maximæ inſcitiæ argumentum eſt. *Nota de noſtri philoſophandi methodo.* Humanum ſcire eſt pulchre imaginari: Is verius philoſophatur, qui pulchrius imaginatur, qui ea comminiſcitur, quę pulchriori quadam veri ſpecie noſtrum captat (aut verius) noſtrum eludit intellectum. Bone Deus! ſcirene atq; explorate ſcire contendimus ea, quorum veritatem, ut ait Democritus, in profundo penitus abstruſit natura, æternisq; tenebris circumfuſam eſſe voluit? Profecto ne ea quidem ipſa, quę manibus tractantur, videntur oculis, omnibusq; ſenſibus patent, ullo poſſumus modo cognoſcere. *De cichorio notanda.* Teſtimonio eſt opium, cichoriũ, acetum, cæteraq; ſexcenta: in quorum natura inveſtiganda etſi antiquorũ præſtantiſſimi laborarunt, aſſerunt recentiores, omnes verè ſudarunt, adhuc tamen de iis nihil ratum eſt, nihil firmum, nihil penitus conſtitutum. Cichorium ſerimus, naſcens videmus, manu contrectamus, olfactu & guſtatu examinamus; adoleſcens, adultumq;, & exiccatum ſenſibus omnibus omniq; arte, induſtria deniq; Chymica explorandum curamus: & tamen adhuc neq; ſcimus, neq; novimus, calidumnè revera, an frigidum ſit. *De opio notanda.* Quid dicam de opio, quod aliqui ſumme frigidum eſſe, alii ſummè calidũ exiſtimant juratiq; affirmant? In quo ſane in quæſtionem veniunt non abditæ abſtruſæq; in arcano naturæ penetrali opii qualitates; ſed calor & frigus, quæ ſenſibus plerumq; patent, quæq; facillimè omnium cognoſcuntur. Neq; de exiguo & ſubobſcuro qualitatis gradu diſceptatur, ſed de ſummo & omnium ampliſſimo: calidiſſimum illud eſſe aliis opinantibus, aliis frigidiſſimum: ambobus (quod ſane mireris, vel potius rideas) plane rem vel litigioſo ac pertinaci ſe probare exiſtimantibus. Quid de aëre? quem aliqui calidum natura eſſe opinantur: alii frigidum, humidum alii, alii ſiccum:

imò

imò ne ullus nugamentis deesset locus, & Ægrotæ mentes quod fingere nunquam audent. *De aëre nota.*

audacter aliqui comminiscerentur, neq; calidum, neq; frigidum, neq; humidum, neq; siccum, sed omnis qualitatis expertem, scripserunt. Vere igitur Nos ita philosophi sumus (utor Cic. verbis) ut cum fabris habitare possimus: vere humanum scire est pulchre imaginari, isq; verius philosophatur, qui pulchrius imaginatur. Quare qui rationem sibi explicandā contendit, qua sanguis in pannum gladiumve effusus deferat in vulnus vim medicamenti, qui ex nobis quærit, num dissolvatur in atomos, num feratur in orbem & undequaq; diffundatur; & si diffunditur, num tam longe lateq; pervadat, ut ad distantissimum vulnus pertingat: hic inquam, velim, animum advertat vel ad tarantulæ venenum, vel ad nasum restitutum ex aliena carne, mihiq; explicet, qua ratione ex longissimo intervallo, aut salutaris viventis hominis vis in commorsum hominem nasumq; restitutum feratur; num dissolvatur in atomos, & num undequaq; diffundatur. Velim, ut qua ratione allia cepæq; satæ, frondentes vites uvisq; fœcundæ, cerasus, morus, malus punicus, cæteræ arbores à me supra commemoratæ, fœtum afficiant maculamq; commutent. Velim, inquam, ut hæc omnia explicet, *Dissolvitur argumentum.* *Nota de alliis.*

Et erit mihi magnus Apollo.

Utrum verò unguentum, vulneri non gladio illitum vulneri medeatur, mihi haud exploratum, haud expertum: neque Sennertus experimento pugnat. Solum ait, si gladio inunctum vulneri medetur, facilius ipsi vulneri adhibitum mederetur. Fortasse facilius. Nam Calchantum, secreto laboratum artificio, & vulnerato membro & panno cruento aspersum, sanguinem sistit, vulnusque sanat. Quod si unguentum è longinquo solum mederetur, id ejus præstantiæ adscribendum esset, qua vulgaribus medicamentis vulnerariis antecellit. *13. Decimum tertium argumentum. Dissolvitur argumentum.*

Medetur autem non solum gladio sanguine tincto illitum, ut exprobrant adversarii, sed cuivis alii, panno, ligno, corio, cæterisq; sanguine perfusis, id accepi ab oculatis testibus fide omnium dignissimis. Nam in Rhetia, Helvetiaq; cuivis sanguine infecto salubriter unguentum astricatur. ergo peccat etiam in historiam Sennertus, cum ait. Si sanguinis beneficio vis medicamenti ad vulnus defertur, cur non etiam aliarum rerum, in quas è vulnere copiosissimè sæpè sanguis effunditur, vires ad vulnus deferret, quod fieri non videmus. *14. Decimum quartum argumentum.*

Quod verò ajunt, unguenti superstitionem vel ex eo innotescere, quod ab acie, versus tergum illiniendus sit gladius, cum cæsim vulnus illatum est, cum verò punctim, à cuspide ad imum; me non movent, neq;, ut sibi ipsi persuadent. Telum immedicabile torquent. Nam hic nō tam quęrimus, an sanatio naturalis sit, quā an naturalis esse possit. Fateor, cacodęmonē posse huic, ut cęteris, se unguēto immiscere (nā hic sępè sępius nos insontes lędit, *15. Decimum quintum argumentum.*

 impru-

imprudentes fallit, simplices illudit) profiteor tamen, naturam suis tantum viribus hujusmodi miracula facere posse: cum mirabiliora vel æquè mirabilia faciat. Etenim qui renuunt unguentum tanquam naturæ opus, naturam accusant, ut infirmam ad id efficiendum. Præterea exploratum est, unguentum quovis modo adhibeatur vulneri opitulari. Qui verò ajunt, adhibendum id esse certa quadam ratione, ideò ajunt, ut artificium, & ex artificio existimationem medicamento concilient. Sicuti etiam qui præcipiunt certo syderum cœtu elaborandum id esse. nam sive stellarum coitum attendas in componendo medicamento, sive plane negligas, unguentum efficies præstantissimum, cum sympathia præditum efficias.

Dissolvitur argumentum.

16. *Decimum sextum argumentum.*

Irrident præterea nostram crudelitatem, quod antiqui prorsus ac simplices ea credamus, quæ nulla firma ratione comprobari possunt. Probandum, inquiunt, nobis est, unguenti vim esse naturalem. Imò verò minimè probandum aut rationibus aut argumentis. Quid enim argumentis opus est unguento, experimentis comprobato? Nam oculis ipsis videmus sanitatem ab adhibito unguento partam, nullis additis ceremoniis, nullis signis, verbis nullis plane adjunctis, quibus cacodæmonis dolo nos assentiri pollicemur. Imò è contrario Deum imploramus (quem certe omnes implorare atque obtestari debent, qui de orthodoxa fide recte sentientes, unguento usuri sunt: id moneo, id suadeo, id omnes ut faciant, peto quæsoque) ut illius astum longe arceat: ac proinde jure credimus, sanitatem ex ejus vi natam esse. Quod si adversarii à cacodæmone aliquid unguento subdole insitum opinantur, id verè probandum. Nos non plus sapere, quàm oporteat sapere, satagimus.

Ratio adhibendi ung.

17. *Decimum septimum argumentum.*

Instant præterea & urgent Hildani observatione XXV. cent. III. De infelici successu (sic enim inscribit observationem) unguenti sympatici seu armarii, ubi hæc habentur verba: Quam misisti delineationem instrumentii non satis intelligo, ideoq; ut ampliorem declarationem mihi communicare velis, obnixè rogo. Nunc quod tibi communicem nihil singulare habeo, ne tamen plane nudam mitterem epistolam, exemplum de infelici successu unguenti sympathici sive armarii adscribam. Genere & virtute verè nobilis matrona Anna Sidonia Bremserina de Rodesheim nobilissimi ac strenui viri D. Hermanni à Cronberg Lorcensis ad mæni præfecti prudentissimi conjux matrona juvenis & optimo habitu corporis prędita, cum ante mensem feliciter peperisset, nescio quonam infortunio factum quod decima die post partum vulnus aut latus pupillæ sinistræ versus sternum accepit. Vulnus etsi non usque adeo profundum esset, sanguis tamen copiose effluxit à chirurgo restricto sanguine non vulnus sed cultrum, quo inflictum fuerat, curabant & tractabant quotidie, & quidem, ut

Historia.

Ungent. armar. adhibetur.

ut par est, diligenter; cito & ut ita videbatur satis feliciter & fere absque dolore curatum fuit vulnus. Sed quid fit? vix cicrace inducta, obtuto in profundo mammæ oborto dolore, febre cum rigore, lumborum & capitis dolore correpta fuit ægra. Mox intumescit & indurescit mamma maximo cum dolore, non solum mammæ verum etiam nuchæ & scapulæ, adeoque totius istius lateris. Interim advocatur Chirurgus, qui etsi omnem adhiberet diligentiam, symptomata tamen de die in diem magis magisque accreverunt. Tandem decima nona Aprilis, ego quoque accersitus ad eam Oppenheimium perveni & mammam supra modum tumefactam & undique induratam offendi. Dolor maximus & pungitivus febrisque continua aderant. Cicatrix præcedentis vulneris vix apparebat: circa pupillam livida erat cutis, ita tamen mollis, ut fluctuatio puris tactu facilè deprehendi posset, quapropter suasi, ut incideretur vomica. Consensum porro cum dedisset ægra & adstantes, scalpello incurvato atque hic adumbrato, abscessum incidi. Pus copiosè & quidem cum impetu effluxit, hinc dolor mox sedatus fuit: reliqua quoque symptomata, veluti febris, nausea, capitis, nuchæ, & scapulæ dolor, vigiliæ & inquietudines paulatim remiserunt, & subsequens nox prorsus quieta fuit. Ab eo tempore multum puris effluxit, durities quoque paulatim remisit: interim tamen duobus aliis in locis, & quidem prope pupillam, per se exulcerata est mamma: nihilominus tamen omnia ita sese habent, ut sperem ipsam quamprimum pristinam valetudinem recuperaturam. Plura nunc non addo. Hæc Hildanus: ex quibus intelligi posse nonnulli arbitrantur unguenti vanitatem apertumque mendacium. Sed hi profectò videntur mihi eos imitari, qui ubi tritico carent, lolio victitant: nimirum inopes ab argumentis firmisque rationibus nugis armati pugnare cōtendunt. Quis nescit præstantissima quæque medicamenta non rarò esse irita? neque esse in medico semper, relevetur ut æger? Quis nescit alios interdum ex aliis morbis nasci? At curatum fuit per unguentum sympathicum sanatumque mulieris vulnus, vel ipso Hildano teste: & licet natus subinde sit alius morbus, non propterea prior ab unguento non fuit sanatus; imò verò quia præprore forte sanatus, ideò novus pullulavit. Ex quo præstantia potius & vis non mediocris unguenti sympathici præmaturè sanantis, quam ignavia aut vanitas innotescit. Exemplo rem clarius persuadeo: calchantus naribus appositus fluentem sanguinem illico sistat, ex quo phrenitis oriatur, vi sanguinis in cerebrum versa: ergo calchantus iners, & inutile medicamentum ad sanguinem sistendum? Minimè gentium: imò validum ac præstantissimum. Hæc si attendas, plane intelliges, quantas ipse nugas agas Hildani observatione.

A curatione quæ supervenerint.

Hildanus accersitur.

Symptomatum remissio.

Dissolvitur argumentum.

Præstantia unguenti innotescit.

18. *Decimum octavum argumentum.*

Demum fieri non posse nonnulli arbitrantur, ut è pauculo illo unguento, gladio panno veillito, tantæ vires emanare possint, quibus periculo-

 sum

ſum vulnus ſanetur. Cæterum ſcire geſtio ex unguenti hoſtibus, num magnum aliquod ac mole amplum ſit, quod ab exigua licet geminata ſcythæ mulieris, obtutu hominem interficientis, pupilla emittitur. An igitur quia neque animo id, neque cogitatione aſſequi poſſumus, proinde ſuperſtitioſum eſt?

Diſſolvitur argumentum.

An quia (ut hæc etiamſi non ad exiguitatem declarandam, certe ad oſtendendum miraculum obiter adjungam) An quia, inquam, ignoramus vim illam, qua poli, aut ſtellæ, montesve magnetici ad ſeſe magnetem alliciunt, qua magnes ferrum trahit, qua adamas ab attrahendo ferro magnetem prohibet, ad dæmones provocandum? An quia Paraſini terra in Taurorum peninſula omnia vulnera ſanat? An quia ſolſtitialis herba unico ſolſtitiali die naſcatur, adoleſcat, conſeneſcat, & intereat, cæteris omnibus diu viventibus, cacodæmonis opera nata, adulta, confectaque fuit? An quia Selenitis lapis ſolidus ac durus creſcat decreſcatq; creſcente ac decreſcente Luna: Aut quia turcoſia gemma palleſcat eo, qui eam geſtat, languente ac periculo aliquo ei imminente ſuboſcuro colore ſubfundatur: Aut quia laurus, ficus, vitis alba, vituli marini tergus, & hienæ pellis fulmina à ſe arceant, & rerum omnium maximam vim vi propellant, malus dæmon præſto eſt? An quia tympanum è lupi corio raucedine afficiat aliud ex ovina pelle longe diſtans, magia aliqua ſuperſtitioſa ab inferis accerſita eſt? Sed vana ſint horum pleraque nugæ ac ſomnia; quid de remora dicemus? Inculcanda ſæpius res eſt, mirificiſſima omnium virtute prædita: quæ ſane tanta eſt, ut Ruant venti licet, ſæviant procellæ, furori tamen imperet, viresq; tantas compeſcat & cogat ſtare navigia, quod non ulla poſſunt vincula, non anchoræ vir revocabili pondere jactæ.

Varia naturæ miracula.

Quæro quid ex parvo hoc piſciculo ſeſe emittit, quod impetum navis ferociamq; comprimat? Quid ex alio Indico, quod, ut ſupra commemoravimus, incitatum navigium non modo ſuſtinet ac ſiſtit, ſed irrito ventorum impetu impulſuq; remorum retro inhibet? ſane unusquisq; miraculo hæret mirabundus potius, quam rem enodaturus.

Jam verò cum nulla neque ratio, neq; experientia nobis perſuadeat, unguentum à dæmone mutuatum eſſe vires: cumq; & natura & ars unguento aut magis aut æquè mirabilia vulgo & paſſim efficiant, non eſt, cur inertes & ignavi rudesq; philoſophi ad cacodæmonem provocemus. Quare unguentum armarium, ex eorum genere eſſe mihi videtur, quæ fieri poſſunt, quæq; poſſibilia vulgo appellantur: idque iis rationibus, quæ ſunt à me ſupra commemoratæ. Quod ſi infirmæ revera illæ ſint, infirmam quoque meam eſſe conjecturam atque opinionem ultro fateor & apertè profiteor. Imò verò veteri more teſtatum eſſe volo,

QUÆ. SANCTISSIMI. VIRI. CHRISTIANI. FIRMA. RATAQUE. SANXERUNT. EA. SOLUM. IN. NOSTRA. DISSERTATIONE. FIRMA. RATAQUE. SUNTO.

ATHA.

ATHANASII KIRCHERI.

Fuldensis Buchonii, E. SOC. JESU, MATHEMATUM in Collegio Romano, ejusdem Societatis Professoris Ordinarii

SENTENTIA, De UNGUENTO ARMARIO:

ex libro III. ejusdem de ARTE MAGNETICA, desumpta.

PRodiit non ita pridem, è stygia, ut equidem reor, officina, unguentum quoddam, quod ab actione, quâ in distans vulneratos sanare creditur, Magneticum dicicitur; Armarium verò, quod armis inungi soleat.

Conficitur ex variis speciebus, quas consultò subticere visum est, cum mumia sive parte hominis strangulati, aut alio violentæ mortis genere peremti: Lunâ crescente & in bona domo, & in signo, ne quid superstitionis desit, humanæ figuræ existente. *Confectio Unguenti Magnetici.*

Hoc unguento sic rite præparato, gladium, pugionem, clavum, vel quodcunque alterum telum, quo vulnus inflictum fuit, inungunt, telumque illud, fasciis circumligatum, diligentiâ magnâ, non secus, ac si corporis vulnerati membrum foret, fovent. Quo pacto vulnus confestim ad quantamlibet distantiam, spatiumque indeterminatum, se sanare posse jactitant, virtute quadam, aut efficientiâ Magneticâ, attractione & diductione, vectore spiritu, qui, tanquam medium vinculum, primò ex definitis & propriis constellationibus, sympathiam & copulam, seu convenientiam inducit, ex qua deinceps vis sanativa in telum medicatum derivatur: ex hoc enim postea egreditur, ac ad partem usque vulneratam continuatur, traducitur, ac tandem actionem istius virtutis sequitur effectus.

Præter alios verò hujus Telungii sive hoplochrismatis patrocinium suscipit autor Philosophiæ Mosaicæ, quod volumen quidem totum, in ordine ad hunc effectum unguenti Magnetici demonstrandum, composuisse videtur. Verum è fundamentis, è quibus hujus unguenti veritatem astruere nititur, facilè quid de eo sentiendum sit, colligi poterit.

Primò

Autor Philosophiæ Mosaicæ. Primò enim ſupponit antedictus autor, nullum effectum, in rebus eluceſcentem, à naturali agente procedere, ſed centraliſſimum illum Divinitatis Spiritum, illud 1. Gen. in principio aquas incubantem, omnia in omnibus operantem, res omnes & ſingulas animare, & ad agendum emanatione quadam ineffabili, ſolâ voluntate ſuâ efficaciſſimâ ad amorem, voluntate verò ad odium, per miniſtros Angelos incitare. Creaturas autem tantum organa quædam eſſe, per quæ & in quibus Dei virtus, juxta beneplacitum ſuum, miniſtris Spiritibus operetur ad extra.

Altera ſententia Authoris Moſaici.

Ita aſſerit omnes meteorologicos effectus, non elementorum colluctantium, ſed immediata Dei opera eſſe, per Angelos producta. Ita ventum definiens, nihil aliud eſſe dicit, quàm aërem, Spiritu Dei, mediante Angelo, vel ad bonum, vel ad malum, animatum agitatumq;. Tonitru verò ipſam Dei vocem eſſe, ad terrendum peccatores inſtitutam, & dum plus æquo pius in Deum eſſe vult, impius & blasphemus deprehenditur. Porrò hunc Spiritum Dei omnibus rebus ineſſe, & ex ſtellis primùm in ultimum infimumque mundi theatrum derivari ibique omnia mineralis, vegetabilis & animalis naturæ ſemina animare.

Cum igitur Spiritus iſte ſit incorruptibilis, æternus, infinitus, nullum quoque actionum ſuarum terminum habebit. Ex quo audacter concludit, nullum conſequenter rebus naturalibus eſſe ad agendum determinatum virtutibus orbem: ſed hoc ſpiritu animatas in quodvis ſpatium indeterminatè agere. Atque hæc ſunt Philoſophiæ Moſaicæ fundamenta.

Inferuntur multa abſurda, ex ſententia, quæ dicit, Deum immediatam rerum omnium cauſam. Ex quibus primò ſequitur, nullas ineſſe proprias rebus naturalibus virtutes, & conſequenter nullam Philoſophiam, cum dato quocunque mirabili effectu, ſtatim ſine ulteriori inquiſitione in promptu cauſa ſit: Deus nimirum ita vult; Spiritus, ubi vult, ſpirat; ita ſapienter ordinavit æternum Dei Verbum. Quæ præterquam quod abſurda ſint, communi quoque omnium Philoſophorum, Theologorumq; opinioni repugnant: cum æterna Dei Sapientia ſingulas res creatas, ſuis particularibus viribus, ſeu dotibus quibusdam, cum ut ſingulæ in finem ſuum operentur, tum ne natura otioſa & ſine fructu inſtituta eſſe videatur, imbuerit.

Sequeretur ſecundò, Deum omnium malorum cauſam eſſe, cum Velle & Nolle meum non ſit meum, ſed Dei Voluntas & Noluntas in me operans, potentiis organorum loco ſolùm inſervientibus: quod impium blaſphemumque eſſet aſſerere.

Sequeretur tertiò, vires rerum naturalium non eſſe res ſubjectis concreatas, ſed ipſum Dei Spiritum eſſe eas animantem, atque ad odia & inimicitias incitantem. Ita dum ferrum trahit Magnes, non ea actio Magnetis ſit, ſed Spiritus Dei, centraliter in Magnete incluſi tractio. Et ut iterum ad rem noſtram veniamus, ita Spiritus Dei in Mumia boreali (ſic enim

nim Autor loquitur) hoc est in parte hominis strangulati magnetificata inclusus, defert vim Unguenti in mumiam Australem, id est in carnem hominis vulnerati.

Ineptè, insulsè, ψευδῶς & ἀλόγως; quod ita ostendo. Vel enim Vector ille spiritus erit Anima, aut Angelus, vel Deus: non Anima; quia illa extra corpus nullum effectum materialem producere possit: quod si Angelus aut Deus; certè curatio illa naturalis minimè dici potest, sed miraculosa & ὑπερφυσική. *Confutatio Sententiæ.*

Verùm si concedat, uti concedere debet, naturalem esse hanc actionem; iterum ex eo quæro: Utrum hoc Unguentum in spatium determinatum, sive indeterminatum agat? Non prius, cum extra id nihil ageret: quod est contra hujusmodi Hoplochristas, seu telungarios: volunt enim illi hoc Unguentum in quavis à patiente distantia effectum suum sortiri: in quodvis igitur, secundùm ipsos, spatium aget. Contra quod ita concludo: Omnium agentium creatorum activa vis certis limitibus ac terminis est circumscripta, quibus eorum vis agendiq; potestas quasi coërcetur: ita ut extra hos vires suas extendere naturaliter nullâ ratione possit: necessariò igitur passum intra sphæram agentis, ut effectum suum consequi possit, constitui debet. Quæ ita certa sunt, & consentanea naturalibus principiis, ut, qui ea negaverit, temerarius, ne dicam insanus æstimari debeat: cum indeterminatæ actionis sphærâ concessâ, præterquam quod omnium rerum naturalium sphæras activitate æquales, etiam progressum in infinitum, quo nihil Philosophiæ magis repugnat, asserere cogamur.

Sequeretur etiam ex hac infinita Sphærarum activitate, mundum necessariò dissolutum iri, cum nemo nostrum, hic Romæ, juxta enormis hujus Philosophiæ principia, à basilicis Libycis, dypsadibusq; Ægyptiacis, draconibus Africanis, eorumque virulento flatu, seu vi venenifera indeterminata, nemo à contagiosa qualitate pestiferorum, in Germania, Gallia aut Anglia, alicubi existentium, securus esse posset, utpote sphærâ hujus effluxus indeterminatâ. Uremur igitur hic ab incendio Ætneo, à Napelli alpini effluvio vertigines patiemur, ab exhalationibus lethiferis speluncæ Letheæ periclitabimur. *Absurda ex dicta Sententia.*

Quæ omnia ridicula, indigna, ἑτερόδοξα, divinæ humanæque Philosophiæ contraria sunt. Nisi dicamus forsan in gratiam & favorem hujusmodi Telungiariorum, præ cæteris omnibus rebus naturalibus hoc unicum privilegium à natura Unguentum hoc magneticum, ut videlicet in distans agat sine termino, accepisse, à communi agendi ratione, rebus naturalibus consueta, exemptum. Rem acu tetigisse video. Ita enim ipsi judicant, ita credunt, in hoc sibi plaudunt. Sed apage cum istis nugamentis!

Argumenta. Porrò iterum dicent, hanc vim à Spiritu divino primo cœlis & astris, & hinc eam deinde derivari in astra terrestria. Contra, vel enim hæc vis sanativa ab astris producitur in Unguento, vel extra: si hoc, ergo vulnus jam non sanabitur ab unguento, sed alio. Si prius, jam iterum, quæro, quidnam vim istam determinet, ut in telum potiùs, quàm in patientem agat? Quis enim hujus Spiritus, sive Australis sanativæ ad lignum, ferrum, ensem, ad quæ nullam proportionem, & necessariam dependentiam habet, consensus esse possit, non dispicio. Non igitur in unguentum, quod sanationis incapax est, sed in carnem meritò vis illa sanativa cœlestis traduci meretur.

Iterum hic Spiritus, qui qualitatis rectorem agit, vel est substantia vel accidens. Non accidens, siquidem rerum naturalium virtutes negat Mosaicus Philosophus, omnesque effectus immediata Dei opera asserit: Ergo vis ista necessariò substantia est, videlicet Spiritus iste divinus rebus singulis centraliter inclusus, solâ voluntate suâ omnia causans: & si hoc; vel actio eiusdem erit naturalis, vel non: Non prius; cum omnis effectus sanationis immediatè & proximè à Deo vel Angelo causatus, miraculosus potiùs dicendus sit, quàm Physicus: ergo Unguentum illud non physicè in distantem sed miraculosè agere, asserere cogetur, omniaq; consequenter naturæ opera miraculosa. Quod si ei durior, absurdiorque hæc sententia videatur; naturalem ergo dicet. Si ita: ergo non jam immediatè à Deo; se mediante vi ab autore naturæ, singulis rebus insita, & sub certa eaque definita sphæra, uniformiter difformiter agendo operabitur. Vide igitur, quàm hujusmodi sententia sibi in omnibus contradicat.

Sed instabit iterum: hanc Sphæram activitatis nobis insensibilem esse. Sed quis hoc Mosaico huic Philosopho revelavit? Aut si insensibilis sit; ubi aget, quid aget, in quo aget, vis ista in sphæra insensibili? Aut quomodo alterum sensibiliter alterare poterit, cum omnium rerum naturalium effectus in tantum nobis sensibilis sit, in quantum sensibus est perceptibilis: neque enim, Philosopho teste, quicquam in Intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Quomodo ergo insensibilis esse potest, si sensibilis sit, id est, sensibilem effectum pariat; aut quomodo sensibilis, si insensibilis, id est, eundem insensibiliter producat: implicant enim hæc. Frustra igitur ea fingit, quæ cum natura minimè consistere possunt.

Tertiò quæro: Vel Telum illud sanationis efficiens causa est, vel conditio sine qua non. Non prius; sic enim vulnus, non unguentum, sed telum, ob similitudinem quandam & familiaritatem sanaret. Sed sive vulnus respicias, sive ferrum, quæ sympathia aut familiaritas inter ipsa intercedere possit, non video. Vel enim illa oriretur ex ipsa substantia vel natura rei: at telum, quo quis vulnerari potest, non est semper ejusdem

naturæ

naturæ aut ſubſtantiæ: modò enim ferreum, modò æneum, ſubinde ligneum, aut etiam lapideum eſſe ſolet. Quibus conſenſum ad carnem tribuere, ridiculum, ne dicam, ſtolidum eſſet aſſerere. Neque eſt conditio ſine qua non: vel enim diſpoſitivè tantum, vel etiam activè concurret ad excitandam virtutem unguenti, ut deinde vectore ſpiritu traduci poſſit: Sed nihil horum in telo concipi poteſt; neque enim eſſe poteſt virtus telo propria: nam hujusmodi telum, licet ex quavis materia fiat, nihilominus effectum ſuum, juxta illum obtinebit: neque ferri qualitas eſſe poteſt, cum ferrum aliud nihil faciat, ſed ſolum illud, quod vulnus facit.

Concludimus ergo, hanc Curationem fallacem, ſuſpectam & minimè naturalem, à nigro illo vectore ſpiritu, omnis mendacii patre, profectam. Quod luce clarius, cùm ingredientia, qualia ſunt cranium hominis violentâ morte peremti, ſanguisq; humanus, vel ſimile quiddam ex humano corpore; hujusmodi in execrandis Lamiarum Strigumque conventibus, dæmonem adhibere ſolere notius eſt, quàm dici debeat: tum ſuperſtitioſi ritus, quibus unguentum ſpiculo applicare ſolent, ſatis teſtantur. Quid enim juvat illud illinimentum ab apice manubrium, & non à manubrio apicem verſus pugioni inunxiſſe, cum accidentia non mutent eſſentiam rei, & naturalis cauſa ſemper agat uniformiter. Sive enim ignis antè, ſive retro, ſive ſupra, ſive ad dextram, ſive ad ſiniſtram applicetur, ſemper uret. Ita Magnes, ſive diu, ſive noctu, ſive frigido, ſive calido, ſive ſupra ſive infra, ferro applicetur, quò minùs id trahat, impediri non poterit.

Unguentũ armarium non naturaliter agit.

Superſtitioſa circumſtantia.

Sed dicet: Spiritus ſanguineus ferro communicatur per unguentum excitatus, ſpiritusque in mumia Auſtrali, ſive homine vulnerato, allicit magneticè. Quid tum? ſi allicit magneticè; ergo vel ſanguinem ſibi ſimilem, vel aliquid aliud ex vulnere per medium ad ſe attrahet? quod hactenus inauditum eſt: vel ſalutiferâ ſuâ vi cutem conſtringendo, conglutinabit diſſolutum continuum: Sed nec ita magnetica erit actio. Fruſtra igitur in Magnetis virtutibus unguento ſuo applicandis otioſè & inutiliter occupatur.

Non agit magneticè.

Sed iterum dicet: Experientiam docere, hoc unguento adhibito, dictum ſanationis effectum plerumque conſequi. Eſto; at ex hoc minimè ſequitur, ab unguento in patientem quantumvis diſtantem agente, hunc ſanationis effectum provenire. Quod ut luculenter deducam; dico, hunc effectum dupliciter fieri poſſe: vel ex pacto cum dæmone inito, ut pleraque ejus generis. Etſi enim multi proteſtentur, pactum ſe expreſſum cum dæmone non habere; ſi illo utantur, habere tamen implicitum poſſunt. Quod bene fieri dicitur à Theologis, quando quis ſciens, aut vincibiliter ignorans, iis rebus utitur, quorum uſu cum aliorum pacto cacodæmon

Quid ſit pactum implicitum cum dæmone.

dæmon officii ſui commonefactus, mirabilem ejusmodi effectum producit: quo pacto implicari dicunt ignarum. Vel etiam naturaliter ſanari poſſe, ſine ulla unguenti Armarii applicatione, ſola mundificatione, vel patientis urina, quâ vulnus patientis ſingulis diebus eluendum præcipiunt, vel Symphyti pulveribus, quos inſpergere ſolent. Neſcio enim quid mirum in conſolandis vulneribus habeat mundificatio. Videmus enim canes & urſos nullo unguento vel emplaſtro, graves ictus, & vulnera proprii corporis, ſed ſolo linctu ſanare, quod non tam linctui, quàm munditiei per crebrum linctum procuratæ adſcribendum putamus, juxta illud Hippocratis dictum: τὰς φύσεις τῶν νόσων ἰατρικὰς εἶναι.

Sunt igitur emplaſtra & unguenta non perſe, ſed per accidens ſanantia, utpote ſanationis & conſolationis impedimenta reſcindentia. Ita multi per munditiem remoto pure, quod ſinus & locellos ſibi generare tentaverat perſanati ſunt. Repurga quotidie vulnus, & ſiccatum id ab externis, ut magneticè ſanandis præcipitur, injuriis defende, absque emplaſtro, & ſatis commodè ſanaberis.

Vel certè, ſi nihil horum ſe adhibere clament, nulli alteri, niſi ſtygio illi medico, à quo Paſſavici hujusmodi, & Roſeæ crucis fratres, quotidie ſimilia, exitioſa, & Satanica medicamenta arte rogo multandâ extorquent, quibus dum corpora ſanare præſumunt, animas perdunt, adſcribendum duxerim.

Pſeudomagnetica medicamenta quæ?

Hujus generis ſunt Pſeudomagnetica illa medicamenta, è dæmonis ſchola veriùs, quàm ex naturæ phrontiſterio deducta. Ita podagram ſanaturi, laborantis pilos & ungues pedum & tibiarum reſecta, foramini quercus ad meditullium usque inciſo indunt, clauſumque foramen ſtercore undique vaccino perlinunt. Si itaque podagra in trium menſium ſpatio non revertatur, quercum putant ſufficientem ad morbum more magnetico ſe attrahendum: at ſi revertatur, ſignum eſt, quercum non habere ſufficientem vim magnetis; quare ad alias curas convertuntur prorſus ſtolidas, & homine rationali indignas.

Pari ratione Icterum ſanare ſe credunt, ex urina patientis cineribus fraxini ſubacta placentulas efformant, in quarum ſingulis foramen faciunt, cui urinam cum pauxillo croci infundunt, & ſic tuto loco, donec conſumatur, aut etiam igni evaporandam exponunt, & cum eo Icterum quoque conſumi volunt.

Pleuritide laborantes, lanionum cultro è carnificina immerſo potui infirmo præſcripto, ſanare poſſe ſibi perſuadent. Spaſmum inhibere annulos è ferro, ſeu catena ſuſpenſorum; copioſam hæmorragiam, ſceptri judicis ſupra necem reorum ſententiam ferentis fruſto in manu detento, ſiſti; & innumera alia indigna, quæ quotidie ſub ſpecioſo curationum

magne-

magneticarum nomine palliata prodeunt, libris rogo multandis, à quorum lectione omnes ſibi cavere velim.

Qui plura de hoc denique unguento deſiderat, conſulat Joannem Roberti, Laurentium Forerum, & eruditiſſimum Syntagma de ſtudio militari Gabrielis Naudæi, qui doctiſſimè dictas nugas libris ſuis refutârunt.

JO. MATTHÆI Med. D. & Profeſs. Herborn.

Enodatio

QUÆSTIONIS. An armorum Unguentum, ad curanda vulnera, nec viſa nec tractata aliquid conferat;

Tres ſunt omnino modi, quibus omnium morborum curatio naturaliter perficitur, diæta nimirum ſeu legitima victus ratio, pharmacia & chirurgia, ut docet Gal. com. 1. de vict. ac Tex. 6.

DIætam quod attinet, quanquam in Germania noſtra locum rariſſimè inveniat, cùm vel nemo ciborum modum & ordinem ſibi præſcribi patiatur, vel cura iſta non ad Medicos, ſed culinarios communiter rejiciatur: Hippocrates tamen hanc curationis partem tanti fecit, ut librum unum de ſalubri diæta, tres alios de victus ratione rectè inſtituenda, & alium de victu in morbis acutis obſervando ſcripſerit, quos Gal. ſuis quoque commentariis illuſtravit, & rei iſtius utilitatem cum neceſſitate conjunctam, luculenter demonſtravit, ut quandoque affirmare non dubitârit, omnem curationem fruſtrà inſtitui, in qua bona & accurata victus ratio non obſervetur.

Pharmaciam verò quod attinet, quanquam illius adminiſtratio ad rationales & peritos Medicos utplurimum devolvatur; Chirurgia quoq; à vetuſtiſſimo illo Podalyrio ejusque fratre Machaone, Æſculapii filiis, magnâ dexteritate & induſtriâ inventâ, in Gallia, Italia, & Hiſpania à peritiſſimis chirurgiæ doctoribus excolatur, neſcio tamen quo errore in Germania noſtra ad homines Medicinæ rerùmque naturalium imperitiſſimos communiter, & quaſi ex Magiſtratus decreto devolvatur. Hinc mirum non eſt, hanc Medicinæ partem ex mera inſcitia, partim in crudelitatem

intolerandam; partim etiam in superstitionem Christiano homine indignam, sæpissimè converti. Omissis autem infinitis exemplis, quæ in testimonium adduci possent, novam duntaxat, ineptam & superstitiosam vulnerum curationem per quoddam unguentum armorum, quod vocant, miris laudibus commendatam, in nullius hominis odium, contemptum & invidiam, sed solius veritatis, veræq; philosophiæ & antiquæ Medicinæ patronium paulò accuratiùs examinemus. Cæterùm de superstitiosa vulnerum curatione nihil dicere possumus, nisi quid vulnus sit priùs sciamus, & quomodo per proprias indicationes à rationalibus & methodicis hactenus vulnerum curatio instituta & feliciter finita fuerit, cognoscamus. Est autem vulnus nihil aliud quàm continui solutio, ab instrumento aliquo extrinsecus illato corporique inflicto, ut docet Galen. lib. 3. meth. cap. 1. & in libro de causis morb. cap. ult. Sunt autem non unius modi, sed in multiplici differentia. Potiores tamen differentiæ à quatuor potissimùm fontibus desumuntur, à loco nimirum affecto, à natura affectus, id est, vulnere in se & secundùm propriam naturam considerato: Tertiò ab iis quæ vulneribus adjunguntur; Quartò à tempore durationis.

Ratione loci aliud vulnus est in sola cute, aliud in cute & subjecta carne simul.

A natura vulneris, utpote à figura, magnitudine, æqualitate & inæqualitate.

Ratione figuræ, alia vulnera sunt recta, alia obliqua, alia transversa, alia pampini modo retorta.

Ratione magnitudinis alia sunt parva, alia magna, alia longa, alia superficialia, alia profunda.

Profundorum porrò alia cum læsione internorum viscerum, alia sine læsione illorum.

Ratione æqualitatis & inæqualitatis, alia in totum sunt aperta, alia partim aperta, partim verò sub cute latentia.

A rebus præter naturam accedentibus, alia adjunctum habent tumorem, inflammationem, gangrænam, venenum, alia nihil horum.

Alia item conjuncta sunt cum suis causis, utpote cum globulis plumbeis, mucrone gladii, teli, ligni. Alia causam adjunctam non habent. Alia item habent dolorem, alia nullum.

Ratione temporis alia sunt recentia, alia antiqua.

Tot

Tot ſunt ipſorum vulnerum differentiæ ; quibus ſi cauſarum differentias adjecerimus, haud ferè pauciores inveniemus. In genere verò vulnerum cauſæ ſunt omnia externa inſtrumenta ad ſolvendam continuitatem apta, ut inquit Gal. de cauſis morb. cap. ult. quæ nimirum pungendo, incidendo, rumpendo, contundendo, erodendo & perforando lædunt, cujusmodi ſunt acus, ſagitta, gladius, culter, morſus item animalium, eorumque vel venenatorum vel non venenatorum.

Cùm igitur tot ſint vulnerum differentiæ, tam variæ illorum cauſæ, quis quæſo ſanæ mentis non agnoſcit, unum & idem medicamentum naturaliter etiam vulneri adhibitum & decenter admotum, ne quid dicam de medicamentis ſatis ineptè excogitatis invicemque confuſis, vulneribus longiſſimè & ad duodecim milliaria (uti nonnulli temerè & procaciter loqui non erubeſcunt) remotis, ſoloque inſtrumento vel telo inuncto, indifferenter curandis, minimè ſufficere? diverſa enim vulnera diverſas oſtendunt curandi indicationes. Primùm, quod vulnus ſimplex attinet in externa cute conſiſtens, ſine inflammatione, ſine larga ſanguinis profuſione aliisque gravioribus accidentibus, ſuâ ſponte ſine ulla medicina curatur. Si teſtem deſideras, ecce Aëtium lib. 4. ſerm. 2. cap. 26. Parva inquit & ſuperficiaria vulnera ſolius naturæ beneficio, nullius medicamenti ope percurantur. Quod ipſum ſi de gravioribus quoque vulneribus affirmavero, rem fortaſſis novam multisque inauditam, veram tamen nec à ratione vel experientia alienam, mecum teſtabuntur præſtantiſſimi quique chirurgi.

Libavius auctor eſt, arcularii cujusdam filium minimum digitum acutiſſimo cultro ultra medietatem abſcidiſſe, cumque omni auxilio deſtitutus eſſet, digitum ad cohibendum ſanguinem promanantem in ollam glutine fabrorum refertam conjeciſſe, unde perfecte ſine ulla alia medicina curatus fuit. Qui plura exempla & caſus plane ſtupendos cognoſcere cupit, is obſervationes Gravenſpergii inſpiciat. Quin imò nemo ruſticorum ignorat, crura gallorum, aliorumque animalium confracta, nullius medicamenti interventu coaleſcere, ſi modò dextrè priùs in locum naturalem repoſita fuerint. Quid ergò obſtat quò minùs in vulneribus carnoſarum partium, ex ſua natura faciliùs coaleſcentium, idem fieri poſſit? conſideremus quæſo caſtrationem animalium, ſexus potiſſimùm fœminini, annon cutis, panniculus carnoſus partes muſculoſæ ad inteſtina usque & interna viſcera diſſecantur, an non inteſtina volvuntur & revolvuntur, donec extractum ſit, quod extrahendum quæritur. Poſt inciſionem iſtã quid? labia vulneris beneficio futuræ ad mutuum

con-

contactum deducuntur, quandoque nihil, interdum tantillum adipis inungitur, & sic dimittuntur, vulneribus citra ullam aliam medicationem paucorum dierum spatio coalescentibus. Quis tam cœcus, qui canes venaticos, aprorum ictibus graviter sauciatos, absque ulla medicina sanatos non vidit? Si hominum alicui talia inflicta fuerint vulnera, in quibus sola intestina in conspectum veniant, bone DEUS, quantâ anxietate, olea, unguenta, emplastra, fomenta & potiones vulnerariæ administrarentur: Vel quantâ superstitione telum inungeretur, vel lardo infigeretur, cum tamen sola natura curationi perficiendæ sufficiat. Interim haud negaverim, vulgarem vulnerum curationem, ad devitandos vel certe minuendos dolores, omnemque cicatricum deformitatem præcavendam plurimum prodesse.

Quòd si verò vulnera ampliora fuerint, vel profundiora, vel æger citò, blandè, sine dolore, aliisque accidentibus deterioribus percurari velit, necessum est ut diversis indicationibus & scopis, à veteribus & recentioribus Medicis, Græcis, Arabibus & Latinis, Hippocrate nimirum, Galeno, Avicennâ, Aëtio, Oribasio, Æginetâ, Celso, Vigone, Arantia, Aquapendente, Fuchsio, Fallopio, & infinitis aliis, magno ingenii acumine nobis relictis ordine satisfaciamus.

Est autem prima indicatio, ut sanguis ex vulnere copiosè profluens, sistatur. Secunda, ut inflammatio arceatur. Tertia, ut labia vulneris ad mutuum contactum deducantur. Quarta, ut malignitas vel venenum, si quod vulneri simul illatum, extrahatur. Quinta, ut pus bonum, molle, læve, album, & æquale generetur. Sexta, ut caro per putredinem ablata restituatur. Septima, ut cicatrix minimè deformis obducatur. Et sane primam indicationem quod attinet, quam Hipp. suo more quàm brevissimè lib. 6. Epid. sect. 5. text. 11. & Gall. in lib. de occul. perstringit, nemo non agnoscit, ante omnia alia opera, sanguinem impetuosè promanantem sistendum esse. Sin minùs, tum nec labia vulneris ad mutuum contactum adduci, nec aliæ intentiones compleri possunt. Oribasius igitur ad sistendum sanguinem, germina quercus, terram Lemniam; Aëtius anagallidem & folia cysti: Celsus pastillos ex galla, alumine & malo punico confectos commendat. Recentiores verò, Vigo, Fallopius, Fuchsius & plures alii, ovi albumen probè subactum & conquassatum, stupâ cannabinâ exceptum vulneribus imponunt, & sic sanguinem reprimunt.

Secundæ indicationi, quæ in arcenda inflammatione consistit, necessariò quoque satisfaciendum: cùm enim ad omne vulnus, ratione doloris per vulnus excitati, copiosus sanguis ad partem sauciatam & dolentem cõfluat, unde non solùm labia vulneris, sed partes etiam proximæ valde intumescunt, & difficilem aliorum medicamentorũ administrationẽ vulnerisq; tracta-

tractationem pariunt;necessum omnino erit,ut maturè inflammationem vel præveniamus vel jam factam statim repellamus. Huic autem scopo satisfit per refrigerantia & astringentia, extrinsecus vulneri imposita, cujusmodi sunt ung. Cerussæ linimentum de lap. calam. de Bolo arm. terrâ sigillatâ, plantagine, pentaphyllo & similibus aliis.

Tertia indicatio, de urendis vulnerum labiis usque adeò necessariam requirit satisfactionem, ut sine ea, nec ullum vulnus ex gravioribus curari, nec extrema quæque pericula supervenientia devitari possint. Quàm verò huic indicationi per unguentum armorum nullo modo satisfieri possit, ipsi unguentarii, nisi deposito omni pudore manifestæ veritati vim facere velint, fateri coguntur. Imò nulla medicina in hanc usque diem fuit inventa, quæ huic scopo satisfacere possit, multò minùs nugacissimum unguentum omnibus scopis satisfaciet. Solæ industriæ manus hic requiruntur, quæ beneficio suturarum vel fibularum etiam vulneris labia ab invicem distracta, ad mutuum & naturalem contactum decenter adducant, nisi præter deformen hiatum, consolidationem etiam vulneris in longum, non sine plurimis periculosis accidentibus, extrahere velis. Hic verò nostrorum chirurgorum crudelitatem intactam relinquere non possum, quia fflictos misereque sauciatos sæpissimè sine ulla necessitate haud tamen sine magno novoque dolore inflammatione sanguinisque profusione consuunt, cùm tamen emplastra ex rebus cuti tenacissimè adhærentibus parata, juxta vulneris labia posita, cutis vicem sustinere & suturam excipere, & sic ad mutuum contactum sine ullo dolore contrahere possint. Est enim præclara Hip. lib. de vict. ac sententia, dandam esse operam, ut omnis medicatio citra dolorem administretur.

Quòd si autem teli vel ferri particula vulneri inhæsit, nec manibus aliisque instrumentis extrahi possit, danda erit opera, ut successu temporis, mediante suppuratione, minori cum molestia & doloris sensu blandè educatur.

Nec minus solicitè & solerter circumspiciendum & considerandum, an aliquid veneni cum telo vel spiculo simul vulneri sit illatum, ut illud ipsum quoque arte extrahatur. De educendo telo, nonnulli à Virgilio decepti in vanam devenerunt persuasionem. Dictamum in Ida monte decerptum, vulneribus impositum, citra dolorem omnis generis spicula educere. Alii non minori conatu irrito, emplastra ex magnete vulneribus inducunt, sperantes, ferrum sic extrahi posse. Alii adipem leporinum occultâ proprietate id posse pueriliter somniant. Cùm tamen, nisi manuum aliorumque instrumentorum operâ id fiat, suppurationis potiùs tempus expectandum sit, quàm telum variè agitando & intorquendo majorem dolorem & inflammationis metum concitare.

Ad promovendum igitur pus bonum medicamenta, Græcis ἐκπυη-τικὰ dicta, usurpanda erunt, quæ humores & quicquid ad partem vulneratam præter naturam affluxit, in pus bonum convertant. Hæc verò secundùm Fernelium in duplici sunt differentia. Alia enim per se & propriâ suâ virtute insiti nostri caloris vim tuentur, proinde temperatè calida, nec naturæ partis, cui foris adhærent, dissimilia sint necesse est, ut illum ipsum quoque humorem qui corruptus est, & à natura sua descivit, calore suo illustrare & ad bonam suppurationem deducere possint. Alia ex accidenti pus movent, suntque ferè emplastica; quæ dum cutis spiracula infarciunt & obstruunt, spirirum & calorem nativum intra partem affectam cohibent, nec distare sinunt; unde necessariò partis calor, qui afflictus erat, resuscitatur, humor corruptus mitigatur, concoquitur, & in pus bonum convertitur. Suppurantia igitur medicamenta cùm temperatè calida & humida sint, apparet, illa admodum contraria esse iis, quibus priores indicationes implentur, quippe quæ frigida sunt & sicca. Ex suppurantium igitur numero sunt, adeps vitulinus, porcinus, leporinus, humanus, sanguis columbinus, crocus, althea, liliorum alborum radices, farina hordei tritici, &c.

Venenum porrò vulneri illatum, nisi suctu hominis alicujus, pretio ad id conducti, extrahatur & subinde exspuatur, vel per podicem galli deplumatum vulnerique impositum rostro illius per intervalla leviter compressô, evocari possit, impendenda erit omnis opera, nisi funestum ægri interitum expectare velimus, ut antidotis & alexipharmacis quàm maximè propriis, veneni pernities in vulneribus enervetur & exstinguatur.

Quòd si carnosa aliqua particula vulneris per putredinem ablata fuerit, regeneranda erit, quanquam autem hoc proprium naturæ opus sit; quodcunque tamen medicamentum ulcus vel vulnus moderatè siccat, ejusque sordes blandè & citra morsum deterget; quoniam sanguinem, qui gignendæ carnis est materia, tuetur, & impedimenta omnia subtrahit, vulnusque purum conservat, sarcoticum & carnem regenerans dicitur. Tale medicamentum substantiam habet mediocrem, qualitatem verò moderatè calidam & siccam, ut sunt orobum, thus, manna thuris, sarco colla, aloë lota, myrrha & similia. Decentem denique vulneribus cicatricem inducunt ea medicamenta, quæ vehementiùs exsiccant, & cicatricem cuti simillimam cogunt.

Crassiorem quoque hæc medicamenta substantiam habent, ut carnem fortiùs constringant, contrahant & condensent, qualia sunt, quæ nullum calorem sed frigus quoddam participant, ut sunt: Lithargirus, balaustium, myrtus, lapis calaminaris, scoria ferri, plumbum ustum, vitriolum, squam-

squamma æris, & similia, quorum tamen posteriora quandoque abluenda, ut acrimoniam nimiam, si opus sit, deponant.

Habes succinctum curandi vulnera modum rationalibus medicis usitatum, & felici successu per tot secula comprobatum: Accipe nunc novam curandi viam, quam non solùm agyrtæ, vespillones & fex populi, sed quam philosophorum etiam non pauci, contra omnem tamen rationem in philosophia fundatam, superstitiosè recipiunt, commendant acriterque propugnant.

Telum igitur seu instrumentum, vel si id haberi nequit, lignum aliquod, vel quicquid sit, quod vulneri aptari & immitti vel ad minimum sanguine hominis vulnerati commaculari possit, unguento quodam, adhibitis fucatis ceremoniis, ut majorem fidem res mereatur, illinunt, & linteis fasciis ligant, in loco neque nimis calido, neque frigido sed temperato asservant & custodiunt: alii etiam in cista illud concludendum, alii suspendendum esse volunt, si minùs acrem dolorem vulneratis inferri credunt. Unguentum illud licet à diversis autoribus diversimodè paretur, sequentes tamen descriptiones sunt usitatissimæ.

℞. Lardi de apro ad ignem liquefacti, & supra aquam frigidam fusi quantum sufficit, pul. lumbricorum terrestrium in furno crematorum & pulverisatorum, lapidis hæmatitis, santali rubei, usneæ de cranio hominis an q.s. misc. ad ignem. Hæc descriptio autorem habet Coloniensem. Baptista Porta, ex Paracelso, ut putatur, hanc ponit descriptionem.

℞. Usneæ concretæ in calvaria hominis laqueo extincti ℥ ij. mumiæ sanguinis humani. ℥ ij. ping. hum. ℥ ij. ol. lin. Terebinth. Bol. arm. an ʒ ij. fiat mixtura in mortario, & servetur ad usum. Usus verò hujus unguenti talis est. Quòd si vulnus punctim fuerit inflictum, inunctio quoque (superstitiosas cæremonias nota) à mucrone sursum versus capulum duci & eo usque extendi debet, quousque intra corpus fuit infixum, vel si id ignoretur, ad capulum usque. Sin cæsim vulnus fuerit inflixum tunc ab acie ducenda est inunctio versus tergum gladii vel cultri. Huic inunctioni ligaturam addunt non minus superstitiosam, ligant enim non vulnus sed telum inunctum, ita ut vulneribus punctim factis, ligatura à cuspide inchoëtur sursum illam ducendo: sin cæsim, tunc ab acie fasciæ ducuntur versus tergum. Interim ægri seu vulnerati nullam curam habent, nihilque referre asserunt sive præsens sit, sive ad duodecim milliaria absens. Alii tamen, quibus sensus est paulò melior, singulis diebus vulnera simul lavant cum urina vel vino, probeque purificant, quibus ritè peractis vulnera sæpissimè aliud nil desiderant.

Qui mihi idem facere videntur, quod balneorum tubicines, quos Fernelius vocat, qui ægros recuperandæ sanitatis fiducià ad thermas relegant, in-

terim tot pharmacis simul illos onerant, quot deglutiendis & devorandis vix decem alii sufficerent, omnis interim effectus non medicamentis sed thermis adscribitur. Unum igitur est medicamentum, unguentum scilicet, non ipsi vulneri sed telo sanguine vulnerati commaculato in loco etiam remotissimo, adhibitum, cui totam vulneris curationem adscribunt.

Jam verò si indicationes superiùs expositas ex consensu omnium rationalium & methodicorum Medicorum in curandis vulneribus probatas & confirmatas consideravimus, luce clariùs apparebit, modum illum curandi vulnera per unguentum armarium minimè naturalem vel sufficientem, sed ridiculum, inanem omnique superstitione plenum esse.

Primum siquidem apparet, unum & idem medicamentum non posse contrariis indicationibus satisfacere, jam verò demonstravimus, primæ & secundæ indicationi per frigida & sicca; Quintæ verò per calida & humida satisfaciendum. Prætereà impossibile est ut tertiæ & respectivè quartæ indicationi per ullam aliquam medicinam satisfiat.

Neque hoc loco valet, si dixeris usneam, hæmatitem & santalum primæ & secundæ indicationi satisfacere; constat enim, simplicia medicamenta, quæ compositum aliquod constituunt, suas facultates in mixtione non retinere. Expressé enim & verè inquit Gal. non esse in mixto quod erat in singulis: Contrariarum siquidem qualitatum simplicia in mixtione necessariò se invicem obtundunt, donec remittentibus singulorum viribus novæ emergant facultates ex illorum concursu provenientes. Contra naturam enim est omnibusque sensibus contrarium, unum & idem refrigerare, calefacere simulque obstruere. Sin ad tertias & occultas rerum qualitates confugere conaris, nihil obtinebis: Omnium siquidem Physicorum & Medicorum consentiens est doctrinæ, occultas rerum qualitates plurium admixtionem minimè perferre. Quemadmodum igitur plura simplicia similes qualitates habentia, si commisceantur, simul sese mutuò fovent; sic contrariarum qualitatum simplicia invicem confusa, nõ nisi mutuo sese oppugnant, destruunt & demoliuntur. Vinum e.g. quin ventriculum calefaciat, nemo dubitat; si multum aquæ huic affundas, tantum aberit, ut calefaciendi vires retineat, ut potiùs refrigeret. Quod si quis mẽstrua promovere velit & potionibus aperitivis, ex artemisia, pulegio, mellissa, & similibus paratis, adjiciat tormentillam, bistortam, lysimachiam, pentaphyllum vel alia adstringentia, quis talem medicastrum non derideret? Impossibile siquidem est, quin ex imperita istà confusione, singulorum ingredientium vires obtundantur, & infeliciter operentur.

Quanquam igitur in unguento armario non desint quædam ad sananda vulnera accommodata, quia tamen ineptè confunduntur cum aliis, nec seorsim debitoque tempore sed indifferenter uno eodemque tempore,

usur-

usurpantur, non nisi labor inanis, si modo telum inungere labor est, suscipitur. Posito tamen, minime verò concesso, in unguento armario singulorum simplicium qualitates minimè destrui vel enervari simulque vel eodem tempore omnibus scopis satisfacere; hoc tamen scire velim, quomodo unguenti facultas de telo inuncto peregrinando ad vulnus duodecim milliaria remotum, transire possit? In scholis siquidem physicorum tritum est & vulgare, inter agens & patiens mutuum requiri contactum. Hic verò magneticum, spirituosum & nescio quem sympathicum contactum, revera tamen nihil præter inanium verborum strepitum objiciunt.

Magneticum enim contactum quod attinet, quanquam certum sit, magnetis vim ad ferrum paulò etiam remotiùs transire; simul tamen lippis & tonsoribus etiam notum est, ferrum à magnete remotissimum nihil affici, sic unguentum armarium in vulneribus remotissimis percurandis planè inefficax esse statuimus.

Tantum igitur abest ut comparatio ista magnetis & ferri, cum unguento & vulnere procedat, ut potiùs rem totam destruat planeque evertat.

Possem hoc loco unguentariis longè speciosiorem unguenti sui probationem suggerere à similitudine surculi corylorum desumptam. Hunc enim surculum, rei metallicæ periti protensis ambabus manibus circumferunt, fodinas metallicas investigaturi, cumque supra metallorum latebras incedunt, tertia surculi extremitas, quæ manibus non contrectatur, proprio & occulto motu ad terram defertur, metallicas divitias digito quasi commonstrans.

Hujus rei causam investigantes, dicunt inter metalla & corylum, in montibus metallicis ut plurimum crescentem, magnam esse succorum affinitatem & similitudinem, unde ista ad terram inclinatio excitetur. Hæc tamen ratio quantum valoris habeat, aliorum judicio commendo.

Nolo enim hoc in loco operosiùs regerere, diversissima sæpè metalla in uno aliquo monte occultari, quæ diversos, imò contrarios habent succos, ut fateri necesse sit, surculum coryli vel omnium succorum metallicorum cognationem & similitudinem habere, vel unius duntaxat. Si omnium dixeris, habebit corylus naturam sibi invicem contrariam: si unius? quæro quomodo ergo omnia metalla unius coryli surculo investigentur? Intactum etiam hic relinquitur, cur eandem proprietatem non habeant aliarum arborum in montibus metallicis nascentium, eodem terræ succo, quo etiam mella ista, enutritarum surculi. Hoc duntaxat scire velim, cur extremitas surculi à rerum metallicarum perito gestari ad terram inclinet; si verò ab imperito aliquo rustico, eodem plane modo, extensis ambabus manibus circumferatur, minimè ad terram inclinet, etiamsi

constet, metallicas ibi fodinas esse, an occulta aliqua vis à manibus viri metallici surculo accedit? Meræ igitur sunt imposturæ, quibus surculum occulte & insensibiliter incorquent, ut principum loculis insidientur.

Quod de spirituoso rerum naturalium consensu proferunt, æquè est infirmum. Quanquam enim singulis rebus naturalibus, spiritus quidam inest, quem vectorium illi vocant, qui ad res maximè sibi cognatas, familiares & congeneres, occulto & inexplicabili naturæ motu fertur; exemplo magnetis tamen jam patet, talem virtutem in immensum spatium, minimè diffundi posse. Esto tamen, simplicium spiritus ad res sibi congeneres, etiam ad multa millaria abripi, hoc tamen duntaxat sequetur, spiritum terebinthinæ, usneæ, santali, boli hæmatitis & humani adipis minimè ad carnosum vulnus, sed ad terebinthum, usneam, santalum, hæmatitem, bolum & adipem deferri: vel exponant nobis, quænam sit inter res istas & vulnus carnosum cognatio & similitudo, annon bolus, hæmatites, santalum & usnea, res sunt terrestres frigidæ & siccæ, vulnus carnosum, calidum & humidum?

Si dixeris, sanguinem humanum telo aspersum facultatem usneæ, hæmatitis, santali, boli & reliquarum specierum secum ad vulnus consanguineum deferre; tunc respondemus impossibile esse, tantillum sanguinis telo adhærentis, facultatem reliquarum specierum tam numero quàm quantitate prævalentium ad vulnus secum deferre posse. At, inquis, forsan mumiam sanguinis humani, usneam cranii humani & adipem humanum, facultatem sanguinis telo adhærentis promovere & ad vulnus diririgere. Verùm si species istæ de partibus humani corporis desumptæ, una pharmaci vim ad vulnus deferunt, qui fit, ut pharmaci vis ad vulnus Cornelii, & non simul ad vulnus Scipionis, aliorumque hominum in conflictu, aliquo vulneratorum deferatur. Hic ad astra & planetarum influentias confugiunt. An non, inquiunt, hunc ferit Saturnus, illum respicit Jupiter, alium bellicosus exagitat Mars; mirum igitur non est, vim unguenti ad hoc vel illud individuum, non ad omnia vulnera simul, cæco & abdito prorsus motu deferri. O bellam fabulam, quam nemo, præter deliros quosdam calendographos credit. An non veneranda antiquitas, saniores quoque Astronomi demonstrant, universam terram, si ad cæli complexum referatur, esse instar puncti angustissimi? Quomodo ergò est possibile, ut ex amplissimo illo complexu virtus aliqua in minimam angustissimi illius puncti particulam, quam hic vel ille constituit, prætereo toto illo amplexu influere possit?

Quemadmodum igitur ridiculum est, sydus aliquod mihi soli, & non simul aliis infortunium promittere, Saturnum in me solum sævire: Jovem

hunc

hunc clementer aſpicere, tot alios negligere, ſic etiam cachinno dignum, quod dicunt, vim unguenti in determinati duntaxat hominis vulnus. Rationem denique unguentarii adferant, quomodo unguentum ex particulis corporis humani paratum, animalium quoq; vulnera (quod aſſerunt) conſolidet, quænam hic ſimilitudo & familiaritas inter aſinum & hominem, niſi fortè inter aſini & ſuperſtitioſi alicujus hominis intellectum ſimilitudo detur.

Quæſiverim denique, quomodo à tantillo ſanguinis concreti tanta ſpiritus vectorii vis promanare, multiplicem faſciarum ſuperinductarum convolutionem transire, ciſtam perrumpere, ad remotum vulnus in lecto forſan & cubiculo undique concluſo repoſitum permeare poſſit. Radii certè ſolares vires ſuas, aëre exiſtente turbido, ad corpora noſtra extendere nequeunt, ut dubium non ſit, ſpiritum ipſum vectorium à ventorum turbine millies, disjici, antequàm ad vulnus perveniat. Sed Piſtorius in fide & arte Medica bis factus apoſtata, phyſicos deridet, quoties arcanarum operationum cauſas perſcrutari & inveſtigare conantur, cùm fidei potiùs illas adſcribendas eſſe exiſtimet. Sed transeant etiam iſtæ nugæ in Papatus tenebris excogitatæ. Qui in pietatis ſchola profecerunt; fide, longè præſtantiora bona, quàm curationem vulnerum, conſequuntur.

Sympathiam denique quod attinet, quam licet fruſtra ingeminent, cùm à virtute magnetica, & conſenſu ſpirituoſo nihil differat, videbimus tamen, quid ſaniores philoſophi de ea ſentiant. Cic. ſympathiam vocat quandam rerum convenientiam, alii harmoniam, eamque definiunt, quandam inter res naturales, quæ ſe mutuo favore excipiunt & proſequuntur, conſenſionem. Hæc e.g. in corpore humano duplex eſt: Una, quâ partes humani corporis, vel per manifeſtas & conſpicuas vias, vel per abditos & occultos meatus, conſpirant & conſentiunt. Talis ſympathia intercedit inter epar & cor per cavam venam, inter cor & lienem per arterias multiplices, inter uterum & mamillas per venam epigaſtriam, inter totum denique corpus humanum per occultos meatus, quos Hippocrates omnium primus notâſſe videtur.

Altera Sympathia, quâ partes ejusdem ſubſtantiæ invicem conſentiunt, e.g. uterus & ventriculus organa nervoſa cum cerebro omnium nervorũ principio magnâ familiaritate conſpirant & conſentiunt. Nunc quæſo te, ſenſum humanum recollige & conſidera, quænam ſympathia eſſe poſſit, inter ſanguinem extra venas propriaq; conceptacula effuſum, teloq; concretum & quaſi congelatum frigidum, frigidum & ſiccum, omnique ſanguinis formâ privatum, & inter ſanguinem in venis fluidum, calidum & humidum, maximeque ſpirituoſum: Ille vim habet ſiccandi, conſtringendi, repellendi, unde pro ſecreto remedio à nonnullis uſurpatur in hæmor-

rhagia

rhagia narium compescenda, hîc verò calefaciendi, penetrandi & vivificandi facultatem possidet. Nulla igitur & ne minima quidem hic occurrit Sympathia, quam tamen, si maximè concederemus, nusquam tamen tutò ad loca remota transiret, quæ enim in uno aliquo vivo & conspirabili corpore conclusa sunt, liberrimè consentiunt, seque mutuo afficiunt, quæ verò ab invicem dissita sunt, minimè. Hæc quidem ab assertoribus unguenti armarii de novo curandi vulnera modo, in medium adferuntur, ut tamen fucus & superstitio plus fidei & authoritatis mereantur, fucum fuco addunt, ritusque superstitiosos cumulant: Nonnulli siquidem telum singulis diebus inungunt, alii alternis vel ternis diebus inunctionem repetunt, alii verò unicâ inunctione sunt contenti. Quidam etiam telum inunctum in conclavi temperato suspendunt, alii in cista probe munita custodiunt.

Omnes tamen diligenter prospiciendum & cavendum monent, ne telum sordibus inquinetur, vel in loco impuro asservetur, eò quòd sanguis telo adhærens citra gravissimum vulneris dolorem, & consolidationis impedimentum, nihil impuritatis perferre possit, cùm tamen longè major ejusdem sanguinis suprà terram effusi copia, quotidie, non solùm pedibus conculcetur, sed animalium quoque excrementis turpissimè defœdetur. Si ergò evaporatio de tantillo sanguine telo adhærente, commaculata, ad vulnus transvolat idque divexat, cur idem non faceret longè major sanguinis suprà terram effusi & conspurcati copia?

Quocunque ergo se vertant unguenti defensores & patroni, nihil solidi, nihil quod veram & antiquam philosophiam sapiat, in medium proferunt, sed fucum, imposturam, superstitionem.

Quapropter, ut negotium totum brevissimè complectar, cum in naturali & methodicâ vulnerum curatione plures indicationes eæque differentes occurrant, quibus certo ordine, prout diversa vulnerum tempora requirunt, satisfaciendum, inter vulnus quoque & medicamenta non solum mutuus contactus, sed manuum quoque operatio necessario requiratur, unica verò medicina, quæcunque illa sit, diversissimis indicationibus satisfacere nequeat, neque etiam diversissimarum facultatum simplicium in una compositione sine virium destructione consistant, cùm denique nullius medicamenti virtus ad multa milliaria sese extendat, firmiter concludimus, per unguentum armarium vulnera naturaliter minimè percurari, sin quædam curentur, illa talia omnino esse, quæ suâ sponte sine ulla Medicina, vel superstitioso etiam ritu persanari etiam potuissent.

DANIEL

DANIEL SENNERTUS,

De

UNGUENTO ARMARIO.

UNguenti Armarii variæ dantur descriptiones. Paracelsus ipse, Archidux Magicæ, lib. 1. hanc habet descriptionem. *Paracelsi descriptio.*

℞ *Usneæ Unc. ij.*
Mumiæ unc. ß.
Pingued humanæ unc. ij.
Sang. human unc. ß.
Ol. lini, Drach. ij.
rosac.
Boli Armen. ana unc. j.
Misc. F. Ung.

In quod lignum sanguine ex vulnere imbutum & exsiccatum imponit, & vulnus singulis diebus fascia nova urina vulnerati madefacta obtegit. Ad arma verò inungenda addit adhuc.

Mellis unc. j.
Ping. muri Drach. j.

Johann. Baptista Porta, Mag. nat. lib. 8. cap. 12. de eo ita scribit: Unguentum armarium, olim à Paracelso Maximiliano Cæsari datum, & ab eodem expertum, maximè charum ab eo habitum quamdiu vixit, cujus aulæ nobilis mihi communicavit. Si adlatum fuerit ferrum, quod sauciavit, aut lignum ejusdem sanguine madefactum, sanabitur æger, etiamsi longè aberit. *Descriptio Unguenti armarii Portæ.*

Cape usneæ, sive musci concreti in calvaria aëri derelicta.

Adipis humani ana unc. ij.
mumiæ
sanguinis humani an. unc. ß.
Ol. lini.
terebinth.
boli Armeni ana unc. j.

Eeee Omnia

Omnia ſimul in mortario terantur ; in urna oblonga & anguſta ſerventur : æger manè ſui ipſius urina eluat vulnus, nulloque addito deligetur & ſine dolore aliquo ſanabitur.

Crollii deſcriptio. Crollius & ipſe Paracelſo id tribuit, ac unguentum Sympatheticum ſeu ſtellatum Paracelſi nominat, & id ita deſcribit.

℞. *Adipis verris aprugni,*
Urſini ana unc. iiij.

Quò ſeniora animalia, eò melior adeps. Utriusq; animalis adeps prius in vino rubro per dimidiam horam lento igne bulliat, poſtea effunditur ſuper aquam frigidam & cochleari colligitur pinguedo innatans, quicquid fundum petit abjiciatur.

Poſtea ℞. lumbricorum ex vino vel aqua lotorum ſextarios duos, torrefiant in olla tecta in fornace piſtoris, cavendum tamen ne adurantur, poſtea terantur in pulverem.

℞. *Hujus pulveris,*
Cerebri aprugni ſiccati,
Santali rubri odorati,
Mumiæ,
Hæmatit ana unc. j.

Demum accipe Uſneæ è cranio hominis violenta morte peremti, abraſæ luna creſcente, & in bona domo exiſtente, Veneris ſi fieri poſſit, non Martis aut Saturni, ad pondus duarum avellanarum circiter: Ex omnibus tritis & invicem mixtis cum adipe ſecundum artem unguentum fiat, in vitro clauſo, vel pixide diligenter ad ſuos uſus reſervandum.

Si fortè lapſu temporis unguentum exſiccaretur, dicto adipe vel melle Virgineo humectari & emolliri de novo poteſt. Paretur unguentum Sole in libra exſiſtente.

Uſus. De efficacia autem & uſu ejus ſcribit: Perficitur hæc cura per medicamenti hujus vim Magneticam attractivam à ſideribus cauſſatam, quæ mediante aëre vulneri adducitur & conjungitur, ut ſpiritualis operatio in effectum deducatur. Fit inquam propter conjunctionem aſtralem & elementalem: ut enim calor Solis concordat ſe cum terra, ita Perſicaria cum morbo: abeunte Sole abit calor, ita hîc etiam.

Tria ergo ſunt, quæ cauſſantur per hoc unguentum tam mirabilem effectum. 1. Sympathia naturæ. 2. Influentia corporum cœleſtium, ſuas operationes per elementa perficiens. 3. Balſamum, quod ſanandi virtute prædicatum cuilibet homini naturaliter inditum eſt.

Hoc unguento ſanantur omnia vulnera, quocunque telo, ictu, jactu, cuicunque etiam ſexui inflicta, (ita tamen ut nec nervi, arteriæ, nec unum è tribus principalioribus membris læſum ſit) modò telum haberi

 poſſit,

poſſit, etiamſi patiens multis miliaribus à nobis abſit. Et quia eſt conglutinantis, ſuppurantis & renovantis naturæ, non permittit, ſi debito modo applicetur, ullum noxium ſymptoma supervenire.

1. Ungatur telum, quo homo vulneratus eſt, ſingulis diebus ſemel, ſi neceſſitas urgeat, & vulnus ſit ingens: alioquin ſecundo aut tertio die unxiſſe ſufficit, ſervetur in mundo linteolo & loco tepido non nimis calido, ne damnum inferatur patienti: cavendum etiam ne deſuper telum cadat, nec ventus afflet in loco frigido, alioquin patiens ad inſaniam redigeretur. *Modus applicandi unguentum.*

2. Antequam ungas, conſidera, an punctim vulnus factum ſit, quod ſi eſt, ungatur defenſorium illud ſuperius (& non inferius) deſcendendo, alioquin nocumentum adferretur ægrotanti.

3. Si verò non poſſis cognoſcere, quàm profundè, vel quomodo defenſorium in carnem introiverit, poteris illud totum perungere, alioquin ſufficit locum teli, quo aliquis læſus, inunxiſſe.

4. Non eſt neceſſe vulnus conſuere, more barbitonſorum, ſed ſolum linteolo mundo quotidie circumligare, in patientis urina prius madefacto.

5. Quo die quis inungit telum, abſtineat à Venere.

6. Ante inunctionem teli, vulnerato etiam citiſſimè ſiſtatur ſanguis.

7. In fracturis & ruptura oſſium aliquid pulveris ſymphyti majoris poteris addere unguento, vel de radicibus ellebori nigri.

Habito telo, quo quis læſus, & cupias ſcire, utrum patiens ſit moriturus vel ſupervicturus, ſic experiêre: Si illi telo ſupra carbones calefacto, in tantum quod poſſis manum deſuper tenere, pulverem à ſantalo rubro & hæmatite aſperſeris, ſi ſudat guttas ſanguinis, morietur patiens, ſin minus, evadet.

Si verò ſcire volumus, utrum patiens ſe rectè gubernet in potu & aliis requiſitis: hoc cognoſcitur, quando in defenſorio maculæ ſanguinis apparent, ſin minùs, tùm bene ſe gerit.

Notandum inſuper 1. Non habitis armis vel telo, nihilominus quamlibet cutis aperturam & læſionem violentam, per quam ſanguis egreditur, hoc unguento ſanari poſſe, ita ut lignellum ſalicetinum in apertura cruenta madefiat, & poſtquam ſanguis adhærens ſiccatus eſt (non ad Solis vel ignis calorem, ſed ſpontè & per ſe) demum infigatur ſupradicto unguento in pyxide aſſervato, intus relinquendo.

2. Si vulnus magnum & profundum eſſet, ſingulis auroris mundificari poteſt, & recenti linteolo ligari, ſine omni alio uſu extraneorum oleorum, unguentorum, & ſimilium: & tunc ſanatur hoc vulnus quocunque modo inflictum per ſe, & ſufficit lignellum ſemel tantùm in apertura ſeu vulnere cruento prius madefactum, unguento pixidis infixu munere, usque ad ſanationem plenariam.

 3. Atta-

3. Attamen quoties vulnus aliquid novum ſanandum eſt, requiritur ſemper recens lignellum.

4. Si verò vulnus nollet ſanguinem emittere, tamdiu lignello ſcarificandum, donec ſanguis effluat: ſic etiam in dolore dentium ſanando, dens dolens tam diu ſcarificetur ſcalpello, donec ſanguinem emittat, ſcalpellum poſt exſiccationem ſanguinis ungatur hoc unguento, ſic confeſtim ſedatur dolor. Si equus ſit clavo transfixus in pede, extrahatur primo clavus & inungatur, & citò curabitur pes equi, ſine ſuppuratione.

Eodem modo poſſunt omnia animalia carnem & oſſa habentia curari.

Gabelchoveri deſcriptio. Osvvaldus Gabelchoverus, in Practica Germanica,

℞. Pingued. apri, urſi an. ℔j.

Eaq; liquefacta vino rubro infundit. Pinguedini huic addit.

Pulv. lapid. hæmatit. unc. j,
Santali rubri Drach. vj.
Lumbricor. præparat. Drach. ij.
Uſneæ quantum haberi poteſt,

Miſcet, ut, F. Ungu. de cujus uſu ferè eodem, quæ Crollius habet.

Alia deſcriptio. Alii hanc deſcriptionem habent.

℞. Lardi aprugni ad ignem liquefacti, & ſupra aquam fuſi. q. ſ. lumbricor. terreſtr. præparat.
Lapid. hæmatit.
Santali rubri,
Uſneæ de cranio humano an q. ſ.
Miſce ad ignem.

Joan. Wittichius omittit, & parum referre putat, ſive ea adhibeatur, ſive omittatur. Mumiam quoque & adipem ac ſanguinem non addit. Quod & alii faciunt. Et novi ipſe quendam, qui curam hanc promittebat, qui unguenta hoc ſaltem ex pingued. porci domeſti paucisque aliis, nulla uſnea, nec ulla re è corpore humano petita, quoties libebat, componebat.

Polypragmon ille Jac. Colerus, lib. 18. Oeconomiæ, cap. 154. hanc *Coleri deſcriptio.* deſcriptionem tradit.

℞. Pingued. verris aprugni,
domeſtici.
Urſini an. ℔ ß.
Muſci è cranio humano p. j.

Lum-

Lumbricor. terrestr. Mens. $\frac{1}{4}$.
Lapid. hæmatit. unc. ij.
Santali rubri,
rad. consolidæ major. ana unc. iij.
Misce. Fiat cum vino unguentum.

De tempore etiam parandi medicamenti non conveniunt. Crollius Sole in libra existente parare jubet. Alii angustioribus adhuc terminis tempus hoc includunt, & 10. ac 11. diem Septembris definiunt. Alii quocunque tempore parant.

Modus autem utendi hoc medicamento, cum antea è Crolleo prolixè sit descriptus, eum repetere opus non est. Summa est; non ipsum vulnus hoc unguento ungendum esse, sed telum, seu instrumentum quodcunque, quo vulnus fuit inflictum, aut si id haberi nequeat, aliud telum, vel lignum, inprimus salignum, vel aliud quid vulneri immissum, & sanguine hominis vulnerati infectum & commaculatum. Nihil etiam referre putant, sive æger præsens sit, sive ad multa milliaria absens: neque ipsius vulnerati ullam, sed saltem armorum inunctorum curam habent. Aliqui tamen, ut singulis diebus vulnus urina vel vino abluatur & mundetur, præcipiunt. *Modus utendi.*

Ne quis autem de effectu hujus medicamenti dubitet; Primò ad experientiam provocant, scribitque Rudolphus Goclenius junior, se posse nominare Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles, quorum authoritas, atque fides in dubium non sit vocanda, qui de efficacia hujus unguenti testimonium perhibeant.

Deinde actionis hujus naturales caussas reddi posse putant patroni huius unguenti, & imperitos fatuos nominat Crollius eos, qui de efficacia hujus medicamenti dubitant, aut curam hanc ad veneficia referunt. Ut autem probent naturali modo illam curam perfici, primò prolixè probant, dari actiones, quæ non contactu corporeo intercedente, sed occultam sympathiam & Magnetismum, ut vocant, fiant. Ita magnes trahit ferrum, etsi id corpore non tangit; & movetur versus polum. Astra in hæc inferiora, quæ corpore non attingunt, agunt; torpedo per hastam tangentis manum afficit. Nonnulli felis etiam cistæ inclusæ, & quam non vident, præsentiam non ferunt, & nisi vel felis amoveatur, vel ipsi è conclavi, in quo felis est, exeant in lipothymiam incidunt. Canes heri vestigia agnoscunt, ut & ferarum, eorumque ductu eas insequuntur. Taxi umbra noxia est homini. Et talia plurima, quæ in natura observantur, occultarum actionum exempla conferunt; quas quia in Magnete sunt manifestissimæ, ab eo Magneticas in genere vocant. *Rationes pro unguento armario.*

Alterum, quod præsupponunt, est, dari quendam spiritum mundi per

per totum mundum diffusum, qui sit vector & vehiculum occultarum potentiarum & actionum, quique omnes mundi partes connectat, & mirum inter eas consensum excitet.

Tertiò autem vires ipsius Unguenti Armarii quod attinet, duplicem in eo vim esse statuunt, unam in ipso unguento, vulnera scil. consolidandi & glutinandi; alteram, quæ in telo inuncto sit, & potentiam istam ad vulnus deferat. Priorem vim à compluribus, è quibus componitur, hoc medicamentum deducunt, & siderum influxu, & conjunctione Astrali & elementali. Ideoque, ut dictum, nonnulli certo anni tempore ac siderum positu hoc unguentum conficiunt. Alteram verò vim deducunt à balsamo naturali, qui cum sanguine telo, vel instrumento vulneri impresso, & sanguine vulnerati maculato inhæreat. Hoc enim balsamum, propter sympathiam, quam habeat cum parte vulnerata, vim illam medicamenti, mediante spiritu mundi, vulneri communicare. Atque hujus rei & alia exempla afferunt. Zenith, quod appellant, juvencularum in ignem projectum graviter virginem, è qua effluxit, lædere agunt: Secundinas malè tractatas fœminæ, à qua exierunt, damnum inferre. Quanquam nec hîc sat clarè sese explicent.

Scribit enim Crollius, curam hanc perfici per medicamenti hujus vim Magneticam attractivam, à sideribus caussatam, quæ mediante aëre vulneri adducatur & conjungatur. Et mox tria esse dicit, quæ causentur per hoc medicamentum tam mirabilem effectum, 1. Sympathiam Naturæ. 2. Influentiam corporum cœlestium suas operationes per elementa perficientem. 3. Balsamum, quod sanandi virtute præditum cuilibet homini naturaliter inditum sit.

Rationes contra unguenti armarii defensores.

Verùm enim verò, ut nostram sententiam de isto unguento aperiamus, primò illud id suspectum reddit, quod non una ejus compositio circumfertur, sed plures, & in quibusdam ea omittuntur, à quibus alii omnem hujus medicamenti vim deducunt, & ex descriptionibus variis supra allatis patet. Ita Wittichius usneam & adipem ac sanguinem omittit, quæ tamen alii pro basi & præcipua parte hujus medicamenti habent. Et nihilominus omnes eundem effectum pollicentur, & quisque suum ad omnia vulnera, quocunque teli genere, seu punctim, seu cæsim, seu jactu, seu lapsu, inflictum prædicat; etsi Goclenius & Crollius, vulnera quæ sunt in nervis, arteriis, & uno è membris principalioribus, ut corde, cerebro, excipiunt.

Quod alii contra hujus medicamenti compositionem objiciunt, quod nimirum autores hujus unguenti usneam è cranio hominis suspensi, mumiam, sanguinem humanum calentem, adipem humanum adsciscant, & in sanguine humano, & adipe totius negotii succum & nervum esse censent,

sent, idq; superstitiosum putant; id meum quidem non facio; cùm notissimum sit, adipem & cranium humanum, mumiam, usneam à Medicis aliis sine superstitione in curandis morbis usurpari: hoc tamen moneo, cùm sagæ & malefici, ut ex Apulejo, lib. 2. & 3. metamorphos. Ovid. & Nicolao Remigio, dæmonolatriæ lib.1.cap.16. & lib.7.cap.1.& aliis, qui de sagis scripserunt, patet, humano sanguine & carne, aliisque humani corporis partibus ad sua malefacia uti soleant, cavendum esse cuique, qui talibus uti vult, ut medicamento effectus naturalis causa non superstitiosè utatur, & ita diabolo, qui & animæ & corporis humani hostis est, gratificetur, eique incautè inserviat; quod fieri potest, si ad eos effectus talibus utatur, qui non sunt in rerum istarum naturali potestate; & propterea, si ij consequantur, diabolo potius, homini per talia superstitiosa insidias struenti, quàm ipsi rei imputandi & adscribendi sunt.

Effectum hujus medicamenti quod attinet, eum non semper voto respondere, vel observatio 25. cent. 3. apud Guiliel. Fabricium ostendit. Et sit, ut multos, qui curâ hâc usi sunt, convaluisse, etiam magni viri testentur: tamen non plus testari possunt, quam hæc: Quendam vulneratum fuisse; ipsi adhibitam curam istam per unguentum armarium; eundem convaluisse: an verò vi hujus medicamenti convaluerit, hoc testari non possunt. Multa enim sæpe cum effectu aliquo conjungi possunt, quæ ejus causa non sunt. Itaque ut non sequitur; Isto ambulante coruscavit: ergo ambulatio est causa coruscationis: Ita non sequitur; hic vulneratus sanatus fuit, & adhibuit unguentum armarium; ergo unguentum armarium est causa sanationis; nisi monstretur, ab isto unguento necessariò hunc effectum secutum esse. Et nullibi fallacia causæ frequentior est, quàm in medicina, ac sæpissimè alicui medicamento morbi alicujus sanatio tribuitur, quæ non ab eo provenit, sed à natura, aut antea vel simul adhibitis aliis medicamentis. Et est Medicinæ longè alia, quàm aliarum artium, ratio. In aliis enim artibus effectus in solidum ab artifice pendet, & si quid ab eo bene vel malè fit, id omne (nisi forsan materiæ & subjecti ineptitudine; cùm non ex quolibet ligno fiat Mercurius; aut instrumenti ratione aliquid vitii accidat) artifici imputandum & adscribendum, cùm, ut in Instit. lib. 1. cap. 1. dictum, subjecta aliarum artium nihil agant, sed obsequium saltem præstent: Medicinæ verò subjectum innatam quandam potentiam habeat, qua à Medico adjutum plerumque sponte ad sanitatem tendit; unde ab Hippocrate 16. epid. comm. 5. text. 1. νούσων φύσιες ἰατροί, Naturæ morborum medicatrices dicuntur.

Itaque

Itaque res eò redit, & hîc non status controversiæ est, an vulnerato, qui convaluit, cura per unguentum armarium adhibita fuerit; sed hic est, an unguentum armarium sanationis causa fuerit. De quo jam dispiciendum.

Cùm autem, ut supradictum, conglutinationis vulneris Natura causa sit, nullius verò medicamenti vi, quocunque nomine veniat, & sæpe etiam lardo, vel aliare non magni momenti, imposito, vulnera multa, sine aliorum medicamentorum & Medici ope, sanentur: propterea in cura etiam, quæ per unguentum armarium adhiberi creditur, conglutinatio vulneris soli Naturæ ut proximæ & principali causæ, adscribenda est. Quòd cùm ita sese habeat, & nullo modo negari possit: jam quæritur, an ista in cura soli naturæ vulneris sanatio adscribenda sit; an verò etiam unguenti armarii aliqua efficacia simul concurrat. Mihi priùs probabilius videtur, ideò, quod certum est, ut modò dictum, vulnera sæpissimè à natura, nullo concurrente medicamento, sanari id quod etiam vulnera interna, quibus nulla medicamenta adhiberi possunt, testantur. Et huc tota illa Cæsaris Magati vulnera curandi ratio, de qua cap. præcedente dictum, tendit, ut negotium Naturæ committatur, calor & temperies partis, quæ instrumentum est, integra servetur, neque præter necessitatem medicamentis ea molestetur. Et interdum tam periculosa vulnera, Naturæ in primis beneficio, nullo, vel haud magni momenti medicamento adhibito, sanantur, ut miraculo potius, quàm medicamentis adscribendum id videatur. Cujus rei observationes exemplaque passim nota sunt. Neque tamen ita audaces sunt hujus unguenti patroni, ut vim ejus ad omnia vulnera extendant; cùm, ut paulò ante dictum, Crollius & Goclenius vulnera membrorum principaliorum, item nervorum & arteriarum excipiant; & nemo adhuc inventus, qui ad sclopetorum vulnera isto unguento uti ausus fuerit. Quis verò est, qui negare ausit, vulnera alia leviora à sola Natura sanari posse? Si tamen aliquid, quod vim naturæ excedere videatur, in cura ista per unguentum armarium accidat, videndum, ne ope diaboli, pacto seu explicito seu implicito allecti, id præstitum fuerit.

Cùm ergo Natura sola & proximè vulnera glutinet; medicamenta verò, ut supra monstratum, nihil aliud præstent, quàm ut calorem nativum & temperiem partis naturalem conservent, vel impedimenta, quæ naturæ in opere suo obstant, removeant: jam videndum, an unguentum armarium ista præstare possit.

An unguētum armarium in distans agere possit?

Ubi mox prima difficultas occurrit, an nimirum omnino medicamentum, quod non ipsi vulneri, sed telo, aut rei alii sanguine ex vulnere maculato inungitur, prodesse possit, in primis si vulneratus absens, & à

telo

telo inuncto aliquot milliarium spatio remotus. Equidem ad id probandum duabus utuntur rationibus, ut supra etiam; Prima est, quod dentur actiones ab occultis qualitatibus, & in distans, quas Magneticas vocant; deinde quod per spiritum mundi vis unguenti ad vulnus, ut multorum rerum sympathia & antipathia, deferatur.

Verùm neutrum id, quod debet, probat. Primò enim etsi concedimus, dari tales actiones, neque semper, quæ mutuò agunt & patiuntur, sese corporibus attingere: tamen an id fiat unguento armario, atque an à telo inuncto vis aliqua ad vulnus per longum locorum intervallum perveniat, probandum adhuc est. Nec enim sequitur, dantur aliarum rerum tales actiones mirabiles, ergo & unguentum armarium talem vim habet. Et id non fieri, facilè perspiciet, qui reliquas ejusmodi actiones, quæ ad distans fiunt, considerabit. Cùm operari sequatur esse, ut inter agens & patiens quædam fiat conjunctio & mutuus contactus, necessarium est. Cùm autem res, inter quæ est actio, non omnes corporibus sese contingant, ut alio modo se contingant, necesse est: qui duplex est. Vel enim res, quæ ad distans agere dicitur, aliquid de suo corpore & substantia, quod effluviũ seu ἀπόρροιαι antiqui vocabant. Medici, ubi de contagio agunt, μίασμα appellant, (videatur lib. 4. de febrib. cap. 4. & institut. lib. 2. part. 2. cap. 12.) ubi scilicet minutissimæ partes & atomi è corpore effluunt, &, mediante vel aëre, vel alio corpore, ad aliud corpus transferuntur, idque vi, quam cum corpore integro communem habent, afficiunt. Talia autem corpuscula & effluvia nullum regularem motum habent, sed pro motu aëris inordinatè hinc inde moventur, & à flatu quocunq; variè disperguntur, sicut in candelarum exstinctarum & aliarum rerum accensarum fumo videre est. Alia verò corporea, quæ in distans agere dicuntur, equidem nihil de suo corpore, quod ad aliud corpus transferatur, sed speciem saltem emittunt; quomodo per species sensibiles, lucem, sonum, odorem, corpora etiam distantia afficiuntur. Et probabile est, plures esse ejusmodi species, quàm quot nostris sensibus percipiuntur. Atque id vulgo virtute vel virtuali contactu fieri dicitur. Virtus tamen semper præsupponit substantiam, à qua ea fluit. Sic exstincta flamma, cessat illuminatio. Deinde idoneum subjectũ requiritur, per quod propagetur, quod si non sit, actio cessat. Ita interposito corpore opaco, inter lucidum & visum nostrum illuminatio cessat. Tertiò vis hæc & orbiculariter diffunditur, & ad certam distantiam. Physici vocant sphæram activitatis: Quæ in aliis major, in aliis minor est. Maxima in rebus lucidis, minor in sonoris. Quò tamen corpus lucidum majus est, eò etiam major sphæra activitatis. Hinc stellæ omnium longissimè & latissimè lumen de se spargunt.

Actio in distans duplex.

Quæritur jam ergo, quî certum est, unguentum armarium, quo telum unctum est, corpore abesse à vulnerato, an horum modorum altero eum tangat. Tertium non datur. Neque enim per accidens & qualitatem aliquam id fieri potest; cum accidens de subjecto in subjectum non migret, nec se in distans & aliud corpus diffundat. Neutro id fieri posse dico.

Unguentũ armarium agit per effluvium corporeum.

Primò enim cùm effluvia corporea nullum certum motum habeant, sed ad motum aëris inordinatè hinc inde moveantur, quomodo rectà ad vulneratum tendent? Neque est ut quis ad similitudinem substantiæ confugiat. Quanquam enim corpuscula talia minima tandem sui generis sese applicant ut in tonitru & fulgure videre est: Tamen dum primùm è corpore exhalant, hinc inde inordinatè vagantur. Multò minus ad spiritum Mundi confugere licet, quo vectore corpuscula hæc è telo uncto ad vulnus perveniant. Dicuntur enim ista de spiritu Mundi. Sed non probantur, imò rationibus sat firmis oppugnantur. Præterea cùm cura hæc in longinquum & per milliaria aliquot, ut volunt, se extendat, super corpusculorum effusionem fieret, cùm per exiguum unguenti, & multò minus adhuc balsami illius naturalis, telo adhærescat, unguentum illud cum balsamo facilè in auras avolaret & evanesceret,& ita sublato curationis fundamento curatio ipsa cessaret.

Unguentũ armarium non agit per species.

Si verò per species vel actionem Magneticam hanc actionem fieri dicant,probandum primò est,quòd tales species huic unguento insint,(simplicibus enim quibusdam & rebus naturalibus, non arte compositis Naturæ vim species ejusmodi emittendi dedit) & monstrandum quæ ipsorum natura, quæ sphæra activitatis sit. Neque enim credibile, vim unguenti per duodecim milliaria circum circa,& ita orbiculariter se extendere. Magnetem quod attinet, à quo actiones has Magneticas appellare solent; Magnes equidem ferrum nonnihil à se distans attrahit, sed longissimè remotum & ultra sphæram suæ activitatis non trahit; quod & in aliis actionibus ejusmodi occultis & Magneticis fieri notum est. Magnes etiam, & hujusmodi alia recta linea vires suas exerunt, quæ tamen non in infinitum extenduntur, & sæpe etiam objectu corporis opaci excluduntur. Quis ergo credat, è pauxillo unguento sanguinis tantillo, corpuscula tot vel species per cistam, in quam telum inunctum conclusum est, perrumpere per longum intervallum etiam duodecim milliarum, deferri, montes & muros penetrare, & ad cubiculo inclusum vulneratum rectà tendere, & multiplices, quibus vulnus involutum est fascias pervadere, ac vulneri sese insinuare? Magnes ipsi ferro admovetur: At unguentum hoc non vulneri, sed armis inungitur; & Magnes quidem simpliciter ferro applicatus id attrahit: In unguento verò rectè usurpando quàm super-

stitiosi

ſtitioſi ungendi modi adhibeantur, antea dictum. Et in aliis etiam magna inter Magnetem & unguentum armarium apparet diverſitas. Magnes corpus naturale eſt, habetque ſuum naturalem effectum, quem ſemper eodem modo edit. Unguentum armarium res ex variis compoſita eſt atque ab aliis aliter, & ex aliis rebus ut ſupra dictum, conficitur. Unguentum etiam plures effectus edere debet, omnia nimirum ad vulneris ſanationem neceſſaria præſtare, vulnus à dolore liberum ſervare eique etiam, ſi non rectè aſſervatur, vel inquinetur, dolorem inferre. Si enim id, quod aliàs Naturæ opus eſt, in vulneribus curandis præſtare debet, omnino ut multa agat neceſſe eſt, nimirum, quod alienum & concoquendum eſt, concoquat pus & excrementa expellat, carnem generet. Imò Medici & medicamentorum officium præſtare deberet, quod eſt varium. Neque enim corpora, quæ vulnerantur, eodem modo diſpoſita ſunt, ſed alia ſana, alia plethorica, vel cacochymica; partes variæ, caro, nervi, membranæ, quæ diverſi generis medicamenta requirunt: Quorum omnium vires ſuſtinere debet unguentum armarium. Et ſi quis uno tempore plura vulnera diverſis in partibus, quod ſæpe fit, à diverſis armis accipiat, unum ne telum ungere ſufficit & visne ejus ad omnia vulnera feretur, aut omnia ne tela inungenda erunt? Et anne unguentum quodlibet faciet ſuum officium, & hoc ad iſtud vulnus quod hoc telo inflictum eſt, rectà perget, illud ad aliud, quod alio telo illatum eſt.

Cauſa etiam reddenda eſſet, cur in pixide non idem præſtet hoc unguentum, quod telo inunctum præſtare dicunt. Neque enim eſt, ut dicant, balſami illius, qui eſt in ſanguine, beneficio medicamenta ad vulnus deportari, nam ſi totus ſanguis ille in atomos reſolveretur, non ſufficeret ad ſpacium tale implendum. Neque probarunt hactenus, quod ſpecies tales ſanguis ex ſe emittat. Etſi ſanguis beneficio vis medicamenti ad vulnus deferatur, cur non etiam aliarum rerum, in quas è vulneratis copioſiſſimè ſæpe ſanguis effunditur, vires ad vulnus deferret? Quod fieri non videmus.

Quæ verò in ſpecie de ſecundis, & primo virginum ſanguine menſtruo afferunt, eoque non rectè tractato, fœminis damnum afferri ſtatuunt; ea ad muliercularum ſuperſtitionem pertinent. Si enim in homine ſecundinæ in ſordida loca abjectæ fœminæ damnum afferunt, cur non idem fit in brutis, in quibus ſecundinæ in fimum abjectæ ſæpe putreſcunt? Et quocunque loco defodiantur ſecundinæ, tamen putreſcunt. Cur molæ, quas comburunt fœminæ nihil damni fœminæ afferunt? Cur primus Menſtruus ſanguis combuſtus virgini noceat, non reliquus?

His ita se habentibus, non opus est operosè disputare, quas vires hoc unguentum in vulnere curando habeat; cùm nullas ab unguento hoc ad vulnus pervenire, hactenus satis probatum sit. Et si unguentum hoc vel temperiem, vel calorem innatum partis (balsamum illi vocant) conservandi & fovendi, vel excrementa exsiccandi vim haberet, commodius eam exsereret, ipsi vulneratæ parti quàm telo inunctum. Insuper si, quod nonnulli volunt, succus & nervus hujus medicamenti est in sanguine & adipe humano, cur nonnulli etiam ad aliorum animalium, v. gr. equorum, vulnera adhibent? Quanta enim inter hominem & equum est diversitas. Quod verò, ne id hic prætercam; Crollius & nonnulli alii à cœlo vim hujus unguenti deducunt, & propterea certo cœli positu id parare jubent: Nec istud causæ huic patrocinatur. Neque enim probarunt cœlo vel stellis aliquibus vim sanandi vulnera inesse, aut si inesset, unguento huic sese ita immiscere, ut quasi vincta & conclusa circumferri, & quando libet in usum trahi possit.

Modum etiam utendi hoc medicamento quod attinet, ille quoque nullo fundamento nititur nec superstitione caret. Primò enim cùm totam sanationis causam in eo ponant, ut vis medicamenti beneficio balsami naturalis, quod in sanguine sit, ad vulnus deducatur: Cur telum quo homo sauciatus, vel aliud telum vel lignum vulneris sanguine cruentatum solùm inungunt: non verò indusium, vel alias vestes ægri vel lapidem, vel aliud quodcunque, in quod sanguis effusus est: Si non pactum aliquod cum diabolo implicitum subest? Deinde cur, si vulnus sit punctim factum, illinunt gladium in cuspide versus capulū; si verò cæsim, ab acie versus tergum: sin appareat quousque gladius in vulnus penetravit: si non, totum inungunt? quæ omnia superstitiosa sunt, quorum nulla ratio dari potest. Si enim facultas medicamenti naturalis est, quid iste modus unguenti ad rem facit, & ad novam vim & qualitatem addit? Si vires naturales sunt, ceremoniis nullis opus est; ut in omnibus rebus naturalibus patet. Magnes ferrum trahit, & ferrum illitum Magnete ad polum movetur, nullis adhibitis ceremoniis. Præterea alii telum singulis diebus inungunt, alii alternis vel ternis, alii unica inunctione sunt contenti. Alii, ne in ungendo aberrent, telum aut lignum salignum, quod ejus vicem gerit, unguento in pixide asservato ad integram sanationem plane immergunt, ipsum telum sed planè negligunt, qui arma aut quod vicem eorum gerat, unguento immergunt. Alii telum inunctum in loco temperato quocunque asservant, aliqui etiam cistæ includunt: omnes verò hoc sedulò cavent, ne telum in loco nimis calido sit vel frigido, vel sordibus inquinetur. Hoc enim si accidat, curationem impediri, & dolorem gravissimum in vulnere ægro, conciliari. Quæ omnia sunt frivola & superstitiosa. Cùm enim antea satis

ſatis probatum ſit, nullam unguenti armarii, longè à vulnere diſſiti, in vulnus eſſe poſſe actionem, etiam dolorem excitare non poterit. Et proinde ſi is pro arbitrio curantis accidit, cacodæmonis ope id contingit. Certè vulneratorum ſanguis non ſemper in munda loca, ſed ſordida ſæpe effunditur, tempore hiberno congelatur, lintea cruentata calida aqua eluuntur, ligna cruore conſperſa comburuntur, & tamen æger nihil mali inde ſentit.

Tandem planè impoſſibilia hoc unguento tribuunt & eas vires, quæ omnes in medicamento uno naturali non reperiuntur. Affirmant enim hoc unguento omnia vulnera, ſeu cæſim, ſeu punctim, ſeu caſu, ſeu jactu inflicta, curari poſſe. Verum magna eſt vulnerum, pro variis circumſtantiis, diverſitas, & proinde ad ea ſananda non unicum ſed varia medicamenta requiruntur. Vulnus telo acuto inflictum ſine multi puris generatione curatur: at in eo, quod contuſum eſt, quicquid contuſum eſt, in pus abire oportet. Partium maxima quoque eſt diverſitas. In parte carnoſa præcipuè in homine ſano & bene habito facilè vulnus curatur: At longè difficilius curatur vulnus cerebro, nervis, tendinibus, & ligamentis, in primis grandioribus, quales ſunt in poplite, inflictum. Promittunt quoque curationem vulnerum ſine omni dolore: Quod in omnibus partibus præſtare impoſſibile eſt. Certè ſi nervus punctus ſit, nemo præſtabit, nec ullus dolor fit ægro moleſtior.

Atque ut hæc concludamus, ſanatio vulneris, quæ unguento armario tribuitur, ut dictum, plerumque ſolius Naturæ, quæ non ſolùm levia, ſed & graviſſima vulnera ſæpe curat, opus eſt: Quod vel ex eo patet, quod tot diverſæ hujus unguenti deſcriptiones habentur, & quod nonnulli loco unguenti armarii compoſiti ſaltem lardo aut pinguedine porci utuntur, & nihilominus vulnera ſanantur, quod ſe vidiſſe teſtatur antea allegatus Johan. Colerus, in Oeconom. dicto loco. Si verò adhibito iſto medicamento, vulnus aliquod graviſſimum ſanetur, quod ſi naturæ vires omnino ſuperare videatur, vi ipſius dæmonis ex pacto ſeu implicito ad curationem hanc allecti accidit. Neque ſuſpicionem hujus rei tollit illud, quod nonnulli dicunt, omnia ſimplicia, quæ ad compoſitionem hujus unguenti adhibeantur, eſſe planè naturalia, nullos in compoſitione vel in unctione adhiberi characteres, vel conjurationes & incantationes. Nam non ſolùm ſub characteribus & conſecrationibus, aut certo verborum modo, ſuum pactum occultare poteſt Diabolus, ſed & ſub rebus naturalibus, ſi ipſo jubente (quod fit in pacto primo & explicito, cui implicitè alii, qui eadem adhibent, incautè ſe admiſcere poſſunt) res naturales ad alios, quàm à Deo creatæ ſunt, uſus adhibentur, atque actiones diabolicæ ac magicæ ſub Magneticarum actionum velo obvolvuntur, & obtruduntur.

duntur. Posito ergo (quod tamen plerumque naturæ beneficio fieri diximus) ut hoc unguento vulneratus sanetur: Diabolum tamen, ut perdat animam, corpori aliquo modo prodesse, impossibile non est, imò credibile, cùm infensissimus hominum hostis sit, iisque quocunque modo potest, ad nocendum paratissimus, & proinde quantum potest, à Deo creatore benefico, & mediis ab eo ordinatis, hominem ad res superstitiosas deducit.

JOHANNES CONRADUS WECHTLER,

De UNGUENTI ARMARII DIFFICULTATIBUS.

I.

Quid de Unguento magnetico judicandum sit.

ADverte, solere quosdam cerebri debilioris homines conficere unguentum ex certis ingredientibus infrà dicendis, eoque omnis generis vulnera in quodvis etiam distans curare; ad hoc autem efficiendum non applicant unguentũ vulneri ut chirurgi solent, sed qui distantes sunt gladio, pugioni, clavo vel cuicunque rei quâ vulnus inflictum fuit, tum gladium illum aut pugionem fasciis diligentissimè circumligatum fovent, non secus ac si pars aut membrum corporis læsum esset, quo facto confestim ajunt diducta vulnera & vulneris labra in distantissimis etiam locis mirabiliter in unum coire eâque facilitate conglutinari, ut nec vulneratus dolorem sentiat, nec magnas impensas facere cogatur. Quod si gladius aut pugio quo inflictum fuerat vulnus, desit, tunc telum aut particulam ligni accipiunt, eâq; vulnus ad sanguinem usq; fricant, & in unguento præsente reponunt;

ponunt; Imò si unguentum haberi non possit, tum cultrum aut quodvis instrumentum, quod vulneratum læserat, recenti lardo, sive adipi porcino aut certo ligno infigunt eoque modo solutum feliciter curant. Neq; enim unguentum hoc solum est, cui tantæ virtutes adscribantur, sed prodiit etiam nuper pulvis quidam sympathicus ex solo vitriolo Romano, tum alius ex eodem Vitriolo cum nonnullis additis, quem utrumq; Medicus quidam Nicolaus Papinius Blæsensis in eundem finem, in quem unguentum armarium, exclusit; De hujus autem pulveris effectibus, quos approbavit & censuit Joannes Veslingus Medicus Paduanus, vocantur in testes oculatissimos Chassenæus, Carmæus Chyrurgus & alii. Sed

DICO, unguentum hoc magneticum sive armarium superstitiosum, ideoq; omnium bonorum calculo condemnandum. prob. 1. à natura agentium & actionum physicarum hujus unguenti. 2. ab inventore. 3. ab ingredientibus sive ab ipsa materia quæ ingreditur hoc unguentum 4. à superstitiosis ritibus & ceremoniis quę in usu hujus unguenti observantur. Nam imprimis constat ex alibi dictis, hanc esse naturam & constitutionem agentium naturalium, ut nunquam agant in distans, cum habeant limitatam virtutem, sed semper ita requirant passum, ut illi vel per contactum actualem vel virtualem approximentur. Deinde in confesso est, hanc futilissimam & spurcissimam artem profiteri venerabiles fratres roseæ crucis, ejusque patrocinium jam pridem scripto libello suscepisse Goclenium Medicum & Professorem Marpurgensem, tum novissimè Servium quendam peculiari libro, & plures alios, ut essent qui Theophrastum Paracelsum si non inventorem, saltem propagatorem defenderent, ut testatur ipse Gocl. pag. 498. & Bapt. de porta l. 8. c. 10. Quis autem fuerit Paracelsus, audiri potest Thomas Erastus Medicus Heidelbergensis ex Conrado Gesnero Tigurino ad calcem disp. de medicina nova his verbis. Theophrastus Paracelsus inquit nostro tempore vixit, qui veterum omnium placitis contemptis multa nova in artem medicam inducere conatus est, & medicinam per diversas Helvetiæ, Germaniæ & Poloniæ Regiones vagabundus exercuit, dum pecuniâ careret, quâ modicâ acquisitâ vino & lusui deditus nemini medebatur; Dæmone utebatur familiarissimè ut ex ejus discipulo audivi; Vir naturâ & eloquentiâ quam literis & studiis excellentior, prorsus inconstans; nunc Theologus, nunc Medicus, nunc magus, sæpè cōpotator & aleator inter rusticos &c. Ecce unguenti vulnerarii Architectum, qui dignus ut quisque benè de ejus unguento ominetur, & credat vectorem spiritum, qui secundum Goclenium unguenti virtutem ad distantes defert, esse eundem, quo hic Theophrastus tam familiariter usus est. Quæ ingredietia sint, patet ex eodem Gocl. tract. de unguento armario fol. 491. ubi ait adhiberi cranium humanum, vel usneam concretam in calvaria furis suspensi & in aëre

Ungu. armar. superstitiosum est.

Theoph. Paracelsus quis?

in aëre relicti, adipem humanum vel mumiam veram quæ apud ipsum l. de mirab. nat. fol. 11. est sanguis concretus corporum Ægyptiacorum myrrhâ, aloë, cassiâ ligneâ, amomo & id genus aliis conditorum, sanguinem deniq; humanum adhuc calore fumantem, quam vis alii alia adhibere soleant. Et hæc sunt materialia, quibus hoc unguentum conficitur, & quibus Dæmon veneficique libentissimè ad omnem suam nequitiam perpetrandam utuntur: Nunquam enim ferè Dæmon impiissimum fædus cum quopiam paciscitur, nisi cruore humano id ratum fiat, crudelis intercedat evisceratio corporis humani, ut patet ex tot infanticidiis, quæ stryges, latrones & id furfuris tenebriones avidissimè desiderant: Et simillima sunt maleficis conjurata veneficorum & sagarum in totum genus humanum & decretū pseudothei Dæmonis, quod in conventiculis nocturnis proclamari solet, videl. ulciscimini vos, alioquin moriemini, ut habet Delrio disquis. magic. l. 2. q. 16. & l. 3. q. 5. Neque Dicas, sæpè fieri ut vulnera per ejusmodi unguentum sanentur; Nam observa, omnes hujusmodi unguentarios præcipere, ut in applicatione hujus unguenti nihilominus semper vulnus etiam longissimè distans diligenter mundificetur, siccetur, & quotidiè à sordibus expurgetur, tum ab externis injuriis foveatur. Hinc respondet Mindererus Thren. medic. c. 14. his casibus semper vulnus sanari per accidens & non vi unguenti, quia hoc modo sæpissimè curantur vulnera absque emplastris; Ita etiam canes aliaque animalia sola lambitione qua mundificant vulnera, & ex qua consolidatio sequitur, absq; unguento armario sanant, quod non tam linctui salutari, quam repurgationi adscribendum est. Eodem modo etiam fracturæ ossium nullam aliam operam aut opem adfert medicus, quam quod extremitates ritè conjungat, arctâque ligatione confirmet ne denuò laxentur, reliqua committit providæ naturæ. Denique sunt superstitiosæ ceremoniæ; Nam Goclenius fol. 493. docet telum aut gladium unguento illitum primò in loco mundo & calido esse reponendum, aliàs vulneri absenti maximum inferri dolorem. 2. telum vel gladium, vel in horum defectu lignum seu ramum salignum in vulnere cruentatum esse immergendum in unguentum. 3. attendendum, an vulnus sit factum cæsim vel punctim: Nam in punctura gladium esse ungendum à cuspide versus capulam, in cæsura autem ab acie versus tergum. 4. obligandum esse diligenter gladium fasciis secundum illam partem tantum quæ in vulnere fuit; Quod hæc omnia sint damnandæ superstitiones & tales circumstantiæ quæ ad hunc effectum naturaliter nihil conducant; probatur primò, quia sive malè sive benè foveatur & mundificetur vulnus, ubicunque etiam reponatur unguentum, nihil conducunt ejus virtutes, quæ nullæ sunt. 2. nulla ratio est, quare pro gladio non possit inungi vagina, quæ fortè magis egeret & pro ligno saxum, nisi tamen

Materia unguenti.

men quod necessum est intercedat pactum Diaboli, qui non ad saxum aut vaginam, sed ad gladium, cultrum vel telum vult concurrere. 3 si unguentum naturalis causa est, quid facit ad rem ille modus, sive gladius seorsum sive deorsum inungatur, quia semper idem effectus sequetur, nisi adsit pactum. 4. similiter nihil refert, sive gladium liges secundum totum sive secundum partem, quia id pendet ex tuo arbitrio. Ut itaque rem totam paucis concludam, utar verbis Goclenii, qui ad initium hujus tractatus scribit, superstitionem deliram & inanem esse, quoties homo dicit vel facit aliquid, quod non habet vim naturalem ad effectum: sed ad vulnus sanandum non habent vim ullam ritus illi & ceremoniæ, Ergo. Quæ autem de unguento hoc, eadem de pulvere illo intellige.

II.

An unguentum hoc agat sicut Magnes.

OPinio Goclenii est, quod ille, qui unguentum hoc ejusque modum agendi cognoscere velit, debeat habere scientiam astralem, syderalem seu magneticam, cognitionem scil. proprietatum spiritualium totius naturæ, hoc est, magni & minoris mundi, & hanc philosophiam consistere in sympathismo seu magnetismo, & antipathismo seu theamedismo, quia theamedes lapis ferrum respuit: Et utrumque per astralismum perfici mediante synarthrismo spiritus sive animæ mundi communissimæ, secretissimæ, mysticæ. Horum verborum, quæ pomposa sunt, & Jovis Cerebrum sapiunt, sensus hic est, videl. rebus omnibus hujus universi congenitam esse certam quandam amoris & odii proprietatem in profundo naturæ reconditam, quam sympathiam & antipathiam vocant; Et hanc qui intimè penetraverit, eum habere scientiam quomodo astra in hæc inferiora influant, scire etiam modum quo unguentum armarium agat, &c. His autem positis quæritur, an juxta sententiam Goclenii hoc unguentum agat sympatheticè; deinde quid de philosophia astrali sentiendum sit.

DICO 1. unguentum armarium vel magneticum non agit ad eum modum, quo magnes trahendo ferrum, electrum paleas &c. prob. quæcunque sympatheticè agunt, ea semper producunt aliquid in medio, quia aliàs agerent in distans; sed unguentum magneticum nihil producit in medio, ergo non agit sympatheticè; hæc minor constat ex dictis, quia nullas habet virtutes quas in medio producere possit; ut constat ex ejus ingredientibus; sed nec superstitiosi ejus ritus & ceremoniæ superaddunt aliquid, nisi fortè quod his ipsis ejus vanitas magis manifestetur; Deinde unguentum hoc nullam dicit habitudinem nullumq; respectum ad suum passum sive subjectum vulneratum, sicut magnes ad ferrum, in quo producit qualitatem & impulsum, ergo nec agit magneticè nec sympatheticè. Et confirmatur

experientia, quà apud quam plurimos constat, frustrà unguentum hoc fuisse adhibitum, præsertim apud eos quibus nonnihil suspectum fuit: unguentum illud sive Emplastrum magneticum, quod Medici ad extrahendum ferrum si quod fortè intrà viscera adactum fuit, conficere solent, non est ejus speciei aut naturæ, cujus armarium; nec non constat ex ejusmodi ingredientibus, habet etiam alium modum operandi citrà ullas superstitiosas ceremonias, si tamen vim ullam habeat quippiam efficiendi de quo meritò dubitatur, quia Emplastra magnetica ad extrahendum è corpore non agunt virtute magnetica, quæ cum liquido subacta & corpori viventi applicata omninò evanescit, sed eo modo quo alia Emplastra solent operari, de quo vide alibi vim attractivam &c.

DICO 2. philosophia astralis, quam tantoperè deprædicat Goclenius, nec est ars nec scientia, sed est aliqua experientia, quam ab influxu quotidiano astrorum habemus. Hæc conclusio desumitur ex iis, quæ de cœlorum influentiis jam tractata sunt, ubi etiam constat quid quantumque cœli agant in hunc mundum inferiorem, & quam incerta sint quæ de supernis influentiis, quarum paucas solùm certas habemus, tantoperè laudari & deprædicari solent.

III.

Qua ergo virtute agat hoc unguentum armarium.

GOclenius tract. magn. fol. 479 hæc habet: fit inquit illa sanatio per meram naturam atque magneticam quandam efficientiam, attractionem & deductionem, nec toties decantatum vectorem spiritum, qui tanquam medium vinculum primo ex definitis & propriis constellationibus sympathiam & copulam seu convenientiam inducit, ex qua deinceps vis sanatoria in telum medicatum derivatur, è quo postea egreditur & ad partem usque vulneratam continuatur ac traducitur, tandemque actione istius virtutis consequitur effectus. Idem ferè dicit pag 488. Hinc autem duo colliguntur, primo esse quandam sympathiam inter unguentum & vulnus sicut inter magnetem & ferrum. 2. esse vectorem spiritum, qui tanquam medium vinculum vim sanatoriam ex certis constellationibus inductam & in telum deinde transfusam usque ad vulnus deducat, non secus forte ac ille spiritus, qui noctu sagas per aërem ligneo hirco vel caballo circumvehit. Adhæc requirit Goclenius phantasiam hominis læsi, quia hanc ait plurimum habere momenti tum ad balsamicam in sanguine virtutem à telo medicato attrahendam dirigendamque ad partem affectam, tum ad movendum principium sanativum in corpore existens; Tandem cœlùm etiam, quod vim sanatoriam ad determinatam in corpore partem mediante imaginatione & sympathia deducat, vel potius vectore spiritu.

DICO 1. Vector ille ſpiritus fictitius eſt, & ſine ratione excogitatus. Prob.1. nullum agens naturale opus habet tali ſpiritu, ſed virtus ad actionem limitata ſufficit 2. nemini conſtat, an ille ſpiritus ſit ſubſtantia an accidens, ergo fruſtrà fingitur; Antec.prob. quia Gocl.facit illum aliquando ſubſtantiam, aliquando accidens tanquam tranſcendens pro varietate rerũ quibus conjungitur, & paulò poſt dicit; illum eſſe cauſam omnium mirandorum effectuum. Sed primum eſt contra ipſos Authores Goclenii, qui dicunt ſpiritum hunc eſſe vivens & ſpirans ſubſtantiale principium omniũ actionum totius univerſi; Deinde cum tranſcendens ſit neutrum ſuorum membrorum, ſed aliquid abſtractum & ſuperius ſicut ens, nec eſt ſubſtantia nec accidens. 3. ille ſpiritus vel illa mundi anima eſt phyſica vel metaphorica cum chymicis; ſed utrimque peccatur, quia nec prior eſt accidens nec poſterior ut apparet ex Tyrocinio Chymico Joannis Beguini.l.2.c.4. qui principia ſenſibilium corporum ex furno alchymiſtarum, non niſi tria admittit, ut Mercurium, ſulphur & ſalem. Si dicas cum Gocl. hunc ſpiritum eſſe ſubtiliſſimum, licet corporeum, ab aſtris in unguento productum; vocari autem ſpiritum impropriè, quo modo vinum ſublimatum vocamus ſpiritum: Reſp. eſto etiam hoc ita eſſe, nihilominus illa ſanatio vulneris nõ erit naturalis, quia ille ſpiritus ſive ſit accidens ſive ſubſtantia, habet virtutem limitatam. Sicut omnia entia creata; ideoque non aget in vulnus ad quamcunque diſtantiam.

DICO 2. hoc unguentum non agit in vulnus ob ſympathiam, proinde malè dicitur ſympatheticum & magneticum; ratio eſt, quia haberet vim limitatam, ſicut habent omnes res naturales, quæ per ſympathiam agunt. Quod ſi dicas, etiam ſolem remotiſſimè agere; reſp. non eſſe faciendam ſimilitudinem cum hoc unguento & ſole qui ingentis eſt magnitudinis, & meritò in terris hic producit lumen, calorem &c. non tamen ultra ſphærã ſuæ activitatis ſicut fœtidum unguentum Goclenii, ſi verum eſſet quod aliquam haberet efficaciam in vulnus ſanandum; Magnes quidem etiam agit per veram ſympathiam, ſed non ad quamcunque diſtantiam cum ſit limitatæ virtutis; Neque dicat Goclenius aliam eſſe rationem inter magnetem & hoc unguentum, eò quod in hoc ſit vector ſpiritus, non autem in illo: Non enim conſtat quid ſit ille ſpiritus, & quomodo transvehat virtutem ſanativam unguenti ad vulnus; quo vehiculo aut quo motu locali, cujus directione & impulſu, ut non aberret à via, cur tantum tunc quando ungento illitus eſt gladius qui vulnus facit, & non quivis alius gladius aut culter, an per hanc diviſionem cutis & carnis gladius ſit factus ſympatheticus cum vulnere cum quo antea non fuerat &c. De telo idem intellige, quia nec eſt cauſa ſanationis, nec conditio ſine qua non, ſi enim primum eſſet, jam non virtus unguenti ſanaret ſed teli, à quo immediatè egreditur vis ſanati-

va in vulnus ob similitudinem ut loquitur Goclenius. Quia nulla est similitudo vel sympathia inter telum & vulnus ut examinanti patet: Nec est secundum, scil, conditio sine qua non, quia vel dispositivè tantum vel etiam activè requiritur telum ad excitandam virtutem unguenti, ut deinde posset à vectore spiritu per aërem vehi, sicut per actualem caloré ventriculi excitari debet calor virtualis vini; sed nec hoc dici potest, quia in ventriculo est naturalis aliqua qualitas, scil. calor actualis, quæ fungitur munere excitantis, cum in telo nihil simile ostendatur nisi fortè aliqua proprietas quod tamen falsum est, quia aliàs quodvis ferrum haberet hanc virtutem & proprietatem, cum tamen illud solùm sanet quo vulnus est inflictum; Deinde quia potest aliquis vitro, ligno, lapide vel re quavis alia vulnerari. Concluditur ergo, hanc curam esse impostoriam & minimè naturalem, sed ab atro aliquo spiritu vectore productam.

Corollarii loco Quæres, an sit aliqua sympathia inter aurum, argentum &c. & virgulam bifurcatam ex corylo, piceastro &c. Ante responsionem, quam eandem vidè superius disp. 3, diffic 22. Adverte, solere quosdam surculum bifidum ex corylo, si aurum & argentum, ex fraxino si æs, ex piceastro si plumbum quærant, decidere, virgulamque divinam appellare aut metallicam, qua venas auri argentique aut alterius metalli explorant, inclinante eò se virgulâ, quâ sub terris venæ porriguntur. Resp. probabiliter impostores esse, quia hujusmodi virgulis thesauros monstrare se posse profitentur; Quamvis enim aliqui putent, fieri possè ut tanquam magnes vi quadam occulta naturalique sympathia hi surculi à metallis trahantur, ut videre est apud Majolum part. 2. colloq. 4. qui id possè omninò credit; res tamen valdè incerta est, eamque suspectam facit, quod plerumque fures, & magicis imbuti tali virgula etiam in privatorum ædibus aurum quærant & inveniant. Audi quæ Greg. Agricola l. 2. de metallicis circa finem scribat; Hic enim postquam superstitiosas aliquas circumstantias in usu hujus virgæ metallicæ adhiberi solitas enumerasset, nempè quod cum certis quibusdam incantationibns necesse sit eam usurpari; quod qui apprehendit utrumque virgæ cornu, debeat pugnos efformare, ita ut digiti compressi ad cœlum spectent, quod tantum bifurcata & non trifurcata esse debeat, quod digiti leviter non sint stringendi, nec acriter nimis comprimendi &c. Tandem subjungit hæc verba: Metallicus igitur quia eum virum bonum & gravem esse volumus, virgulâ incantatâ non utitur, quia rerum naturæ peritus & prudens furcatam intelligit sibi usui non esse, sed habet signa naturalia quæ observat &c.

Virgula bifurcata ex Corylo, piceastro &c. an admittenda.

JOHAN-

JOHANNES NARDIUS, FLORENTINUS,

De

PRODIGIOSIS VULNERUM CURATIONIBUS.

MAxima calamitas eſt, ubi ſolvitur humani corporis compages. Unum illud eſt: ſimilarium partium, & inſtrumentalium coalitu, utriusque continuationis ſolutio bellum interminatur. Jure proinde meritoque ſtuduêre hucusque mortales nullſumq; non lapidem moverunt, quô inductum malum quàm citiſſimè averruncarent. Veteres longam inſtiterunt viam, cujus pertæſi recentiores, compendioſiorem excogitârunt ad præſtigium usque. Sola aqua, preculis nonnullis additis, Hiſpani Pſalmadores medentur vulneribus quibus ſupparaſitatur neſcio quis D. Balatius. Armarium unguentum ſuperiori ſeculo introduxit Paracelſus Helvetius, cujus deſcriptionem primus evulgavit Jo. B. Porta in ſua Magia Naturali. Uſus nomen præſcripſit; tela namque oblinunt, quibus homo fuit ſaucius vulnere miſſo, quin abſente multa ad milliaria ipſo vulnerato. Majore ſagacitate corradebat nuper Tribunus quidam militum linteamina, quæcunque ſanguis infecerat, hisque ſe clanculum, mederi ſanctè affirmabat; Multùm, diuque rogatus vix tandem ſuis fautoribus revelavit arcanum: erat verò Cyprium Vitriolum, quo linteamina ſtatis horis ſaliebat, ne marceſcerent (ut ſuſpicor) ſitumve contraherent. Jactant ſinguli propria experimenta, & quæ miſera temporum eſt conditio tanquam pro aris & focis dimicans, ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Vivebat dudum apud nos Chirurgus, qui vulneribus conſutis, pellionum ad inſtar nullum pharmacum admovebat, vixque ovi albumine roſaceâ diluto ſuperpoſita ſplenia, arcteque juncta per vices rariſſimas irrorabat: quanquam ſuborti vermes ſæpè cogebat malè ſanum hominem tam ſtrenuæ curationi renunciare.

Quæ inſania reſpicit novitium placitum Cæſaris Magati illuſtre vel ſolo patrocinio L. Galeno. Quibus enarratis ex injuncto ſibi officio Servius, conticuit, nobis dicendi præbens anſam. Multi profectò multa dicebant:

cebant: itum tandem in sententiam est, ut Director noster in re ancipiti litem compesceret, quod præstitit non invitus. Scitum est illud inquit cunctisque in confesso τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα: nempè contraria contrariorum esse medicamina: ratumque non minùs continuitatis solutioni unitatem opponi; ita ut quandocunque saucium proponatur Medico curanti membrum emergere confestim certissimam indicationem, ut quod solutum seu divisum, sarciatur, pristinamque lucretur integritatem. Huc collimant intensa Professorum studia, communisque hinc oritur indicatio, quam tamen impedimenta nonnulla quandoque remorantur.

Accidit inprimis ex dissectis vasculis sanguinei humoris affluxus, dolores, irrequieta vis stimulans insiti caloris labes influentis dispersio membri pernicies. Vix tamen percipit Natura offensam, si quando sedulum nanciscatur, expeditumque Artificem, qui disjuncta vulneris labia pristinam in sedem restituat, familiarique adhæsu disponat. Præstò semper est Gluten, quod exulare vulneris è parietibus nemo vestrum ignorat, quin ablata, casu quovis Epidermide, sistere se vel iniqui Censoris ad tribunal, per ocium experiemini. Quo nempè ingenio omniparens Natura propriis suffulta viribus, simplici vulneri pristinum insitum, si expedit, parte restitutâ, αὐτοδίδακτα medetur actutum. Fucum proinde faciunt prædicata præsidia. Arcet frigida aqua superstitione omni remotâ, humorum confluxum, liberamque præstat facultati expeditionem; incommoda, si penetret, aut intempestiva si admoveatur, Hippocratis monitu. Næniæ sunt, extrinseca illa officia in ferrum & linteamina: novi quid Crollius, quid illud sibi, non mihi suadeant. Et ne huic Tragœdiæ sua deesset machina, advocant spiritum Universi, qui exceptam medicaminis vim in vulnus refundat, phanatici medentis ad libitum. Quivis enim vetat, admisso quin etiam tali σφάγματι, ut nullis conclusa cancellis vis illa, pharmaci, plura irradiet vulnera, & unica pugionis litura universæ Legionis consulatur indemnitati? Haud vacat singula redarguere mendacia, quæ nebulones isti accumulant, ne quorum nos pœniteat tædeatve, non absque stomacho. Longum vale dixero nostrati illi Chirurgo, quin mero Empirico, ventosoque Thrasoni cujus tot fuêre errata, quot præstitit infelicissima opera, funesto plaudentium exitu: jam enim vela contraho, meque recolligo, justo posthàc cum hoste pugnaturus. Quod ut præstem, admonet me inprimis Galenus, quid Natura, quid Medicus *Art. Med. c. 90.* in vulneribus præstet habet verò. Coalescere facit etiam, quæ invicem distant, & pristinam unitatem restituit ipsa Natura. Congruunt hæc cum nostris, quæ superiùs pro ratis habuimus. Prosequitur ille. No-

strum

strum verò opus & applicare extrema distantium partium, atque in unum coacta conservare, & tertiò hoc cavere, ne quid labiis vulneris incidat, & quartò ipsam partis substantiam salubrem conservare. Quæ, nî fallor, Cæs. Magati censuram exterminant, iniquè in Galenum latam, tanquam nullam à partis natura elicuerit indicationem, pro vulnerum curatione. Sat essent pro diluenda calumnia, quæ dudum produximus ex ipsomet Galeno; verùm superpondii loco habeat & illa, quæ lib. tertio de Medicamentis per genera observat cautissimè in cura nervorum, ne vos multiplici testimonio conficiam. Obscuram C. Magati Diligentiam sat redarguunt felicissima experimenta ab incunabilis usque nascentis Medicinæ præstita, veterum præceptiones, rationum momenta.

In Adversarios omnia conspirant. Renunciant primum experimentis, quin perperàm, dataque opera male vulneri consulentes, uno tantum servato partis tegumento, optatam gloriantur se attigisse metam. Dicam tamen verissimè cum Ausonio, si quando illud contigerit saucio homini:

Evasit fati ope non Medici.

Quid sutori contigerit intempestivè puncturam claudenti, habet in Epidem. historiis Hippocrates. Qui Author tam apertè animi sui sensum in re præsenti explicavit, ut mirum sit cespitare obsequiosos: nam refractarios nauci & ille faciet. Præmonebat Senex. Præstat autem absque deligatione sinere præterquam quando cataplasma imponitur: quanquam aliqua ulcera, neque cataplasma ferre possint, magis autem recentia, quàm vetustiora, & quæ sunt in articulis. In puncto rem sic decernit laudatus Auctor: At ubi deligare voles, pharmaca non priùs imponere oportet, quam ubi valdè siccum feceris ulcus. Tunc verò apponere oportet, ulcus autem sæpè spongia detergere, (nota) & rursus linteum siccatum, ac purum sæpè adhibere, atque sic imposito medicamento, quod conferre videtur, deligare, aut non deligare. *l. de Ulc. in princ.*

Nil evidentius in re controversa. De cataplasmatis ante admotione, observa, quantâ cautione utatur expertissimus Artifex, quum verò cataplasmate opus esse visum fuerit, non ipsum ulcus cataplasmate integre oportet, sed circum sitas partes, quo pus decidat, & quæ indurata sunt, mollescant. *loc. cit. De Ulc.*

His nisi acquiescant Novatores, rationumque ponderi vix succumbere se velle pertinaciter profiteantur, age, ex eodem armamentario, balistas mutuemur.

Erit verò prima in ordine. Ulcera non purgata non committi solent, etiamsi adducantur, neque suâ sponte coëunt, Coi Senis observatu. At Magati norma obstat vulneris purgationi *loc. cit.*

gationis

loc. cit. gationi: Obstabit igitur & pariter soluti membri unioni. Ulteriùs. Ulcera quæcunque probè, & prout oportet, purgata sunt, semper ad sicciorem modum germinationem faciunt; hæc autem plerunque carne non superexcrescunt: impedit igitur debitam germinationem, qui purgationi vulneris obstat, sauciumque casibus exponit. Præterea, ubi circumsitæ vulneris partes inflammatæ sunt, quamdiu durat inflammatio vulnera coire non solent: sed novus curandi modus inflammationem accersit, non perflato extraneo calore occlusaque via confluentibus humoribus: igitur &c.
loc. cit. Rursus Recentia ulcera omnia tum ipsa tum circumsitæ partes minimè inflammationem incurrent si quis quàm citissimè suppuret, & pus ab osculo ulceris non interceptum, supprimatur: at neutrum fit à Magato; non postremum, quandoquidem ex condicto omnem viam illi præcludit: non primum degenerante innato calore, hincque putrescentibus humoribus, haut expeditam suppurationem attingentibus prævitiato promotore. Renunciandum igitur novo curandi instituto. Insuper ex opere,
loc. cit. quod Medicus tenetur præstare, contrarium convincitur. Ulcus humidum est, quod verò sanum, siccum; ergò, ne consentiat artifex malo, in opposita deducere conabitur: nunquam verò id præstabit, nisi fores patefiant. Hoc verò semper esse præstandum vel in recentissimo vulnere, eo-
loc. cit. dem Directore, abundè evincam. Ulcus recens ampliore purgatione opus habet. Igitur nullatenus aut incuriosius occludendum. Quod si vere-
loc. cit. aris objiciasque sanguinis exitum tunc sic. Tantùm est, ut hæc vera sint, ut omni recenti ulceri conducat frequenter sanguinem educere facere, & ab ipsis partibus ulcus complectentibus. Et ne basilicas credas edictiones
loc. cit. urgebunt te rationum momenta. Siccum sano propius: Sed sanguine defluente ulcera sicciora fiunt, & tutiora: præstat igitur sanguinem deflue-
loc. cit. re. Prohibet enim hoc maximè talia ulcera humectari. Emanant hæc à
6. Epid. sect. notissimis principiis, nempe, in vulneribus sanguinem concurrere in o-
l. 5. mnibus putredinem sanguinis ex sanguinis transmutatione fieri inflam-
l. de ulc. mari ulcera, quum ad suppurationem tendunt, suppurari alterato sanguine, ac calefacto non inflammari vulnera, & circumsitas partes, si quis avertat ut non suppurentur. Sat jam factum (amici) prosequimini vos proinde, si lubet, inchoata studia: commissum namque pensum abundè, pro viribus, absolvi.

JOAN.

JOAN. FREITAGIUS
in Noct. Med.

Commentus etiam est Paracelsus curationem, quam magneticam vocant, cujus, ut fundamentum in occultis rerum delitescere censent potentiis, ita etiam spreta omni methodo rationali cum suis sequaculis & confecialibus eandem pertexit; Rationes pro ea stabilienda adferunt nullas, vel saltem alienas, sed quidni possint eximias & penetrantiores? In confesso est nos ignorare aliam occultarum qualitatum naturam, quam supra recensui. Illi varias sciunt & ponunt harum rationes in spiritibus, præsertim illorum seminum orcivorum Pythagoræis: sed hæ nugæ superius cribratæ sunt. Suavem recenset magneticæ tractionis causam, quam tamen ex Paracelso emendicavit Quercetanus: Talis verò est: Magnes includit & comprehendit spiritus ferri, quorum cum non sit proprium & peculiare corpus, non potest fieri, quin ad proximato proprio corpore, id totis viribus, attrahant. Bella ratio: Unde hoc habes? Vel à quo accepit Paracelsus spiritum ferri in alieno magnetis hospitio, diversari: mirum videri potest, quod cum tam violenter attrahat, non etiam in attractum suum domicilium naturale proprium migret, cùm omnia naturalia naturaliter & vi insita ad locum suum ferantur. Neque etiam spiritus magnetici retinebunt peregrinos, neque ferrei repudiabunt germanos & congeneres. Et si spiritus ferrei in magnete trahunt ferrum, tum ferrum trahet ferrum, vel si aliter vis, essentia ferri trahit essentiam ferri. Et si magnes non traheret ferrum sua natura & per se, sed quatenus tales haberet incolas peregrinos; & idem traheret se ipsum. Sed si spiritus ferri sunt in magnete, quod nec dum probatum est à Paracelso, an idcirco attrahent ferrum, quod sint in loco alieno? Si appetunt domicilium proprium, eò potius emigrabunt, quam attrahent, aut si attraxerunt, eundem occupabunt. Res naturales non attrahunt, sed feruntur ad suum locum: Et cur attraherent, si non potirentur? Et si potiuntur attracto ferro, ut se illi tanquam naturali suo insinuent, magnes quivis semel dundaxat ad se trahet ferrum, in posterum hac virtute privatus. Et si spiritus ferreus inest magneti, quid vetat eum non tam posse ingredi quàm ad se rapere paternas ædes, cùm ideò

Ratio tractionis ferri in magnete à Paracelso & Quercetano allata.

trahat (nihil enim trahit propter ſolum trahere) ut poſſideat, & magnes emigrantibus hoſpitibus peregrinis nihil defraudetur, ſed æquo animo eorum diſceſſum ſit laturus?

Cæterum non immeritò quæri poteſt; An non ſpiritus magnetis ſit in ferro, ut potius hoc magnetem, quàm ille ferrum trahat. Pone majus ferri pondus & attrahetur magnes. In rebus enim, quæ ſe occultâ ſympathiâ reſpiciunt, utrobique ineſt ejus compaſſionis cauſa & baſis, occulta videlicet qualitas, qua ſe mutuò reſpiciunt. Sed cur magnes reſpicit polum arcticum? Forte quod & ille ſit ferreus, vel ſpiritus ferreos habeat, vel trahitur ab eodem, quod ſpiritus magneticos poſſideat? Quid multis? An res quælibet ſympathiam vel antipathiam, cùm alia habens ſpiritus ejusdem rei peculiares vel contrarios, aut infenſos continuet? Leo ad cantum galli exhorreſcit, evibrante procul dubio tam inimicos ſpiritus gallo, qui adeò feriant ſpiritum leonis. Aurum (juxta Paracelſum) habet ſpiritum cordis humani, mirum itaq; ſit, quod non attrahat ad ſe corda, ſed ab iis adeò avide attrahatur. Sed non erant iſti ſpiritus peregrini in auro, quales tamen eſſe neceſſe eſt, ſi ſint cordis. At quî fit, quod alii mortalium adeò averſentur feles, ut in loco ubi eas eſſe etiam neſciant, nihilominus durare nequeant, ſed juſto diutius detenti animo linquantur? Habebunt procul dubio, ex opinione Paracelſi, Spiritum mutum, ſibi à catis impendio metuentem.

Scaliger antipathiam luporum & ovium in eo ponit, quod hæ illis in paſtum cedant. Sed hæc eadem eſt antipathiæ cauſa in milite adverſum mercatores auro onuſtos & iter facientes. Et ſanè hujus antipathiæ nutricula eſt invidia, præſertim in pauperioribus adverſum fortunatiores, quorum res ſecundas lippientibus oculis intuentur. Videas in omni vitæ genere & præſertim aulico hujus antipathiæ fœcundiſſimam annonam.

Sed revertamur ad ſpiritus Paracelſicos, in quibus proculdubio magneticæ curationis ratio conſiſtit. Sic verè argumentantur ſcilicet: Quemadmodum magnes trahit ferrum, ita quædam medicamenta, non aſſumpta, ſed certo duntaxat extra corpus modo uſurpata attrahunt, & educunt morbum. Papæ! Quam verſicolor ratio!

Dic aliquem, ſodes, dic Quinctiliane colorem.

Exemplo ſunt cancri fluviatiles, ſi numero ſeptem viri applicentur Ventri aſcite laborantium, & dein permittantur repere in rivos, unde capti erant, omnem educent hydropici aquam, & hic ſubitò detumeſcens ſanabitur. Vel ſi eundem aliter curare mavis, magneticè, Tunde venam brachii dextri, cruorem putamini ovi recens evacuati include, obſera, fimo include, ut putreſcat, inchoata putredine ipſa una inchoabitur ſanatio, eâque perfecta perficietur.

Icteri-

Ictericum sic curabis magneticè, carnes bovillas crudas recentes coque in urina icterici ad consumptionem liquoris, coctas hoc pacto objice cani famelico devorandas, & liberato icterico homine, transferetur ictericia in canem adeò ut is totus flavescat. Lapides narras: Sed risum teneo. Cui talis curatio unquam bene cessit, nisi fortè nigromanticis & Paracelsicis, quorum hæ actiones sunt sacramenta & symbola à Diabolo ipsis injuncta. Nulli verò unquam remedia magica benefecêre, licet prima fronte profuisse visa sint. Juxta naturæ ordinem ejusmodi præstigiæ rectè succedere nequeunt. Omnis sympathia fundatur in occulta qualitate rerum istarum, inter quas latens & amicus est consensus. Res alia aliam ad se rapit propter similitudinem in qualitate hærentem. At cum rem amicam ad se allicit, non educit qualitatem rei, propter quam eandem respiciebat, sed rem ipsam attrahit. Si magnes non ferri qualitates amicas, in quibus familiaritatis causa delitescit, sed ipsum trahit ferrum. Hæc conferamus cum ratione curæ magneticæ Ut magnes trahit ferrum, ita cancri vel sanguis putrescens educent hydropem morbum, & caro in urina cocta ictericiam. Atqui res occulta qualitate prædita non trahit occultam ex alia re qualitatem, sed rem eadem affectam, ut magnes ipsum ferrum: Morbus verò est qualitas: Oportet itaque sanguinem putamini ovi inclusum attrahere Epar propter morbum seu qualitatem inhærentem, in quo rati hydropis & sympathiæ cùm sanguine corrupto consistit. At forte dicis, cancri & sanguis corruptus educunt hydropicorum aquas: Quod si ne sic quidem falsum diceres, nihil tamen ad rem diceres. Ista enim aquæ eductio, si fieret, non est hydropis, quatenus morbus est, sed symptomatis ablatio. Manet enim causa aquæ, ipse videlicet morbus in epate, quod eductis aquis & morbosa in Epate remanente qualitate, continuò regenerentur. Quamobrem nec sanguis putrescens, nec cancri reducens alliciunt qualitatem ex Epate malam, in quo ratio morbi, qui hydrops dicitur, consistit.

Sed isti magnetici curatores nullo discrimine in omni hydrope præscribunt hanc curandi rationem, videlicet per sanguinis putredinem in ovi putamine.

Verùm enimvero nec quilibet hydrops neq; etiam ascitis quælibet tolerat aut requirit venæ resignationem, uti & ubi vires ægri, ætas & similia sæpè contra indicant. Sic autem debilitas non tantùm sit qualitatum & temperiei in Epate, sed etiam substantiæ, quid tum consilii? Omnis enim intemperies Epatis & naturalis & morbosa similē producit suæ naturæ humorē, quam diu imbecillitas sustantiæ seu dissolutio toni nondum subsecuta sit; Atqui cum eò perventum sit, etiam substantiæ debilitas vocatur. Hæc licet sit cum & à calida intemperie, non amplius tamen calidos

acres & biliosos, sed aqueos humores sanguinemque loturæ carnium similem producit. Unde Itollerius in practica sua cap. de hydrope, ait: Facilioris doctrinæ gratia duplicem intemperiem constituere licebit: unam, quæ ad jecoris substantiam pervenerit, illiusque vires & harmoniam dissolverit, ita, ut imbecillitate contracta suum officium non faciat, nisi diminute. Alteram circa imbecillitatem intensa aut remissa aliqua qualitate, ut calore & frigore, quæ tamen nondum naturalem constitutionem ita labefactarit, ut facultatis vires sint imminutæ; sed corruptæ. In priore est perpetua excretio sanguinis aquosi & semicocti sive à calore, sive frigore fiat. Hactenus ille: Quid si magnetica tua curatio educeret qualitatem morbificam seu intemperiem, quomodo curabitur toni solutio & substantiæ debilitas? Ablatio malæ qualitatis non est restauratio novæ facultatis, quæ tonum modumque substantiæ respicit.

Intemperies enim vel est sanitatis, vel morbi, & hæc certos habet limites, ultrà quos si progrediatur, non tantum perit actio, sed modus substantiæ labefactatur, & res ipsa ad interitum vergit. Ablatio malæ qualitatis non est substantiæ debilis confirmatio, Medicina autem non tantum est detractio sed & abjectio. Magnetica itaque hæc cura nec in morbo simplicis intemperiei, nec in ea, quæ substantiam labefactat, valet.

De unguēto armario. Neque quicquam huc facit, quod de operatione & viribus unguenti armarii seu stellati jactant. Illud enim non sanat attractione vel eductione solutionis continui, quæ, ut talis, est in quanto consistit. Deinde curatis difficilia vulnera eodem non persanantur, cætera verò leviora, si commodè liges, mundes, partemque ab intemperie aliisque accidentibus præserves, natura ipsa carne replet & glutinat, citra vel emplastrum Chirurgi vel Unguentum Armarium telo illitum. Hoc verò stellatum linimentum telo applicatum nec labra vulneris invicem adducere, nec sordes mundare, aut intemperiem arcere potest; quæ nisi fiant, neque id sanabit, & si fiant sine eodem persanabuntur, dummodo sanationem ullam admittant. Curatu difficiliora, ut nervorum, panniculorum cerebri, articulorum, intestinorum, ventriculi, viscerumve tu cuncto isto duntaxat unguento & te ægrumque decipies. Cætera, quæ de telis custodiendis, ne rubiginent, vel igni injiciendis, ut læsi discrucientur, vana esse, ostendit res ipsa & experientia.

Hermannus Conringius,

De

Morborum remediis Magicis & Unguento Armario.

Herm. Conning. H. M. pag. 218.

VErum de his ſatis. Pergendum ad illa, quæ in medendi uſum, ſcholæ utrique Hermaicæ veniunt, imaginariis illis remediis ſepoſitis. Et verò in horum nonnullis utraque ſecta mirificè inter ſeſe conſentit, in nonnullis tamen diverſis ſunt moribus. Maxima in morborum Magica curatione conſenſio eſt. Refero autem huc eam quæ inſtituitur per verba, per characteres, per imagines, per apertam dæmonum aliorumque ſpirituum invocationem. De iis Paracelſus non dubitavit ſcribere: Natura vires ſuas in verba imponit: ſicut in herbas & radices, ita in gamahæos. Et paulò poſt: imagines & characteres ſunt pyxides, in quibus Magus ſiderum vires aſſervat. Prolixè hanc rem pertractat libro quem de occulta philoſophia inſcripſit titulo de characteribus, docens characteribus perſanari morbos quos nec aurum potabile nec quinta antimonii eſſentia curaverit. Ibidem omnibus characteribus & ſigillis aliis duo præfert; alterum, voce Adonai, alterum voce: Tetragrammaton, una cum figurâ aliquâ certâ inſignitum. Nec dubitavit ibidem hæc in verba ſcribere: Eſſe fabricandum vel effingendum pedem vel manum, vel aliud membrum, ad formam ejus quod ægrotat ac dolet, vel etiam imaginem totius corporis, atque illam eſſe inungendam & obligandam, non dolentem hominem. Si homo per incantationem uſum ſermonis, auditum vel virilitatem amiſerit, totius hominis imaginem, è cera eſſe faciendam, forti fide atque fixa imaginatione, atque illam imaginem debito modo curandam eſſe. Libro Archidoxeos magicæ characteres varios docet formare morbis ſanandis commodos. Operam porrò Dæmonum malorum diſerte commendat paſſim. Libro V. de morbis inviſibilibus ſcribit: Deum arte hac Diabolum donaſſe, & valdè peritum in luce naturæ poſuiſſe, hanc autem ipſi eripi poſſe. Artem uſurpandam, Diabolum relinquendum eſſe. Ideo nos in hoc mundo verſari, ut minor à majore diſcat. atque ita uſum artis, qualis in ſe eſt, transgreſſionem legis ſive peccatum non eſſe. Item: Hoc nobis perſuaſiſſimum

l. I. Philo. ſag. c. 6.

mum debere esse, Deum condidisse medicinam, nobisq; ob oculos considerandam posuisse. Ideoq; si per characteres nobis aliquid boni contingit, eodem cum plantis loco habendos esse: imò etiamsi diaboli forent, tamen habendum esse quasi essent pyxides ex pharmacopolio. Si inquit diabolus verbum pro herba accipit, sit nobis instar herbæ. Verba sunt illius (diaboli sc.) species: characteres illius composita & syrupi. Hinc aperte in scholâ Basiliensi docuit: si Dei deficit auxilium diaboli succedat. Thomas Erastus testimonio Georgii Vetteri, Paracelsi per biennium amplius comitis & in chirurgia discipuli, probat, homini cum malis geniis multum commercii fuisse. Nuper mihi, inquit, vir pius, doctus, industrius, D. Georgius Vetterus, Paracelsi amans & studiosus asseverantissimè affirmavit, eum Magiæ nefandæ perquam studiosum fuisse, & cacadæmonem haud aliter quàm socium nominare consuevisse. Nihil magis, inquiebat, metui, quotiens ebrius erat, (erat autem frequenter) quàm ut agmina Diabolorum accerseret: quod sæpe numero facere voluit (speciem artis suæ editurus) sedà me rogatus omisit. Cùm sobrium monerem, ut missa isthæc faceret, quod Deum graviter offenderet, quodque ad extremum triste stipendium solitus esset persolvere famulis suis diabolus: respondebat, se non multò post receptui cantaturum esse. Quum porrò præter bonos angelos malosq;, crediderit Paracelsus reperiri tertium aliquod spirituũ genus, Evestrum ipsi dictum (cujusmodi sint, qui in aquis, speculis, crystallis, unguibus sese ostẽtant, dormientibus item ac vigilantibus apparent, Salamandræ, Sylphes, Melosinæ, Diemii, Durdales, Neufarinæ, Lorindæ, Nesderæ, Gnomæ, Lamiæ, Nymphę, Syrenes) indubiè horum quoq; ope licite uti nos posse judicavit. Sane etiam homunculum, cujus fabricam docet, l. 1. de rerum generatione, commendat à rerũ omnium peritia, & ascendentibus quos appellat exprimendas monet artes & potentiam. Imò omne genus Magiæ passim summis laudibus persequitur, nisi quod cum malis dęmonibus non blanditiis aut fœdere aliquo sed minis & vi agendum contendat: quoniam Magica omnia intra naturę sint limites. Eoq; Magiam esse artem artium, omniumq; rerum occultarum inventricem; ex eaq;, non autem Galeno, Avicenna, aut similibus, discendam esse medicinam diserte scribit c. 9. libri cui, nomen Labyrintho medicorum errantium. Alibi scribit: Magiam esse per se occultissimam artem, & summam sapientiam rerum supranaturalium: & quicquid humana ratione aliàs agnosci non potest, id Magia investigari posse. Quis, inquit, ex theologis sine Magia vel dæmonem ejecit, vel spiritum ad se accivit, aut à se abegit? quis Magiæ imperitus ægrum aliquando sanavit, aut simile aliquid perfecit, nedum montes transtulit? Libro de Pestilitate tract. 2. consulit medico, ut discat Magiam & affines illi artes, pyromantiam, chyromantiam, hydromantiam; nam & Joannem Evangelistam, Mosen, Aaronem, Eliam,

Eraſt. part. 4. pag. 2.

Vide l. 1. ad Athenienſ. c. 13.

Lib. de imag. c. 11.

Lib. de occ. philoſophia.

Eliam, Enoch, Davidem, Salomonem, Danielem, Baruch, Jeremiam, Hesechielem & omnes Prophetas Magos fuisse, libro de vita longa, Magię beneficio Adamum tot annis vitam vult prorogasse; & Magos illos qui infanti Christo obtulerunt dona, magicâ vi non equorum adminiculo Bethlehemum venisse. Libro 1. Philosophiæ sagacis cap. 4. non dubitavit profiteri, Christum ipsum arte secundæ Magiæ (sex enim ibi species enumerat) corpus suum in monte Thabor transformasse. Medicum in usum cum primis, ceu ante etiam dictum, Magiam semper laudat. Morbi, inquit l. de caduco, non cognoscuntur nisi per magiam. Alibi: Magiam fundamentum esse oportet cognitionis herbarum. In Astronomiâ magnâ. Multa sunt à veteribus remedia inventa per Magiam quam tamen integrè non didicerant; Extrema verò est dementia hanc artem diabolicam rejicere. *Lib. de Perscrutar.*

Mitto alia ex Paracelsi libris in hanc sententiam scripta, excerpere: sunt enim innumera. Neq; ille obscure Magiæ cultorem sese professus est, quod cum ex ante allatis satis est manifestum, tum verò constiterit vel unico illo Bullingeri, qui Tiguri hominem novit, testimonio quod Erastus suis disputationibus inseruit: Contuli, inquit, cum eo semel & iterum de rebus variis, etiam Theologicis, vel religionis. Sed ex omnibus ejus sermonibus pietatis nihil intelligere licuit, Magia verò, quam ille nescio quam fingebat, plurimum. Conradus Gesnerus, vir probitate utiq; non minus quàm doctrina eximius ita olim scripsit libello de chirurgiæ scriptoribus: Paracelsus dæmone utebatur familiari, ut ex ejus discipulo audivi. Item: in Epistola ad Joannem Cratonem: Theophrastus impius homo & magus fuit, & cum dęmonibus communicavit. Oporinus Basileæ olim discipulus Theophrasti & familiaris fuit: is mira de ejus cum dęmonibus commercio prædicat. Addit de Paracelsicis: Astrologiam vanam, Geomantiam, Necromantiam, & hujusmodi artes prohibitas exercent. Et sanè quamvis multis illius sectæ crediderim hæc magistri sui improbata, tamē nimis quàm multis arrisisse certum est. Phædronem impiissimum magū idem Gesnerus nuncupat. Et verò ille disertè affirmavit, in cura characteristica majora & miraculosiora delitescere abscondita mysteria majorū Patrum & antiquorum Prophetarum, quàm fas sit profari. Ab illius scholæ hominibus constat pene nihil non Magicorum veterum librorum non laudatum solummodo sed etiam in vulgus esse publicatum. Oswaldi Crollii verba sunt; Quicquid medicus naturaliter sive herbis per moram temporis successivè operantibus efficit: Illud Magus sive Medicus cœlestis characteribus & lapidibus, gamahæa scilicet, influentialis conjugii terrestri signo, per combinationē superiorum & inferiorū, astraliter, validissima impressione, subitò & longè citiùs perficit. *Erast. part. 1. p. 239.* *Gesner. l. 1. epist. p. 5.* *Phæd. in chirurg. minore.* *Coroll. præfat. Basi.*

Omnino hæc consentire cum veteri Ægyptiorum doctrina in aperto est. Ne enim nunc tangam, quod Paracelsus scribat: Magos Ægyptios

arte

arte hâc (i. e. licita Magia) miracula edidisse & quanquam Scriptura illis artificibus duriora nomina imponat, artem illam à Deo fuisse: referat item Magos illos usos secundâ magiæ specie, quâ ipsemet Christus transformavit corpus suum in monte Thabor: quantum ex superioribus est colligere, pene nihil habuit Magia Ægyptiorum, quod non laudent nostri Hermetici, si summam rei spectes. Etenim cum aliàs tum ad medendi usum Ægyptios frequenter usurpasse incantamenta barbaris vocalibus constantia, variasque imagines lapidibus aliisque rebus inscriptas aut insculptas, liquet ex iis quæ suprà docuimus. Ibidem ostendimus, verbis, characteribus imaginibus, imò & plantis ac lapidibus attributam ab Ægyptiis naturalem facultatem genios cogendi ad hoc aut illud præstandum etiam invitos, vel certè eosdem adigendi ita volentes, eoque illam Magiæ speciem esse naturalem. A geniis eosdem aut spiritibus expetiisse morborum remedia itidem ostendimus. Num tamen ab iis spiritibus quos malos esse & perversos noverant, itidem remedia morbis quæsiverint, dubito. Sane nusquam id mihi lectum memini. Eoque dixerim hâc in re Paracelsicos nonnihil à moribus Hermaicorum veterum dissidere. Ad hoc, libaminibus & supplicationibus constat usos Ægyptios ad opem spirituum sive deorum impetrandam: Paracelsum tamen aut ejus asseclas itidem hæc commendasse ad demulcendos vel illos medii ordinis genios, non videtur. Ut proinde etiam hac in re quædam inter illos sit discrepantia. Nusquam denique reperias memoriam in cujusquam gentis magicis voluminibus, homunculi Paracelsici arte chemica producti; ut hic quoque unius Paracelsicę scholæ sit proprius. Nolo nunc prolixè in Magica isthæc sive veteris sive recentis Hermeticæ scholæ animadvertere, quoniam cum ab aliis multa in hanc rem sunt præclarè disputata, tū mihi consilium est singulari opere vanitatem Naturalis quam vocant Magiæ prodere: Indicatis & naturæ in agendo limitibus & geniorum inter naturæ res latitantibus operibus. In propatulo etiam est, imaginibus, characteribus, & vocabulis sive carminibus, (in quantum ex instituto non valent) partim nihil, partim exiguum adeo esse efficaciæ ut in morborum remediis jure nequeant numerari. Sanè ipsimet Paracelsici, si urgeas, statim ad vires imaginationis confugiunt; quod est perinde atque si fateantur, non vi imaginum aut characterum aut carminum quidquam peragi, sed confidentis animi singulari facultate. Et verò nunquam *illis* adhibitis videas quidquam profici, nisi animus ante fiducia quadam & credulitate fuerit occupatus. Quod quidem argumento non est, opus ab illâ persuasione profectum esse, prodit tamen non à naturalibus illud causis ortum, utpote quum hæ etiam nulla accedente persuasione opera sua exequantur. Fortè ex Ægyptiorum sacerdotum sententia, Porphyrio sciscitanti,

citanti, cur sacerdotes utantur nominibus nihil significantibus? respondit olim Jamblichus: omnia ejusmodi nomina significare aliquid apud deos, & à diis ipsis vocabula ista ad homines, Ægyptios cum primis & Assyrios, sanctissimas scilicet gentes, pervenisse. Quæ si fuit Ægyptiorum mens, etiam hi utique effectus carminum non tribuerunt naturali cuidam vocabulorum virtuti, sed ipsis dæmonibus, ceu symbolis ex instituto vocabulis illis utentibus. Quod omnino est verissimum. *Jamblich. l. 2. de myster. Ægypt.*

Porro illi Spiritus omnes, qui erga humanum genus in scientiis atque artibus addiscendis magisterio queunt fungi, aut mirabilia illa opera Magica efficere, necessum utique est & intelligentia & agendi facultate hominem multum superare, adeoque substantias esse ipso homine magis spirituales. Quæ tales autem sunt, non possunt à rebus naturalibus quidquam pati vel invitæ cogi: multò minùs vim illis inferre possunt propriâ quadam virtute vel characteres, vel imagines; vel carmina utpote quæ virtutem propriam habeant nullam. Quicquid igitur sive Ægyptii sive Paracelsici pollicentur de vi rerum in illos spiritus, illud vel hinc apparet esse vanum atque inane: quæ verò ad characterum, imaginum, verborum, aut aliarum rerum naturalium usum agunt genii, agunt quoniam ita sibi placuit agere, & ad symbolorum illorum præsentiam hoc aut illud efficere ipsimet instituerunt.

Ad hoc si omnes illi genii sunt substantiæ magis, quam est ipse homo, spirituales, ceu ante est dictum, necessum quoque fuerit illos in ordine Angelorum esse; & quidem cum non minus sint voluntate præditi quàm intelligentiâ, eosdem sive bonis sive malis esse, ut ita dicam, moribus. Quo iterum fit manifestũ nihili esse & erroneam Paracelsicam doctrinam, quasi Evestra aut illi Spiritus (quos ajunt in speculis, crystallis, unguibus, & alibi, sese ostendere) sint infra Angelicum ordinem eoque nec bonis nec malis angelis connumerandi. Sed & omnium illorum ingenium virtutis, loco & naturâ suâ dignæ, neutiquam studiosum, arguit ipsa vilitas eorum circa quæ juxta Paracelsi placitum occupantur. Certè qui incubos & succubos sese hominibus præbent, qui veneficis ad omne genus scelerunt ministrant (quod ex Paracelsi philosophiâ Sylphibus sive sylvarum indigenis Spiritibus adscribit Joannes Sophronius Kozack) depravati animi esse, nefas est dubitare. Ejusdem notæ esse Lapponibus famulantes genios, ex eorundem operibus est clarissimum: & tamen itidem eos medii hujus esse ordinis docere non erubuit Guilhelmus Laurembergius, libro de Ætite lapide. Non meliores verò probant sese & reliqui quotquot vulgo sunt πάρεδροι Spiritus, sivè crystallis aliisque corporibus inclusi sivè alio quo modo hominem comitentur. Sanè quemadmodum demonstravimus, Ægyptiis Deorum specie malos dæmones imposuisse, ita & quicquid *Anat. Vital. microsmi. c. c. 17. pag. 130.* *Vide c. XII. pag. 128.*

est Paracelsicorum Evestrorum pessimi illius ordinis esse, ex eorum gestis facilè est ostensu. Quem arte chymicâ producere Spiritum Paracelsus docuit, itidem opera demonstrant à Paracelso ipsi attributa, dæmonem esse aut ejus ludibrium. Forte tamen omne illud mere est commentitium.

Cæterum si illi benefici adeo sunt erga hominum genus, nec mali tamen, ut volunt Paracelsici: si in ipsorum est arbitrio prodesse aut obesse, fuerint honore & cultu aliquo alliciendi in obsequium. Quod cũ fecerint olim Ægyptii & faciendum doceant Magi, rectius illos quam Paracelsistas (nonnullos ajo, nonnulli enim aliter & sentiunt & agunt) tueri hypothesin suam solere, manifestum est.

In dæmonum quorum ipsis erat comperta malitia, opera utenda, dixeris item cautiores fuisse Paracelsicis Ægyptios. Neque enim apparet ab illis quidquam eos expectasse commodi; etsi ad veneficia & scelera horum adminiculis Magos Ægyptios scientes volentes esse usos, ex Porphyrio pariter & Jamblicho sit manifestum. Paracelsum verò audivimus, etiam diaboli auxilia & operam multis & passim commendasse. Atqui non ex nostris tantum divinis Christianorum codicibus, sed aliunde etiam patet, infestissimo omnes illos dæmones in hominem animo esse, eoque nihil non agere quo hominem fallant & in omnis generis mala præcipitent. Num igitur illorum operæ sanitatem & vitam fortunámque committere, non est salutem omnem arbitrio capitalium hostium exponere?

Quanta porro quamq; impia calumnia est, sanctissimos Hebræorum Prophetas, ut & Apostolos, Magicas illas à Paracelso laudatas artes exercuisse! Quam horrendum est imò dictu audituque pariter nefandum, Christum eâdem cum Ægyptiis illis Moysis adversariis magia fuisse usum! Ab homine Christianum sese professo nusquam temerè hæc dicta legeris. Et verò omnis illa Paracelsi Magia semper à Christi Ecclesia est impietatis damnata: nihilq; est facilius quam revelati divinitus verbi auctoritate quicquid illius Magiæ est falsitatis atque sceleris convincere. Quo ipso simul patet, longe minùs veniam hîc mereri Paracelsicos quam veteres Ægyptios, quoniam videlicet sacris literis fidere sese profitentur, & tamen non minus Ægyptiis cæcutiunt, quibus sol iste non luxit. Verum non est hujus loci impietatem Paracelsicam insectari: estq;, ceu ante dixi, propositum alibi latius in Magiam animadvertere. Itaq; hunc locum nunc deseremus.

Cæterum monet occasio nonnihil heîc de unguento Armario sive sympathetico, quod vocant, in medium adferre. Et quidem ignoratum id genus curandi vulnera Hermeticæ scholæ antiquæ, omnino est vero simile; utpote cum in nullis libris antiquioribus, ejusmodi quid vel obiter memoretur. Paracelsum autem constat tale unguentum descripsisse l. 1. Archidoxeos Magicæ; eandem compositionem commendasse ipsi Maximiliano

Cæsari,

Cæsari, testatur Joannes Baptista Porta Magiæ naturalis l.IIX.c.12. Post illum aliæ quidem atque aliæ descriptiones sunt proditæ; totum verò istum curandorum vulnerum modum Paracelsica schola præ aliis unicè sibi sumpsit defendendum. Summa rei in eo est: quod vulnus possit sanari, tantum si id quo vulnus est inflictum, aut aliud aliquod telum, vel lignum, imò linteum, ut nonnulli scribunt, sanguine vulnerati hominis commaculatum unguento isthoc indies curetur.

Ut autem quid de hoc negocio sit sentiendum brevibus expediamus, ante omnia id quod usu compertum hac de re est, indicandum. Primum igitur constat, aliquos non illo ex Paracelsi, sed vel Crollii vel Wittichii vel Gabelchoveri, vel aliorum descriptione paratis unguentis perinde felici cum successu uti. Novi ipse quendam, ait Sennertus, qui unguentum hoc solum ex pinguedine porci domestici paucisque aliis, nulla re è corpore humano petitâ componebat. Qui pro unguento sint solo lardo feliciter usi, imò qui vulneris instrumentum succidiæ tantum immiserint, novi ipsemet. Sunt qui paria promittant, fraxini ligno vice omnis unguenti usurpato. Deinde certum quoque est, nullo illorum unguentorum omnis generis vulnera sanari. Crollius ipse excipit in quibus nervi, arteriæ vel unum trium principalium viscerum (h.e. interprete Hartmanno, cor, cerebrum, epar) sint læsa; facit idem magnus ille hujus Armarii Unguenti deprædicator Goclenius. In felicis successus exemplum in mammæ vulnere habet diligentissimus Fabricius Hildanus. Similem non unam historiam possum ipse recensere: plurimas alios posse, non dubito. Hinc sane fit ut rarò ipsi Paracelsici aliique unguenti istius laudatores ausint vulneris paulò majoris, cui contusio adjuncta est, sanationem uni illi unguento cõcredere. Tertio docet usus, in curandi hac ratione nonnunquam accidere, ut à teli inuncti præposterâ curatione vel læsione ipsum vulnus statim malè habeat, imò à vulnerato in victu commissi errores in telo prodantur: nonnunquam tamen horum nihil evenire. Similiter in aliis sine usnea (ita appellant in corporum diu è patibulo suspensorum capitibus enatum muscum) nihil effici; in aliis hanc non quæri. Porrò etiam hoc compertum est: qui parum fidunt unguenti viribus, eos in graviusculo quoq; vulnere parũ vel nihil ab unguenti istius usu capere emolumenti, & quo quis est magis minusve superstitiosus aut circa compositionem aut in usu unguẽti, eo etiam plus minusve exigi ut ex voto curatio succedat, nec aliis quàm qui summa quæq; de unguento isto sibi persuasa habent illa evenire quæ tertio loco commemoravimus quibusdam accidere solere. Deniq; constat, vulnera ipsa omnino fideliter ab injuria externâ omni defendenda, probe indies purganda si opus sit, eorumq; labia si hient jungenda esse: Ægro quoq; cavendum ne quid in victu committat quo aliàs solent vulnera male affici.

Prax. l. 5. p. 4. c. 10.

Cent. 3. Obs. 25.

Ex hisce verò quæ diximus colligere est, tantum eorum vulnerum, quæ carni citra aliquam contusionem graviorem inflicta sunt, sanationem unguenti hujus viribus attribui. Illa verò in corporibus boni habitus, si quæ ultimò diximus in isthâc per Armarium unguentum curatione observanda, probe sese habeant, absque omnis omninò auxilio unguenti, nativo corporum beneficio solent percurari. Neque verò excrementi multùm in vulneribus subnascitur, modo ne ab externo frigore calor nativus debilitetur. Certè quod vulgo secus accidit, pravæ est consuetudini adscribendum, aëri frigido vulnera sæpius justo exponendi, aut suppurantia & quæ humectant omni vulneri admovendi sub initium, quo tempore ab antiquis medicis Barbara & Ἔναιμα quæ vocantur emplastra felicius usurpata sunt. Non est hujus loci multis id docere: fit illud alibi: sed & jam tum optime doctissimèque hic locus est ornatus à Cæsare Magato duobus de rara medicatione vulnerum libris, Ludovico Septalio, l. 8. Animadversion. Medicar. Aliis. Quæ illorum autem carnis vulnerum, eadem est ratio fractorum ossium, si itidem absit ingens contusio. Etenim fracta in hunc modum ossa, tantùm post justam in locum repositionem, si quieti relinquas, frequenter insita vi conglutinantur. Hinc verò consequens est, ipsam curationem illorum quidem vulnerum meritò non posse Unguento armario acceptam referri; adeoque hactenus solum in dubio esse, num curatio ab unguento isthoc adjuvetur. Imò verisimilius non potest non videri, nihil auxilii esse in Unguento, cum aliàs soleat omne hoc unius vulneratorum naturæ viribus effici.

Negari tamen non potest, circa illam medicationem nonnulla contingere interdum, quæ nativa vulneratorum vis nullis auxiliis adjuta præstare non solet nec potest. Ejusmodi sunt quæ tertio loco notavimus usu comprobari. Quod si verum fuerit id quod nonnulli referunt, sanari isthoc modo vulnera quævis sine discrimine, itidem id fuerit non soli ægrotantium naturæ adscribendum. Verùm ego nihil ejusmodi habeo compertum, nec fide dignis auctoribus id memoratur; contra quibus male successerit illa curandi ratio mecum alii noverunt per quam multos.

Quæ constat vero ita contingere non ab ingenita ægrotantium facultate, illa neutiquam Unguenti tribuenda esse virtuti, haud videtur difficilè probatu vel eo unico, quod omnia hæc non eveniant omnibus aut semper sed tantum superstitiosè credulis aut quibus aliquid est cum dæmonibus commercii. Non enim quæ naturâ agunt, solent operari aliter atque aliter prout est humani animi persuasio, sed uno semper eodemque sese gerunt modo. Non enim vel in magneticis aliud deprehendas. Confirmatur autem idem ipsa Unguenti compositione, quippe quæ nihil accipit quod vim possit in dissitum corpus exerere. Plerique sane acceptum

refe-

referunt tantum non omne Usneæ suspensi hominis. Hartmanni verba sunt: Dicimus basin unguenti Martialis esse Usneam, seu Spiritum animalem coagulatum corporeum. Cùm enim strangulantur, spiritus vitales & naturales sursum feruntur, ibidemque cum exitus propter solidam cranii humani duritiem nullus pateat, inter suffocandum una cum animalibus includuntur, & quasi carceribus quibusdam circumscribuntur, donec temporum progressu in unum coalescant, & foras ad cranii circumferentiam erumpant. Verum enimvero primò constat ex supra dictis sinè usnea à nonnullis parari Unguenti hoc genus, quos etiam sequitur Johannes Wittichius, eoque pro basi minime est habenda. Sed & solo fraxini ligno absque unguento idem sanctè promitti audivimus. Ridiculum deinde est illud Hartmanni de usneæ ortu & substantia commentum. Nec enim tantum caret omni ratione & pro libitu ita fingitur, verùm etiam impossibile est ut Spiritus in crassum ejusmodi corpus concrescant. Addo, vitalis ille spiritus extincto calore nativo omnem vim amittit, reliqui autem nihil sunt aliud quàm vitalis aliter atque aliter temperatus, ceu alibi prolixè docuimus. Qui igitur spirituum vis insit usneæ! Profectò, longè potius ejusmodi coagulatum corpus (si quod detur) in corde statim post mortem quæsieris quam in capite & quidem in cerebro spirituum animalium sede potius quàm circa ossa, toto corpore jam putrefacto. Finge verò tale concrementum esse usneam, num poterit longius exerere vim, quàm ipsi spiritus possunt integri? Atqui spiritus unius hominis in alterum nihil posse certum est. Utque aliquid possint, non tamen unius sani hominis spiritus alium sanare valent: ceu omnibus est notissimum. Par ratio est sanguinis aut adipis humani. Nam & absque his sæpè unguentum creditur esse efficax. Neque in his jam tum diu à corpore vivo separatis spirituum vitalium aliquid superest, ac proindè nec animalium: Neque illa integra in vivis corporibus existentia alibi quidquam conferunt ad sanitatem, adeoque multò minus jam mortua & viribus imminutis. Neque verò est quod nonnulli causantur, illa vim suam exerere posse tantùm mediante cruore effuso; Quasi nempe is demum sit vehiculum sanguinis istius συμπαθικῆ. Etenim si cruor ille ea est communicandi facultate, omnium illorum quæ aspersa sunt cruore vis debet in vulnera vel certè in sanguinem transferri: Id quod tamen fieri non solet. Nihil certè impedit quo minus & alia ita ferantur, si ita possunt moveri ex quibus unguentum illud construitur. In universum porrò est longè verissimum, supra naturæ vires esse actionem omnem, nisi agens cum patiente quadamtenus conjungatur. Unguentum verò à vulnere usq; adeò distat ut reapse nihil sit quod illa uniat. Viderunt objectionis hujus vim nonnulli unguinis defensores, eoque ad spiritum mundi, tanquam ad sacram anchoram con-

Ad Basil. Crollii. p. 485.

Disp. de calido innato.

fugerunt; illo scilicet spiritu interveniente vim omnem in vulnera deferri. Non aliud quid excogitare potuit Medicorum Romanæ Urbis hodie decus Petrus Servius, doctissima illa pro unguento hoc dissertatione, quam & mihi ultrò Roma, qua est humanitate, transmisit. Verum enim verò spiritum aliquem mundi talem quo Argumento, quo signo probaverint? Nemo prudens autem illum admittere poterit nisi robore argumentorum adductus. Esto tamen. At si ille unguinis vires indissita, transferret quoq; & aliarum vires rerum. Hoc autem non fieri, certum est: Alioquin enim nihil non affecerit humanum corpus, imò omnia in omnia sine discrimine agerent, adeoq; fieret semper confusa quædam rerum omnium perturbatio. Multò maximè id contingeret, si communicatio isthæc non sit certis limitibus circumscripta, sed per spatium quodvis indeterminatum fiat, ut nimirum quod in Indis est, Germaniam afficere sit aptum. Et tamen hoc affirmare defensores isti solent, ad ea quæ in rerum natura sunt maximè obvia & sole meridiano clariora animum non advertentes. Adigerentur autem vi thesios suæ isthuc etiam, inviti: Quippe cum spiritus ille vector per omnia sit diffusus, nihilque possit ejus opera impedire.

Omninò igitur quicquid in ista vulnerum per unguentum armarium curatione contingit, quod nativo vulneratorum beneficio non debetur, illud non potest ab unguento proficisci neque verò persuaserit cui temere. Servius congerie isthac quam recitat naturæ & artis miraculorum, grande illud paradoxon: Nihil pene ex eo genere esse quod fieri non potest: Imò verò immensam esse naturæ vim: Adeo ut possibile Deo & naturæ æquale habeatur, quanto plus in conclusione sit quam fuerat in præmissis, statim apparebit, ubi in syllogismos Philosophico more oratoriam declamationem cogere institueris. Suffecisset ostendisse, quod hìc maximè urget: Nullam esse activitatis sphæram ut loquuntur scholæ, nec requiri ad agendum agentis cum patiente conjunctionem. Ad quæ probanda nihil prorsus faciunt tota septuaginta quæ primo loco recitantur miracula, ceu ipsemet haud oscurè agnoscit: Sola quæ sequuntur tredecim isthuc collimant. Attamen & horum undecim priores historiæ veræ quidem sunt: Multum tamen abest, ut doceant id, quod vult vir doctissimus, à stirpium fructibus (exempli causa) aliisq; externis rebus fieri aliquam in succis expressis & stirpiformibus (ut ita loquar) carnis excrescentiis commotionem. Quidni enim isthæc fiant ab insitâ omnibus illis consimili quadam indole, & naturâ statis temporibus sese exerente, ceu fit in stirpibus ipsis? Ita sanè longè vero similius de ursinæ piguedinis incremento & similibus philosophatus est vir maximus Theophrastus Eresius libro de odoribus. Quod duodecimo loco adfertur octuagesimum secundum miraculum, casu tantum contigisse argumento est, quod aliis quibus ex aliena carne nasus est restitutus idem

Serv. de Ung. Arm. p. 18.

Vide p. 78. lib. Cit.

idem non acciderit, nec contingat ulli arbori enatæ per insitionem rami alicujus avulsi. Fabulosum, ut multa passim alia, esse etiam quod additur de Tarantulæ veneno, potuisset Servium docere in ipsa Roma Athanasius Kircherus vir ingenio & doctrina admirandus; qui præclarè hanc fabulam confutavit certissimis experimentis l. 3. de Magnete. Et verò contingeret idem etiam circà vulnera ab aliis animalibus inflicta, si quid haberet veri historia. Similiter quæ alibi adfert de canibus & fele, illa plerumq; fortuitò eveniunt, nonnunquam interventu Genii majoris, ceu fit in omni aruspicinâ. Quo de aliàs latius.

Kirch. l. 3. Part. 8. c. 2. q. l.
Servius. p. 36. 37. 38. & 39.

Cæterum Unguenti nostri naturam rectius indubie penetrasset ingenii acumine quo valet Servius, si usum ejus aliquem habuisset, quo destitui sese passim pro candore suo confitetur. Nobis hoc loco prolixiùs argumentum hoc tangere non licet; præsertim quum alibi rectiùs hæc inquisitio locum inveniat. Sed & à Joanne Roberto adversus Goclenium, ab Athanasio Kirchero contra Robertum Fluddum, à Daniele Sennerto & cum primis à solertissimo Naudæo usque adeò docte omnia hujus loci sunt agitata, ut aliquid addere vix sit operæ pretium.

Quicquid igitur in Armaria curatione vulnerum efficitur quod non possit in vim ægrotantium ipsorum referri, omninò à substantia aliqua supranaturali proficiscitur. Quam ex ordine dæmonum esse non autem bonorum Angelorum, haud immerito colligas ex superstitione opus plerumq; comitante; Quæ bonis geniis invisa, malis pro illicito est ad pejora. Ut proinde ejusdem notæ hæc curatio fortè sit atq; illa inter milites jam satis diu suera, S. Anselmo vulgò (perperam tamen) adscripta, cum sit Anselmi Parmensis inter infames Magos clari nominis, quam Magiæ nomine cum alii tum & M. Antonius Delrius rectè damnaverunt.

Convenit autem (quod summam sanè rei attinet) hæc armaria medicatio cum illa quam Transplantationem nuncupant morborum, ex homine in plantam aliquam aut animal; sive experientiam sive rationem consulas. Nam neq; Transplantationem quidquam valere in morbis, quos sibi relicta ægrotantium natura non solet sanare, nisi accesserit constans quædam & temere concepta persuasio, comperimus. Modus quoq; transplantandi non minus varius est & inter sese dissidens. Sed & Naturalem heic vim nihil operari, rei illius in quam fit transplantatio, iisdem licet argumentis demonstrare, quibus paulò ante in Armario negotio sumus usi. Artis illius nimirum est Transplantatio isthæc, fatente ipsomet Petro Servio nostro, quâ Alphesibæus Mærim.

Sæpè satas aliò vidit traducere messes.

DISPU-

DISPUTATIO MEDICA,
De
PERNICIOSO PARACELSISTARUM HOPLOCHRISMATE,
Sub Præsidio,
CHRISTOPHORI NICOLAI Med. D. & P.P.
publico examini exposita Altdorffii,
â
JACOBO Bürlein/ Norimbergense, Auth. & Resp.
d 22. m. Junii Anno 1662.

ΣΥΝ ΤΩ ΘΕΩ.
De
HOPLOCHRISMATE.
THESIS I.

NObilissima Medicina, quæ τῷ πάντα θαυμαςῷ *Hippocrati in lege*, τεχνέων πασέων ἐπιφανεςάτη dicitur, sicuti ante plurimos annos, à multis ingeniosis Jatriarchis, elegantior reddita; ita turpiter, hac excellenti nostri seculi perversitate, ubi omnia penè vetera medicamenta, innovandi vitio, aut subvertuntur, aut etiam damnantur, incantationibus, ceremoniis variis, consecrationibus, conjurationibus, transplantatione, aliisque innumeris illicitis sanandi mediis, quæ in Deum & naturam injuria sunt, deformata est, ab illo hominum genere, ad ludibrium artis nato, quod sese empiricum vocat, cum merito suo Agyrtis adnumerandum, quod

Uberis ac fluvii cancrum distinguere nescit;
Cardiacum morbum residere in poplite credit.

II. Sunt enim ii nequam homines, ut Clariss. *Kirstenius contra Johann. Agricolam cap 2. p. 21.* ex χαριεςάτῳ *C. Hoffmanno* loquitur: *non absimiles procis Penelopes, qui, cum castissima Domina potiri nequirent; ad impudicas divertebantur famulas.* Vide etiam, ne largus alienis verbis videar, *Henric. Salmuth in Nov. repert. Panciroll, l. 2. tit. 1. p. 97.*

III. *Para*

III. *Paracelsici*, qui omnium maximè, & soli ferè sibi sapere videntur, novitate aliqua sapientiæ laudem ut captent, ex improviso quoque, ceu Harpyæ epulantibus Trojanus, adsunt,

> Diripiuntque dapes, contactuq; omnia fœdant
> immundo. *Virg. Æn. 3.*

IV. Inter horum perniciosa medicamenta, non postremas curatio magnetica sibi vendicat, sive quæ fit per unguentum armarium, quo vulnus sanari credunt, si tantùm id, quo vulnus est inflictum, aut aliquod telum, vel lignum, præcipuè autem Salignum, aut linteum etiam, sanguine vulnerati hominis commaculatum, unguento isto indies curetur. Nihil referre autumantes, præsens ne æger sit, sive ad multa milliaria absens.

V. Quia vero ἀποθεία ὁδὸς πρὸς εὐποιΐαν, meritò aliquoties dubitavi: *an viribus naturalibus, facta hoc unguento inunctione teli vulnus in distans sanari possit?* quod exercitii loco, hoc tempore mihi pertractandum, animum induxi

VI. Dicitur autem unguentum vel ungentum aut unguen (ut in nomen inquiram: quia illud in omni disputatione & re principium esse debet, docente *Gal 1. Meth. Med c. 5.*) ab ungendo, & est ungere, juxta *Priscianum*, referente *Calepino*, quasi unum agere, quia ungendo caro unitur atque copulatur. Notandum I. Unguentum veteribus non fuisse compositionem illam paulò tenaciorem, quâ Chirurgi hodie utuntur ad vulnera curanda; sed commistionem diversorum odoriferorum, additó oleo aut balsamo, ad inungenda corpora, salubritatis, necessitatis, maximè verò delitiarum & luxuriæ causa inventam. Consule *M Aurel. Severin. Trimemb. Chirurg. pag. 223.* Quantum ob luxuriam odoriferis unguentis studuerit antiquitas, vid. *Dioscor. l. 1. c. 40. seqq Gualter Rivius in h. l. f. 26. Ælian. hist. var l 12. c. 31. Plinius T. 2. l. 13. c. 2. Sueton. in Calig. c. 37. in vit. August. c. 77. Lazar. Baysius. lib. de Vascul. p. 279. seqq. Andr. Baccius l. 4. de Natur. Vin. & convir. Antiq. Dan. Classen. Comm. in Plutarch. Sympos. pag. 46. seqq. Jonston. de Nat. const. punct. 7. Quendstätt de sepult. p. 74.* ut & vir πολυμαθέστατος καὶ θαυμάσιος s. quod lubentius dicerem cum Homero, ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, *Dn. J. G. Volckamer.* Pract. Noriberg. famigeratiss. & feliciss. semper studiorum meorum, tùm fortunæ meæ Fautor eximius, *de Opobals. orient p. 151. seqq.* Quàm incredibilem benè olentium unguentorum copiam mulieres Ægyptiæ absumant, indicabit *Prosp. Alpinus de Ægypt. Medic. l. 3. c. 15. p. 107.* II. Sumitur unguentum, prout linimentis paulò crassiorem substantiam habet, & in hoc differt hoc nostrum quoque à supra dictis veterum unguentis, ut constat ex *Sennert.* Viro de re Medica meritissimo. *lib. 5. instit. part. 3. S. 3. c. 34.*

VII. Cognomina hujus unguenti sunt, ὁπλόχρισμα & unguentum ὁπλιατρίας, Latinis Armarium & Martiale, quòd armis inungi soleat: Magneticum, ab actione, quâ occultâ vi, in distans vulneratos sanari credunt: Sympatheticum, quòd cum vulnere Sympathiam habeat: Stellatum, quia ab influentiis stellarum suas operationes accipit, ut sibi persuadet *Osvv. Croll. Basil. Chym. p. m. 278.* Germanis notum est sub nomine der Waffen Salben.

VIII. *Paracelso* hoc unguentum natales debere, ex *l. 1. Archidox. Mag.* liquet. Scholæ enim *Hermeticæ* antiquæ & *Hippocraticæ* notum fuisse, minus verisimile est, utpote cum in nullis libris antiquioribus, ejusmodi quid vel obiter memoretur, ut videre est apud Clariss. *Conring. lib. de Herm. Med. c. 18. Primeros. de error. vulg. l. 4. c. 48. Paracelsum* excepit, *Joh. Bapt. Porta Neapolit. in Mag. Naturali*, (qui liber tamen nomine illo indignus est.) Quem sequuti *Osvv. Croll. l. c. Rob. Goclen. tract. de Magnet. vulnerum curatione Joh. Ernest. Burggrav. Neost. ad. Palat. in Biolychn. & Achille πανόπλῳ* (quæ opuscula pessimus ille homo, in lucem edere non erubuit, ob id à magno *Conringio libro de Calido innat. c. 15. & Introd. in univ. Medic. c. 11.* justè reprehenditur.) *Martin. Schmuchen Thesauriol. Secret. natur. Gabelchoverus in praxi German. Wittich. libr. de conservand. valetud. Petræus. Nosolog dissert. Harmon. Clariss. Tidicæus tract. de Theriac. Joh. Agricol. in Chirurg. parv. Robert. Fludd. à fluctibus, Joh. Staricius* im Helden Schatz. *Comenius in phys. reform. ad lum. divinum. Hartman. in Croll. & Colerus in grand. suo opere*; quibus tam lubens accedit, & acerrimè propugnat *Petr. Servius*, Vir doctrinâ aliàs & judicio subactus, conscripto peculiari *tractatu de unguento armario.*

IX. Hoc igitur, quam primùm Medicis Dogmaticis, peritiâ & dexteritate Claris, aliisque Viris, non vulgari doctrina præditis, innotuit, ipsi sagaci mentis indagine conati sunt investigare, quinam verus eo modo, adhibiti unguenti, usus sit, & quia nullum deprehenderunt, huic perniciosæ curationi non immeritò se opposuêre; nominatim verò *Andr. Libav. tract. de unguento armar. Daniel Sennert. in oper. practi. Conring. in Herm. Medic. Primeros. de error. vulg. Laurent. Forer. in Viridar. philos. Gabr. Naudæus in eruditissimo Syntagm. de re militar. Tandler. in dissertat. Joh. Roberti S. S. Theol. D. & Soc. Jes. qui anatomen scripsit tractat. Gotlen. de mag. vulnerum curatione Anno 1617.* Cui respondit equidem Goclen. eod. anno, *in Synarth. magnetica*; non tamen impunè. Edidit enim dictus *Roberti*, anno sequenti, *Goclenium Heautontimorumenon.* Hujus rei participem se fecerat *Joh. Bapt. van Helmont. Bruxellens. tract. de mag. Vulnerum naturali & legitima curatione, contra eund. Robertum Anno 1621. conscripto*: Sed nec hic hoc impunè tulit. Prodiit namque, eodem anno, ex *Roberti* Musæo, *modesta responsio ad perniciosam disputat. dicti Helmontii contra se acerbè conscriptam.*

ptam Luxenburg. ap. Hubert. Heiland. Fidem mihi si denegas, vide virum fide dignissimum *Joh. Antonid. Van. der Linden de scriptis Medic. l. 1. p. 319. & p. 387.* Huc etiam *Athanas. Kircherus & Casp. Schottus*, ambo Soc. Jesu, & Mathematici insignes, ille, in erudito illo, *de arte magnetica*, opere, hic, in *Magia* sua *universali*, referendi sunt, ut & Illustr. Dn. *Conrad. Wechtler.* Sereniss. & Gloriosiss. Cæsar. *Leopoldi* Personæ Medicus *l. 2. de homine occident. Disp. 15. diff. 14.*

X. Quæ verò sententia sit probabilior, & an *Paracelsistarum* vestigia legenda? an verò *Dogmaticorum* fundamenta rejicienda? res admodum ardua demonstratu. Si tamen ὅσιον προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν, & modestè, quæ sentio, fateri velim, *Chymicos*, hac in re, meritò suspectos me habere dicendum. Experiar itaque, quid, in præsenti negotio, pro ingenii modulo, mihi concessum. Prius autem, quàm rem aggrediar, disputationem in IV. summa capita distribuo: I. In *Paracelsistarum affirmationes.* II. *Dogmaticorum negationes.* III. *Propriam mentem indicabo. Et* IV. *ad rationes, in contrarium allatas, respondere, paratus ero.*

XI. Hac Methodo & *Philosophum* uti 3. *Metaph. c. 1.* totoq; *lib. 4. phys. Fonseca* testatur, citante Viro, publico hominum bono, & nobiliorum disciplinarum incremento nato, Amplissimo & Excellentissimo Dn. *Joh. Paul. Felvvingero, Polit. Log. & Metaph. P.P.* Dn. Præceptore & Fautore meo devotè colendo, qui accuratissimam & convenientissimam hanc esse Methodum affirmat *lib. 3. Metaph. c. 1. disp. 1. §. 10. & c. 2. disp. 2. quæst. 1.*

XII. Unguenti hujus descriptiones, passim apud dictos Authores occurrentes, unà cum observationibus, quas sibi fingunt, producendæ essent: sed quia illas invenies apud Clariss. Viros *Sennert. M. P. l. 5. p. 4. c. 10. & Beckerum. l. 2. Microcosm. Medic. c. 5.* eò B. L. mitto, & tres saltem usitatiores, atque famosiores in medium profero, non tàm, ut curioso Lectori placeam, quàm veritatem amanti, Compositionum diversitatem ut ostendam. Unde facilè colliget, effectum tantum, quantum illi pollicentur, expectandum non esse, vel illum curandi modum esse ὑπερφυσικόν.

XIII. Initium facio, à descriptione *Paracelsi* quæ *l. c.* ℞. *Usn.* ℥ij. *mum.* ℥ß. *pingued. human.* ℥ij. *Sanguin. human.* ℥ß. *Olei lini.* ℥ij. *Ol. rosar. bol. Armen. an.* ℥j. *M. F. unguentum, in quod lignum sanguine ex vulnere imbutum, & exsiccatum imponit, & vulnus, singulis diebus, fasciâ novâ, urinâ vulnerati madefactâ obtegit. Ad arma verò inungenda, addit adhuc mellis* ℥j. *ping. taur.* ʒj. *Joh. Baptist. Porta. l. c. l. 1. c. 12.* & hanc descriptionem *Paracelsum* authorem agnoscere, affirmat, *quæ* ℞. *Usn. adip. human. an.* ℥ij. *mum. Sangu. human. an.* ℥ß. *Ol. lini, terebinth. bol. Arm. an.* ℥j. *Omnia simul in mortario terantur; in urna oblonga & angustâ serventur. Croll in Basil. Chymic. p. 278.* ℞. *Adip. verris aprugni, ursin. an.* ℥iiij. *quò seniora animalia, eò melior adeps. Utriusque animalis*

adeps prius in vino rubro, per dimidiam horam, lento igne, bulliat, posteà effunditur super aquam frigidam, & cochleari colligitur pinguedo innatans, quicquid fundum petit, abjiciatur. Postea Rec. lumbricorum, ex vino vel aqua lotorum, sextarios duos, torreßiant in olla tecta, in fornace pistoris, cavendum tamen, ne adurantur, postea terantur in pulverem. Rec. hujus pulveris, cerebr. Aprugni siccati Santal. rubr. odorif. Mumiæ. Hæmatit. an ℥j. *Demum accipe Usneæ, è Cranio hominis, violenta morte perempti, abrasæ, Luna crescente, & in bona domo existente, Veneris, si fieri poßit, non Martis aut Saturni, ad pondus duarum avellanarum circiter: ex omnibus tritis, & invicem mixtis cum adipe, secundum artem, unguentum fiat, in vitro clauso vel pixide diligenter ad suos usus reservandum. Si fortè lapsu temporis unguentum exiccaretur, dicto adipe, vel melle virgineo, humectari, & emolliri, de novo, poterit. Paretur hoc unguentum, sole in libra existente, nempe secundum aliquos, circa 10. & 11. Septembr.*

XIV. Hoc unguento sanari omnia vulnera volunt, quocunque teli genere, cuicunq; etiam sexui inflicta, (ita tamen, ut nec nervi, arteriæ, nec unum è tribus principalioribus membris læsum sit) modo telum haberi possit, etiamsi patiens multis milliaribus absit; docentibus sic *Osvv. Crollio & Goclenio.* Audacior est *Joh. Agricola. l. c. tract. 2. p. 254.* qui vulnera omnia, nullis exceptis, unguento hoc sanari posse affirmat.

XV. *Unguenti descriptiones, observationes sequentes, quæ partim nunquam abesse possunt, nunc excipiunt.* I. *Ungatur telum, quo homo vulneratus est, singulis diebus semel, si neceßitas urgeat, & vulnus sit ingens: alioquin secundo, vel tertio die inunxisse sufficit, servetur in mundo linteolo & loco tepido, non nimis calido, ne damnum inferatur patienti: Cavendum etiam, ne pulvis desuper telum cadat, nec ventus afflet in loco frigido, alioquin patiens ad insaniam redigeretur.* II. *Antequam telum ungas, considera, an punctim vulnus factum sit, quod si est, ungatur defensorium illud superius (& non inferius) descendendo, alioquin nocumentum adferretur ægrotanti.* III. *Si verò non poßis cognoscere, quam profundè vel quomodo defensorium in carnem introiverit, poteris illud totum perungere, alioquin sufficit, locum teli, quo aliquis læsus, inunxisse.* IV. *Non est necesse consuere vulnus, more barbitonsorum, sed saltem linteolo mundo quotidie circumligare, in patientis urina, prius madefacto.* V. *Quo die quis inungat telum, abstineat à Venere.* VI. *Ante inunctionem teli vulnerato etiam sistatur citißimè sanguis.* VII. *In fracturis & ruptura oßium aliquid pulveris Symphyti majoris poteris addere unguento, vel de radicibus Hellebori nigri.* VIII. *Habito telo, quo quis læsus, & cupias scire, utrum patiens sit moriturus, vel supervicturus, sic experiére, antequam telum inungatur: Si illi telo, supra carbones calefacto, in tantum, quòd poßis manum desuper tenere, subtilißimum pulverem è Santalo rubro & hæmatite aspe rseris, si sudat guttas sanguinis, moritur patiens, sin minus, evadet.* IX. *Si scire volumus, utrum patiens se rectè gubernet in potu & aliis requisitis, hoc cognoscitur,*

quando in defensorio maculæ sanguinis apparent, sin minus, tum benè se gerit. X. *Non habitis armis, seu telo, nihilominus quamlibet cutis aperturam, & læsionem violentam, per quam sanguis egreditur, hoc unguento sanari posse, ita, ut lignellum de salice, in apertura cruenta madefiat, & postquam sanguis adhærens siccatus est (non ad solis vel ignis calorem, sed sponte & per se,) demum infigatur supradicto unguento, in pixide asservato, intus relinquendo.* XI. *Si vulnus fortè magnum & profundum esset, singulis auroris mundificari potest, & recenti linteolo ligari, sine omni alio usu extraneorum oleorum, unguentorum, & similium: tunc sanatur hoc vulnus, quocunque modo inflictum, per se, & sufficit lignellum, semel tantùm in apertura, seu vulnere cruento, priùs madefactum, unguento pixidis infixum manere, usque ad sanationem plenariam.* XII. *Quoties vulnus aliquod novum sanandum est, requiritur semper recens lignellum.* XIII. *Si verò vulnus nollet sanguinem emittere, tamdiu lignello scarificandum, donec sanguis effluat: Sic etiam in dolore dentium sanando, dens dolens tamdiu scarificetur scalpello, donec sanguinem emittat, scalpellum, post exficcationem sanguinis, ungatur hoc unguento; sic confestim sedatur dolor.* XIV. *Si equus sit clavo transfixus in pede, extrahatur prius clavus, & inungatur, & citò curabitur pes equi, sine suppuratione. Eodem modo possunt omnia animalia, carnem & ossa habentia, curari.*

XVI. His ita prælibatis, accedimus ad rem ipsam, ubi videmus, unguinis hujus deprædicatores, ne de effectu ejus quis dubitet, I. ad *Authoritatem*, II. *Experientiam* & III. denique *Rationes* confugere.

XVII. Authorem, communiter *Paracelsum* volunt omnes, solo excepto *Goclenio*, qui eum non authorem, sed amplificatorem fuisse, contendit. Cæteros unguenti assertores vide supra §. 8.

XVIII. Porrò, quia primus hujus unguinis author magiæ accusatus, eique gravissima objecta crimina, quod ipsos non latere potest, & inviti, plurima, utpote vera, fateri coguntur; ne, ob id, malè audiat unguentum, & ad magicas imposturas relegetur; ad virorum bonorum probitatem, & candorem, ceu ἱερὸν ἄσυλον, anhelantes currunt, virosque eô utentes adducunt, qui longè abesse ab omni superstitione, & Dæmonis commercio, creduntur. Quispiam apud *Andr. Libav. tract. alleg.* affirmat, unguentum hoc frequentissimè in Sueviâ, à religiosissimis & re & famâ, usurpari. Adde *Goclen. tr. ung. arm. 11. Helmont. in Butler. p m. 376.* Qui, hoc suum unguentum ab omni magiæ suspicione ut liberet prorsus, contra Dogmaticos, *tract. de vuln. curat. magnet. p. 495.* ita argumentatur: *Quicunque effectum naturalem à Deo sic creatum, sic datum creaturis, tribuit Dæmoni; is alienat honorem debitum, & in Satanam eundem ignominiosè vertit.*

XIX. Cum verò hactenus, λόγος & πεῖρα, cognitionis omnis fundamentum, & origo fuerint, quicquid cum his etiam consentiebat, pro verò habitum, quicquid dissentiebat, rejectum: Soliciti sunt, ut cum his κε-

θείοις dogmata sua consentiant, quare authoritatem experientiâ supplent, perhibentes, *Maximiliano Cæsari* hoc unguentum, à *Paracelso*, datum, ab eoque expertum, imò, maximè carum ab eo, quàm diu vixit, habitum. Vid. *Portal. c. c. 12. l. 8.*

XX. *Robert. Goclen. in Synarth. p. 217.* æternâ cedro digna protulisse putat, ubi se nominare posse Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles, qui hoc unguento usi sint, gloriatur, quorum authoritatem atque fidem in dubium vocare, atque opprimere, impudentis hominis esset. Et *tract. de ungu. arm. p. 10.* historiam de ministro generosi cujusd. Domini in Succiâ refert, cujus femur dextrum, cultellô, satis profundè, punctim vulneratum, & citra ullum dolorem, ab uxore generosi illius Domini, fœminâ nobilissimâ, naturæque rerum non ignarâ, non applicato remedio ipsi vulneri, curatum: Cultellô tantùm, quô vulnus erat inflictum, peculiari unguentô delibutô.

XXI. Inde *Joh. Agricola, Phil. & Med. Doct. Practicus Lipsiensis*, hoc argumentum format, quod, ceu Euripidis Amphidexion ferire, sibi persuadet: *Quicquid oculi & manus vident, hoc cordi etiam credendum. Atqui videmus, adhibito unguento armario, dignum admiratione effectum sequi. E. necesse est, unguentum armarium rem pretiosam esse & naturalem.*

XXII. Prætereà, superciliosis Thrasonibus Academicis (quo nomine, apud ipsos, *Galenici* & *Aristotelici* gaudent) os ut obturent, rationibus, ut sibi videntur, stipati adveniunt, &, rebus omnibus hujus universi congenitam esse certam quandam amoris & odii proprietatem, in profundâ naturæ majestate reconditam, affirmant, hancque causam esse admirandorum in natura effectuum. E. etiam & unguenti armarii. *Sic*, v. g. dicunt, Magnetem ferrum trahere: Amuleta morbis mederi: Helenium, Cichorium, Heliotropium, aliasque plantas, ad solis cursum se vertere: Laurum & Vitulum marinum, fulmina abigere: Agnum castum, libidini adversari: Turchesiam gemmam, colorem variè, prout gestanti pericula imminent, mutare: quosdam, caseum ita aversari, ut promptissimè, ex ejus esu, in λειποθυμίαν incidant: virgulam Mercurialem, ad loca, auri & argenti feracia, se convertere: Allium, Magnetis vires obtundere: Sanguinem hircinum, Adamantem emollire: Smaragdum, castitatis custodem, & adulterii proditorem esse: Uniones, castitatem conciliare, & *alia* plurima, in quibus recensendis, nimiùm longi & creberrimi sunt.

XXIII. V. Argumentum, à viribus dicti unguenti, desumunt; quia ingredientia, consolidandi, conglutinandi, & dolorem sedandi, ipsismet *Dogmaticis* affirmantibus, vi pollent.

XXIV. A. siderum influxu, conjunctione astrali & elementari, VI. deducunt, quod probare videtur *Goclenius l. c.* ex lapidibus, metallis, figuris, imaginibus; certâ nempe si constellatione fiant, &, ceremoniis quibusdam observatis, gestentur, tunc divitias, castitatem, amorem, honorem, ac Principum favorem, imò Dei gratiam, dictas imagines exhibere credit.

XXV. Septimum sententiæ suæ argumentum accipiunt à vi balsamica, inhærenti telo, maculato vulnerati sanguine. Balsamum enim per Sympathiam, quâ gaudet, cum parte vulnerata, illam unguinis vim vulneri communicare, opinantur, mediante Spiritu mundi, quem, per universum hoc diffitum, authorem & vehiculum omnium actionum & potentiarum occultarum, volunt, eumque omnes partes mundi connectere, & varios rerum consensus excitare ebuccinant. Vid. *Goclen. tract. de ung. arm. p. 151.* & in *Synarth. p. 102. Petræus. T. 2. differt. Harm. 48. qu. 10. Serv l. c. p. 103. seqq.* Quibus adde *Authorem Philosoph. Mosaic.* qui, teste *Kirchero l. c. l. 3. part. 7. c. 2.* dari talem Spiritum, ex *1. Genes.* ostendere vult, & *I. A. Comen. in Phys. reform. ad lum. divin. c. 17.* qui multis Scripturæ dictis eundem probare laborat.

XXVI. Probationis loco afferunt Zenith juvencularum, in ignem projectum, gravissimos virgini, è qua effluxit, cruciatus pariens: Puerperas, secundinis malè tractatis, molestissimè affligi: Nasum factitium, & ex alterius brachio resectum, dolere & computrescere, dolente aut computrescente brachio eo, ex quo resectus: sanguinem ex cadavere humano, ad interfectoris præsentiam, celerrimè effluere.

XXVII. Denique contactu corporeo actiones non semper perfici, asserunt; quamvis virtuali sæpè, & specierum Spiritalium beneficio, id fieri quoque, quidam ex illis dicant. Exempla, quibus actionem in localiter distans probare nituntur, hæc sunt: Lupum, si prior obviam quempiam conspexerit, illicò ei vocem adimere, ut ne sonum quidem emittere possit; tantum abest, ut vociferari, aut fari valeat: Oscitante uno, oscitare & alterum: Lippos, proximè aspicientes, fascinare: Tarantulæ venenum tamdiu in infecto vigere, quamdiu vivat animal: Torpedinem, piscatoris manum stupefacere, etiamsi eam non attingat: Panes in Clibano, omnes sublevatitios fieri, adeò, ut integra crusta à mica sua divellatur, & separetur, si calidæ placentæ, ex eadem massa confectæ, cultello discindantur; aliaq; plurima adducunt, quorum me turba fatigat.

XXVIII. Tantùm de *Paracelsistarum* argumentis & probationibus, quæ, ex eorundem scriptis, mihi eruere licuit. Ad secundam disputationis nostræ partem, *Dogmaticorum* nempe *negantium fundamenta*, accedo, quæ consistunt in *Experientia & ratione*.

XXIX.

XXIX. Experientiam, quam illi tantoperè jactant, hi eâdem expungunt. Infelicem, in sinistra mammâ Nobilissimæ cujusdam fœminæ, vulneris curationem, reperies apud diligentissimum *Guilielm. Fabric. Hildan. cent. 3. obs. 25. p. 268. edit. Greiff.* & de *Synov. c. 2. & 4.* ubi, in magnis, profundis, & angustis vulneribus, parùm, imò nihil prodesse unguentum armarium affirmat.

XXX. *Herm. Conringius* vir certè fide dignissimus, similem non unam historiam sese recensere posse, gloriatur, plurimosque alios posse non dubitat *l. c. de Herm. Medic. p. 228.* Et Martin. *Biermannus, Orat. de Magic. action. contra Bodin.* testari quodam Scripto *Thom. Erastum* tradit, se in multis chirurgis periculum fecisse, qui sine superstitione hoc fecerint; sed nihil profecerint. Quibus accedit Nobiliss. *Wechtler. l. 2. de hom. occ. disp. 15. diff. 15.* dum inquit *Confirmatur experientiâ, quâ apud quàm plurimos constat, frustra unguentum hoc fuisse adhibitum, præsertim apud eos, quibus nonnihil suspectum fuit.*

XXXI. Ansam, ulterius rejiciendi hoc unguentum, authoritas dedit, ubi horum aliqui Diabolum authorem constituunt, inter quos *Petr. Holtzenius, Med. D. & P. P. Acad. Colon. l. 2. de Essent. Hellebor. c. 2. Johan. Georg. Godelmann. de Sagis & Lam. l. 1. c. 8. Joh. Roberti, in Goclen. Heavt. Sect. 11.* Alii, ut *Keckermann. l. 1. System. Phys. c. 9.* Authorem, Italum quendam, *Anselmum Parmensem*, insignem Magum (vide *Conring. l. c. c. 18.*) fuisse dicunt: Alii inventum Germanorum esse affirmant: cæteri omnes *Paracelsum*, hominem impurum, *Scortatorem*, potatorem, & penè omni vitiorum cœno conspurcatum, & fide nulla dignum authorem faciunt.

XXXII. III. Argumentum, à compositionum unguenti hujus discrepantiâ, & varietate desumunt, longè enim diversissimæ reperiuntur compositiones. *Sennert. Med. Pract. l. 5. c. 10. Primò illud,* inquit, *suspectum reddit, quòd non una ejus compositio circumfertur, sed plures, & in quibusdam ea omittuntur, à quibus alii omnem hujus medicamenti vim deducunt.*

XXXIII. *Primerosius, de error. vulg. l. 4. c. 48.* post accuratam *Crollii & Pracelsi* unguenti collationem, in hæc erumpit verba: *Hîc considerare debet lector, hæc revera esse duo unguentorum genera, omninò discrepantia nihilq; habere commune, præter Usneam, quam tamen Croll. exiguâ admodum quantitate addidit, & tamen duo hæc unguenta idem præstare creduntur, quamvis Crollius ea omiserit, à quibus Paracelsici totam vim magneticam repetere solent.*

XXXIV. Deinde, alios vel *Crollii, Gabelchoveri, Wittichii*, aut aliorum etiam unguentis, perinde felici cum successu uti, ac illo *Paracelsi*, Clariss. *Conring. l. c.* testatur. Imò *Sennert. Med. Pr. l. c.* se ipsum quendam nosse, qui curam hanc promittebat; qui unguentum hoc, saltem ex pinguedine

porci

porci domestici, paucisque aliis, nullâ Usneâ, nec ulla re, è corpore humano petitâ, quoties libebat, componebat, tradit.

XXXV.

Nicol. Papin. Blæsens. Ἴδιος αὐλῶν προφύτης, *dissert. de pulv. Sympath. quæst.* 2. ob plurima ingredientia, unguentum hoc non magni æstimare videtur: *Cum unguenta illa*, inquit, *Sympathica, pluribus remediis, constent, nec apud ipsosmet eorum inventores statutum sit, an totius compositi energia, ab aliqua specifica componentis cujusdam proprietate, an verò à forma, ex ingredientium omnium mistione exsurgenti, procedat: vix possumus de vera ejusmodi remedii natura, ullum ferre judicium, ne toti composito, quod ex unico remedio promanat, vel contrà unico tribuamus, quod totum sibi jure vendicat.*

XXXI. Nauseam porro quibusdam movent, sanguis humanus, adeps, & cranium humanum; cujusmodi rebus, ad omnem perpetrandam nequitiam, lamias & Dæmonem libentissimè uti, certum est. Hinc Dæmonem rarissimè impium fœdus cum quopiam, nisi cruore humano id ratum fiat, pacisci credunt. Et experientia testatur, quotidie talibus, ad res teterrimas perficiendas, sagas uti, v. gr. sanguine, adipe, crinibus, secundinis, aliisque, ex corpore humano petitis. Hinc, quia ad hoc unguentum similis materia requiritur & quidem de carnificis officina, de homine aliquo facinoroso, qui, pendulus è fune, mortem oppetiit, aut in rota crurifragium est perpessus, illud omnino rejiciendum censent.

XXXVII. V. Consentientes omnes, effectum hujus unguenti naturalem esse negant, ob ceremonias, & observationes, vel superstitiosas, vel certè ridiculas, & ad rem minimè pertinentes. *Albertus Medicus Carpentor, epist.* ad Illustriss. & Reverendiss. D.D. *Francisc. Mariam de Suares*, Episcopum Vasionens. apud ipsum *Servium p. 90. de unguent. arm.* ita scribit: *Illa in tanto auctore omnem demeret damnatæ Magiæ suspicionem, cujus non est expers Crollius, qui & pollicetur Medendi Methodum per verba, characteres, & observationes nonnullas, in usu istius unguenti, quod vocat Sympathicum, commendat, quas inanes & penè futiles existimem.* Unde Gratiosissimus *Wechtlerus, l. 2. de hom. occid. disp. 15. diss. 14.* ex *Goclenii* verbis ita argumentatur: *Quoties homo dicit, vel facit aliquid, quod non habet vim naturalem ad effectum, superstitio delira & inanis est. Sed ad vulnus sanandum non habent vim ullam ritus illi & ceremoniæ. E.*

XXXVIII. Ultimò denique intra sphæram activitatis vires suas hoc unguentum exercere debere, quia ejusdem defensores naturaliter sanare dicunt, ita procedendo affirmant: *Omnia agentia creata & naturalia, vim activam, certis limitibus circumscriptam habent, ita, ut extra hos, vires suas extendere naturaliter nullâ ratione possit.* Alterum argumentum, quod apud horum adversarios *Mobyum l. c. c. 3. Helmont. in Butler. pag. 377. Grembs. ar-*

bor. ruin. & integr. l. 1. c. 9. p. 142. invenies, hoc est: *Agens, ut agat, debet esse approximatum patienti. Atqui unguentum armarium non debet esse approximatũ patienti. E. Unguentum armarium non est hîc agens*, Majorem ex 7. *Physic. c. 2.* confirmant. Minor est extra omnem dubitationis aleam apud *Paracelsistas*.

XXXIX. Hæc sunt quæ Hygejæ & Sapientiæ Antistites, contra *Paracelsistas*, adferunt fundamenta; quibus probè consideratis reliquum est, ut ad tertiam disputationis partem accedam, & rem paucis, ex propria mente, contraham.

XL. Statuo itaque I. *Unguentum armarium, telo inunctum, vulnera dissita naturaliter non curare.* II. *Si adhibito, supra dicta ratione, unguento, vulnera aliquando sanantur, non hoc, sed naturam illa sanare.* III. *Si vulnera graviora, ad solam unguenti applicationem, eo modo, ut supra audivimus, factam, curantur, sanationem à malo dæmone fieri concludo.*

XLI. Primum membrum ut roborem, neganda mihi, cum *Aristot. 7. Phys. c. 2.* actio in distans, quam illi supponunt, multisque exemplis illustrantes, falsum per æquè falsum probant: Si enim daretur actio in distans, nulla posset assignari ratio, cur natura vacuum tantoperè refugeret? Imò agentia in quamlibet distantiam agere possent. Latiùs hac de re agere, neque proposita brevitas, neque institutum patitur; sufficiat hîc, ad fontes digitum intendere, unde, quoties opus erit, nullo negotio argumenta, contra actionem in distans, peti possunt. Videantur itaque *Suarez. T. 1. disp. 18. sect. 8. Conimbr. 7. Phys. c. 2. Johan. Robert. l. c. sect. 15. Forer l. c. disp. de Magnet. § 31. Weichtler. l 2. de hom. occid. disp. 3. diff. 24.*

XLII. Illud saltem adjicio, omne agens vel agere immediatè, immediatione suppositi, vel immediatione virtutis, h. e. quando agens substantiale, non est immediatè conjunctum cum passo, habet tamen virtutem in medio à se productam & diffusam, vide *Scheibler. lib. Sent. exerc. 9. ax. 5.* Licet semper in eo non efficiat id, quod in distante efficit. Adi fusius hac de re loquentem, venerandum hujus Lycæi Senem, Ampliss. & Clariss. Dn. *M. Abd. Trevv, Math. & Phys. PP. celeberr.* Dn. Præceptorem & Fautorem meum laudatiss. in *disp. Phys. circul. M. S. 8. quæst. 3.* Cum verò unguentum, sicut & cætera agentia naturalia, limitatam aliquam virtutem habeat, semper requirit passum, ut illi vel per contactum actualem, vel virtualem approximetur, intra sphæram tamen activitatis, quam illi partim non agnoscunt, partim eam agnoscentes, nimiùm extendunt, adeò ut *quidam ad 2. 8. 10. 12. alii ad 20. 40. milliaria extendant. Eryc. Moby de pulv. Sympath. c. 6. ad 1000. milliaria* propagari eam, asserere non veretur. Neq; nobis obsunt illa *Goclenii, passum non esse extra Sphæram spiritus vectoris, per hunc enim agere unguentum in absens vulnus, qui, cum sit spiritus communis, & diffusus per omnia, nullâ, quamvis magnâ, spatii intercapedine impeditur.*

XLIII. Responde, *Goclenium* niti falsa hypothesi; spiritus enim hic fictitius est, & sine ratione excogitatus, neque etiam ipsi dicere possunt, utrum sit substantia, an accidens? Hinc eâdem, quâ facillitate adducitur, à viris, dudum orbi literato notis, rejicitur, *Marc. Frid Wendelin. contempl. Phys. Sect. 2. c. 6. Laurent. Forer. l. c. disp. de Magn. c. 2. §. 22 Kirchero l. c. l. 3. par. 7. c. 2. Sennert. de consens. Chym. c. 7. p. 70. seqq. Roberto l. c. sect. 24. & Conringio de Herm. Med. c. 18.* quos vide; nihil enim juvat, ingeminare laborem, quo alii jam præclarè defuncti sunt.

XLIV. Secundum quod attinet, certissimum esse dico, vulnera quædam, nullo adhibito medicamento, αὐτομάτως, & naturæ instinctu, coalescere, si modò pura serventur, & ea, quæ putredinem inducere valent, removeantur; φύσις enim ἐξαρκέει πάντα πᾶσι, quæ res ab *Hippocr. & Galeno* millies decantata. Vide *Hieron. Mercurial. adnotat. in l. Hipp. de alim T. 1. Class. 1. §. 2.* & hujus Lycæi quondam famigeratissimum Æsculapium, *Casp. Hoffmann. l. 1. Inst. Med. c. 2. §. 2. Nobiliss. Wechtler l. 2. de hom. occid. disp. 15. diff 16.* Imò & doctissimus *Servius, d. l p. 120. seqq.* ut ægrè faciat *Wittichio*, (qui ab omnibus telungiariis dissentit, & adipem, sanguinem humanum, cæteraq; Sympathica omittit) in invidiam ipsius, naturam vulnera sanare, fatetur. *Si expertus est,* inquit, *Wittichius aliquando, unguentum absq; usnea, sanguine &c. vulnera sanasse, naturæ sanitatem acceptam ferendam esse, non unguento; quia nullâ penè vi præditum est, nullâ Sympathiâ cum ægro conjunctum: Natura n.* τῶν νόσων Ἰατρός. Huc etiam plurimum facere possunt, persuasio & fiducia vulneratorum; quantùm hæc possint in morbis, vide ap. ipsum *Croll. præfat. Basil. Chym. p. 83. Nymannum orat. de imagin. Casp. Amthor in suo Chrysiocop.*

XLV. Ad tertium & ultimum accedendo membrum, magicum hunc esse effectum, & à Dæmone productum, coactè equidem, non tamen, ut spero, veritati adversa dico. Sicut enim non temerè effectus omnes naturales habendi, quia sæpius Dæmon naturalia admiscet; Ita quoque non temerè judicandi statim diabolici, ut dudum docuit *Delrio, l. 1. disquis. mag. c. 4. quæst. 5.* teste P. R. *Schotto, l. 1. c. 7. Mag. Univers.* Sed, quia nec telungium hoc, tam longè dissitum, nec curiosa ligatura, nec sola natura graviora vulnera sanare potest, nec ipsi adversarii Angelis bonis illum effectum adscribunt, aut ad Deum confugiunt, & contra; hæc curatio, si juxta regulas, à *Delrio l. c.* traditas, examinetur, merè magica & illicita sit; illam à malo Dæmone fieri, iterum atque iterum assero, qui deinde, unà cum suis cultoribus, unguento, ceu medicamento naturali, ad ejusmodi curationes, cum quadam superstitione sæpius abutitur. Magia verò naturalis & artificialis, quas nobis obtrudunt, illisq; hunc effectum adscribunt, velamina sunt, quibus se occulere solet Magia illicita. Unde non temerè omnia naturalia credenda, quæ apud dictos authores sese offerunt.

XLVI. Reliquum jam est, ut ad postremam disputationis partem accedam, & argumenta in contrarium allata, modestè refutem. Antè autem, quàm ipsorum tela averterentur, ad varias hujus unguenti compositiones, de quibus quisque suo somniat arbitrio, ut & ad observationes, quas ex illorum scriptis adposui, mihi progrediendum esset; sed quia supra §. 32. seqq. Dogmatici compositiones in dubium vocarunt, hoc negotio supersedeo. Dicendum quoque esset, quomodo spiritus vitales & naturales in Usneam abirent, quam pro basi, & præcipuâ hujus unguenti parte habent, à qua tota cura dependet, (quæ à *Wittichio de conserv. valetudine pag. 245.* negligitur) sed quia optimè, ceu anilia, & fabulosa, exploserunt *Primeros. l.c.p.489. Kirsten. l.c.Conring. de Herm. Med. p.231.* nolo noctuas Athenas, sed eò B.L. mitto.

XLVII. Observationes, quas adducunt, partim totam absolvunt curam, gerris Siculis vaniores sunt. Primam, quia operosè satis, laudatus *Primeros l. c. p. 564. seqq.* confutavit, prætereo. II. & III. frivolas esse, & superstitionem redolere, aut admixtum aliquid ex pacto, vel explicito, vel implicito, cum Dæmone habere, cucurbitas, si quis lippire non vult, manifestè deprehendet. Si enim facultas medicamenti naturalis, quid iste ungendi modus ad rem facit? Si vires naturales, quid quæso opus ceremoniis? videmus res omnes naturales, ritus tales respuere, magnetem ferrum trahere, nullis adhibitis ceremoniis, quotidie deprehendimus.

XLVIII. Quartam non improbo, imprimis, quia doctissimos Medicos vituperasse lego imperitos illos Chirurgos ad suturam & acum statim properantes, qui plurimos errores, in sutura illa cruenta, committunt, & consuendo plus doloris excitant, quàm vulnus fecerat. Vide *Franc. Arcæ. l. 2. de curand. vulner. capit. 5. Sennert. M.P. part. 4. cap. 7. lib. 5. Raym. Münderer. Medicin. milit. cap. 9. pag 320.* Solam verò fasciationem, in vulneribus oblongis & transversis, ad vulneris labia adducenda sufficere, affirmare non ausim. Alterum, quod fieri volunt, & observ. 11. repetunt, maximi momenti est, & Medicus, officio suo satisfacturus, primò vulnus purgare, & extranea removere debet: *Removendo enim impedimenta, naturæ operationem retardantia, non minus necessariam, quàm utilem operam præstat*, ut loquitur Nobiliss. & famigeratiss. Dn. *Maur. Hoffmann, Med. D. Anat. Chirurg. & Botan. P. P.* Præceptor fideliss. & Fautor, de me longè meritissimus, humillimâ observantia, & immortali gratitudine semper devenerandus *tract. M. S. de vulner. cap 5.* Sic videmus canes, solâ remotione puris per linguam, maxima vulnera curare, non tamen audeo negare eorum salivam ad sanationem nihil conferre, deprehendimus enim, salivam humanam pluribus in casibus prodesse. Vide *Senn. M. P. l. 5. par. 3. sect. 1. c. 5. Francisc. Pona Saturnal. Academico Med. prolus. 8. p. 136. Levin. Lemn. de occult.*

cult. Natur. mirac. l. 2. c. 44. Mizald. cent. 3. memorab. § 7. *Daniel. Becker. Medic. Microcosm. l. 1. cap. 3. pag. 20. seqq.* Et *Divinus noster Senex* dudum, vulnera purganda esse, docuit *T. 1. Claß. 1. lib. de Vlcerib. pag. 366.* Sic autem per interpretem loquitur: *Vlcera non purgata, non committi solent, etiamsi adducantur, neq; suâ sponte coëunt.* Hinc valdè veritati consentaneum est, si studiosè vulnus obligetur linteis mundis, & extergatur recenti lotio, id quod summam extergendi vim obtinet, prohiberi inflammationem ac puris generationem, ipsumq; vulnus præparari ad consolidationem spontaneam. Vide *Martin. Biermann. l. c. Eustach. Rudium l. 2. de Vlcer. cap. 8. Münderer. l. c. pag. 283. Daniel. Becker. l. c. l. 1. cap 9. 68.* Vulnera carnosa feliciter urinâ curari, testis ipsorum Coryphæus *Paracelsus part. 1. Chirurg. magn. tract. 2. cap. 5.*

XLIX. V. Observatio vana est, vel enim, ob usum Veneris, malignitates communicabuntur unguento, quod probandum; vel telum malè habebit, cujus tàmen nulla determinatio est ad pollinctorem, vel hujus ad telum. Neque ratione sanguinis aliquid fieri potest ex telo: aliàs ab omnibus, qui illo die Venerem exercerent, intra sphæram limitatam, telum afficeretur.

L. Quæ observ. VI. monent, ante inunctionem teli citissimè sanguinem sistendum, rectissimè se habent; Dogmatici n. totius negotii cardinem in eo versari, & proximam ad curam viam esse, affirmant. Hinc Chirurgus vulnus obligaturus, de sanguine imprimis si copiosiùs fluat, sistendô, solicitus esse debet, ne unâ eâdemque viâ sanguisque animusque feratur. Sanguis enim est animæ sedes, & cujus beneficio solius vivimus, non Medicorum plurimorum, sed & Sacrarum paginarum consensu. Vide *Steph. Roderic. Castrens. Comment. in lib. Hipp de alim. Sect. 1. quæst. 5. art. 8. Wilhelm. Davisson. S. Majestat. Reginal. Polon. Personæ Medic. Prodrom. Comm. in Medicin. P. Severini p. 456. Coring. de Calid. innat. c. 11. p. 110. seqq. Deusing. in Hexamer. disp. 5. p. 251. seqq. Gratiosiss. D. D. M. Hoffmann.* Dn. Præceptorem meum colendissim. *disp. de Sanguin.* §. *1. & 6.* Non raro hinc fiunt vulnera aliàs non lethalia, lethalia, ob copiosam hæmorrhagiam. *Felix Platerus P. P. Basil. l. 3. observ. de sang. excret. p. m. 726.* fabrum quendam ferrarium, ex sola dentis canini extractione, quam hæmorrhagia magna subsecuta, expirasse refert. Strenuissimus Dux *Joh. Austriacus Carol. V. Imp.* filius, cum hæmorrhoidibus laboraret, admoto scalpello, larga quoque secuta hæmorrhagia, intra 4. horas è vita migravit: ut tradit ex *Dionysio Daca*, Chirurgo Hispano famigeratissimo, *Malach. Geiger in Microcosm. Hypochondr. c. 19. p. 233.* Sic contrà, vulnuscula in arteriotomiis & venis incisis, imò & graviora etiam, ex sola sanguinis cohibitione sanantur. Vid. *Libav. tractat. de ung. armar. pag. 51.* de puero Scriniarii, qui

magnam digiti partem sibi abscidit penitus, & cohibendo sanguinem, eam iterum adglutinavit, & sic 21 dierum spatio vulnus sine nulla noxa, perfectè curavit. Adde *Münderer. l. c. p. 309.* Dictus *Libav. l. c.* testatur, se ingens, in sinistræ manus pollice, vulnus accepisse, sed cohibendo sanguinem, unicâ ligaturâ sanitati restituisse, solo Saccharo asperso, utpote quod mundificat, & abstergit, secundum *Æginetam l. 7. c. 3. f. m. 383. Clariß. Deusing. fasciul. dissertat. de Sacchar. p. 561.* Hic *Altdorffi*, aliquoties certè vietores & fabros lignarios, luculenta & hiantia vulnera, solo cohibito fluore, & cretâ aut rubricâ, quibus utuntur, impositis, sanasse, cum admiratione & stupore vidi.

LI. De Consolidæ pulvere & Helleboro quæ tradunt, supervacanea sunt: nam eadem est ratio fractorum ossium ac carnis vulnerum, dummodo absit ingens contusio. Etenim fracta, in hunc modum, ossa, tantùm post justam in locum repositionem, si quieti relinquas, frequenter insitâ vi conglutinantur. Et, si natura, quæ nunquam otiosa, integras partes restituere potest, utiq; fractas conglutinare poterit. Venas in capite *lib. de Semin. c. 13.* easque satis multas & magnas, 5. M.M. c. 7. arteriam, *Galenus* renasci vidit. Adjunge R.P.C. *Schottum l.d. p. 4. l. 5. c. 1. p. 468.* qui ex *Cabeo* historiam certè mirandam adfert. Denique vim conglutinantem, suppurantem, huic unguento ipse *Crollius* tribuit; quid ergò opus, pulverem consolidæ aut Hellebori radic. adjicere?

LII. Miranda sanè aut potius ridenda sunt, quæ de eventu morbi & morte effutiunt: qualis amabò est consequentia? Telum calefactum, & pulvere rubro conspersum, rubras exsudantes guttulas habet, E. æger morietur. Potest enim pulvis ille, præparatus è Santalo rubro & hæmatite, ob adjunctam aliquam humiditatem, si ferri calorem percipit, sanguinem æmulari. Certè si nulla, post carecta hæc lateret impostura, æquè Santalli albi, aut Citrini & lapidis cujusdam albi pulveres, telo aspergere *Paracelsistæ* possent. Diæta, quam illi præscribunt, *Paracelsum* non agnoscit; *Oporinus* sanè, γνήσιος ipsius discipulus, ap. *Conring. de Hermet. Med. p. 358.* inquit. *In curandis ulceribus*, etiam *deploratißimis miracula edidit, nulla victus præscriptâ aut observata ratione, sed, cum patientibus suis dies & noctes potando, ita eos, ut solebat dicere, pleno ventre tamen curavit.*

LIII. Non habitis armis, miror cur lignum salignum eligant? Nihil enim ad rem pertinere videtur, ex quâ arbore id lignum sumatur: & si eligendum lignum, cur potius fraxini ligno (quod vulgò das Wundholtz vocant) non utuntur? quô aliàs absque unguento, solo ligni affricatu, idem præstare, sanctè promittunt. Quo die & hora hoc lignum cædant, invenies apud *Schröderum* in *Pharm. Medocohymis c. l. 4. Class. 1. c. 148.* Deindè quid opus, de novo lacerare corpus, & vulnus crudeliter renovare,

cum tamen non tantùm citò & tutò, ſed etiam jucundè, quantùm fieri poſſit, curandum eſſe, tam acriter urgeant; tantum abeſt, ut crudele id eſſe putent, ut ex abundanti adhuc obſerv. 13. jubeant, eousque, ſi ſanguinem emittere nollet, vulnus fricandum eſſe lignello, donec ſanguis effluat.

LIV. XIV. Et Ultima, manifeſtam hujus unguenti vanitatem declarat: ſequeretur enim, Sympathiam quandam & familiaritatem inter unguentum iſtud, & ſpiritus equorum eſſe, *quibus certè*, verba ſunt *Helmontii* contra *Goclen. de magn. vuln. curat. p. 475. non tanta eſt affinitas nobiſcum (niſi aſini ſimus) ut proinde Sympathicum unguentum, nobis & equis commune, dici mereatur.*

LV. Authorem, quem tanti faciunt unguenti hujus defenſores, magis ipſis obeſſe, quam prodeſſe, ex ſuprà allatis, colligere, in proclivi erit. Poſſem equidem ex variis (quamvis Chirurgiæ & Chymiæ peritiam, cum *Clariſſ. Geſnero l. 3. Epiſt. Med. p. 114.* ab eo non auferam,) demonſtrare, hominem eum fuiſſe, ebrioſum, ſordidum, aleatorem, Magum, & ab omni pietate alienum. Sed nolo ſoli lucem fœnerari, videri poſſunt *Geſner.* paſſim *in epl. Med. Oporin. Thom. Eraſt. Anton. Ponc. Santa cruz opuſc. medic. & phil. 3. de temperam. c. 10. f. 32. & comment. ad text. 69. p. 149. de philoſ. Hippocrat.* Clariſs. *Soner. orat. de Paracelſ. & ejus pernic. Med. Sennert. l. de Conſenſ. Chym. Franc. Pona, Eques & Hiſtoriographus Cæſar. de Medicin. Prudent. colloq. 3 p. 94. Conring. de Hermet. Medicin.* præcipuè verò *c. 24. I. Robert. in Goclen. Heavt. Sect. 12.* Addunt quidam, inſignem Scortatorem eum fuiſſe, quâ fide, ipſi viderint. *Eraſt.* ſanè graviſſimus ejus adverſarius *p. l. p. 237.* ait: *Eunuchum Paracelſum fuiſſe, cum multa alia, tum faciem ejus indicaſſe, ſibiq; in Carinthia narratum teſtes Theophraſto exſectos fuiſſe, à milite quodam, dum anſeres paſceret.* Interim hæc non adduco, quibus probare vellem, *Paracelſum*, ceu caſtratum, ſcortationibus non inhiare potuiſſe: ſed illud ſaltem, quod ex *Oporino*, per biennium ejus amanuenſi, *Eraſtus* l. c. refert *fœminas* nempe, *eum prorſus deſpexiſſe.* Eunuchus Scortatores fuiſſe, imò in adulterio deprehenſos, teſtis *H. Salmuth. l. c. l. 2. tit. 2. p. 187. ſeqq.* Adde *Galen. Comment. in aph. 28. Sect. 6. Martial. l. 6. Terent. in Eun. act. 4. Sc. 3. Scaliger. Exercit. 104. §. 8.* χαρίεστατον *Hoffmann. Comment. in Galen. l. 14. de uſu partium §. 1034. Georg. Frid. Laurent. Exercit. XII. p. 156. ſeqq.* Nobiliſs. *Wechtler. in hom. orient. l. 1. diſp. 2. diff. 23. Conring. de calid. innat. c. 21. p. 240.* Unde fortè cautius mercari Turcæ didicêre, qui non ſolum teſticulos, verum etiam omne illud, quod virile in corpore apparet, abſcindunt, referente *Barth. Georgieviz de Turcar. moribus p. 78.* Hactenus intercalaria.

LVI. Secundò respondeo, utentium probitatem & candorem non obstare; potest enim Dæmon, ob pactum ab aliis admissum, positâ teli curâ, veluti signo, producere effectum, licet probi nihil mali suspicentur. Argumenti, ab *Helmontio* probati, Majorem nego, donec probaverit, quod probandum, nempe hunc effectum naturalem esse, à Deo sic creatum, sic creaturis datum.

LVII. Experientia, ad quam ipsi provocant, non ita comprobata, & vulnera infeliciter curata reclamant, vide supra §.29.30. Quamvis facillimè illis dare possem, vulnera sanari, dum adhibetur unguentum armarium. Sed quod ab ipsâ teli inunctione, curatio sit deducenda, strenuè nego. Si enim supprimitur sanguis, mundificatur vulnus, & defenditur ab inflammatione, labra committuntur, sedulò vulnus obligatur, membrorum præterea si quies justa, diæta conveniens, & omnia externa rectè comparata sunt, *fiet curatio* (verba sunt *Libavii*) *etiamsi unctor in inferno sit.*

LVIII. Hinc magnopere, duplicem ob causam, *Goclenium* admiror, I. quod fœmineam cathedram scandat, præceptoremque Stolatum in testimonii locum adducat; cum notum sit, fœmineum genus, ceu ἀσθενέστερον σκεῦος, cereum esse, flecti varias in superstitiones, & quælibet à quovis mendacia credere promptum, quare eleganter incomparabilis Poëta J. Balde, ab incomparabili laudatore Nobiliss. & Beatiss. *Harsdörff.* hoc elogio donatus, *spec. philolog. Germ. Disq. 9. §. 9. pag. 189. in Satyra de Med. gl. 17.*

—— —— —— nunquam
vulgari, aut raro, contenta est fœmina more.

II. Quod in parte carnosa, femore puta, vulnus fuisse dicat, nullumq; vel nervum vel tendinem læsum memoret. Quis autem nescit omnium facillimè partes carnosas coalescere? Non dicam *Synarthrosin Goclenii* montes parturire, & murem excludere; nam ubi sperabam Imperatores, Reges, Principes &c. Unicus tandem & solus nascitur *Fr. Basilius Valentin. ord. Benedict.* Imò certissimè contrà credit *Primerosius l. c. p. 489. Goclenium* Regibus & Imperatoribus ignotum fuisse. Posito verò, Reges & Imperatores huic unguento fidem adhibuisse, dico, fucum hujusmodi Magnatibus quosdam malæ notæ homines fecisse.

LIX. Responsionem hîc non meretur *Joh. Agricolæ* argumentum, quia satis castigatus à Clarissimo *Kirstenio*, qui eundem aliter argumentari docuit *l. c. p. 295. seqq.*

LX. IV. Argumentum quod formidabile putant, & tantum posse, quantum *Achillem* ad *Trojam*, minus durat, ut in proverbio est, quàm herba solstitialis; nego enim sequelam hujus argumenti; si variæ in natura reperiuntur Sympathiæ, ergo & in unguento armario. Interim non nego rerum occultarum consensus, quos, Virum Doctissimum *Thomam Erastum*

ap.

ap. *Sennert. de consensu Chym. cum Aristotel. c. 18. p. 343.* negasse & *Honoratum Fabrii*, apud *Emanuelem Magnan. c. 5. de Philosophia naturali propos. 38.* Sympathias, mera animi ludibria vocâsse legimus, aut ipsas qualitates occultas quas nonnemo apud *Stephan. Roderic. Castrens. Comment. in libr. Hippocr. de alim. Sect. 3. quæst. 11. f. 100.* quem sub nomine *Satyrii* satis perstringit, rejicit. Imò lubens ἀμφοῖν largior, & cum Nobiliss. *Joh. Bapt. Masul. l. 1. exerc. Academ. 1. p. 17.* ubi manifestæ non suppetunt, ad occultas confugio. Neque enim hæc fuga turpis est, quando turpius fuit aliquibus, in hac contemplatione sine fructu commorari.

LXI. Sed plurima facta & fabulosa esse, multa manifestissimas causas agnoscere, quæ supra adduximus, infra patebit. Non diffiteor, plurimas difficultates circa magnetem esse quem θαυμάσιος *C. Hoffmannus animadvers. in Montan. & Erastum p. 65. Philosophorum crucem, &* verus ille *Athanasius Kircherus l. c. l. 1. c. 1. magnum naturæ miraculum ingeniorum cotem, Philosophorum Labyrinthum, & abyssum impenetrabilem* vocat, qui optimè de illo egit, ejusque naturam diligentissimè rimatus est, in sæpius laudato libro de *arte magnetica*, qui videri potest. Magnetem trahere ferrum suâ naturâ, non artis aut ceremoniarum auxilio, nec per tam diffusum spatium, repono. Hoc an de unguento suo affirmare possint, qui tot ceremoniis illud adhibent, ipsi viderint Vid. Nobiliss. *Wechtl. l. 2. de hom. occid. disp. 15. 16.* argumenta, quibus unguentum hoc, neque magneticum, neque Sympathicum esse, negat.

LXII. Amuletis quibusdam non omnem derogo fidem, illis præsertim, quæ ratione nituntur naturali, quæ vires corporis reficere, internamque morbi causam alterare possunt: Sic Melanthii semen catharrho, radicem Pæoniæ Epilepsiæ, & stercus lupi alligatum, colicis mederi experimur, non ut *Pamphilus* voluit, vi incantationis, ut, *Galenus*, experientiâ edoctus, *l. 6. & 10. de simplic. med.* inquit: *Periaptis sic confidere oportet, ut substantia illorum, & non incantationis magorum verba, juvet.* Cæterùm animum inducere nondum possum, ut credam amuletorum quorundam vim tantam esse, ut vulgus sibi persuadet, qua de re non immeritò dudum dubitavit Magnif. *Dn. Andr. Dudith. ab Horckoviz* &c. *in Epistolis ad Petrum Monavium*, quas reperies apud *Scholzium Epistolâ 40. 49. & 51.* Taceo superstitiosa, & auditu indigna interdum amuletornm genera adhiberi: Sic *Servilium Nonianum* principem civitatis, metu lippitudinis, chartam duabus literis Græcis P. & A. inscriptam, collo subnexuisse legimus. Unde non temerè *Antonin. Caracalla* Imperator (referente ex *Ælio Spartiano*, Doctissimo *Langio, l. 1. Epist. 34.*) eos condemnare statuit, qui contra tertianas & quartanas febres, periapta gestarent. Abominanda talia leges apud *Burggravium in Achille Panoplo pag. 114. & pag. 119.* apud *Staricium l. c. per 1.*

pag.27. & seqq. & pag.82. & seqq. Res turpiculas virorum, ad mala quævis amolienda, de puerorum collo dependisse, ex *Varrone* & *Turnebo* eruit, nunquam sine honorifica præfatione nominandus Vir, autoritate, doctrinâque incomparabilis, vereque nostri seculi Eruditorum Princeps, Excellentissimus Dn. *Dilherr.* Fautor & Præceptor meus, omni observantiâ ævum venerandus, *l. 1. Elect. c. 10. p. 65. Cl. Th. Bartholin. Exerc. 7. de Angina Epidem. p. 118.*.

LXIII. Cichorii, Heliotropii, Helenii flores, perpetuos solis pedissequos, aut, si mavis, subsequos esse, facilè largiri possum, an verò nubilo cœlo horas ostendant rusticis? (unde nonnemo rusticorum horologia vocat) videri poterit harum rerum diligentissimus rimator *P. Laurenbergius in Hortic. l. 1. c. 11. n. 7. p. 67.* Sed ut eò redeam, undè digressus, nego circumgyrationes florum, ex occulta aliqua harum plantarũ Sympathiâ oriri, sed manifestam causam habere, cum viris eruditis, sentio. Hinc quò profundiùs solem infra Horizontem descendere videmus, eò magis languescere has plantas deprehendimus, & quò magis redeundo solis splendor ascendit, vegetiores redduntur, certissimo indicio, copioso humore frigido illas abundare. *Theophrast. Eresius* Philosophorum, vel *Ciceronis* calculo, eruditissimus disertissimusq; *l. 2. de causis plantar. c.26. f.m.174.* rationem reddit, cur flores quarundam plantarum assiduè circumagantur cum sole, seq; eò inclinent, quò sol perferatur? *Causa*, inquit, *in detractione humoris est: eodem namq; inclinantur, quò sol humorem fervefaciens, provocaverit.* Habet se nimirum planetarum humidum ad solis calorem, ut Corii ad ignem, sicuti *Cardanus* olim docebat, referente ejus Antagonistâ *J. C. Scaligero, Exerc. 170. §. 2. p. 559.*.

LXIV. Sic è contrario, videmus quasdam plantas, quasi tristari præsente sole, quæ propterea lunares vocantur, v.g. Iridem, violam Peruvianam, Arborem tristem, de qua vide *Euseb. Nieremberg. l. 14. hist. nat. c. 19. Petr. Laurenberg. l. 2. c. 2. p. 163. horticult.* ubi & Göensium fabulam de hac arbore reperies. Plura qui desiderat, adeat *Scalig. l.c. Kircher. par. 5. l. 3. c. 5.* & sæpius laudatum *R.P. Schottum l. 5. c. 5. Synt. 4.*

LXV. Laurum quod attinet, Vitulum marinum, & alia, quæ ex *Plinio l. 2. c. 55.* petunt, fulmina abigere ab illisque tuta esse, plurimi fabulosa esse putant. Laurum de cœlo tactam, à recentioribus observatum esse, *Sennert. Epitom. natural. scientiæ l. 4. c. 2. p. m. 304.* testatur. Quæ de Turchesia gemma referunt, res incertissima est, & non immeritò à multis negatur. Sed si colorem mutet, fieri hoc puto à vaporibus, qui à corpore ægro exhalant: non inde, quod peculiaris ei cum corde Sympathia sit. Vide *Anselm. Boët. de Boodt. l. 2. de lap. & gem. c. 96. 136.* Huc referri non incommodè poterunt, quæ de hominum persuasione *Gesner. l. 1. Ep. Med. 3. p. 4.* differit.

differit. Agnum castum libidinosos supprimere motus, in frigidioribus tantummodò concedo; in calidioribus contrarium efficere, testis est ὄπισθεν *C. Hoffmann. l. 2. c. 6. §. 2. de Medicam. Off.* qui & rationem, cur utrumque præstet, suppeditat, quem vide.

LXVI. Ad objectionem de adversatione casei, respondeo cum Nobiliss. *Kenelm. Digbæo tract. 1. de Nat. corpor c. 38. p. 331.* valdè probabile esse, vitium illud ortum trahere à lactis coagulati caseatione, quod lac condensatum infantes, ex prægnantium nutricum, aut matrum uberibus hauriunt, unde non rarò se ipsos ablactant, quod plurimorum exemplis demonstrari potest, ex *Exercit. de avers. casei* Clariss. *Schockii §. 15. p. 44.* Lac enim, ob fœtum conceptum, coagulatur, tenerumque infantis stomachum offendit; hinc facilè fieri potest, ut per totum vitæ tempus, à caseo, ceu lacte vehementiùs densato, & coagulato abhorreat. Qui enim ex cibi alicujus esu graviter periclitati sunt, vix aut ne vix quidem ad eundem revertuntur. Non tamen inficias ibo, plurimos aversationem casei, sicut & multa alia, ex imaginatione materna accipere. Vide *Benedict. Sylvatic. Consil. & respons. Med. Cent. 2. Cons. 65. Roderic. à Castro l. 3. de Natur. Mulier. c. 11. Wechtler l. 1. de hom. or. disp. 3. diff. 13. & l. 2. de hom. occid. disp. 15. diff. 8. Schoock. l. c. & tract. de signatur. fœtus.*

LXVII. Virgulam Mercurialem, ad loca, auri & argenti feracia, se movere, & naturaliter convertere, nego, sed vel casu conversionem fieri, vel fraude virgulam tractantis, vel Diaboli ope, quo cum intercedit pactum vel explicitum vel implicitum. An nimis durum hoc vobis videtur? Consentientes habeo *Agricolam. l. 2. de Re metallic.* circa finem *Ulyss. Aldrovand. l. 11. de Metall. inveniend. rat. Kircher. l. 3. de magn. p. 5. c. 3. Casp. Schott. Taumaturg. Phys. p. 420. & seqq. Laur. Forerum in Viridar. philosophico disp. de Magn. c. 29. Wechtler. de hom. occ. l. 2. disp. 15. diff. 22.*

LXVIII. Allium & adamantem magnetis Viros supprimere; adamantis, hircinum sanguinem, invincibilem duritiem mollire, vanissima hominum sunt commenta. Dudum prius experientia elusit, posterius frequens artificum diligentia falsum esse testatur. Consule, si lubet *Port. l. 7. magn. nat. Cl. P. Borellum cent. 2. hist. & obs. rar. Medicoph. 88. pag. 180. Athanas. Kirch. l. c. P. Laurenbergium l. c. l. 1. c. 11. p. 65. § 2. Albert. Kyperum Inst. Phys. l. 5. c. 2. §. 7. p. 154. Anselm. Boet. de Boodt. l. 2. de Gem. & lap. c. 4. p. 62.*

LXIX. Huc affero quoque, quæ de cæteris gemmis amorem, invidiam, lætitiam, venereos motus & similes affectus excitantibus, castitatem cognoscentibus, & adulteria prodentibus, nobis opponunt. Quamvis quosdam effectus ipsis non derogem, libertatem verò homini adimere, adeò, ut affectibus resistere quispiam non queat, nego; nam nullâ vi naturali voluntas per se cogi potest. Deinde quod de Smaragdo adferunt, in partes

eum dissilire, actusque venereos illegitimos minimè ferre, falsum est, & naturæ (quæ actum legitimum ab illegitimo non discernit) adversatur. Vide *Anselm. Boët de Boodt. l. 1. de lapid. & gem. c. 25. p. 43. & l. 2. c. 53. p. 100.* Turpissima etiam mendacia sunt quæ de magaritis asserunt. Quàm castæ fuerint fœminæ, quarum aures jam exercitatæ oneri margaritarum ferendo, *Seneca l. 7. c. 9. Benef.* legi poterit. *Julium Cæsarem* pronum & sumptuosum in libidines fuisse; plurimas & illustres fœminas corrupisse, & margaritas animosè sibi comparasse, constans opinio est. Vid. *Sueton. in ejus vita* & *ibid. c. 50.* Si major forte vis adscribenda ipsis, dum intra corpus assumuntur, *Caligulam* habemus, aceto liquefactas margaritas sorbentem. Horribile dictu quæ de libidinosissimo illo cane, & naturæ monstro, neque suæ, neque alienæ pudicitiæ parcenti, *in vita ejus c. 36.* dictus *Suetonius* refert.

LXX. Ad V. argumentum respondeo, concedendô, unguentũ hoc posse vires habere consolidandi & conglutinandi, sed parti vulneratæ applicandum esse urgeo. Quædam agentia, respondent, requirere spatium distans, per quod in patiens agant: Sic alia destruere nimis approximata, quæ remota fovent & conservant. Et v. g. Sensibile positum super sensum, sensationem non efficit, quod Cl. *Mobyus* contra *Sennertum* urget *c. 10. l. c.* Incumbit autem ipsi probare, an unguentum armarium medium distans, per quod agat, requirat? quæ enim sequela est? quædam agentia medio distante, per quod agant, opus habent. Ergò & unguentum armarium. Non enim à vero alienum, sed mihi maximè verisimile, quædam vulnera per hoc ipsum unguentum, si iis applicaretur, sanari posse.

LXXI. Siderum concursus & conjunctio astralis, parum hûc faciunt; hinc alii rectiùs siderum observationes omittunt. Constat enim, ipsismet confitentibus, Paracelsi, aliorumque unguentum, sub nullâ constellatione paratum, idem præstare. Etsi virtus unguenti magnetica est, & eâdem vi curat vulnera, quâ magnes trahit ferrum, siderum concursibus opus non est, cum insitâ naturâ, sicut magnes, quolibet tempore, & sub quolibet sidere, ferrum trahit & polum respicit. Sed audiamus hujus unguenti omnium acerrimum propugnatorem *Servium l. c. p. 165. Sive stellarum coitum attendas*, inquit, *in componendo medicamento, sive planè negligas, unguentum præstantissimum, cum Sympathia præditum, efficies.*

LXXII. Taceo impia illa & frivola, nec refutatione digna, quæ à Goclenio adducuntur; nullius certè momenti sunt, sed superstitionem, ut nequid graviùs dicam, sapiunt, adeò, ut ipsum authorem dixisse pudeat, unde in Synarth. ait: Se illa, aliorum ex sententia, protulisse.

LXXIII. Septimum prætereo, quia suprà spiritum illum negavi, unde, mediante hoc vectore, vis balsamica ad vulnus deferri non potest. *Comen.*

&

& Author. philos. Mos. qui ex S. Scriptura *spiritum M.* probare conati sunt, vide apud Excellentiss. & Clariss. meum Præcept. Dn. Felwing. solidè refutatos *l. 1. Metaph. c. 4. quæst. 1. p. 140. seqq.* Quæ de virginum Zenith tradunt, vana sunt, & anicularum superstitionem, sicut & illa pleraque, quæ de fœminarum menstruis à *Plinio* & aliis circumferuntur, sapiunt. Vide *Dan. Becker. Med. Microc. l. 7. c. 7. p. 39. Bapt. Codronch. de morb. venef. l. 2. c. 4.* cur enim primi tantùm menses & subsequentes non incommodant? cur malè tractatum lunare tributum tantas turbas dat, & sanguis optimus è juvenili corpore extractus, & per aliquot dies igni admotus, incommodum nullum fert? vide *Burggrav. in Biolychn. pag. 87.*

LXXIV. Nasum ex carne alterius hominis affabrè fingi & restitui posse, facillimè largior; siquidem, simile quid in aliis animalibus fieri quoque posse, *P. Borellus cent. 1. obs. rar. Med. 10 p. 15.* author est. Pertractavit hanc rem, ut omnia alia egregiè *C. Taliacot. de curtor. Chirurg.* Adde recent. *Guilielm. Fabric. Hildan. observ. Cent. 3. obs. 31. Gabr. Fallop. tract. de metall. p. 144. & lib. de decoratione cap. 11. Thom. Fien. Chirurg. l. 12. c. 1. & 2.* Causa enim haudquaquam diversa est, sed cum calore nostro congenea, cùm & hominum temperamenta non usque adeò dissentiant. Ipse certè *Taliacot. l. c. l. 1. c. 18. p. m. 196.* se in alieno corpore nunquam id tentâsse affirmat, qui videri potest. Sed posito, quendam ob auri sacram famem corporis partes in alterius commodum venales exposuisse, quid inde? casu id contigisse, cum Magno *Conringio*, sæpius jam à me in suffragium vocato, *l. c. p. 234.* respondeo, quia aliis, quibus, ex aliena carne, nasus est restitutus, idem non acciderit, nec contingat ulli arbori enatæ, per insitionem rami alicujus avulsi. Vide si placet Gratiosiss. *Dn. D. Wechtler. l. 2. de hom. occid. disp. 14. diff. 7. Clariss. Kirsten. l. c.*

LXXV. Cadavere sanguinem, præsente occisore, stillante, nobis non obsunt; nam adhuc sub Judice lis est, utrum actio illa sit naturalis aut supranaturalis; imò ipsi, in allegandâ istius fluoris causâ, non consentiunt, sed variæ sunt sententiæ. Alii solam Antipathiam, veram esse causam, volunt, alii contra, Sympathiam in causa esse, contendunt. Sed cum neutris faciendum puto: Non enim ex Sympathia effluet sanguis ad homicidam, quia potius exhorresceret eum, quàm ut ejus unionem affectaret, & quia Sympathia nihil aliud, ut volunt, quàm amabilis inclinatio, unius rei ad alteram, quæ proh DEUM atque hominum fidem! hoc in casu, amabilis inclinatio? quod desiderium, inter sanguinem, & ejus infensissimum hostem, esse potest? Neque ob antipathiam effluet, quia, *per hanc, res sese mutuò non prosequuntur, sed fugiunt, & abducunt se in recessus intimos, ut Scaligeri* verbis, utar *exerc. 276.*

LXXVI. Præterea ex corporibus omnibus, certâ humorum temperie constantibus, insensiles quasdam, & subtilissimas exhalationes diffundi, quod quidam supponunt, concedo; sed exhalationes illas tantam facultatem & potentiam alterandi sanguinem, qui post longum tempus in corpore refrixit, obtinere, adeò ut ebulliendo quasi per vulnera effluat, hoc est, quod nego. Exempla admiratione digna vide apud *Henr. Kormannum l. 1. c. 23. seqq. de mortuorum miraculis.* Clariss. *Strauß. in Epist. ad Illust. D. Kenelm. Digbæum Theat. Sympath. p. 245. Wechlerum l. 2. de homine occid. disp. 15. diff. 9. p. 267.* Sed de his satis; ad eorum argumentum ultimum me accingo.

LXXVII. Non dari actionem in distans, diffusè ab authoribus declaratum, & supra à me dictum, ut superfluum sit, hîc rursus recoctam dare crambem. Mihi jam illis cum res erit, qui per contactum virtualem unguentum vulneri supervenire asserunt & urgent. Quæro itaque ex illis, an ipsum naturale balsamum, telo inhærens, & vi emplasticâ imprægnatum, substantialiter, per Spiritum mundi, tendat ad vulneratum, an verò speciem quandam spiritalem, & cum eâ virtutem illam communicet? Hîc certè, tàm obscurè, & ambiguè, sese explicant, ut utrumque affirmare videantur. Si itaque prius affirmant, contactus non amplius est virtualis, sed corporalis. Nam si substantia balsami cum vi emplastica, quæ etiam substantiæ suæ, veluti subjecto, inest, ad vulnus tendit, utique corporeus, inter illas substantias, & ipsum vulneratum, stabit contactus; imò & pauco tempore omnis unguenti vis demigrabit, nam cum perexiguum balsami istius, gladio adhærescat, facillimè illud totum avolabit, & sic, sublatô curationis fundamentô, ipsa quoque curatio cessabit. Posteriore autem affirmato, accidens migrabit de subjecto in subjectum, scilicet illa virtus, quæ in unguento armario esse dicitur, migrabit de illo unguento in ægroti vulnus, & sic quocunque se vertunt, agentis & patientis contactum describere nequeunt.

LXXVIII. Hisce missis rectà ad exempla pergo, quibus actionem in localiter distans firmiter probare se sibi persuadent. Sed illos ἀπροσδιόνυσα φράζειν, & probare, quæ nondum probaverunt, constat; quædam enim veluti falsa, jure summo suspectare licet, quædam verò prius in medium, quàm in extremum agere, infrà patebit.

LXXIX. Ne autem, ex visione lupi, raucedinem contraham, prior illum aspicio, dicoque, falsum esse, & frequentem experientiam eludere, lupum raucedinem introducere. Suo hoc olim exemplo (teste *C. Schotto l. c.*) *Scaliger* comprobavit. Si tamen aliquando contingat, in causâ timor esse potest, aut inopinatus terror, ex viso lupo conceptus, qui fauces & guttur exsiccare solet. Vide *Hieron. Nymann. Orat. de imaginatione.* Non autem, ut putavit vir Clariss. *David Frölich. Cynos peregrin. l. 1. part. 1. quæst. 103.*

ob

ob id fieri, quia, secundùm *Aristotelem*, *lupus animal valdè & maximè frigidum in cerebro. Ergò*, ulterius inquit, *si videntium hominum spiritus visibilis dirigitur ad eum, tunc attrahit aliquid de frigiditate ad pectus, modò ex illa frigiditate pectus constringitur, ubi sunt instrumenta vocalia: vel quia 2. lupus non potest digerere alias fumositates, sed exspirantur ab eo in aërem, & sic ille aër circumstans inficitur, & alius aër iterum inficitur ab illo, & sic usq; ad hominem iter facientem pervenit, tunc ille aër, sic infectus, ab homine attrahitur, & facit eum raucum.*

LXXX. Verùm (quod bonâ tanti viri veniâ fiat) vero non est consentaneum; si enim tanta frigiditas lupo inesset, adeò ut summum hyemis frigus, frigiditate suâ vinceret, animal hoc ferox, ut *Aristoteles lib. 1. hist. animal. c. 1.* terram interdum edens. *ibid. l. 8. c. 5.* vitam trahere non posset: imò & lupus mortuus, utpote tunc frigidissimus, majorem raucedinem introduceret; quod tamen experientiæ contrariatur. Nec hominum visibilem spiritum egredi ex oculo, eumque infectum attrahendo aërem, transportare ad pectus, credendum. Visio enim fit, non per emissionem, ut Platonici & veteres olim putarunt, sed per receptionem, quemadmodum fieri amat in speculis: quare *Aristoteles*, teste *Cureo de sens. & sensibil. c. 32. p. 131. oculum speculum animatum, & speculum oculum inanimem* vocat. Vide *C. Basin. Theatr. anatom. l. 3. c. 38. p. 749. Gilbert. Jachæum l. 1. Instit. Med. c. 11. Joh. Bodin. Theat. Naturæl. 4. p. 451. Joh. Magir. Comment. Phys. l. 6. c. 7. Albert. Kyper. lib. 8. Instit. Phys. c. 5. §. 13. Sennert. l. 7. Natural. scient. c. 2 p. m. 545.*

LXXXI. Ad secundum respondeo, si vis aliqua fumositatibus, ex lupi cerebro exspirantibus, inesset, semper eundem effectum relinquerent, sive homo prior lupum, sive hic hominem prior videret.

LXXXII. Oscitante uno, oscitare & alterum, concedo, nullâ tamen admissâ actione in distans. Excitatur enim phantasia per visum, per hanc, excitationis causa.

LXXXIII. Quæ de Ophtalmia laborantium fascinatione, (quamvis meliùs contagium dicerent) proferunt, nullatenus veritati consentiunt; neque enim veneficium neque fascinatio per visionem fieri potest, quia visio fit non per emissionem, ut supradictum, sed per receptionem. Possunt êcontrà corpora disposita facillimè vaporibus tetris, ac insuavibus, qui ex sordidis & malè affectis Ophtalmicorum corporibus, tanquam ex palude quadam limosa, exhalare solent, infici. Qui plures rationes, quibus fascinatio hæc jugulari possit, audire velit, eos adire jubeam. *Baptist. Codronch. de morb. venef. l. 2. c. 2. p. 55.* Doctissimum *Langium, l. 2. Ep. 36. Sennert. M. P. l. 6. part. 3. c. 3. Wechtler. l. 2. de hom. occid. disp. 15. diff. 10. Tandler. in dissert. p. 87.* qui doctissimè negotium hoc absolverunt.

LXXXIV. Apuliæ Phalangia, unicum fermè hujus unguinis defensoribus asylum esse solent, dum plerique in dogmatis hujus favorem sentiunt, tàm diu durare in ictu venenum, quàm diu vivat Tarantula, eâque demortuâ, unà cum vita ejus extingui. Quæ sententia, longissimè à veritate remota, & manifestis experimentis repugnat. *Santes Ardoynus l. 8. de Venen. c. 5.* Tarantismum perseverare affirmat, quousque venenositas resolvatur. *Athan. Kircher. l. 3. part. 8. c. 2. quæst. 1.* affirmat, genus hoc araneorum, non secus ac alia insecti genera, facilè & subitò nasci, verùm & brevissimæ vitæ esse; frigore enim hyberno adveniente, mori, calore æstivo redeunte, reviviscere. II. Se ab ipsis Apulis accepisse addit, Tarantulas, in vitreis vasis à curiosis inclusas, additis iis rebus, quibus enutriri solent, nunquam conservari potuisse, adeo frigoris impatientes esse III. Se cum Tarantiaco verba commutasse, qui affirmabat, animalculum illud à se occisum esse, certò se scire, dum morsum ejus inter moriendum sentiret, & tamen in hunc diem usque, quotannis cum hoc malo adhuc conflictari, quod manifestum signum est, passionem hanc à Tarantulæ vita non dependere. IV. Authoritate comprobat virorum Clarissimorum, affirmantium Tarantiacos multos adhuc annos, saltus suos continuare, & jam post occisam bestiolam. Optimè huc faciunt quæ habet *Epiphanius Ferdinandus in casu Medic. 81. c. 2. q. 84. f. 260. Scimus* inquit *sexcentas mulieres, & viros, qui cum fuerint commorsi à Tarantula, statim illam super partem ictam occiderunt, & tamen postea per plures annos saltârunt. Et inter cæteros vivit nunc Mita Lupa, quæ occidit Tarantulam, & tamen decem & septem annos saltavit, & ferè totam suam substantiam consumpsit benè solvendo Sonatores & Tibicines. Tandemq; videmus quam plures Tarantatos, qui 10. 15. 20. 25. & 30. annos saltarunt, sed quomodo quæso hoc animalculum tot annis vivere potest cum sit de natura insectilium, & à liberis occidi soleat.* Hæc ille.

LXXXV. Sed quid multa? Veri si quid hæc res haberet, contingeret idem etiam in vulneribus ab aliis animalibus inflictis; cum tamen videamus affectus ex morsu canis rabidi, etiam multò ante occisi, in morso remanere, vide *Eustach. Rudium l. 4. de morb. occult. cap. 13.* Post occisos serpentes, quosdam dum incautè eorum capita tractarunt, veneno infectos fuisse, viritim jam percrebuit. Adi si lubet *P. Borellum l. c. cent. obs. 43.*

LXXXVI. Non repugno quoque Stuporem Torpedinem inducere, quam ex effectu Germani Krampff-Fisch & Zitter-Fisch vocant, non solùm dum eam immediatè attingunt piscatores, sed etiam dum baculi extremitatem corpori ejus admovent. Transmittitur enim (quod illis repono) qualitas illa stupefactiva atque inimicissima nervis per hastam aut baculum ad manum vel brachium. Hinc dimissa torpedine, torpor ille illicò evanescit, maximè accidente corporis excitatione, ut propriâ experientia

didicit

didicit vir in omni penè ſcientiarum genere emeritus & ſæpius à me laudatus *Kirch.l.c.l.3.part 6.c.2.* Adde huic *Euſtach.Rudium l.4.de morb.occult. c.15. Santem Ardoynum l.6.de venen.c.34.*

LXXXVII. Refutationem vix merentur, adeò frigida ſunt, quæ de pane calidè è furno extracto, cultroque diviſo, proferunt, læſionem nempè ſequi reliquorum in furno, corticemque à reliqua medulla ſecedere. Mihi certè aliisque quàm plurimis, qui aliquoties experimento probare conati ſumus, nunquam ex voto reſpondebat, neque etiam ulla ſubeſt ratio, cur hoc fiat. Equidem admiror, viros quoſdam aliàs literatiſſimos, huic rei fidem adhibentes, quod vel rationibus, vel unico ſaltem & levi experimento (id quod caſu fortè aliquando factum) credere, quàm ſæpius experiri maluerint. *Multa* enim ut *Renat. Moreau. Med. & Profeſs. Reg. Pariſ. Epl. ad Th. Barth. Laryngor.* circa finem inquit, *explorata & experta dicuntur, quæ ne quidem tentata, ſed ſoli famæ pervia ſunt.*

LXXXVIII. Hæc ſunt B. L. quæ temporis ob anguſtiam propter præſcriptum abitum ad mandatum Nobiliſſimi & Gratioſiſſimi cujusdam Viri, Favitoris mei colendiſs. cui & animum & ſtudia mea dudum conſecravi, rudi Minervâ conſcribere mihi licuit. Si non ubique, ſicuti debui, reſponderim, B. L. temporis brevitati id tribuendo, *veniam non denegabit, & ſic humanitatem*, ut *Caſſiodorus* inquit, *non exuet.*

HIERONYMI FRACASTORII VERONENSIS.

De

SYMPATHIA ET ANTIPATHIA RERUM.

LIBER VNVS.

DE sympathia & antipathia multorum. Cap. 1. car. 1
De primo rerum omnium consensu. Cap. 2. c. 1
De sympathiis elementorum ad loca propria. Cap. 3. c. 2
De consensu partium in suo toto. Cap. 4. c. 3
De attractione similium. Cap. 5. c. 3
De consensu & dissensu elementorum circa qualitates contrarias. Cap. 6. c. 6
De sympathiis & antipathiis mistorum & attractione similium. Cap. 7. c. 7
De echeneide quomodo firmare navigia possit. Cap. 8. c. 8
De antipathia contrariorum & quomodo se mutuo pellant. Cap. 9. c. 9
Cur & calx & pannus & alia sicca aquam promptissimè admittant. C. 10. c. 9
De analogia rerum in agendo. Cap. 11. c. 11
De animæ sympathiis & antipathiis. Cap. 12. c. 13
De sympathiis animæ cognitricis. Cap. 13. c. 14
De sensuum sympathia & antipathia. Cap. 14. c. 15
De primis effectibus, qui fiunt ex consensu & dissensu sensuum. Cap. 15. c. 17
De consensibus & dissensibus phantasiæ. Cap. 16. c. 19
De gaudio & appetitu. Cap. 17. c. 20
De tristitia & odio. Cap. 18. c. 21
De timore. Cap. 19. c. 22
De admiratione & ecstasi & risu. Cap. 20. c. 23
De ira. Cap. 21. c. 24
De verecundia. Cap. 22. c. 24
De aliis quibusdam consensibus phantasiæ. Cap. 23. c. 26

CAPUT PRIMUM.

PRimum autem de latenti rerum consensu & dissensu, quam Sympathiam & Antipathiam dicunt, agamus, quo nihil admirabilius est in tota natura, nihil scitu desideratum magis. Gallinaceus pullus vix natus equum Elephantemque nihil reformidat, Milvum vel longe conspectum adeo expavescit, ut ad matrem statim confugiat. eadem agno & lupo & aliis multis inimicitia est. Marsi & Psilli serpentes illæsi tractant. Thessalos & quasdam familias in Creta legimus laudando afficere fascino consuevisse, intuendo vero Infantes in tabem vertere. Fulmen aurum colliquat intacto loculo, tum vina absumit vase nec quicquam læso. Adamantem ferunt solo Hircino sanguine mollescere. *mala medica insperso* in eorum cumulum pane flaccescere. unisono in cythara tacto moveri & aliud unisonum videmus, quod ne prope etiam sit. concusso vero tympano è corio lupi confecto, dicuntur ea dissolvi tympana, quæ ex agnino corio sint conflata. *Herculeus lapis* ferrum ad sese trahit, Adamas & Electrum pilos & surculos, quid vero æquè mirandum est quàm ignotum illud antiquis miraculum navigatoriæ pyxidis, cujus extremum perpendiculum temperati magnete ferri, in incredibili distantia ad eas semper partes sese convertat, quæ ad Polos spectant? quid quod *Leo* animalium omnium terror gallinaceo tamen gallo terretur, præsertim cantum emittente? Taurum affirmant quamvis furentem alligatum ficu statim mansuescere. Brassicæ & rutæ tanta inimicitia est, ut juxta seri nolint. *Cucumis* autem supposito oleo recurvari videtur. Aurum neque oleum, neq; aquam imbibit, argentum vivum statim ac raptim quodammodo ebibit. *Oleum aqua* non admiscetur, quam nec Adiantum admittit, quanquam rivos & fontes amet. Calx verò & spongiæ & id genus, liquida omnia ita absorbent, ut mirari liceat quum alioqui inter ipsa contrarietas non parva sit. & illud quoque mirandum est, quod oscitante alio & nos pariter, nisi adverterimus, oscitamus, & alio edente acerba quædam, saliva alteri in os prosilit. Catablepha animal hominem ad mille passus conspectum interficit, in fætus signa quædam eorum transire videntur, quæ matres avidissimè appetivere. Octimestris partus non vivit, quum tamen septimestris vivere conspiciatur. Porrò supra omnem credulitatem videtur esse Echeneis parvus pisciculus, Remoram appellamus, *Remora.* qui medio in mari navem vi atque impetu ventorum actam sistat, ut alii ferunt, aut saltem, ut alii, tardet. & infinita alia id genus, quæ incredibilis admirationis sunt plena, inter quæ & contagionum natura est.

CAPUT II.

De primo consensu rerum omnium.

PRimus autem, communis rebus omnibus, & admirandus est ipsius universi consensus, in quo quæ sunt corpora, ita omnia invicem connexa ita hærentia esse volunt, ut nulla potentia sit, quæ eorum extrema, quibus sese mutuo tangunt, sejungere prorsus possit, atque ita separare, ut vacuus locus intercidat. Mira profectò res est, hac de causa gravia sursum trahi, levia deorsum, contraria qua sese pellere, atque etiam interimere solent, nolle tamen sejungi, tantus est consensus ille rerum omnium in universo. Cujus rei si quis forte finem requirat, & cujus gratia fiat, non difficile certe erit assignare rationem, quam & omnes assignant, ne detur vacuum, quippe vacuum in natura esse non potest, quoniam nihil natura sustinet, nihil admittit quod frustra sit, quodque universi ordinem & leges impediat: quæ quidem contingant, si vacuus sit ullus locus, in eo enim, nec quicquam fieri poterit, nec quicquam recipi. At vero si quis non solo fine contentus sit, sed & agens quoque requirat, & quidnam illud sit, quod divellenti resistat, & quomodo, non erit fortasse ita promptum reddere rationem tanti nexus, quando universi partes neque eum finem agnoscunt, neque per naturam appetere possunt, aut contrariis jungi si contraria sint, aut sursum duci si gravia, aut deorsum si levia. neque enim dicendum (ut quidam ajunt) universi partes, tametsi non eum cognoscunt finem, dirigi tamen à cognoscente, quando hic non universalem & primam causam quærimus, sed particularem & propriam: quale esse non potest eorum ullum, quæ immaterialia sunt. Sic enim periisset natura. neque rursus dicendum, ut alii, qui materiam in causa ponunt, quæ per se semper continua sit, sine forma autem omnino esse non possit, unde accidat universum semper esse continuum & plenum, materiæ enim neque actionem, neque resistentiam ullam jure possumus attribuere.

Vacuum

Rectius igitur fortasse illud dicetur, primum finem, quem omnia per naturam habent, esse ut sint, ac conserventur: conservantur autem substantiæ & corpora principaliter ac maximè per mutuum nexum & contactum extremorum, sic enim evitant vacuum, quo nihil esse potest inimicum magis omni naturæ, atque hoc est, quod alii locari dicunt, locus enim fit unum corpus alteri, unde & recte ajunt locum esse locati conservativum: quod profecto maximè fit, quum à vacuo præservet. Non cognoscunt igitur eum finem substantiæ & corpora, quæ in universo sunt, per naturam tamen resistunt, ne separentur omnino. Non enim necesse est,

eſt, quæ gratia alicujus agunt, finem etiam cognoſcere: ſed alia cognoſcunt quidem, alia per naturam agunt. In hoc autem ſimplici corporum nexu & loco, nihil alteri contrarium eſt, nulla verſatur inclinatio ſurſum aut deorſum, quod ſi contraria ſunt aliqua inter ſe corpora, ſi certam habent inclinationem, habent quidem non quatenus ſimpliciter corpora ſunt, ſed quatenus talia, puta calida & frigida gravia & levia, quare & quatenus talia vim aliquam pati poſſunt, ſimpliciter autem non. quacunque igitur intercidere vacuum poſſet, nexus & locus eſt neceſſarius ſubſtantiis omnibus: propter quod & omnia quæ inter primum corpus ſunt, locum habent ſecundum extrema omnia, quoniam ſecundum omnia extrema vacuum intercidere poſſet. Primum autem corpus, quia per ſupremam & extremam ſuperficiem, vacuo non eſt obnoxium, nec alterius conſervatione indiget, per internam ſolum ſuperficiem locatur.

CAPUT III.

De Sympathiis Elementorum ad loca propria.

IGitur quum omnia corpora finem eum habeant ut conſerventur, prima quidem rerum omnium conſervatio eſt, ſimplex illa locatio & nexus, quo præſervantur à vacuo ut dictum eſt, ſecunda autem quæ priorem hanc præſupponit, eſt certa & determinata locatio & nexus, quem conſenſum habent inprimis elementa cum locis propriis: neq; enim quatenus talia ſunt calida, frigida gravia & levia, ubique convenientem locum habent, ſed certas ſedes expoſcunt & certos quorundam corporum nexus, atque igni quidem qui pro natura debetur locus, eſt totum illud quod interjacet inter concavum orbis lunæ, & convexam aëris ſuperficiem, ubi convenientiſſimè collocatur. quoniam cum altero extremo illi orbi jungitur, á quo quàm optime per lumen conſervatur, cum altero verò Aëri, cui per caliditatem reſpondet, reſpondere autem per utranque qualitatem non datur, quoniam ſic ignis jam Aer eſſet, quare per alteram ſi reſpondeat, ſat naturæ datum eſt. Aeris verò ſitus inter ignem & aquam quam aptiſſimus eſt. Cum hac enim humiditate cum illo caliditate concordat. porrò aquæ ſedes inter aerem & terram eſt, cum altero enim humiditate, cum altero frigiditate conſentit. Terra verò circa centrum in aquæ concavo locum habet, cui frigiditate reſpondet. In his igitur locis omnem habent elementa conſervationem, quam habere natura poſſint. nam & ſimplicem illum nexum & locum habent, quo præſervantur à vacuo, tum vero & proprium, ubi propria eorum natura maximè bene habet, in reliquis

autem locis priorem quidem & communem nacta sunt conservationem, propriam autem non, propter quod providit natura illis, ut per media contraria viam sibi aperiant ad propria loca. Habet autem dubitationem quandam, quod diximus loca propria elementorum esse nexum certorum corporum, quibus consentiant qualitatibus, quoniam quærentibus elementis loca sua, indivisibile quiddam videtur esse, quod vocant ubi, ad quod per se feruntur tum tota ipsa, tum eorum partes, ac centrum sui faciunt, cujus signum illud est, quod si loco aquæ poneretur aer, terra nihilominus ad centrum ferretur, & si loco aeris poneretur aqua, ignis quidem moveretur ad locum, quo & nunc movetur, quare accidere quodammodo Elementis videtur moveri ad superficies aliorum. Dicendum duas elementa habere rationes, alteram, quatenus una quædam natura est unumquodque illorum, alteram quatenus partes sunt universi & naturæ totius, ac certè quatenus una quædam natura sunt, sic profectò certum ubi, certumque locum habent unumquodque illorum, ad quod per se feruntur, ac ignis quidem locus est linea media inter concavum orbis lunæ & convexam aeris superficiem, ad aquam & ignis totus & pars ejus quælibet per se movetur, & centrum faciunt. Aeris verò locus est linea media inter ignem & aquam. Aquæ verò locus linea media inter aerem & terram. porrò terræ locus est centrum. at quatenus partes totius naturæ sunt elementa, & veluti membra universi, loca quidem eorum sunt ea, quæ dicta sunt: sicut enim in animali partes inter se consensum & relationem non parvam habent, & in eo certos exposcunt situs, ita & in universo quod perinde ac animal quoddam est, partes ejus situs invicem consentientes expostulant, alioquin universum ipsum debite constitutum non erit. Non accidunt autem loca hæc elementorum ut partes sunt totius naturæ, lineis illis mediis ad quas moventur, ut naturæ quædam per se, immo causæ & fines illarum sunt. si enim quærat quis, cur ignis ad lineam inter lunam & aerem mediam moveatur, respondere licet idcircò esse quod eo pacto rectè collocantur elementa in universo, & natura tota suos consensus habet, nec ignis ipse bene haberet nisi in ea linea facto totius centro, hinc quidem lunæ concavum, inde aeris convexum tangeret. atq; itidem de aliis quoque dicatur, neq; alia quidem est in locis elementorum vis conservatrix, ut multi putant, quam hæc quæ dicta est.

CAPUT IV.

De consensu partium in toto.

Est autem & alius in elementis consensus partium quatenus in toto sunt: Constat enim si vi rarefactæ illæ sint sese condensare, si conden-

factæ rarefacere: quousque veniant ad eum situm, qui toti pro natura debetur. qui quidem consensus non minus prædictis est admirandus, tum quod mirum est, partium alias descendere in eo toto, alias ascendere, alias in latus ferri, tum quod ex causa hac maximi quidem & plurimum admirandi effectus proveniunt: nam & soni primum per hunc modum audiuntur, tum & primæ animalium motiones contingunt, & projecta in aere continuum motum habent, & quo nihil admirabilius vidit tempestas nostra, Tormenta quoque illa, per quæ mœnia & urbes tanto impetu demolimur, per hoc principium dant eam stragem. soni quidem nisi addensetur aer, non sentiuntur, quoniam qualitates quæ sensus movent, omnes quidem subjectum in quo per se sunt, densum amant, medium vero per quod feruntur earum species, non omnes densum volunt, sed quædam rarum exposcunt, quædam densius. Lux igitur in subjecto raro non videtur, in densiori videtur, medium verò, per quod species illius transit, rarum esse oportet, quædam verò tam subjectum in quo sunt, quod medium per quod deferuntur species densius poscunt, ut sonus, qui si aut subjectum aut medium rarius habeat, sensum non movet. qualitas ergo illa quæ sonus dicitur, in materia densa per se est, ut in ligno & aliis, sicuti & lux, & odor & sapor, at species ejus si movere sensum debet, medium poscit continenter densum, dico autem densum non per admistionem terræ, sed vi addensatum, quod in Aere accidit facto ictu. Inde enim facta prius distractione & rarefactione tum subita fit addensatio partis post partem, more undarum, unde circulationes conflantur, quod non aliud est, quam successiva quædam aeris addensatio in orbem facta, per quam delata species à primo profecto sensum dimovere potest. Fit a. successiva illa addensatio in aere prioribus quidem partibus subitò ac vi densatis, subitò etiã sese rarefacientibus ac alias successivè densantibus. qui motus est partium in toto per consensum factus. Projecta quoque per eandem rarefactionem & condensationem portantur per aerem, partibus quidem, quæ ante sunt, viam quodammodo aperientibus & propellentibus undationem, iis vero, quæ circa & à tergo, successivè addensatis & rarefactis una post aliam, & projectum vehentibus non aliter ac per undam, celeriter autem & impetu multo, quoniam nihil celerius est rarefactione, quæ partium in toto fit. à principio autem segnior est motus propter resistentiam totius aeris nondum positi in motu, mox factis circulationibus multis, & potente jam aere sese expandere, velocitas longe major augetur, donec summa fiat. ad quam quum perventum est, lentescit sensim deinde motus, aere qui ante est plurimum rarefacto, ac jam condensatione continenter magis & magis desinente, minorata obsistentia. atque hoc pacto tandem laxatio & solutio circulationum fit: unde & vectio demum cessat. In bellicis autem

tormen-

tormentis tantus impetus accidit igne multo repente genito è fomite, qui vi conclusus rarefactionem sibi propriam quærit. si igitur obsistens potentius ipsum sit, quam ignis, extingui ignem accidit, aut etiam generari non posse: sin contra ignis post luctamen multum potentior ipse sit, tum subita atque ea quidem ingenti rarefactione facta, aut vas rumpit, aut objectam pilam impetu magno extrudit, quæ mox per aerem eodem modo portatur quo & sagittæ, & projecta reliqua. quæ omnia per consensum partium in toto fiunt. nihil autem contra naturam patiuntur partes, quũ sese aut condensant, aut rarefaciunt, quamquam aliæ ascendant aliæ descendant, quoniam sursum aut deorsum inclinare non inest partibus, quatenus in toto sunt, aut moventur, sed illi solum quod totius rationem habet, & per se est, atque extra moveri vult: sic enim aut sursum inclinat aut deorsum. De motione autem animalium quomodo & ipsa per hoc principium fiat, paulò post inquiremus.

CAPUT V.

De attractione & motu similium ad similia.

Videtur autem & alia quædam plurimum admiranda, quæ inter affinia & similia versatur, sympathia. Constat enim unum ad aliud moveri, donec & in unum coeant. quod & in elementis & aliis manifestum est, in aerem quidem inter bullas illas quæ in aqua fiunt. Videmus enim unam ad aliam appellere, & eo velocius, quo proximiores fiunt. Similiter autem & in igne sæpius est videre parvam flammam à majori velocissimè trahi, in aqua autem & terra non ita promptum est, propter eorum corporum incommoditatem, in mistis verò multis manifestissimè cernitur, ut Magnete, Electro, Adamante & aliis pluribus, præcipuè autem in animalibus & plantis. De quibus omnibus nunc in universum quæremus, quomodo is motus fiat, mox de mistis nonnulla seorsum dicemus. Sunt ergo qui putent, simile moveri ad simile propter ipsam similitudinem, qua sese mutuo conservant, nam qua causa elementa moventur ad loca propria, eadem & separata pars ad suam consimilem movere videtur. moventur autem Elementa ad loca propria, ut locentur illic, unianturque simili, à quo conservantur, cur ergo & pars ad partem non moveatur ut illi uniatur ac conservetur? quum major multo & intrinseca magis sit earum similitudo, quàm elementi ad locum proprium.

Sed certè hoc tametsi apparentiam quandam habeat, non tamen (ut arbitror) rectè dicitur. pars enim separata, neque per cognitionem neque

per naturam moveri ad consimilem potest, ac non cognoscere quidem manifestum est, per naturam autem non moveri, & signa sunt, & causæ ac ratio quæ convincant. Primum enim videmus similia hæc moveri non in omni distantia posita, sed certam requirere, atque eam quidem valde parvam in multis, oporteret autem in omni distantia moveri, si per naturam, & similitudinem agerentur: similia enim ubique similia sunt, & eandem naturam habent, quemadmodum Elementa ad sua se loca ferunt, ubicunque posita sint, præterea & quanto major est moles ejus similis quod ad aliud movetur, tanto difficilius duci constat, ac ne posse etiam moveri, si major accreverit quantitas, quod contra fieri accideret, si per naturam sese ipsa moverent, quanto enim major est in iis quantitas, tanto facilius fit motus, quod plus adsit ejus naturæ & virtutis quæ movet. Indicant hæc non per naturam applicationem similium fieri: sed intercidere vim, quod & ratio quoque commonstrat. quærimus enim, nunquid per præsentiam unius similis ut Magnetis, natura & forma alterius, ut ferri, mutetur ab eo quod per se est, an non. ac mutari quidem non videtur, nisi corrumpatur, non corrumpitur autem. si ergo eadem remanet, quæ prius non præsente magnete, idem profecto faciet quod prius, & eandem inclinationem habebit, at prius inclinabat deorsum, ergo & nunc quoque ad idem inclinabit: quare si sursum ducatur, contra ferri naturam fiet, & vim patietur, qua de causa non rectè dicunt similia per naturam ad similia moveri, nec par est si elementa per naturam feruntur ad propria loca, ut & separata pars ad consimilem per se moveri debeat, quoniam separata pars jam facta est totum quoddam, quod per se propriam naturam habet sursum vel deorsum inclinantem, quæ donec manet semper illuc inclinat. Alii dicunt, alterari ferrum a à magnetis specie, & ita alteratum per se moveri ad ipsam. Sed certè & hoc nihil est, & eadem quæstio redit, nam per speciem illam magnetis vel corrumpitur forma & natura ferri, vel remanet, si remanet & eadem est, cur non eandem habet inclinationem?

Quid igitur? deficit ne natura in hoc, ut si similia mutuo conservantur, modum non dederit, quo unum ad aliud moveri possit. Non deficit quidem natura, ac modum dedit quo simul conjungi possent, verum non eum quo elementa moventur ad loca propria, sed alium: qui quodammodo naturalis est, quodammodo violentus, de quo jam sequitur ut dicamus. Quoniam igitur nulla actio fieri potest nisi per contactum (ut in naturalibus demonstratur) similia autem hæc non sese tangunt, nec per naturam moventur unum ad aliud, necesse est si applicari invicem debent, demitti aliquid ab uno ad aliud, quod proximè tangat, & ejus applicationis principium sit, hoc autem aut corpus erit, aut forma aliqua simplex materialis vel spiritualis. Antiqui quidem ut Empedocles & Epicurus,

quos è nostris Lucretius secutus est, effluxiones corporum, quas Atomos appellabant, principium ejus attractionis ponebant. quæ quidem effluxiones ne negandæ quidem sunt (ut mox ostendemus) modus autem quem ipsi tradebant, sat rudis & ineptus erat. quem quoniam tum Alexander Aphrodiensis tum & Galenus satis apertè reprobant, à nobis prætermittetur. Veruntamen receptis Atomorum effluxionibus nos modum alium tradere posse videmur, quo attractio similium fiat, meminisse autem oportet eorum, quæ supra dicta sunt de consensu & motu partium in toto. supposito igitur, quod à rebus effluant insensibilia corpora, dicimus ab uno ad aliud similium reciprocè transmitti ea corpuscula, è quibus totum quoddam fit atque unum, verum difforme in partibus, neque enim quæ juxta a. sunt & juxta b. eam habent rationem situs & raritatis ac densitatis, quam habent quæ in medio sunt, qua de causa partes in toto illo non debite se habent. Sicut igitur supra diximus in Elementis partes consensum habere maximum, & in toto moveri, quum debitum non habent situm & modo constringi modo laxari, ita & hic in ea atomorum nube se habere dicimus, ut partes in eo toto nunquam debite collocentur, & pro natura consistant, donec in unum non coeant: motis ergo particulis illis & subjecta simul in quibus sunt, moveri accidit, & simul coire, atque hoc quidem modo si quis dixerit attractionem similium fieri, nullum (ut arbitror) astruet inconveniens, causam referens ad motum partium in toto. Cujus rei & illud esse signum potest, quod confricata quædam ut Succinum, & Adamas fortius surculos trahunt. quod si causa hæc in omnibus assignari in universum posset, non alia profecto quærenda nobis (ut mihi videtur) foret. Sed certè causa hæc non omnibus esse communis potest (ut mox dicemus). quapropter aliud fortasse principium inquirendum videtur quam atomorum, quod commune omnibus esse queat, atque hoc quidem si non est corpus, quod ab uno ad aliud transmittatur, necessariò erit forma simplex, & aut qualitas aut substantia. at certè qualitas nulla earum esse potest, quæ materiales vocantur, non caliditas non frigiditas, non alia (ut manifestum est). quare si qualitas ulla est, erit utique earum aliqua quæ spirituales vocantur. quod et multi existimant. Sed habet dubitationem non parvam, quo modo spirituale illud esse principium possit illius motus. nam quod ipsum alteret simile ut ferrum, quod alteratum sese mox moveat ad magnetem, supra satis improbatum fuit. quod verò spirituale ipsum sit illud, quod per se movet, non satis rationabile videtur. quoniam nihil per se moveri potest, quod non sit aut corpus, aut saltem natura & substantia in corpore. porrò nec videtur, quomodo spiritualia hæc movere possint, præsertim trahere, quoniam productio eorum non cum motu locali fit, sed per quandam magis generationem partis post

partem momento factam. Si igitur spirituales vocatæ species omnes qualitates quædam sunt, dicere fortasse nullo pacto possumus per ipsas ejusmodi attractiones fieri. Si verò aliquæ illarum substantiæ sint, nihil (ut opinor) prohibet ad eas rationem omnem tam miri effectus referri, qui inquiratur à nobis. Recipiendum autem est (ut multis placet) spirituales species ejusdem rationis esse cum formis illis, quarum sunt species, nec differre ab iis nisi modo subsistendi. eatenus enim materiales sunt, & dicuntur, quatenus crassa quadam existentia in materia sunt, & certos terminos poscunt. ingenitum autem est formis omnibus sese (quo magis possunt) propagare. quod quidem faciunt crassæ illæ formæ, quæ materiales vocantur, verum propagare sese per eum modum, & existentiam qua ipsæ sunt, non utique possunt. sed tenuem & superficialem sui vel partem vel gradum producunt, quem Epipolim vocant. qui ob tenuitatem sui & contrarium non habet, & momento gignitur ac propagatur, ceu soboles quædam. hæ igitur tenues & superficiales formæ aptæ imprimis sunt id quod sunt repræsentare, usque ad crassas illas à quibus productæ sunt. propter quod simulacra earum & species sunt appellatæ. propter tenuitatem autem, & quod momento gignuntur, spirituales dici consuevere: ejusdem tamen rationis cum iis, quæ & crassæ & materiales dicuntur.

Si igitur qualitates primæ, substantiæ sunt elementorum, ut multi Aristoteli attribuunt, aut etiam si substantiæ non sint, sed tamen quantum de iis inducitur, tantundem & de substantia subgeneratur, ut Averroi placet, aut universaliter si substantiæ species spirituales habent, & ipsæ: viam fortasse habere possumus ad ostendendum, quo pacto similium contractio & unio à substantia fiat per spiritualem speciem. Quippe de lato spirituali ab a. ad b. & reciprocè a b. ad a. quod ejusdem rationis sit cum a. & b. & substantia, quemadmodum ipsa, totum quoddam fit ex. a. & b. & spirituali illo, in quo toto partes non plane debitum esse, & situm habent, nisi invicem ita astringantur ut simul & a. & b. coeant. sic enim totum illud bene habet, & secundum naturam coexistit: non secus ac si aer aliquis valde distractus ad se redeat, & partes quæ longius aberant in unum cogat et uniat. qui motus tandem est partium in toto sese ad suum situm moventium à forma factus, quæ natura et substantia est. est ergo partim quidem naturalis (quoniam motus omnis partium in toto à natura fit) & à forma illa quæ in eo toto natura est, partim vero & violentus est, si ferro comparetur & extremis ipsis, quæ per se & ut gravia inclinationem deorsum habent, quod & aeri etiam rarefacto et distracto accidit, altero extremo quod sursum est descendente per motum partium in toto. quod non inconvenit parti, dum pars est, ut in toto certo modo moveatur, quo non moveretur si per se esset & ut totum. qua de causa partim violentus est motus

tus ille extremis partibus, quoniam naturam propriam servant qua vel graves vel leves sunt, partim autem est naturalis, quoniam in toto moventur & non per se. ad quæ si quis respiciat non alienum fortasse & veluti paradoxum quoddam existimabit, quod Alexander dixit attractionem omnẽ à calore esse. si enim qualitates primæ, substantiæ sint elementorum, producant autem species spirituales ejusdem rationis, quæ longe productæ ad sua similia per dictum modum possint applicationem eorum facere, calori quidem maxime & præcipue debebitur ea facultas. Latet autem nos caliditas illa, quoniam spirituales species sensibilem actionem non habent in alterando, quamquam in movendo vim non exiguam prodant. atque hæc quidem sunt quæ probabiliter de tanto problemate nobis dicenda visa sunt, ad quæ credenda & ea nos induxerunt, quæ Galenus & alii dicunt, quum ejusmodi effectus à tota interdum rerum substantia fieri dicunt, interdum à similitudine. quæ apud me non aliter intelligi posse videntur, nisi per dictum modum. per similitudinem enim à Galeno intelligi simplicem relationem, aut relationis fundamentum, ego nunquam existimare potui, quum hæc per se principium motus illius esse non possint, neque enim relatio, neque fundamentum non tangens movere valent. sed per similitudinem ego arbitror speciem spiritualem accipiendam esse, quæ tangit. per totam autem naturam audienda est forma, quæ sui speciem propagans, & ad consimile copulans movere possit. utrum autem movere per dictum modum, qui sit motus partium in toto Galenus existimaverit an per alium, incertum est mihi. Sicut autem inter similia mutua versatur attractio, ita & inter dissimilia, & contraria versari propulsationem quandam mutuam consentaneum est credere. quod quoniam in mistis manifestum est magis, infra certius ostendetur, nunc ad reliquos elementorum consensus & dissensus pertranseamus.

CAPUT VI.

De consensu & dissensu elementorum circa qualitates contrarias.

Est autem & alia magnopere admiranda elementorum Sympathia & Antipathia circa eas qualitates, quæ contrariæ inter se sunt. ut caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas. nam has quidem contrarias esse, & sese mutuo destruere, atque interimere manifestum est. at verò quis non miretur, quum nihilominus videamus certos unius contrarii gradus stare, ac quodammodo congaudere cum certis alterius. quosdam vero cum quibusdam non posse consistere, quasi caliditas specie tota & natura contraria

non ſit frigiditati. ſed certis gradibus ſolum, quod quomodo ſe habeat, inquirendum. Quoniam igitur gradus certos & quandam intenſionem habent hæ qualitates, quos gradus philoſophi uſque ad octo per quandam æſtimationem producunt doctrinæ gratia, manifeſtum quòd ſummus ille gradus, qui ut octo dicitur, cum nullo gradu ſui contrarii ſtare & convenire poteſt, ſed omnibus adverſatur. at vero ille qui, ut ſeptem eſt, eam non habet contrarietatem, ut omnibus adverſetur, ſed iis ſolum repugnat, qui ſupra unum ſunt. cum uno autem et ſtat et concordat. qui vero ut ſex dicitur cum duobus conſentit, reliquis contrariatur, qui ſupra duos ſunt. quinque vero cum tribus concordat, iis diſſentit qui ſupra ſunt. quatuor porrò cum quatuor convenit, reliquos qui ſupra ſunt non admittit. quare contrariæ quidem ſunt qualitates, ſed non ita ut quilibet gradus cuilibet adverſetur ſed certi certis tantummodo. quod natura quidem ita conſtituit ut miſta fieri & conflari poſſent. Fortaſſe autem nec fieri poteſt, ut gradu uno aut pluribus unius contrarii inductis in alio, tolli amplius ab eodem & deſtrui poſſint, ut ſi. a. calidum in b. frigidum gradum unum caliditatis induxit, fieri non poteſt ut b. gradum illum rurſus deſtruat, & à ſe repellat, ne cum ſeptem ſuæ frigiditatis conſiſtat. quoniam nihil in ſe ipſum agit, neque ſimpliciter, neque quatenus frigidum, in ſe quatenus calidum per unum gradum. Si enim ageret, ageret quidem inducendo frigiditatem aliquam. aut ergo inducet quam habet jam, aut quam non habet, at ea quam habet, produci quidem non poteſt, utpote quæ jam habetur, minus vero ea quam non habet, & jam amiſit, quoniam per illam actu non eſt, nec eſt à quo fiat. relinquitur igitur ut gradus ille unus caliditatis in. b. cum ſeptem frigiditatis ſtet & conveniat, ſimiliter & de aliis dicatur. Sed habet difficultatem quomodo primus ille gradus ab. a. producatur in b. & poſt ipſum alii, & quomodo cum actione ſimul & reactio fieri poſſit. tangentibus enim ſeſe. a. & b. Si quidem potentius eſt a. quomodo patitur? ſi vero impotentius quomodo agit? ſi æque potens quomodo aut actio aut paſſio fit? quid igitur quiſque hac in re dicat, noſtrum inſtitutum non eſt nunc recenſere, quid autem rationabiliter exiſtimemus nos, in medium brevi afferemus, quædam declarationis gratia præmittentes. Primum quidem quòd in actione contrariorum conſideranda eſt potentia, per quam fit actio, qualis ſit & quanta, deinde illud quod inducitur, ac demum in quod propriè agunt. ac potentia quidem ſemper menſuratur per gradus illos, ſecundam quos eſt contrarietas. quoniam enim graduum quidam quibusdam contrarii ſunt, quibusdam non, univerſaliter nulla actio fit inter eos, qui contrarii non ſunt, nec ab iis potentia reſultat, ſed ab iis ſolum qui contrarii inter ſe ſunt. Illud verò quod inducitur ſemper eſt remiſſiſſimus gradus incipiendo ab uno vel forte à medio

aut minori, aſcendendo verſus ſummum. Contra vero illud in quod fit actio, ſemper eſt intenſior gradus, deſcendendo à ſummo ad minimum. Ex his fit, ut tangentibus ſe. a. &. b. ſive æqualia ſint, ſive alterum potentius, ſemper alterum in alterum reciproce neceſſario agant: & ſi enim. b. ſimpliciter impotentius ſit, frigefaciet tamen. a. & neceſſario gradum unum primo inducet, mox & duos & ita alios conſequenter. quoniam id in quod proprie agit, eſt gradus ſummus, ut octo ipſius. a. calidi, ad quem b. contrarietatem habet per omnes ſui gradus. aget igitur per potentiam reſultantem ex omnibus gradibus, quod autem inducit eſt gradus ut unum frigiditatis, ad quem. a. contrarietatem non habet, niſi per gradum unum qui eſt ut octo. per ſeptem. n. non contrariatur. Siquidem unus frigiditatis gradus cum ſeptem caliditatis ſtat, & contrarietatem non habet. potentia igitur per quam. a. agere poteſt in gradum illum, ut unum frigiditatis qui inducitur, non reſultat ex omnibus, ſed ex uno ſolum, quare reſiſtat. a. per ſolum gradum unum. quum ergo. b. per omnes ſuos gradus agat. a. autem per unum tantum reſiſtat gradui uni qui inducitur, fiet quidem ut neceſſario primus ille gradus inducatur, nec obſtabit pars non paſſa, quoniam & ipſa per gradum unum ſolum aget, per ſeptem enim non contrariatur. at vero & ſecundus pariter inducetur eadem ratione, quod b. aget in gradum ut ſeptem ipſius. a. cui per ſeptem ſui gradus contrariatur, a. autem in gradum ut duo qui. a, b. inducitur, non aget niſi per unum gradum, hoc eſt per illum qui eſt ut ſeptem, quoniam duo frigiditatis gradus cum ſex caliditatis ſtant, & cum iis contrarietatem non habent. reſiſtet igitur. a. per unum ſolum gradum. b. autem per ſeptem aget, quare neceſſario & ſecundum producet gradum, & conſimiliter tertium, & ita deinceps, quoniam ſemper major eſt potentia per quam agit, quàm ea per quam reſiſtitur gradibus, qui introducuntur, quæ ſemper non niſi per unum eſt aut forte per minus & minus infinitum, Idem dicatur & de. a. reſpectu. b. nam quum. a. agat primo in gradum ſummum. b. cui contrariatur per omnes ſuos gradus, inducatque gradum unum caliditatis, cui. b. non reſiſtit niſi per gradum unum qui eſt ut octo, per ſeptem enim non contrariatur, neceſſario quidem fit ut. a. primum caliditatis gradum introducat in. b. mox & ſecundum & alios eadem ratione, quo pacto tandem fit, ut & actio fiat & reactio inter contraria, quod non ſine fine quodam magno à natura inſtitutum eſt, quo miſta conflari poſſint, alia quidem inanimata terræ metalla, lapides & id genus, alia animata plantæ & animalia, & ipſe demum homo, de quorum miſtorum Sympathiis ſupereſt jam ut dicamus.

CAPUT VII.

De Sympathiis & Antipathiis mistorum, & attractione similium.

HAbent ergo & mista ipsa sympathias suas, & antipathias & quidem admirandas. atque inprimis eas habent, quas habere Elementa dictum est, imo insignius propter densitatem materiæ. Sicut enim ignis & aer elementa non lucent, non sonant, nec calefaciunt, nec odorem aut saporem edunt, nisi addensentur, ita nec alias virtutes ita exquisitè ostendunt, uti quum per mistionem sunt condensata. Igitur & communem universi consensum loci & nexus in primis habent mista, tum vero & eum qui est partium in toto. Constat enim si vi fuerint addensata sese rarefacere, si rarefacta densare. at vero & ad loca elementorum in iis prædominantium moventur, ac postremo similia quoque & affinia ad sese trahunt, quod in quibusdam admirationem non parvam præbet, ut in magnete, electro, adamante & plantis, & animalibus. quanquam particulares quasdam dubitationes habeant consensus isti. nam si per similitudinem (ut supra diximus) fit hæc attractio, cur magnes non potius magnetem trahit quàm ferrum, & ferrum cur non potius ad ferrum movetur quàm ad magnetem. quæ nam affinitas est pilorum, & surculorum cum Electro et Adamante? præsertim quod si cum Electro affines sunt, quomodo & cum Adamante affinitatem habebunt, qui dissimilis electro est. at vero & illud dubium est, utrum omnia sua similia trahant, ut lapis lapidem & caro carnem & reliqua, de quibus nihil constat, deinde & quæ non sit illa similitudo, utrum specie an genere, an in accidente aliquo sit. sunt qui dicunt similia esse oportere, sed non eadem, propinqua autem. ac propterea simile moveri ad aliud, à quo perficitur magis, quod supra satis est improbatum. Si enim natura grave est, donec natura illa remanet, semper deorsum inclinabit. videtur igitur mihi similia esse oportere, & eadem specie, quæ se mutuo trahunt. dico autem eadem specie, aut actu aut proprio subjecto. voco proprium subjectum id à quo emittitur spirituale illud quod trahit. quod sæpe in mistis latet propter mistionis difformitatem: per quam sæpe aliud actu sunt, aliud potentia. pili igitur & surculi ad Electrum fortasse, & ad Adamantem trahuntur, non qua pili sunt, sed qua aut aer in ipsis inclusus est, aut principium aliud, quod primo trahitur, & rationem analogiamque habet cum eo quod per se trahit, in quo & Adamas, & Electrum conveniunt per principium utrique commune. quapropter & Magnes, & alia multa non trahunt fortasse, per id quod actu sunt, sed

per


per latens aliud in ipsis principium, quod simile ferro est aut ipsi, aut principio in eo. Simile autem omne trahere suum simile si analogum sit, & potentiam habeat, consentaneum est credere: quoniam ita in elementis apparet, & eadem est omnium ratio et finis. Interdum autem spirituale illud, quod trahendi principium est, validissimum est, interdum debile, sicuti & principium & forma a qua demittitur. propter quod alia similium valenter sese invicem applicant, alia segniter & impotenter, per se autem, debere se omnia ita hahere, non solum ratio est, quæ omnibus est communis, sed & experientia apparet.

Nos enim præsentibus multis è nostris medicis experientiam multorum fecimus, perpendiculo bene & concinne aptato, quale est in navigatoria pyxide. ac manifeste videmus, magnetem trahere magnetem, ferrum ferrum, tum magnetem trahere ferrum, ferrum magnetem. porrò electrum parva electri frustula rapere, argentum attrahere argentum, & quod valde mirati fuimus magnetem vidimus argentum trahere, item Electrum non solum surculos & paleas movere ad se, sed & argentum. vidimus quoque idem frustum magnetis per unam faciem magnetem trahere non ferrum, per aliam ferrum non magnetem, per aliam utrunque. quod indicium est in una parte plus esse magnetis, in alia plus ferri, in alia utrunque æqualiter: unde fiat diversitas illa tractionis. quare nemini dubium esse debet, similia omnia per se, se invicem trahere, nisi per accidens, impediatur.

Nunc & de motu illo quæramus, quo perpendiculum illud temperati magnete ferri ad eas partes convertitur, quæ ad polos spectant. qui ad similium quoque attractionem reducendus videtur. quamquam sunt qui non trahi ullo modo perpendiculum illud putent, sed cœli vertigine omnia perturbante, sese ita constituere, ut quiescat magis quo potest. talis autem est linea quæ ad polos spectat. alii existimant, ferrum illud sese ad eas stellas convertere, quæ in polis sunt, non aliter quàm herbæ quædam ad solem ut heliotropion Tragopogum, & Ornithogalum, quorum neutrum rationabiliter dicitur. perturbari enim à cœli vertigine omnia, falsum est, quando illa huc non pertingit, & multa quiescere hic videntur. quòd si causa illa ad perpendiculum faceret, utique & sine temperamento magnetis ad eum situm sese converteret. à stellis autem nulla attractio fieri potest, nisi quæ à calore per accidens fit, calefactis quibusdam, quæ mox per naturam sursum tolluntur, aut forte circumaguntur cum sole, vaporibus qui in una parte facti sunt, & successivè de una in aliam fiunt, recipientibus impetum successivum, & in orbem, sicuti principium á quo generantur, in orbem fertur. unde accidit quosdam teneros flores & folia propter humiditatem circumverti cum sole, hæc autem ad perpendicu-

lum

lum in navigatoria pyxide nullam habent attinentiam. Conſtat præterea perpendiculum illud declinare à linea, quæ ad polos ſpectat, in noſtro quidem hemiſpherio, quod eſt à fortunatis inſulis ad Catygaram, declinare dextrorſum per gradus circiter novem, in alio autẽ hemiſpherio, ultra inſulas fortunatas, declinare ſiniſtrorſum, et modo plus, modo minus. obſervant, n. qui ad novum orbem navigant, quum perventum eſt ad meridianum quod per Aſtores vocatas inſulas tranſit, mutari perpendiculum: et quum in noſtro mari dextrorſum flectat à polo, illic ſiniſtrorſum verti. ut ſi polus arcticus ſit. b. perpendiculum in noſtro mari ubi c. in alio autem mari ubi. d. declinabit quidem in noſtro mari. a. b. polo per lineam. c. g. in alio per lineam. d. e. Nos igitur diligentius rem conſiderantes dicimus cauſam, quod perpendiculum illud ad polum vertatur, eſſe montes ferri & magnetis qui ſub polo ſunt, ut negotiatores affirmant, quorum ſpecies per incredibilem diſtantiam uſque ad maria noſtra propagata ad perpendiculum uſque, ubi eſt magnes, conſuetam attractionem facit, propter diſtantiam autem quum debilis ſit, non moveret quidem magnetem, niſi eſſet in perpendiculo, quare etſi non trahit uſque ad principium unde effluxit, at movet tamen, & propinquiorem facit quo poteſt. quòd ſi naves forte ullæ propinquiores ſint illis montibus, ferrum omne earum evellitur, propter quod navigiis incolæ utuntur clavis ligneis aſtrictis. propter ſitum igitur eorum montium declinat perpendiculum in noſtro mari dextrorſum, in alio ſiniſtrorſum à polo. Polus b. montes magnetis ubi e, h perpendiculum in noſtro mari, ubi. c. in alio ubi g. in noſtro igitur mari declinabit à polo per lineam. c. h. in alio per lineam. g. e. Attractio autem hæc ad Atomos & corpuſcula reduci poſſe non videtur, quoniam corpus nullum in tanta diſtantia demitti poteſt, quod unum continuum facere poſſit ab iis montibus uſque ad noſtra maria, ſpeciem autem ſpiritualem nihil demitti prohibet, quod & in lumine manifeſtum eſt, cujus ſpeciem à ſupremo orbe & ſtellis huc uſque demitti conſtat. qua de cauſa attractiones ſimilium ad corpora univerſaliter reduci poſſe, ſupra non arbitrati ſumus.





CAPUT VIII.

De Echeneide quomodo firmare navigia poſſit.

MAjus miraculum præbet Echeneis piſcis, ſi modo verum eſt, quod fertur, aut firmare navigia, aut tardare. Cauſa ſi qua eſt, non alia

certè eſſe poteſt, quàm partim attractio per ſpecies prædictas facta, partim vacuum. modus autem eſt duplex, unus; ut piſcis ille non cauſa ſit ejus retentionis, ſed ſignum alterius quod retinet, alius, ut etiam cauſa ſit. primum igitur nihil prohibet ſaxa & ſcopulos ubi Echeneides degunt conſimilem ſpeciem uſque ad navigia mittere, qualem & montes magnetis ad ferrum in navigiis fixum, ſicut igitur ſi ferrum fortiter & tenaciſſimè navigio infixum eſſet, ita ut nec extrahi poſſet, non attraheretur quidem navigium ad montes illos, ſed firmaretur, tamen, ita & circa ſcopulos Echeneidum accidit transmiſſa ad naves ſpecie, quæ vel ad clavos earum, vel ad aliud analoga ſit, retineri ipſas. quare inventus illic piſciculus ille, ſignum dat ſubeſſe ſcopulos eos, qui firmare navigium poſſint. Si vero non ſignum eſt Echeneis, ſed cauſa ejus detentionis, oportet exiſtimare ipſam primo arctiſſimè affigi navigio, ut evelli non inde poſſit, niſi vi multa, ab ipſa vero ad certos ſcopulos & ab iis ad ipſam mutuo demitti vel ſpeciem vel etiam corpuſcula more torpedinis, quæ conſuetam tentent attractionem ſimilium, nec ipſa igitur navis attrahi in fundum poteſt propter reſiſtentiam ſui, nec ab ipſa avelli Echeneis propter fortem affixionem ob vacuum, unde fit ut firmetur tantum navis aut tardetur ſaltem. quo pacto fieri poſſet, ut ferri fruſtum in aere pendere quidem ſed, nec ſurſum nec deorſum moveri poſſet, quod quidem contingeret ſi deſuper magnes poneretur, qui tamen trahere ſurſum ferrum, quantum ipſum deorſum inclinat, æquali potentia poſſet: ſic enim in aere firmaretur ferrum. quum enim potentia quæ deorſum movet, certa ſit, certa item quæ ſurſum trahit, fieri poteſt ut modo altera potentior ſit, modo utraq; æqualis. æquales igitur ſi ſint, pendere in aere ferrum neceſſe eſt, nihil ergo prohibet & navigium tantum reſiſtere ne deorſum trahatur, quantum ſpecies ipſa in contrarium trahere nititur, quare firmari neceſſe eſt. nec plura quidem dici aut inquiri debent de tam abdita re.

CAPUT IX.

De Antipathia contrariorum & quomodo ſe mutuo pellant.

SIcut autem ſeſe ſimilia trahunt propter conſervationem, ita diſſimilia & contraria propter eundem finem ſeſe mutuo pellunt, & fugant. quod in antiparistaſi multorum patet, in plantis autem & animalibus maniſeſtiſſimum eſt. quæ uti affinia & familiaria attrahunt, ita extranea & incommoda à ſe abdicant. ob quam cauſam & candelæ flamma juxta poſito aliquo valde frigido, ut ferro & ſimilibus, in latus abſcedit. eſt et magne-

gnetis genus quod ferrum abigit, ex quo cultelli ita præparari solent, ut alter ferrum ad se trahat, alter pellat. quamquam nos quum hoc experimentum in medium olim inductum esset, monstravimus non id accidere, quod ferrum abigeretur, quamvis perpendiculum in latere ubi erat magnes, pelli videretur, causam autem esse, quod magnes ille eorum esset, qui magis ferrum quàm magnetem trahit. applicitus ergo perpendiculo trahebat latus in quo magnes non erat commistus, ex quo fiebat ut latus alterum magnete temperatum necessario abscederet, propter quod videbatur pelli ab applicito magnete. Verum nihil prohibet etiam talem inveniri magnetem, qui ferrum pellat propter latens in eo principium, quod ferro contrarium sit. Eadem de causa et *cucumis* recurvatur supposito oleo, *Quæstio de cucumis.* quoniam aquæ multum continet, præsertim dum in incremento est, aquæ autem et oleo non parva discordia est, et naturæ contrariæ. quum igitur per contrarias species alterum ab altero abscedat, crementum cucumeris in latus fit, unde recurvari videtur. *Adianton* porrò non madescit, neque *Quare adianton non madescat.* aquam admittit propter siccitatem superficiei, quæ aquæ contraria est, et eam solet repellere, quemadmodum in pulvere & pennis & aliis siccis contingit: in quibus non consistit aqua, sed aut elabitur, aut in guttulas rotundatur. rotundatur autem quoniam duobus modis aqua situm naturalem exquirit. uno modo motu elementi descendendo ad locum proprium quando potest. potest autem quum super aliquo plano statuitur, quod contrarium non sit, et descensum ejus non impediat, ut ferrum & lapides & id genus, super quibus coextenditur, & descendit aquæ quantum potest. alius modus est, quum non totum extra movetur, sed partes in toto, quærentes convenientissimum situm. quod tum fit, quum incidit in subjectum, quod propellit undique partes. quod faciunt multa siccorum per contrariam speciem. propter quod non motus elementi fit ad locum suum, sed partium in toto sese apte locantium, quantum expedit et bene est, talis autem situs est, quum partes contrarium tangunt secundum minimum quo possint, et quo magis unitæ sunt & propinquæ invicem. quæ omnia maxime præstat orbicularis figura, quæ & in puncto tangit & brevissimas habet ad centrum lineas. propter quod aqua in sicca incidens rotundatur. Signum autem quod in Adianto non consistat aqua propter siccitatem, id est quod duabus existentibus Adianti speciebus albo & nigro, nigrum quidem madescit, quod humidioris superficiei sit, album autem non, quod siccioris. ad has causas & lethalis Cathablephæ aspectus est reducendus, *Catablephæ aspectus.* quippe spiritualis species, quæ ab ipsa ad distantiam multam protenditur ob contrarietatem & antipathiam, quam cum spiritibus hominis habet, eos divolvit ac fugat unde & homo perit.

CAPUT X.

Cur calx & pannus & alia multa sicca existentia aquam promptissimè admittant.

Sed quî fit, ut si quæ sicca sunt, repellant ob siccitatem aquam, Calx tamen & pannus & linea & farina & spongiæ & ossa & terrarum genera, ut sphragis, & bolus armenus & ejusmodi sicca existentia omnia, aquam & liquidum omne promptissimè admittant. quinimo quod unum est, videmus in spongiis & lineis aquam quasi trahatur, sursum etiam ascendere, in calcem vero adeo intime ingredi & penetrare, ut eam dissolvat. An sicca foraminulenta, & (ut dicunt) porosa sunt omnia: sed alia poros habent tenues & angustos, alia habent laxos, magis & bene conjunctos. quæ igitur angustos habent sicca existentia aquam non admittunt. nam neque quatenus porosa sunt, neque quatenus sicca recipiunt. quæ vero laxiores habent poros, quamquam ob siccitatem quodammodo obsistant aquæ, quatenus tamen porosa, admittunt. in iis enim tangente aqua abscedit è foraminibus aer, qui in iis clauditur, cujus loco succedit propter vacuum aqua, propter quòd & ascendit etiam. quòd si bene conjuncti sint pori, penitissimè penetrat aqua & ad particulas omnes quamvis minimas. quapropter, quod calx & dissolvitur, & incalescit. dissolvitur quidem, quoniam penetrante aqua ad partes omnes remollescit earum nexus, propter humiditatem unde & separari accidit. incalescit vero facta separatione, igneis particulis quæ prius dispersæ & divisæ fuerant & quodammodo in potentia, nunc actu factis atque unitis & potentibus agere jam. quapropter tum Calx ipsa tum & aqua incalescunt & fervent.

Quare calx aqua diffusa dissolvit & incalescat.

Sed rursus difficultatem non minorem habet, cur fiat ut tangente aqua aer è foraminibus abscedat, nunquid ipse per se abit? an propulsatur ab alio & si propulsatur, quomodo & à quo propulsatur? Sunt qui dicant propulsari aerem, quod densetur ab aqua, atque in angustius cogatur, cujus loco ipsa mox succedat. Sed quomodo fit hoc, quum densari non possit aer nisi à frigido, imbibatur autem aqua in porosa, non solum quæ frigida est, sed & quæ calida, imo hæc magis & citius. Condensatio præterea certum terminum habet, ultra quem non procedit, at motus ejus aeris, qui abscedit, terminum nullum habet, donec abscesserit totus.

Alii putant, propelli aerem ab aqua ob pondus aquæ. quoniam spongiosum ipsum, in quo est aer, in qua aliquatenus immergitur, & partes ali-

quas aquæ habet, quæ aliquibus aeris superstent. descendentibus ergo iis quæ superstant, aerem inde propelli accidit. Sed & hoc non plane satisfacit. etsi enim quantum superstat aquæ descendere possit, & aerem qui subsidet propulsare, quum tamen ventum est ad lineam illam, per quam non amplius superstat aqua, quid erit mox quod rursus propellere aerem possit? neque enim dicendum est, aerem primo propulsatum alium pellere, & hunc alium, et ita successive, quoniam, quum totus aer ille conclusus à primo per partem post partem tantum abscessit, quantum est locus, quem aqua occupavit, tum non ultra impulsio fit partium aeris, sed cessat. oportet ergo aliud assignare quod pellat continenter aerem donec abscedat. Utrum igitur aqua non densatione non pondere propellat aerem, sed per species contrarias, ut supra dictum est, contraria & dissimilia sese mutuo pellere. dissimilis autem & extraneæ naturæ est aqua & quæ aquea sunt, cum aere, quare tangens, vicinas sibi propulsat partes, quod vel facillime fit propter tenuitatem aeris, qui promptissimè impulsum omnem recipit. succedente igitur aqua ac permanente semper dissimilitudine eadem, continua fit propulsatio & continua successio aquæ, ac demum fuga totius aeris in foraminibus clausi. atque hoc quidem si quis dicat, inconveniens (ut arbitror) nullum astruet.

Audiendi tamen & illi sunt, qui non propulsationem per se ullam aeris fieri dicunt, sed attractionem magis humidi, quo attracto necesse est cedere qui in poris continetur aer, attrahere autem porosa humidum non quatenus porosa (licet viæ requirantur) sed quatenus exsiccata & privata naturali humido. Duo enim siccorum genera statuenda sunt, alia namque per se & per naturam sicca sunt. ac talia quidem attrahere humidum non possunt, sed propellere magis habent, quoniam attractio omnis à simili fit. alia vero sunt quæ per se quidem & natura humida sunt, per accidens autem sunt exsiccata, remanet tamen in iis forma sua & natura cum virtutibus omnibus, quas à principio sortita est, inter quas est, & spiritualis species, quæ attrahere nata est quod simile est, simile dico non quatenus tale per accidens actu est illud, cujus est species, sed quatenus per naturam & per se tale est. quæ igitur porosa sunt, maxima pars exsiccata per accidens sunt, per se autem in humore constituta. propter quod & porosa sunt facta extracto humido cujus appetentiam semper habent, & facultatem attrahendi, quod in siti manifestum est. tangente igitur aqua nihil mirum, si á poroso exsiccato & carente naturali humido, trahitur ad partes omnes quod contangit humidum. ac talia sunt, calx spongiæ, linea & terrarum genera. Adianton autem & pennæ & id genus, non solum quod angustos poros habeant, sed fortasse quod sicca per se sint, aquam nõ admittunt. Non tacebimus postremo & causam aliam, quæ adduci potest

Duo genera siccorum.

ad hoc problema: dicentes rationem ejus rei non esse propulsationem ullam, non esse attractionem quæ à sicco fiat, sed esse motum aeris illius, qui in foraminibus clauditur, qui sese naturaliter movet à loco, ubi præter naturam tenebatur, ut cum toto suo uniatur ac coextendatur secundum naturam. quippe Elementorum partes nunquam naturaliter locantur, nisi toti sphæræ aeris ita coextendantur, ut nulla earum exerta sit, & abscedat à toto, sed omnes æqualiter in eo consistant. qua è causa fit ut aer qui in foraminibus siccorum conditur, tametsi toti continuetur per unum extremum, non tamen illic secundum naturam consistat, sed violenter. ut si aeris totius superficies sit. a. b. c. porus vero in quo aeris pars concluditur. b. f. aqua tangens ubi. f. violenter quidem tenetur aer in. b. f. cujus signum est, quod si dirumpatur porus, aer quidem qui in eo erat ad superficiem totius. a. b. c. ferretur coextenderetur q; illi, atque ita unietur, ut æqualiter secundum partes omnes in eo locetur, & totum unum faciat æquale undique. Indicat hoc non contineri secundum naturam partes aeris in poris clausi. Permanent tamen in illis nec abeunt dum prorsum est in regione & sphæra aeris. Si enim inde dimoveretur, necessario aliquid aliud succedere oporteret, quod certe aer esset. cur igitur succedat hic, ille abeat, quum nulla ratio magis hujus sit quàm illius, præsertim quod si hic succederet, & ipse quidem pari ratione violenter detineretur in poris, si igitur & ille discedat, alium succedere necesse est, qui pariter si discedat, alius succedat oportet, & ita in infinitum. necesse igitur est primum aerem, quem casus ab initio illic conclusit, illic etiam permanere, dum prorsum in sphæra aeris continetur, at ubi fiat ut prorsum non jam undique in sphæra aeris sit, sed aut in aqua totum ponatur, aut aqua saltem per aliquod extremum tangat, tum qui in foraminibus est aer, extra statim fertur & movetur ad locum totius, cujus succedit aqua. quæ quidem violentiam aliquam & ipsa patitur, propter eandem causam quòd & ipsa à toto suo abscedit, verum minus violenter tenetur illa in eo poroso quàm aer, propter convenientiam naturæ: quæ in utroque gravis est & quandam habet analogiam. est autem & alia ratio, cur aqua succedere debeat, & sursum trahi, quoniam id quod trahit & movet, est aer totus qui in poris conclusus recessum quærit, quod vero movetur, est pars aquæ minima quæ in poros parvos trahitur, & parum resistit propter parvitatem, cui idem accidit quod trochleis per helices fabrefactis, quum per illas pondus vel maximum elevamus, quod sentim & in latus elevatio illa fiat. Signum autem quòd aqua consimiliter attracta facile sequatur, illud est, quòd si porus sit valde latus qualis est fistula, non succedit aqua, nec aer qui in ea est fistula, abscedit, in parvis autem & obliquis poris absce-



abscedit. aut igitur hæc est causa ingressus aquæ in ea quæ porosa sunt, aut & aliæ concurrunt, ut propulsatio, quæ per species fit, & attractio humidi, quæ à poroso accidit. de quo satis jam dictum sit.

CAPUT XI.

De analogia rerum in agendo.

EST præterea rerum consensus & dissensus alius in agendo aut simpliciter aut pro certo fine. neque enim omnia in omnia agunt, sed certa solum in certa. quorum ratio quærenda quidem est, sed in universum. ergo *in omni actione tria præcipuè requiruntur,* præsertim si certi cujusdam gratia futura sit. *Sunt autem facultas agentis, aptitudo materiæ, & applicatio conveniens.* dico autem applicationem contactum, situm, moram, & in quibusdam organa. hæc igitur quum consentiunt omnia, tum actio sperata fit, & obtinetur finis. & quæ ejusmodi sunt Analoga dicuntur. si vero aut omnia, aut plura, aut & unum horum deficiat, actio quidem frustratur, aut simpliciter, aut pro fine; & hæc non analoga vocantur. Accidit autem sæpissimè aliquod unum, aut plura ex his deficere: interdum enim agentis potentia minor est quàm oporteat, interdum major. quare sæpe priusquam intentam inducat formam, subjectum aut absumit, aut liquat, aut in vaporem vertit. qua de causa magna flamma nutriri in parva candela non potest. Colliquat enim statim pabulum totum, quod sensim in fumum & inde in flammam verti debebat. quandoque materia ipsa inepta est. neque enim ex terra aut aqua flamma unquam consurget, sed vapor, qui abibit. at neque ex luto neque ex lapide, nisi hæc forte in alia multa prius conversa fuerint. quod si flamma futura sit, ex misto fiat oportet, neque ex omni, sed ex sicco aut unctuoso, propinquo naturæ ignis. ita nec homo nutrietur ex quolibet, vel etiam tenero. neque enim ex gramine uti equus. quoniam aliena est ea natura à natura hominis. aliena autem sunt in universum, alia ob qualitates contrarias, quæ longe distant, alia ob spirituales, quæ contrariorum sunt & refugere animam faciunt. aut & quædam etiam repellunt. alia ob substantiæ modum, qui est aut durities, aut mollities, aut crassities, aut lentor & ejusmodi; ob quæ, aut non trahitur, quod oportet, aut non pellitur quod oportet, aut non miscetur quale oportet. sæpe autem convenientia erunt, & agens, & materia, sed applicationis modus non conveniet, aut enim non plane fiet applicatio, aut non consentit propter figuram vel vias & foramina, quæ aut laxa plus æquo sunt, aut angusta: interdum contactum prohibet spiritualis species: interdum nimis arcta & astricta quædam tenet aut species, aut vacuum. Interdum contactus fit, sed mora aut longior fit quàm deberet, unde exuritur

tur materia, aut brevior fit, quàm oportuiſſet. ſæpe actioni obſtat partium ſitus. miro enim modo miſta compoſita ſunt. aliis villi per longitudinem protenduntur, aliis per latitudinem, aliis in orbem, aliis aliter. qui modi pene infiniti ſunt. propter quæ alia per longum bene ſolubilia ſunt, alia per latum, alia aliter. quæ res in alterationibus quoque actionem non parum evariat. quædam poſtremo certa inſtrumenta requirunt. propter has igitur cauſas non omnia in omnia agunt, ſed certa in certa ſolum. Fulmen aurum & vina colliquat nihil læſo loculo & vaſe. in aurum enim & vina penetrat et tangit, & moram trahit, & propter acrimoniam caliditatis eliquat. ad loculum autem & vas debita applicatio non fit, aut propter laxitatem foraminum, aut propter parvam moram. *aurum non imbibit oleum & vinum*, aut propter anguſtiam foraminum, aut propter contrarietatem qualitatum ſpiritualium, quæ ſejuncta ea tenet. *argentum* autem *vivum* vela vidiſſimè ebibit, quod ſtatim penetret in foramina, et attrahatur propter ſimilitudinem & ſympathiam. *oleum aquæ miſceri non vult, vino* autem *miſcetur melius*, optimè autem cum vino aqua. liquidorum enim alia bene miſcibilia invicem ſunt, alia non bene. bene quidem quæ aut unam et eandem ſubſtantiam habent, aut ſaltem dividi mutuo ad minima poſſunt. aqua igitur cum aqua, & vinum cum vino optimè commiſcentur, quoniam unum ſunt, & unum continuum conflant. vinum autem cum aqua bene et ipſum miſcetur, quoniam ſi forte unum non eſt cum aqua, nec continuum facit, ſed contiguum ſolum, quod forma differat & terminis, dividi tamen cum illa faciliter poteſt in particulas minimas. dividuntur autem ad minimas partes, quoniam natura tum elementorum, tum liquidorum eſt, ut eorum partes meliorem ſitum habeant quo poſſibile ſit. melior autem ſitus eſt ille, quo partes minus diſtant inter ſe quo poſſunt: & ſi quidem datur, continuæ fiunt inter ſe, ſi vero non datur, quia formæ non unum ſint, propinquiores tamen et unitæ magis quo poſſunt, partes eſſe volunt & quærunt. propinquiſſimus autem ſitus eſt, quo diſtant ſolum per interpoſitionem unius minimi, quod ultra dividi non poteſt. Si enim diſtarent per interpoſitionem trium vel quatuor minimorum, majorem procul dubio violentiam ſuſtinerent, quare mutuo ſeſe ad minimas particulas dividunt, ſic enim melius locantur. quæ vero liquidorum, neque unam ſubſtantiam habent, neque invicem diviſibilia ſunt ad partes minimas, illa bene miſcibilia non ſunt. talia autem ſunt, quæ & naturas valde diverſas habent, et alterum illorum fortis et compactæ miſtionis eſt, quale oleum, quod cum aqua plurimum diſtat natura aereum & igneum exiſtens, & pingue et fortiter miſtum. propter diverſam igitur naturam cum aqua neque continuum fieri cum illa poteſt, neque plane contiguum tum quod particula quælibet illius non bene dividitur pinguis exiſtens

Problema de fulmine.

Cur aurum non imbibat oleum & vinum.

Liquida miſcibilia.

Oleum cur aqua non miſceatur.

tum

tum quod altera ad alteram attrahitur (ut eſt videre) propter aerem, qui plurimus eſt in oleo. quare non admiſcetur illi, ſed ſuperſtat. dupliciter enim bene locantur liquida, aut quum ad minima dividuntur, aut quum alterum ſubſidet, alterum ſuperſtat. Superſtant autem quæ leviora ſunt & cum aere conſentiunt magis quale oleum: ad minima vero miſcentur, quæ aquea magis ſunt. Vinum igitur quòd aqueum magis ſit, ſed tamen & aeris atque ignis plurimum habet, & ſi neque neque ipſum optime miſcetur oleo, melius tamen miſcetur quàm aqua. mira res eſt argentum vivum, quod liquidorum nulli admiſcetur, ſed durioribus ſolum, & iis non omnibus, ſed auro & argento & ſtanno, & plumbo, in quæ ita imbibitur, ut mollia ea reddat. liquidis autem autem aliis non admiſcetur: quòd propter pondus ſubſidat omnibus, & quod diverſæ multum naturæ ſit, & fortis miſtionis, neque igitur unum continuum cum aliis facere poteſt, neq; ad minima cum iis dividi. eſt autem fortis miſtio, alia quidem in duritie conſiſtens, alia quæ diu & fortiter agitata eſt, & miſcibilia habet ad quam minimas partes redacta, ſic enim ſeparari invicem non facile poſſunt, tum quòd propter propinquitatem ſimilia ſimilibus ſeſe aſtricta tenent, quare quum diſſimilia diſſimilibus minutiſſime commiſta ſint, ſimilia in ſua conſimilia valde poſſunt, propter propinquitatem, tum forte & propter vacuum, quod propter eam partium vicinitatem plurimum obſtat, ne ſeparatio particularum componentium fiat. eſt autem mira ea miſtio & compoſitio in argento vivo. Conſtat enim è calidiſſimis ſimul & frigidiſſimis partibus, verum redactis ad tam minimam quantitatem, & ita ordinatis ut pene ſeſe omnia tangant, & ſimilia juxta ſimilia, & juxta diſſimilia ſint, quod plurimum facit ad continendam miſtionem. propter hæc igitur aliis liquidis non miſcetur: durioribus vero quibusdam miſcetur ut auro argento ſtanno & plumbo propter ſympathiam naturæ (ut dictum eſt). attrahitur enim in eorum vocatos poros ad particulas omnes. propter quod & ea mollefacit: non ſecus ac alia liquida, ut aqua, ſolent duriora poroſa ut ligna & ejusmodi, mollia reddere. ipſum quoque duritiem quandam & conſiſtentiam recipit, ſi prædictorum ſcobes cum eo miſceantur: attrahit enim & ex ea commiſtione conſiſtentiam acquirit. quod pleroſque fallit putantes per eam viam poſſe argentum conflare, neſcientes non veram miſtionem fieri, ſed apparentem, per juxta poſitionem quorundam conſtitutam, quæ facillimè ſolvi poſſint & ſeparari. Simile quiddam pati & Adamantem cenſendum eſt, ſi modo verum eſt hircino ſanguine ſolo molleſcere. penetrat enim & ipſe in adamantis foramina usque ad minimas partes propter analogiam, quæ eſt vel in principio communi, vel foraminum ratione. propter quod & molleſcit. quæ autem analogia particulatim ea ſit, Deo & naturæ notum eſt. habere autem ſym-

Mirum de argento vivo.

Adamas cur ſolo ſanguine hircino molleſcat.

pathiam ad quædam Adamantem, & commune attrahendi principium, illud monstrat, quod & paleas & surculos trahit. quare nihil prohibet & ad hircinum sanguinem consimilem quoque habere rationem. idem et citriis accidere, insperso in eorum cumulum pane, putandum est. attracta enim in panem humiditate eorum, atque illic ceu alieno in loco putrescente, principium reliquo datur, ut computrescat, qua de causa flaccescunt ea mala.

Mirum de citriis.

Quæstio de sonis cordarum.

Unisonum autem aliud unisonum commotat, quoniam quæ similiter tensæ sunt cordæ, consimiles aeris undationes & facere & recipere natæ sunt. quæ vero dissimiliter sunt tensæ, non eisdem circulationibus aptæ sunt moveri, sed una circulatio aliam impedit. ictus enim cordæ, motus est compositus è duobus motibus, uno quidem quo corda pellitur ante, hoc est versus aeris circulationes, alius vero qui retro fit, corda reducente sese ad situm proprium. si igitur mota una corda debet & alia moveri, oportet ut in secunda talis proportio sit, quòd undationes & circulationes aeris, quæ impellunt & faciunt motum ante, non impediant motum qui retro fit à corda. quam proportionem solum eæ cordæ habent, quæ etiam consimilem tensionem habent. quæ vero dissimilem sortitæ sunt tensionem, non sese commotant, quoniam dum secundus fit motus, id est reditus cordæ retro circulatio secunda illi obviat & sese impediunt: unde nec motus fit ullus præter primam impulsationem, quæ insensibilis est. vidi ipse in ecclesia quadam ubi statuæ multæ cereæ sacellum loco alto dispositæ stabant, pulsante tintinnabulo quodam, unam illarum tremere, reliquis immotis permanentibus, quod quum quibusdam qui prope aderant, indicassem, admiratio multa eos cepit. causa non alia erat, nisi quæ et in unisonis accidit. plures quoque quum pondus aliquod ferunt, eadem proportione indigent, ut quum alius pedem sistit, alius moveat: sic enim sine labore ferunt. quod si sese impediant quietes & motus, fatigatio fit multa et ferre tandem non possunt. Idem accidit & iis qui panem pinsunt, quum duo aut tres lignum illud longum ac grave, modo elevant, modo depriniunt. Si enim non ea ratione id agant ut pariter omnes tollant, ac pariter deprimant, sed quum alius tollit, alius præmere incipiat, motus impeditur & labor accidit. In cordis autem propter celeritatem circulationum non percipitur.

Alia vero ratio est, qua Lupina Tympana ea dissolvunt, quæ ex agnino corio sunt conflata: in his enim non solum aeris motus ad impulsionem facit, sed & spiritualis species. dictum est enim contrariorum species contraria pellere. Lupo vero & agno contrarias esse naturas constat, species igitur contrarii unius delata per aerem ad aliud, pellere maxime & dissolvere etiam potest, non solum per se, sed adjuta aere, partim quod

 den-

densior ille sit factus, partim quòd per circulationes & ipse impellat in penitissimos poros ingressus. propter eandem contrarietatem dicuntur & aquilarum pennæ pennas alias dissolvere.

Quæ vero brassicæ & rutæ inimicitia est, præter inimicitiam specierum, inde fortasse putandum est accidere, quod utraque calida est, & crassarum radicum, quare quum multum humidi quælibet ad se trahat, fit tandem ut juxta satæ præ humoris inopia arescant.

De octimestri autem partu plura fortasse oporteret dicere. nunc tantum dicatur, quod quemadmodum in genere tritici est quoddam semen, quod tribus mensibus generat, unde et trimestre vocant, alii setanium appellant, quoddam vero quod septem mensibus parit, quoddam quod novem. partus igitur qui editur octavo mense, esse quidem non potest ex eo semine quod septem mensibus gignit. quare ex eo erit quod novem mensibus solet naturam producere. igitur quum ante novum mensem editus sit, indicat immaturum esse, & vi aliqua ejectum. talis autem utpote immaturus & præcox moriturus enatus est. cujus signum est, quod certis regionibus ut in Ægypto octimestres partus etiam vivere ferunt, quòd bonitate regionis defectui immaturitatis satis fiat. cur autem duo tantum sint humani seminis genera, & alterum septem, alterum novem mensibus partum edat; eandem habet quæstionem cur & in genere tritici duo similiter seminis genera sint. causa in universum est analogia talis agentis ad talem materiam, nam quis quærat, cur tanta flamma tantum roboris absumat in hora una? ac de sympathiis tum elementorum tum et mistorum quatenus mista sunt hactenus traditum per transcursum sit. *Partus octimestris.*

CAPUT XII.

De animæ Sympathiis & antipathiis.

NUnc ad animam transeamus, cujus consensus & dissensus non minorem etiamnum admirationem præbent. præsertim ejus quæ cognitrix est. nam quæ vegetat solum & in plantis præcipuè spectatur, communes videtur consensus cū iis habere, quæ simpliciter mista sunt. tametsi propter miram compositionem quæ organica est, existiment aliqui habere plantas peculiares quasdam actiones, quatenus organicæ sunt, unde et Plato sensu quodam participare eas dixit, quod & confirmare etiam Galenus videtur. Verum operationum quæ organa insequuntur, alia ab anima fiunt, ut simpliciter mista est, alia ab ea uti cognoscitiva, quare & attractiones aliquæ simplices sunt, aliæ organicæ. organicas dico, quæ fiunt per constructionem & dilationem villorum, simplices autem quæ per species ut supra dictum est, videntur igitur plantæ simplices quidem attra-

ctiones & expulsiones habere, quemadmodum & alia mista, organicas autem non. neque enim ad eas obeundas constrictione sui & dilatatione utuntur, sed solum simpliciter trahunt familiaria, fugant autem contraria. dedit tamen natura illis organa quædam, quo melius possent hæc operari. miro enim ordine ea procedit, trahunt siquidem & elementa et mista non organica, ac demum & organica. verum elementa simplicissimam exercent attractionem, mista vero non organica non ita simplicem possunt attractionem facere, sed poris saltem indigent, et via qua possint & similia ad omnes partes trahere, & dissimilia undequaque propellere. at plantæ majori etiam organo indiguere, per quod certa solum attraherent, & certo tempore continerent, et digererent unde tandem nutriri possent. animalia porro præter hæc organum etiam movent, & constringunt, & laxant prout bene est. Plantis igitur & si necessarium est organum quoddam ad attractionem, non tum proprie organicam faciunt attractionem, quare nec sentiunt nec cognoscunt, nisi per transumptionem quandam, quod miro quodam quasi ingenio discernant, quæ sibi convenientia sunt, et quæ contraria, ac per artificiose compositas vias trahant & pellant. atq; hoc esse arbitror, quod Plato voluit significare, quare nec simpliciter dixit sensum habere plantas, sed sensum quendam. Si enim sensum proprie haberent, sicutique & constringi possent percepto malo, & laxari percepto bono, ut paulo post ostendemus. quærat autem fortasse aliquis, quomodo in plantis & universaliter in iis, quæ aluntur et vegetare dicuntur, attractio elementi fiat. siquidem attractio eatenus fit quatenus aliquid simile est, at alimentum quum trahitur dissimile est, quippe quod alterari et transmutari indigeat, si postremo assimilari membro debet. oportet igitur eorum meminisse quæ supra dicta sunt, qui sese trahunt, per principiũ utrisque commune trahi, quod sæpe in mistis latet. quæ aliud actu sunt, aliud potentia, multa enim actu et per accidens privata eo sunt, quod per se & per naturam habent, remanente tamen natura propria & forma cum virtutibus et potentiis propriis, inter quas est et attractio. attrahitur igitur alimentum à forma non qua actu, et per accidens talis est, aut ipsa aut alimentum, sed qua per se talia sunt, ac si quidem est similitudo principium ejus attractionis, alteratio tamen quædam mox fit, ut id abjiciatur per quod actu dissimilia sunt. quo abjecto demum exquisita fit similitudo & unio. illud autem per quod actu & per accidens dissimile est, quandoque quidem est forma trahens privata aliquo sibi per naturam debito, interdum est id quod trahitur ut alimentum, quod per accidens super abundat aliquo contrario et abjiciendo, per se autem simile est, quare eatenus simile attrahitur, quatenus contrarium alteratur.

CAPUT

CAPUT XIII.

De sympathiis animæ cognitricis.

MAjores autem & magis admirandos consensus & dissensus ea habet anima, quæ cognitrix est. primum autem recipiamus cognitionem omnem tum sensuum, tum phantasiæ & intellectus, per eas species fieri quæ spirituales vocantur. porrò species hasce repræsentare non solum res, quarum sunt species, sed & rerum modos. dico autem modos, figuram, situm, magnitudinem, locum, motum, quietem & relationes multas, ut simile dissimile, dextrum sinistrum, & id genus. inter quos modos præcipui & maximè intrinseci sunt convenientia & disconvenientia ejus, quod offertur cum anima. omnis enim oblata res recipitur quidem ab anima vel uti amica & conveniens, vel uti ingrata & disconveniens. atque hi primi quidem sunt, & simplicissimi consensus, & dissensus rerum cum anima. à quibus duo etiam effectus primi & simplicissimi ab anima fiunt, constrictio & dilatio. quippe recepta ingrati & disconvenientis specie, constrictio animæ & membri fit, recepta vero grati et convenientis laxatio & dilatatio. qui motus quomodo ab anima fiant, non parvam habet dubitationem. quoniam contraria sunt dilatatio & constrictio, contraria autem per se ab uno non possunt fieri, nisi forte ad unum certum fuerint, condensantur quippe elementa, rarefacta quum fuerint, & rarefaciunt se condensata, sed hoc ad unum certum est, quo veniant ad eum situm & terminum, qui illis pro natura debetur. aer quoque si loco ignis ponatur, descendit, si in loco aquæ, ascendit. sed hæc fiunt non ut contraria, sed ut ad unum tendant. at constrictio, & dilatio membrorum non ad unum est, sed modo magis, modo minus utrunque faciunt, quinimo et ab eo etiam termino sæpe recedunt raritatis et densitatis, qui formæ misti debetur, quatenus mistum est. quod per naturam fieri posse non videtur. si igitur anima per naturam facere contrarios illos motus non potest, quid per deos erit quod ipsos faciat? Sunt qui in his ad instinctus naturæ recurrant, dicentes habere animalis naturam instinctus quosdam, per quos movet, prout bene est & magis expedit. sed certe hoc non aliud est, quàm eandem quæstionem repetere. si enim instinctus ille est principium per se eorum motuum, oportet naturam esse. natura autem omnis una est & unius factiva, aut plurium quidem ad unum. hi autem motus neque unum sunt, neque ad unum, imo non solum inter se contrarii, sed formæ misti contrarii.

Fortasse igitur dicendum est, sicuti elementum plures habitudines &

plures motus habere potest, unum, scilicet ad loca propria, alium partium in toto, ita & anima, quæ forma membri est, potest plures habere habitudines & motus: unum quidem ad motum elementi prædominantis, alium partium in toto. & hunc duplicem, alterum quatenus simpliciter mistum quoddam est, alterum quatenus est forma cognoscens. utroque enim modo partes in toto moveri possunt. nam quatenus totum illud simpliciter mistum est, sese partes in eo & condensant et rarefaciunt, quo veniant ad certum illum terminum, qui toti convenit. at vero & quatenus totum illud cognoscens est, sic possunt in eo moveri partes ut bene est. si enim non cognoscentia possunt per naturam simplicem debitam coexistentiam sibi parare, cur & cognoscentia & sentientia bonum & malum non itidem possint? est igitur anima quodammodo una natura, quodammodo non una. una quidem quatenus membrum simpliciter mistum est, cujus est forma: ac talis quidem unius factiva est, aut plurium ad unum. non una autem est quatenus cognoscens. sic enim quum à diversis movetur, diversa etiam fit, aut saltem non eodem modo se habens. quare & ut talis plura & contraria potest efficere, quoniam non ut simplex, & una natura agit, nec inconvenit partes in toto moveri una habitudine, quæ toti contraria est secundum aliam habitudinem. nam & in aliis mistis partes interdum rotundantur in toto, & non descendunt, interdum descendunt & non rotundantur, tum & se rarefaciunt ac condensant, nunc ascendentes contra totius naturam, nunc descendentes. quare nec inconvenit constringi & laxari membrum, quatenus cognoscens ultra eum terminum rarefactionis, qui sibi debetur, quatenus mistum est. neque enim repugnat eundem motum eundem esse violentum sub una ratione, conveniens autem sub alia. igitur recepta specie ingrati et disconvenientis nihil repugnat membrum constringi, sic enim partes melius esse et situm habent, quoniam tactus fit secundum minimum quo potest, & retractio à nocente. contra vero si boni & grati species recipiatur ab anima, dilatio fit, quoniam penitissime partes omnes id bonum recipiunt, alioqui totum non bene haberet, nisi secundum partes omnes frueretur eo bono. primi igitur & simplicissimi consensus & dissensus animæ hi sunt, & primi motus animalis constrictio & laxatio. ex quibus parvis principiis mox ad magnos et admirandos sensim pervenire animal potuit. primum autem de sympathiis sensuum & antipathiis prosequamur.

CAPUT

CAPUT XIV.

De sensuum sympathia & antipathia.

MIra profecto ea concordia est, quæ inter sensus & eorum objecta versatur, si temperata sint. alioqui si excedant non solum non consentiant cum sensitoriis, sed ea perturbent et corrumpant. Soni igitur (ut ab iis ordiamur) si valde magni sint, si nimis acuti, si nimis graves, si asperi, si multi confusi, si prorsus insoliti & ignoti, si uniformes ac demum si immusici sint, omnes per molestiam recipiuntur. causæ autem occultæ admodum sunt. communis vero omnium ratio est, ingratos eos offerri sonos in quibus anima incommodam cognitionem facit. quoniam enim finis ejus & perfectio, est ipsa cognitio, ad hoc autem requiruntur & bonus organi status, & virtus potens & applicatio conveniens, ac modus receptionis idoneus, tum quidem per displicentiam anima recipit, quum aut virtus laborat, aut organum vim patitur, aut applicatio impeditur, aut incommode recipit. qui igitur imbecilles sunt, aut circa auditum dolent, sonos pene omnes ferre non possunt. verum causa non accidit ex ipsis sonis. at si sonus ingens ipse sit, commotat organum propter circulationes aeris, tum et virtutem dissolvit, & applicationem tollit, unde et confundi animam accidit et terreri. similiter et si acutus valde sit sonus, et stridulus, applicatio vim patitur, quasi in angusto facta. tum et membrana auditus quasi icta offenditur, unde et contrahitur repente, ac cum ea simul et nervuli quidam usque ad radices dentium, in quem locum subito incidens novus aer horrorem quendam circa dentes facit. gravis quoque plus æquo si sonus inferatur, plus aeris movet quam sensitorium ferat, tum et applicationem valde amplam exposcit. asper vero est, qui fertur per inæqualem superficiem. quare circulationes aeris confundit, & speciem quasi fractam ad sensum defert, unde & sensatio simul varia fit & confusa, ad quam nec applicatio conveniens adhibetur. Uniformis autem idcirco molestus redditur quod nihil addiscit anima, coacta nihilominus intentionem frustra adhibere. Cur autem ignoti & valde insueti soni timorem incutiant, mox dicemus, quum de timore agemus. qua vero de causa fiat, ut qui immusici sunt, molesti audiantur, musici vero & certis constantes numeris, suaves gratiq; recipiantur, difficultatem non parvam habet. quando nec numeri, nec in universum quantitas ulla per se potest esse principium ullius actionis. per accidens autem & ut modi ejus quod per se est, quomodo concurrant numeri, non satis patet.

Utrum igitur ut quidam dicunt, quòd anima maximè musica ipsa sit

(ut

(ut Timæus tradit) musicis etiam sonis gaudeat, an rhethoricum magis est hoc. & Timæi generatio animæ poeticum quiddam est, nihil aliud significare volens, quàm quod anima ex maximis rerum perfectionibus constat. ad numeros autem qui in sonis sunt equidem non video quam cognationem habeat. Fortasse igitur dicendum est, sicut in numeris quidam integri sunt, quidam fracti, ita et in sonis quidam integri, quidam fracti dicuntur. Integri sunt omnes per se soni, qui vocem unam faciunt, una autem vox quæ tota simul movet, fracti vero qui vel unam vocem non simul totam reddunt, sed per partes, vel vocem unam & insuper partem ejus includant. Si igitur integer sonus ad aurem veniat, sive unus fuerit, sive plures, collati invicem suaviores accedunt, quàm si fracti veniant. unus quidem, quia si vocem non unam facit, sed per partes ad unam ascendit vocem, asper quodammodo est, & inæqualis atque indistinctus, si vero vocem unam totam reddat, et ut dicitur rotundam, distinctus est atq; idcirco gratus. Similiter & si plures sint, fracti autem, aut omnes aut aliqui molesti sunt, sive voces non reddant unas, sive unam & insuper partem includant. in omnibus enim inæqualitas quædam est & indistinctio. at si voces rotundæ omnes veniant, tum et ordo quidam in illis est et distinctio. omne autem ordinatum & distinctum delectat. quod et Aristoteles significare voluit circa problemata. Numeri igitur quatenus numeri nihil per se faciunt ad suavitatem, et molestiam in sonis, sed solum quatenus per ipsos modi sonorum notantur, qui aut distincti, aut confusi & asperi ad animam pertingunt. quamquam de his plura fortasse oporteret dicere, nunc autem tantum dictum sit, quantum attinet ad propositum.

Eadem & circa visum contingunt, & propter easdem causas. Lumen enim si ingens sit, ab anima ferri non potest, quoniam & ipsum virtutem et applicationem dissipat, quod & colores quoque faciunt, qui nimium lucis habent, ut albi & rubri si & fulgidi sint, medii vero quod temperatiores sint grati omnes recipiuntur, & inter ipsos viridis qui temperatissimus est. tum qui illi sunt proximi ut puniceus & flavus, niger vero quòd privatio quædam sit lucis, minus delectat, parvorum quoque conspectus ingratus pariter est, quod applicatione multa indiget & indistinctus est. In saporibus quoque qui valde acuti sunt, ut Euphorbii Clematidis & similium, molesti omnes sunt. fortasse autem & sensum tactus feriunt. quoniam calidissimi sunt. calidi quoque sunt salsus amarus & dulcis, sed salsus acuitatem habet haud ingratam, quoniam diluti subtilis nonnihil habet. propter quod asper non est, sed æqualiter sensum tangit. at amarus contra inæqualiter tangit, quod ex terreo adusto constet, & in crassa substantia sit. quare aspera est illius applicatio & confusa. dulcis vero suavissimus omnium recipitur, quoniam excessum in mistione nullius habet, sed omnium

Sapores grati.

mnium convenientem miſcellam ex aereo multo & aqueo, cum quibus quæ terrea & ignea ſunt, minutiſſime ſunt confracta & rotunde commiſta. propter quod æqualiſſime ſenſum attingit & ut unum, quam ob cauſam è rotundis conſtare Pythagorici ajebant. è frigidis autem ponticus acutis oppoſitus eſt. qui è multo terreo conſtat non plane digeſto, hoc eſt non exacte commiſto, ſed in rudi & craſſa ſubſtantia conſtituto, propter quod & ille aſper eſt et inamabilis. ſi vero in eodem terreo plus aquei humidi adſit, acerbus fit ſapor. qua et ipſe aſper eſt & ingratus, minus tamen quam ponticus propter dilutionem, quod ſi minus adhuc terræ plus autem ſubtilis aquei bene commiſti affuerit, acidus vocatur ſapor, minus adhuc ingratus. ſi vero terreum ſubaduſtum fuerit, ſubtile autem, multo autem aqueo bene commiſtum, acetoſus fit ſapor. in univerſum autem terra ingratum videtur ſaporem facere, quod inæqualis ſit ac ſicca & frigida, humiditas vero gratior videtur, quoniam æqualis eſt et levis. quod ſi cum caliditate conjuncta ſit, omnium ſuaviſſima habetur. quoniam & calor gratiſſimus eſt animæ, propter quod aer maxime ad ſuavitatem ſaporum facit, aqua vero propter frigiditatem minus. Ignis porrò & ipſe, niſi acrimonia officiat, propter caliditatem ad ſuavitatem conducit. multum præterea refert utrum miſtio ex minutiſſimis conflata ſit, & iis quæ unum facere apta ſunt, an aliter. quas ob cauſas diverſæ ſaporum miſtiones fiunt. quarum aliæ gratæ, aliæ ingratæ animæ ſunt. ingratiſſima omnium illa eſt, quæ non aliam habet appellationem, niſi quod abominabilis dicitur, ut luti ſtercorum & quorundam medicamentorum. horum autem digeſtio nulla eſt, nec miſtio quæ ad unum ſit, ſed plurium confuſio, quorum alia amara ſunt, alia acria, alia inſipida, alia aliter ſe habentia, ad quæ nec applicatio conveniens eſſe poteſt, nec diſtinctio, nec ordo, nec demum familiaritas ulla cum anima. proportionaliter autem ſe habent, & odores quorum ingratiſſimus eſt, qui fœtidus appellatur, quique abominabili in ſaporibus correſpondet. nam & hic ex iis pariter reſultat, quæ nullam habent digeſtionem nec rationem miſtionis, ſed confuſionem è multis ac diverſis. qualia fere ſunt putreſcentia. In quibus diſſoluta miſtione evaporatio diverſorum contingit. Oportet præterea & illud non ignorare quòd contrariarum miſtionum contrariæ quoque formæ ſunt, & contrariarum formarum contrariæ quoque ſunt ſpirituales ſpecies in repræſentando. propter quod in ſaporibus & odoribus illud præcipue accidit, ut quorum contrariæ ſunt miſtiones, illorum quoque & ſapores et odores contrarii ſint. quare nec qui uni animali eſt gratus ſapor aut odor, etiam alteri eſt gratus. Sicuti nec eiſdem omnia nutriuntur, quod diverſæ ſint diverſorum miſtiones & diverſis gaudentes, quod & inter homines quoque eſt videre: quorum alii vinum, alii acetum, alii car-

Tactum delectantia. nes, alii alia fastidiunt, vel natura vel morbo. Porrò & circa tactum eadem quoque spectantur. suavissimus & maxime conveniens est illi calor si tempestas sit, tum & humiditas, quoniam lenis est & æqualem tactum facit non asperum. mistio quoque illa voluptuosissima est, quæ dulci saporum proportione respondet, in qua decoctio est optima, & miscella rotunde confecta, temperata autem qualitatibus, quale est semen. propter quod suavissima omnium est voluptas, quæ in seminis emissione sentitur in ea parte, quæ pariter omnium titillantissima est. Ingrata vero tactui per se est frigiditas, maxime quæ cum sicco conjuncta est, propter quod terra, & ea in quibus dominatur, ingratissima sunt. Figura porrò & partium situs, quæ tangunt, non parum faciunt ad voluptatem & molestiam illius sensus. unde quæ aspera sunt & quasi hamatæ superficiei ingrata animæ sunt. Ingratus præterea, & dolorosus est et sensus ille, qui fit separatæ partis à parte. nullus enim convenientior est situs partium membri, quod continuatio illarum, qua re separata parte quicquid aliud subingreditur et tangit, inimicissimum advenit: subingreditur autem ut plurimum aer. sunt tamen qui dicant separationem ipsam sentiri, unde & dolor insurgat, quod violentissima res sit separatio. quod certe dici non potest, si quis bene advertat quid sit per se separatio, non enim aliud est quam localis motus, aut partes illæ duæ separatæ. motus autem per se non sentitur, nec numerus ille, nisi quid aliud subsit, quod per se sensum moveat.

CAPUT XV.

De primis effectibus qui fiunt ex consensu & dissensu sensuum.

SEntiunt autem partes & membra animalis quandoque quidem per se sola, animali ipso non sentiente nec judicante se sentire. Interdum animali simul sentiente partis sensationem & judicante. nam motus quidem quo intestina & venæ succum trahunt & deponunt, & torquentur ad emittenda excrementa, tum venarum & cordis dilatio & constrictio & id genus per se quidem à membris fiunt, animali ipso nihil sentiente. urinæ autem emissio & fecum, & tussis, et sternutatio & ira, et timor & progressio non sine phantasia fiunt, & judicio animalis. quædam etiam imperante voluntate proveniunt. Simpliciores autem et natura priores videntur motus, qui sine phantasia fiunt. Fieri autem illos per sensum quendam membrorum credendum est, constrictiones enim & dilationes non nisi per boni & mali receptionem quandam fieri possunt, ut dictum est. propter

pter quod natura, quę ab imperfectissimis per gradus ad perfectissima progreditur, animalia quædam fecit, quæ vegetant solum et sentiunt, sine totius phantasia, sed membris solum per tactum bonum & malum comprehendentibus, quales spongiæ sunt. quapropter de membrorum motibus, qui sine phantasia sunt, primo breviter agamus, mox & de phantasiæ sympathiis agemus.

Reassumamus igitur quæ supra universaliter dicta sunt, speciem omnem quæ ab anima recipitur, recipi quidem vel uti bonam & convenientem, vel uti malam & dissidentem. ad hæc autem primos & simplicissimos animæ motus esse constrictionem et dilatationem, hanc quidem recepta boni specie, illam, mali. ab his ergo & alii deinceps fiunt & quidem admiranda interdum i.. eodem membro, interdum & in annexis. quippe recepta nocentis specie et facta constrictione, sæpe paulo post et dilatio fit, quod alioqui mirum videtur. fit autem sæpe tam vehemens & subita dilatio illa ut excutiatur nocens. verum motus illi non secundum idem & secundum eandem rationem fiunt. Siquidem constrictio fit, ut tangatur nocens secundum minimum quo potest. dilatatio vero mox fit, quoniam minimum illud quod tangit, diu ferre non potest illum contactum, tum quia ut mistum vim patitur nimis astrictum, tum quia ut sentiens, eo in situ persistere non potest, quibus de causis repentina laxatio fit, et sæpe tanta ut excutiatur nocens. quod si exeuti non detur sed necessario instet et insistat, tunc alternatim fit nunc constrictio nunc dilatatio, sic enim membrum quietem quandam & pausam doloris invenit, ut accidit in iis quos phalangia pupugere. Interdum fit et motus tremulus, qui & ipse compositus est è dilatatione et constrictione. verum differt á priori: in illo enim utrumque motum faciebat anima, in hoc laxatio fit à pondere membri propter debilitatem, constrictio vero à virtute & ab anima, quæ ubi paulisper cessit ponderi, quasi reassumptis viribus constringit membrum ac sustinet. quem motum alternatim facit, quoniam sustinere semper si vellet anima, deficeret, quare melius quod potest, facit. Interdum recepta specie mali non constringitur membrum, sed dilatatur. quod maxime fit quum intrinsecum est nocens: constrictio enim ipsum auget, dilatatio minuit, quoniam sic refugit anima. quo pacto cor fortasse & venæ dilatationes suas factitant. introrsum enim quum caliditas magna sit, si inflammari ipsum accidat, tum sese laxat ac dilatat, sic enim minus tangit. porrò facta dilatatione rursus constrictio fit, qui motus est naturalis, membro redeunte ad situm proprium. utrique autem motus sua consequuntur beneficia, naturæ cognita, nam ad priorem dilatationem sequitur attractio novi aeris, à quo refrigeratur cor, ad constrictionem vero sequitur expulsio ejusdem aeris calefacti, & simul fuliginum multarum cir-

ca exiſtentium. quæ quidem beneficia cognita Deo et naturæ ſunt,non a. ipſi cordi. quare quodãmodo per ſe fiunt à corde,quodãmodo per accidens, per ſe quidẽ ſi cõſideretur cor ut pars totius naturæ,quæ res ordinat et fines noſcit. per accidens a. quatenus cor eſt natura quædã una per ſe.quæ quidẽ nõ aliud agit niſi quod per ſe&per naturã poteſt,ad quod ſi&finis ſequatur à natura totali intentus,per accidens fit quantum ex ſe eſt.non enim ſeſe dilatat cor primo et per ſe, ut aerem novum trahat à quo refrigeretur, ſed ut minus tangat internum nocens, nec conſtringitur ut expellat fuligines, ſed ut redeat ad ſitum proprium, qua tamen viciſſitudine temperiem acquirit, ſine qua vivere non poſſet. Sæpe et quiddam aliud majus molitur membrum recepta nocentis ſpecie. nam conſtringendo ſeſe in una parte, deponit nocens in aliam partem, qua rurſus conſtricta,deponitur idem nocens in aliam, & ex hac rurſus in aliam, quo pacto tandem in totum lædens abjicitur, ſic inteſtina feces & excrementa, veſica urinam deponunt. res quidem mira, quod unum membrum nunc has nunc illas partes contrahat, et modo hos villos, modo illos, quaſi ratione quâdam utatur. non eſt autem ratio alia,niſi partium motus in toto,in quo quælibet ita locatur ut melius expedit. tantus eſt conſenſus earum inter ſe & in toto. propter quod ſæpe non uno modo moventur omnes, & villi omnes, ſed modo hi, modo illi reliquis quieſcentibus, & ita cunctis ac toto melius ſe habentibus quo poſſibile ſit. Sicut autem in receptione mali diverſi contingunt motus, ita & in boni receptione varii effectus fiunt. ſi enim per totum membrum receptum fuerit bonum, tum dilatatio & laxatio totius fit, quo partes omnes profunde bono ſimul frui poſſint (ut dictum eſt). Si vero non ſecundum totum receptum ſit bonum, ſed in parte ſolum; tunc non dilatatio totius fit, ſed aut conſtrictio magis totius, aut partis ſaltem, quæ bono caret ad eam partem quæ habet. non ſunt autem conſenſus iſti, & diſſenſus tantum in ſimplicibus membris et eorum partibus, ſed et inter compoſita viſuntur, & ea quæ non continua ſunt, ſed contigua, altero alteri famulante & conſentiente. uno enim affecto & alia conſimiliter afficiuntur. propter quod divinum dicebat Hippocrates eſſe conſenſum inter membra.

Conſenſus membrorum ad matricem.

Laborante matrice, & aut ſurſum, aut in latus retracta, ita & reliqua coafficiuntur membra unum poſt aliud, ut eorum nullum audeat motum conari, omnia quietem agunt, palpebræ clauduntur, reſpiratio vix fit, & cuncta demum, ita immota manent, ut ne pes quidem aut digitus dimoveri queat ſine moleſtia. Cauſam Galenus putat, quod à matrice frigiditas quædam ſtupefactiva non aliter elevetur ad membra reliqua, ac in torpedine piſce effundi accidit. quod quidem ut admittatur, poteſt nihilominus ſine eo ſtupore ad ſimplicem membrorum conſenſum referri (ut mihi

vide-

videtur). præsertim quòd stupefactum nullum apparet membrum. sed & audit mulier & calet ac rubet. non movetur autem ullum membrorum ut consentiant primo affecto, quem consensum in multis aliis est videre. dolente ore ventriculi incurvatur corpus totum. in calculo situs quosdam natura docet, sub quibus melius nos habemus, quàm omni alio modo. et in dolore capitis sępe oculos ita claudi accidit, ut si aperiri cogas, molestissime facias, & dolorem augeas. ita ergo & affecta matrice nervi & ligamenta, quæ ad illam pertingunt, contrahuntur, aut simul tenti tenentur, mox successive & crurum nervi & dorsi, & diaphragmatis, & pectoris, & aliorum idem faciunt. ac demum totum immotum perstat. qui situs & status uti magis conveniens à natura eligitur, nec partes melius in toto locari & consistere possunt, ita affecto primo membro. cujus signum est quòd si dimoveas membrum aliquod, mulier torquetur, et molestiam pati indicat. tantus est consensus inter membra, quæ quamquam diversa sint qualitatibus & natura, animam tamen unam sortita sunt. quærat autem fortásse aliquis, utrum affecta una prima parte species ejus affectus una ad alia membra mittatur, an plures sint species, quot & membra & affectus. nihil autem prohibet nec plures esse species, nec primam mitti ad alia membra. sed satis est aliquod primum esse affectum per quod anima quæ una in omnibus est, potest partes omnes in toto movere ut melius est, et locare. sicut enim in uno membro simplici recepta boni vel mali specie non secundum totum sed in parte solum, totum tamen situm quærit quo potest, meliorem, ita & in toto animali quamquam non utique sit species boni et mali, sed in aliqua parte tantum, potest tamen totum ipsum et partes in eo meliori modo locari, quo possibile sit. de quo & nonnulla mox dicemus. ac de sympathiis & antipathiis sensuum et simplicium membrorum per transcursum dictum sit.

CAPUT XVI.

De consensibus & dissensibus phantasiæ.

MAjores multo & magis admirandi sunt consensus illi & dissensus, qui fiunt specie boni & mali ad phantasiam delata. per quam non jam sensus aliquis judicat, sed animal ipsum. videtur enim ea facultas quasi toti deputatá, uti ministra et cognitrix eorum, quæ ad totum pertinent.

Habet autem phantasia consensum quidem cum toto, sed cum corde maximum ac præcipuum, statim enim & cor eisdem speciebus afficitur, quibus & phantasia, sive boni fuerint species, sive mali. porrò & cor cum vocatis spiritibus supra quam credi possit, consentit, atque iis utitur uti

famulantibus. quam ob rem de utroque non parva dubitatio eſt. ac primum de corde quomodo afficiatur à phantaſiæ ſpeciebus. ſi enim non cognoſci per illas, quomodo moveri poteſt, & conſtringi & dilatari, diximus enim fieri hæc ab anima quatenus cognoſcitiva eſt, ſi vero cognoſcit per illas, utrumne ſenſu aliquo cognoſcit ſolum, an & ipſum habet quandam aliam cognitionem majorem quam ſenſus. ſiquidem per ſenſum cognoſcit tantum, quomodo igitur afficitur & movetur à ſpeciebus omniũ ſenſuum? oportebat enim ſolum ab uno moveri objecto. at ſi majorem habet cognitionem quam ſenſus, habetne & ipſum phantaſiam aut conſimilem aliam vim, quod certe non ſatis videtur. porrò de ſpiritibus vocatis difficultas quoque vel maxima eſt, quando conſtat moveri eos ad omnem partem & ſurſum & deorſum, & in latus. unum autem tantum unum poſſe videtur facere. ipſi autem unum quid ſunt, ac ſeperati et per ſe exiſtentes in animali, quin imo ne etiam cognitionis participes. Ad priorem autem difficultatem poſſumus cum antiquioribus dicere cognitionem ineſſe cordi non ſolum ſenſu majorem, ſed et phantaſia, tum quod non modo ea dignoſcat quæ & phantaſia, ſed etiam & motum ſenſationemque ipſius phantaſiæ, tum quod et intellectus quoque actionem ad cor pertingere manifeſtum eſt, atque eadem cor judicare bona & mala, quæ & intellectus cognovit, utpote princeps membrum: cui, ſicuti ſenſus & phantaſia intellectus ſerviunt & miniſtrant, ita & intellectus & aliæ facultates in cor veluti regem et ultimum ordinatæ ſunt. Signum cujus eſt eisdem affici atque ultimo affici, utpote finem, quod antiqui omnes opinati ſunt. Verumtamen ſi cui videatur non habere aliam cognitionem cor, quam quæ tactu fit, facta tamen phantaſia quorundam nihil prohibet ſi dixerimus cor non eisdem ſpeciebus cognoſcere, poſſe tamen & conſtringi, & dilatari, & ſigna terroris, & iræ & gaudii præ ſe ferre, quoniam anima (ut dictum eſt) una eſt in toto animali. ad motum autem partium alicujus totius animati non eſt neceſſarium partes omnes, quæ moventur, per ſe cognoſcere bonum & malum, ſed ſufficit eſſe aliquod primum cognoſcens, per cujus cognitionem totum ipſum movetur in ſuis partibus, ut bene eſt, modo omnibus, modo quibusdam. Igitur recepta boni & mali ſpecie in phantaſia, totum animal movetur in ſuis partibus, modo una modo alia, ut magis expedit. movetur autem principaliter cor, quoniam inde origo eſt virtutum omnium, & de ipſo totum maxime ſollicitum eſt. De ſpiritibus autem recte illud dici videtur, quod et ad partes omnes moventur ſurſum deorſum. et in latus, & ſeparati etiam ſunt à membris aliis. ſi enim continui forent cum illis, impelli quidem non poſſent huc & illud ſine membrorum offenſa diſtractione. qua de cauſa ſeparatos illos natura fecit, verum non ita, ut quaſi atomi quædam, per ſe

con-

consistant, hic & illic distincti, sed magis continuos inter se esse ceu nubem quandam putandum est. Utrum autem animati sint, dubitatio apud omnes non parva est, nam animatos non esse indicium est, quod et in sanguine sunt & in semine, hæc autem nec sentiunt, nec nutriuntur, quoniam organis carent, anima autem sine organo esse non potest, at vero si animati non sunt, quomodo ad partes omnes moveri possunt? Dicendum fortasse, animatos esse spiritus eos saltem, qui partes membrorum sunt. animatos autem esse non tanquam membra per se, sed tanquam partes membri, sunt autem partium aliæ quæ primæ dicuntur, ut elementa, quæ sicuti in misto sunt, ita sunt animatæ. quare quum potentia quodammodo sint in misto, ita et potentia sunt animatæ. aliæ autem sunt partes, quæ secundæ dicuntur, quæ quodammodo actu sunt, quodamodo potentia, ut partes organici membri, actu enim sunt, quoniam esse suum habent et signari possunt, potentia vero, quoniam ex omnibus tertium quoddam fit, quod per se tale est. atq; hoc modo et spiritus partes sunt carnis, nervi, & ossis, & aliorum. ex actione enim spirituum & temperie ab iis data cum aliis ex quibus componitur caro & nervus fit tertium illud, quod caro appellatur, & nervus & os. quorum præcipua pars sunt spiritus. igitur quod per se animatum est, caro est, & nervus, spiritus autem per se animati non sunt, sed solum ut partes. atque ita si sint, facile erit ostendere, quomodo moveri ad omnes partes possint, nam & ipsi moventur sicuti partes in toto ut bene est. cognoscente igitur phantasia, quod mali & boni est, in hac vel illa parte nunquam bene se habet totum, nisi partes eum situm quærant, quo totum bene habet. quare laborante corde ad ipsum moventur spiritus, quasi opem laturi. qui finis in natura quidem animalis est & Deo cognitus & communi naturæ, non autem ipsis spiritibus. qui tamen moti uti partes in toto finem præstant naturæ notum. nihil autem inconvenit partes in toto motus & sursum & deorsum, & in latus ferri (ut supra dictum est). inconveniens autem esset, si spiritus tanquam unum quid per se existens in diversa agerentur. quo autem modo & illi moveantur, qui in sanguine sunt, si quis quærat, dicendum fortasse, moveri ipsos alio modo vel attractos ab iis, qui primo ut partes animati moventur, vel consequentes propter continuitatem quam cum iis habent. è tanto igitur consensu, quem phantasia cum corde habet et spiritibus, illi primo fiunt qui affectus animi dicuntur, gaudium, amor, spes, risus, admiratio, ecstasis, tristitia, timor, ira, verecundia, commiseratio et si qui alii sunt. de quibus bene erit, si non omnia quæ ad ipsos attinent, at quædam tamen obiter & per transcursum dici.

CAPUT

CAPUT XVII.
De Gaudio & appetitu.

QUòd igitur recepta boni ſpecie gaudium fiat, nemini dubium eſt. verum non proprie gaudium dici videtur, quum ſine phantaſia ſimpliciter membrum aliquod per ſe bonum recipit. ſed tum magis quum animal ipſum judicat, quod per phantaſiam fit, ut dictum eſt. videtur enim gaudium totius animalis affectus quidem ob bonum apprehenſum. apprehenditur autem bonum, & ab intellectu, verum quia hoc commune non eſt animalibus omnibus, videntur autem gaudere omnia, propter hoc, gaudium phantaſiæ attribuitur magis, quæ omnibus animalibus eſt communis aut perfectioribus. Si igitur præſens ſit bonum & habeatur, tum ſimplex fit gaudium & fruitio boni. ſi vero apprehendatur quidem per phantaſiam, præſens autem non ſit & non habeatur aut non bene habeatur, tunc appetitus vocatus fit, hoc eſt motus animæ ad proſequendum bonum non habitum, aut non bene habitum. nihil enim eſt aliud appetitus (ut et nomen ſonat) quam motus animæ ad proſequendum bonum oblatum, non autem habitum, propter quod appetitus ex gaudio & triſtitia quadam compoſitus eſt. quatenus enim bonum percipitur, eatenus gaudium fit, triſtitia vero quatenus non habetur, aut non commode habetur, quapropter movetur anima ad conſequendum. fit enim motus omnis ad id quod non habetur. primus autem et ſimpliciſſimus appetitus fit, quum bonum quidem recipit anima, nondum autem profunde & penitiſſime habet. quare dilatio fit cordis, quo ſecundum partes omnes fruatur bono, interdum anima ſecundum unam partem habet, ſecundum aliam non, unde & alius appetitus innaſcitur, ut ſecundum omnes partes fruatur, quare aut partem quæ caret bono ad aliam movet, aut utranque invicem aſtringit, aut bonum illud ſucceſſive de una parte in aliam deponit. quo pacto ab infantibus admoto ad mammillam ore, primum aſtrictio oris fit undequaque circa mammillam et ſuctio lactis, deinde, ut et aliæ quoque partes fruantur, attractio fit lactis de parte in partem uſque ad ventriculum. quæ quidem attractio non ſolum ſimplex eſt à ſpecie facta, ſed & organica, hoc eſt per conſtrictionem & dilatationem villorũ factam per modum dictum quo partes in toto moventur, prout expedit ſpecie boni percepta per phantaſiam. non ſunt autem hi motus & ordo inter membra abſque fine naturæ cognito, quanquam particularia membra ſimpliciter agant. Interdum oblatum bonum nullo modo habetur, ſed ſeparatum eſt, appetitus nihilominus fit ad proſequendum, unde animal ipſum ſeſe aut totum movet ad bonum, aut partem aliquam ut manum, quo magis

magis potiri poteſt. verum actio hæc non ſtatim fit nato animali, ſed in quibusdam longe poſt, & non niſi jam phantaſia habente experientiam multorum motuum ut lacertorum & aliorum iis ſerventium, quo pacto tandem progreſſio fit. quippe è parvis principiis & motibus ad majores & demum ad maximos pervenitur. tantus eſt conſenſus partium & inter ſe & in toto. Porrò ſpecierum quæ ut bonæ recipiuntur, aliæ fiunt cum abjectione contrarii, quod per ſucceſſionem quandam fit, & in tempore ut ſedatio ſitis, & univerſaliter primarum qualitatum receptio, aliæ momento, & ſine motu perficiunt ut viſio. quæ igitur cum motu accidunt & in tempore fiunt, delectare magis videntur, quia longior eſt voluptas, & diutius producitur. quæ vero momento perficiunt, quaſi ſimul fiant & factæ ſint, delectant minus. atque hoc modo ſe habent, quæ gaudium faciunt. quoniam autem & per phantaſiam & per intellectum homo apprendere & appetere bonum poteſt, reliqua vero animalia per phantaſiam ſolum, appetitus quidem in homine, qui per intellectum fit, voluntas dicitur. qui vero tam in homine quàm in aliis animalibus per phantaſiam fit, appetitus ſimplex dicitur. eſt autem & voluntas motus animæ ad conſequendum bonum per intellectum oblatum non autem habitum. conſultat quidem intellectus & ratiocinatur, & bonum oſtendit & eligendum, quo oblato ſi non habetur, motus fit animæ ad conſequendum, quæ voluntas dicitur. Affectus porrò alius, qui ex gaudio proficiſcitur, eſt amor vocatus. duo enim quum ad gaudium concurrant, receptio ſcilicet boni, & cauſa ſive res, quæ bonum illud producit, ſiquidem conſideretur anima quatenus bonum recipit & apprehendit ſic quidem conſideretur anima quatenus bonum recipit et apprehendit ſi quidem ſimpliciter gaudet. ſi vero conſideretur ut & cauſam reſpicit quæ gaudium illud facit in ipſam, ſic quidem amor fit, hoc eſt deſiderium quoddam quo & illi rei bene eſſe optatur, qui amor vocatur. quod enim amor ejusmodi ſit, illud monſtrat, quod res illæ ſi bene habent, lætamur, ſi male, triſtamur. quapropter amor per ſe cauſam reſpicit ſecundum ſe, quæ gaudium facit, quem affectum magis exprimit nomen benevolentiæ. & ſimpliciter quidem non aliud eſt amor quam benevolentia rei qua gaudemus: quod ſi rem illam in voluptatem noſtram vertamus, non amor eſt, ſed libido: amor enim per ſe omnis purus eſt, & nihil aliud vult, niſi ut bene ſit illi rei. quem amorem non ſolus homo ſed & alia animalia habent, quibus phantaſia & memoria ineſt, nam & filios ea tueri videmus, & iis eſcas parare. propter quod & divina res eſt amor, & à natura propter finem divinum datus.

Amor.

CAPUT XVIII.
De Tristitia & Odio.

Sicut igitur recepta boni&convenientis specie lætitia fit,ita recepta specie mali & dissentientis, tristitia innascitur. quæ proprie tristitia dicitur, quum animal ipsum judicat per phantasiã, quamquam etiam tristitia dicatur, & quum membrum aliquod per se mali speciem recipit. est autem & in tristitia appetitus suus, hoc est motus animæ , sed hic est ad evitandum malum, qui est primus & simplicissimus appetitus, qui in tristitia fit. Sunt autem plures modi quibus anima malum evitat, primus est refugere qua potest, propter quod constringitur membrum. sic enim secundum partes multas refugit. nisi intrinsecum sit malum. tunc enim dilatatur, ut dictum est. quum vero constringitur, si diu ferre eum situm non potest, tum aut modum facit compositum modo dilatando se, modo constringendo, aut motu tremulo agitur, aut excussionem nocentis tentat, membro sese repente, & impetu quodam laxante. quod quidem in simplicibus membris sine phantasia motis naturaliter fit, eo modo quo dictum est. in animali autem judicante per phantasiam majori quadam eruditione fit, edocta jam phantasia plurium motuum. quis monstravit Asello rudissimo animali, quum pungitur pellem primo constringere, mox repentino quodam ac grandi conatu facto eandem laxare & distendere, ac per eum motum lædens excutere. nempe prius natura docuit constrictionem facere recepto nocente, mox & eadem dilatationem docuit. partibus quæ prius constrictæ fuerant, non potentibus diu eo sub situ stare. quorum motuum ubi semel edocta fuit phantasia, tum quasi facta arte quadam & memoria promptissime eum excussionis motum operatur. operatur autem modo hoc modo alio ingenio, modo pedes admovendo, modo manus, modo alia membra per quæ nocens abjicitur. quod si nullo modo propellere, & amovere posse judicet, animal ipsum fugit & amovet sese à nocente. Sicut autem in gaudio erat & gaudium simplex & amor, ita in tristitia est & simplex tristitia & odium. tristitia quidem, quatenus anima sub recepto malo male habet, odium vero, quatenus causam respicit, cui male vult. est enim odium desiderium quoddam, quo male optamus causæ, à qua tristamur. est autem & in animalibus omnibus aut perfectioribus sua malevolentia, in quibusdam quidem conspicua, in quibusdam obtusior, in quibus imperfecta quædam est phantasia. Sunt enim animalium quæ solum refugere à malo noverunt, quædam vero quæ etiam repellere possunt. hominum autem alii natura tristes sunt, alii lætabundi magis. tristes sunt, qui contrariis resistere minus possunt, læta vero obire non sunt

Odium.

Homines naturâ tristes, aut lætabundi.

ido

idonei, lætabundi autem, qui & ad læta aptissimi sunt, & tristibus maxime possunt resistere. qui igitur pauci caloris sunt & exangues ac debiles, ut senes & ægri & convalescentes, parum resistere contrariis possunt, quare ut plurimum tristes sunt. porrò & hi, & qui melancholici natura sunt, & amarioris sanguinis, ad læta minus idonei sunt, quare nec ea uti læta recipiunt, ut spectacula, veneres, commessationes, conventus, lusus, & id genus. ægri quidem & pauci caloris quia non possunt & dispositionem non habent, melancholici vero quia ad contraria dispositi sunt. Iracundi vero & ipsi non lætantur, quia ira non sine tristitia quadam est. qui vero optime sani sunt, & multo abundant sanguine, & eo quidem dulci & leni non acri & biloso & melancholico, ii quidem quòd & maxime resistunt contrariis, & quòd optime dispositi sunt, omnia fere aut uti læta recipiunt, aut uti minus tristia, quare & ad societates & cantus & spectacula, & lusus, & alia id genus maxime proni sunt. unde & juvenes, & pueri maxime gaudentes sunt. alii præterea maxime amant, qui scilicet & læti natura sunt, multa enim recipiunt uti grata, talium autem est amor. alii parum amant, qui & tristes natura sunt, plurima enim odere propter contrariam causam, quòd omnia fere uti ingrata recipiunt, in iis autem odium versatur. Sunt porrò qui neminem fere amant. nam quemadmodum inter animalia quædam sunt, quæ reliqua fere omnia odere, & persequuntur, ut serpentum genus, ita & inter homines quidam sunt, qui reliquos odio habent. quod & in gustu quoque accidit. in quo dispositiones quædam inveniuntur, quæ edulia fere omnia abominentur. Sicut igitur in his prava quædam constitutio est in lingua, & stomacho longe ab ea, quæ ordinario, & ut plurimum fieri à natura solet, ita & inter animalium species, & inter homines ipsos censendum est, in quibusdam alienissimam ab eo quod ut plurimum est, constitutionem esse humorum & complexionis, per quas reliquos odio habent, aliæ his opiniones sunt, alii mores, alius color, alius aspectus, sanguis eorum cœnosus, turbidus, et quadam sordida melancholia redundans, quibusdam quidem frigens, quibusdam exustus. qui & insolentes sunt, & superbi, reliquos despectui habentes, ad se ipsos omnia trahentes, invidi præcipue utpote malevoli, atq; ita se habent tristitia & gaudium.

CAPUT XIX.

De timore.

QUòd autem & timor tristitia quædam sit, manifestum est, omnes enim ex malo aliquo timemus. si igitur malum præsens jam sit, & lædat jam, tristitia simplex fit. Si vero præsens non sit, sed immineat ut

affuturum, tum timor vocatus & pavor fit. nihil enim aliud eſt timor, quàm triſtitia ex imminenti malo. primum autem quod in timore fit, eſt fuga caloris introrſum: ejus quidem qui extra cor eſt, verſus cor, ejus autem qui in corde in penitiſſima cordis. propter quod timentes & pallent, & tremunt calore deſerente membra. fit autem in timore maxime concurſus caloris ad cor & fuga, quoniam & laborat maxime cor. In ſimplici namque triſtitia præſente malo in aliquo membro phantaſia quidem fit evitandi malum in ea parte, ut per conſtrictionem, aut per motum tremulum, aut per excuſſionem, aut aliter. ipſum autem cor per ſe non laborat. at ubi ſpecies mali imminentis ad phantaſiam, & ad cor fertur, ipſum quidem per ſe laborat. quare maxime ad ipſum fit caloris concurſus. fit quidem interdum, ut & in ſimplici triſtitia laboret cor, ut in nuntio cæſi filii in prælio, aut fugati exercitus & ejusmodi: verum differt & hoc à timore, quòd in timore ſimul cum triſtitia ſemper anima videtur ſatagere & conſilium quærere, unde confunditur & tremit. in nuntio autem fugati exercitus ſola triſtitia fit. cujus ſignum eſt, quòd ſi nuntietur fugatum eſſe exercitum, adhuc tamen incertum ſit, tremor ſimul & timor cum triſtitia illa jungitur, eo quòd anima ſatagit & conſilii confuſa eſt, & neſcit quid faciat. propter quod minus timent, qui conſilium capiunt adverſus imminens malum. unde & quum de improviſo imminet malum, timemus magis.

Eorum autem quæ timorem incutere ſolent, multiplex eſt natura, univerſaliter autem quorum miſtiones & naturæ contrariæ ſunt, & multum diſſimiles, ſicuti per inimicitiam quandam & disconvenientiam recipiuntur ab anima, ita et ſi ſub modo aliquo quo nocere poſſint recipiantur, timorem inferunt. milvo quidem & pullo gallinaceo inimica natura eſt: non timet autem milvus viſo pullo, quod nihil ab ipſo lædi poteſt, pullus autem contra viſo milvo expaveſcit, quòd naturam ejus uti inimicam & nocere potentem recipit. elephantis autem & equi natura cum pullo non eſt contraria. videtur autem natura non fruſtra hunc timorem inſinuaſſe animalibus, quo poſſent, & fugere, & ſe tueri. quinimo, & propter hanc cauſam non ſolum voluit formas contrarias formidabiles eſſe, ſed et certas figuras et motus: ſub quibus delata ſpecies timorem apportet, propter quod non ſolum verus milvus, ſed & fictus ſimilitudinem habens gallinaceo pullo pavorem infert.

Eſt autem animalium inimicitia interdum cum tota ſpecie, interdum non cum tota ſpecie propter certa quædam, qua de cauſa cum Pſillis & Marſis non ea ſerpentum inimicitia eſt, quæ cum reliquo genere, ſive ſit miſtio iis non omnino contraria, ſive odor, ſive aliud, per quod ſpecies minus ingrata accidat. quæ amicitia & inimicitia naturæ inter homines

quo-

quoque versatur. propter quod alios sine causa odimus, alios amamus propter modos, cum quibus species rerum ad animam veniunt, qui sunt convenientia & disconvenientia.

Formidolosa quoque ea sunt, quæ uti prorsus ignota pertingunt ad phantasiam, dico autem ignota non quantum ad universale illud, quod cognitionem facit, ut color, sonus & id genus: sed quantum ad conjuncta, quæ sub ipso universali latent. quum enim nescimus quæ sint, & an bona, an mala, tum ignotum illud pertimescit anima, quòd phantasia fiat de sub latente, atque imminente malo. propter quod & noctis, & solitudinis, & maris, & præcipitiorum imago & belli formidabilis est. omnium enim horum phantasia fit, conjuncti cujuspiam quod nocere possit, cujus signum est, quòd assuefacti nihil præterea timemus, quasi securi. hac de causa sæpe expavescimus ex parvo lapilli casu, si imprævisus accidat, & superveniente nobis aliquo, vel etiam amico si de improviso superveniat, timor fit, quòd nondum parata anima sit & non cognoscat. re autem cognita statim cessat timor. eadem de causa in Ephialte quem alii incubum vocant, formido fit. quoniam per somnum obstructis nervis illis, qui ad pectus elevandum veniunt, & prohibita dilatatione illius, memoria subit eorum quæ solent eam dilatationem prohibere, inter quæ occurrit pondus aliquod nos opprimens: quare phantasia fit ponderis nos opprimentis. hoc autem quum uti ignotum offeratur, timor fit, facto autem timore rursus memoria fit terrefacientium, inter quæ nobis occurrit aut Dæmon, aut quid simile, antiquis autem Ephialtes gigas. semper enim in somno ea primo occurrunt, quæ maxima sunt in unoquoque genere. quare tandem phantasia fit dæmonis alicujus, aut alterius similis nos opprimentis, unde excutimur præ timore. *Ephialtes.*

Sunt porrò magis & minus timorosa ea, ad quæ magis & minus sumus potentes, alii scalas timent ascendere quòd minus agiles sint, alii nihil timent, quòd agiles sint, & alii ponti angusto committi expavescunt, alii non.

Timidi vero natura sunt, qui frigidi magis sunt, quales mulieres eunuchi senes et melancholicorum genus, contra vero audentes magis, qui natura sunt calidi & multi sanguinis & spirituum. ea enim est optima animæ dispositio, per quam ipsa maxime potest, & operatur & resistit. operatur autem & potest per calorem. quare quibus is est plurimus, & minus confunduntur in periculis, & semper consilium capiunt, & si pars sanguinis & spirituum introrsum fugit, pars tamen multa relinquitur, quare nec tremunt, nec pallent sicuti alii, & se tuentur. timidiores quoque sunt cæteris paribus, qui paucorum habent experientiam, multa enim iis uti ignota offeruntur. propter quod pueris maxime infertur timor, experti *Natura timidi.*

vero & securi & potentes distinguere conjuncta cum rebus , pauciora expavescunt. Sunt tamen nonnulli, qui quod experti non sunt, quæ subsunt rebus, multa non timent, nondum enim novere pericula quæ conjungi consuevere. propter quod & qui plura considerant, et plura experti sunt, interdum magis timent, quàm qui ad pauca advertunt, ut ebrii & qui natura similes ebriis sunt.

CAPUT XX.

De admiratione, & Ecstasi, & risu.

SI vero novum aliquid uti ignotum offeratur, non tamen phantasiam faciens imminentis mali, tunc non timor fit, sed admiratio sola. nihil enim aliud est admiratio , quam suspensio animæ seu fixio & applicatio intenta. nam & tenduntur nervi & calor ac vis omnis animæ ad id affigitur, unde & intentio vocatur. si igitur ignotum illud ut simpliciter ignotum offeratur, tunc inquisitio sola fit, id est applicatio animæ ad eam rem, & ad conjuncta cum illa, ad quæ movetur de uno in aliud. quod quomodo fiat difficultatem non parvam habet. diximus autem de eo in iis, quæ à nobis de intellectione alias scripta sunt. Si vero quod offertur uti ignotum, sub ratione offeratur cujusdam magnitudinis consueta longe excedentis, sed rei tamen quam per opinionem veneramur & amamus, tunc *Ecstasis.* ecstasis vocata fit. hoc est mentis phantasiæque excessus quidam in admiratione per quam ab omni alia re distracti immotique reddimur, et insensitivi. quod maxime iis accidit, qui aut vere sancti sunt, aut sibi ex melancholiis videntur. his enim & angelorum choros & deos videre apparet. idem & amantibus interdum evenire consuevit ex ingenti intentione in rem amatam. sæpe enim adeo magna est, ut species ea in phantasia perinde moveat, ac si in oculis esset. nihil enim refert ad apparentiam faciendam sive species deforis veniat ad oculos, sive introrsum. propter quod videre sese putant, & obstupescunt, & extra se fiunt. si vero res sub ratione magnitudinis oblata sit, sed rerum timendarum, ut dæmonum & manium, tunc affectus supra ecstasim fit, qui nomen non habet, sed ab effectu horror appellatur, horrescimus enim & rigidi evadimus, admiratio *enim* tensionem facit, timor frigiditatem, unde quasi congelati distentiq; nervos & pilos, immoti stamus.

Risus. Nova quoque ea sunt, quæ risum movere solent. Verum illud in primis sciendum est, lætitiam omnem cordis spirituum & diaphragmatis dilatationem facere, horum autem dilatationem dilatare & musculos, qui in lateribus buccæ sunt, ac facere motum illum oris, qui risus dicitur,

qui

qui in natura finem aliquem habet, quo lætitia interna in facie manifestetur. qua de causa quum aut amicis & familiaribus, aut filiis, & universaliter charis occurrimus, præsertim si uti novi adveniant, ridere solemus, & lætitiam ostendere. verum hæc non proprie ea sunt, quæ ridicula dicuntur. neque ejusmodi proprie risus est.

Res autem quæ proprie risum movent, sunt inprimis novæ, repentinæ leves ac ludicræ habentes argutiam quandam, & concinnitatem ad aliud. ab his enim maxime ridere solemus. quales sunt facetiæ, & quæ mimi repræsentant, & personati, & extranea quædam subito ac concinno quodam casu facta, ut si quis ad negotia sua intente pergens subito labatur. hæc enim omnia uti nova offeruntur, & propter novitatem subitam admirationem inducunt, repentina autem esse oportere monstrant facetiæ, quæ quum protenduntur & affectare dicuntur, leporem & salem omnem amittunt. subito enim ferire volunt. leves autem res esse debent, alioqui si seriæ sint, non risum facient, ut si qui mimus est, si pater, aut qui labitur, male afficiatur. porrò delectant hæc, quoniam argutiam habent & concinnitatem quandam. oportet autem scitu facilem esse argutiam, alioqui inquisitionem faciet, non risum. quæ igitur ejusmodi sunt omnia subitam & repentinam admirationem ac repentinam etiam delectationem faciunt, admirationem quidem, quia ut nova offeruntur, repentinam vero, quia subito oblata, delectationem vero tum quia cognoscuntur facillime. delectat enim omnis cognitio utpote animæ finis et perfectio, tum quia appositam ad aliud concinnitatem habent, qua de causa & translatio delectare solet. delectatio autem omnis utpote res læta expansionem cordis facit, hæc autem motum oris, qui risus dicitur. quòd autem appositam quandam concinnitatem habeant, quæ risum movent, monstrant & facetiæ, & mimi, & personati. facetia enim omnis arguta est, unde & sales dicti sunt, mimi vero propter aptam imitationem maxime delectant. personati vero & ipsi imitantur. non omnes autem risum movent, sed qui per nova quædam & extranea, quæ quatenus talia, admirationem primo subitam faciunt, mox delectant, si apta sit novitas. est autem et in eo qui cadit et inopinate labitur sua concinnitas, quæ delectat, aptissime enim videtur fieri, ut qui intente in rem suam pergit, repente labatur, nullus enim (ut dici solet) poterat illi accidere pulchrior casus. quis non rideat, qui videat duos monachos super equo aliquo qui calcitret, & dejicere illos patres velit, nimirum appositissima res est, & facetissimus casus. quòd si periculum aliquod grave iis immineat, jam non risus fiet, sed timor & pietas, quoniam res seria fit, non amplius jocosa & ludicra.

Res risum moventes.

Est

Est autem risus, compositus ex admiratione & lætitia motus, propter quod et quædam contranitentia in risu est. admiratio enim suspensionem quandam in anima facit, lætitia vero expansionem, qua è re fit ut quum producitur risus, non sine molestia fiat, quamquam et alia quoque causa conjungatur, quod non debite perflatur cor in illa quasi continua expansione existens.

Risus ex titillatione. Assimilatur autem risui et is, qui ex titillatione contingit, compressis capitibus lacertorum quorundam & nervorum, ut coxarum et plantæ pedis, & subalarum. non est autem proprie risus, sed assimilatur. quoniam & ille mistus est motus ex suspensione & dilatatione cordis repente factis. quod accidit non quomodocunque compressis, et tactis lacertis, et nervis illis, sed leviter tantum & per summa, ac subito pressis et subito etiam dimissis, atque ita alternatim dimotis. ex primo enim contactu & levi pressione quidam veluti horror repentinus accidit, qui ad diaphragma et cor pertingens, repentinam contractionem et suspensionem animæ facit. mox subito etiam dimissis nervis illis, subito etiam cessat horripilatio, & cor ad propriam naturam redit. quod cum delectatione & gaudio fit & dilatatione. est autem tam subitus uterque motus ut simul pene sint suspensio animæ et dilatatio, quod et in risu quoque contingit. propter quod & hic quoque proportionale quiddam risui contingit non sine molestia quadam. nemo autem sese ipsum titillat. quoniam subita quædam horripilatio est, quod titillare dicimus. Subita autem fit titillatio & repentina, quum anima imparata, & non advertente contactus fit. at sese tangente aliquo semper parata & advertens anima est, alio vero tangente etiamsi advertere velimus, horror nihilominus fit, quia tam continua non est animadversio illa, ut tamen non tangatur tanquam de improviso. cujus signum est, quòd si intentissime, & obstinate advertamus aut titillationem non sentimus, aut minorem. idem accidit et si quis capillum alteri vellicet non advertenti, subito enim horrescit, quod nemo patitur sibi ipsi capillum vellicans. Sunt autem alii ad risum promptissimi, alii duriores. duo enim in risu sunt, admiratio subita rei novæ & ludicræ, & delectatio. qui igitur facillime admirantur, ii ex causa hac aptiores sunt ad ridendum. propter quod pueri maxime & mulierculæ, & plebs facillime ridere solent. graviores autem & severiores ut viri, & ii quidem philosophi, minus in risum ducuntur. porrò qui læti natura sunt, aut ex accidenti aliquo facilius in risum moventur, facillime enim lætis afficiuntur propter dispositionem. quare per naturam juvenes, & optime sani, & qui sanguinem plurimum habent, & eum dulcem non biliosum, non melancholicum, maxime ridere solent. ex accidentibus vero dispositi quoque ad risum sunt, qui in lætitia quasi sunt constituti, ut ebrii, & quibus multa adsunt

Prompti ad risum.

adſunt eorum, quæ læta dicuntur ſi nova ſint. quare & qui in conviviis ſunt inter familiares & amicos, quàm plurimum ridere conſuevere, imo ſæpe adeo effusè rident ut continere non poſſint riſum & incontinentiæ notentur. cauſa eſt (ut Ariſtoteles ait) quòd ipſa lætitia quaſi riſus quidam eſt, & ii quodammodo in motu ſunt ſemper. res autem in motu poſita adeo prompte impellitur ut contineri non poſſit. Contra autem qui aut natura, aut ex accidenti aliquo triſtes ſunt, ut melancholici, & quibus amarior eſt ſanguis, & ægri & iracundi non facile ridere ſolent, quoniam delectari non poſſunt, unde & aliqui viſi ſunt, qui nunquam riſere, ut de Philippi imperatoris filio legitur. qui ob id agelaſti appellantur. nunc de ira dicamus. *Agelaſti.*

CAPUT XXI.

De Ira.

QUòd igitur quicunque iraſcitur, ex offenſa aliqua iraſcitur, manifeſtum eſt. Cognoſcitur autem offenſa, & per intellectum, & per phantaſiam. iraſci autem commune eſt animalibus omnibus, aut perfectioribus, quare & iis per phantaſiam accidit, quatenus commune eſt, iraſci, non eſt autem ira quum non judicante animali ipſo, membrum aliquod recepto nocente, aut conſtringitur, aut etiam nocens expellit. Sed tum ſolum quum animal ipſum judicat. porrò nec ſi animal recepta mali ſpecie phantaſiam faciat, aut ſe contrahendi, aut aliter cavendi à nocente, aut etiam propulſandi, quatenus ſeſe malo defendat, iraſci ipſum dicimus. neque enim aut in tuſſi, aut ſternutamento ira moveri animal dicimus, niſi communi quadam appellatione. quare tum ſolum iram vocamus, quum & odium fit in rem, quæ offendit. nec ſolum odium, ſed & appetitus nocendi illi, & quodammodo ulciſcendi injuriam. quod quum per membra exteriora fiat, ut per manus aut pedes, aut cornua, aut dentes, et id genus alia, quibus natura animalia armavit, neceſſarium animæ eſt vires colligere, ac mox demandare ad ea membra, quæ agere debent. primum igitur quod fit in ira, appetitu nocendi oborto, eſt collectio caloris circa cor, ubi ſedes animæ & vis eſt. propter quod recte ajunt eſſe iram ſanguinis ebullitionem. hoc enim primo fit, mox niſi quid impediat, transmiſſio etiam caloris collecti fit ad partes, quæ nocere paratæ ſunt. prohibent autem quædam eam ſæpe transmiſſionem, ut aut timor majoris periculi, aut judicium, quod fruſtra id fiat, aut ratio & ejusmodi alia.

Ira quid. Sed hæc accidunt. quare ira per se est appetitus nocendi causæ nos offendenti, ex quo collectio caloris fit circa cor, & transmissio ejusdem per se ad partes quæ nocere habent. nocent autem animalia nunc per has, nunc per illas partes, ut cuique promptius est. at homo quum non aliter nocere potest, lingua iram conceptam monstrat, aut jurgiis, aut imprecatione mali, aut & blasphemiis in Deum. quem causam esse omnium, quæ fiunt, in opinione hominum est.

Sunt autem alii promptissimi quidem ad irascendum, tardi autem ad prosequendam vindictam. alii vero tardiores quidem ad irascendum, promptiores vero ad sumendam vindictam, alii ad utrunque promptissimi, alii ad utrunque tardissimi. *Qui cito irascunt.* qui igitur tristes natura sunt, et omnia ferè per displicentiam recipiunt, ut ægri & male affecti, & ex aliis causis irati, et quibus biliosior est sanguis, & melancholici, omnes quidem hi quod ex omni causa facillime offenduntur, facillimè iram concipiunt. tardius autem exequuntur quicunque ex his timidiores sunt, & pauci sanguinis & frigidioris, tum vero & prudentiores, et rationi parentes magis. Contra vero, qui bene valent & multi sanguinis sunt, & lenioris, serius quidem irascuntur & non facile, quia omnia fere vel uti læta recipiunt, vel uti minus tristia, at ubi de offensa judicium fecere, tum promptissime iram effundunt, & ulciscuntur. ad utrumque vero impigri sunt, quicunque calidi quidem sunt, & multi sanguinis, sed biliosi, & amari, aut exusti melancholici. præcipue autem & irrationales, & superbi. superbi enim ex omni injuria vel levi magnam iram concipiunt, quòd injuriam non metiuntur, quanta per se est, sed quantus ille videtur, cui illata est. tardi vero sunt ad utrunque frigidi natura, sed mites tamen, & ingenii haud perversi. atque hi obliviscuntur etiam injuriarum. quod non ii faciunt, quibus crassus & fibrosus est sanguis, quiq; invidi sunt & superbi & pravi ingenii.

CAPUT XXII.

De Verecundia.

VErecundia autem est tristitia de defectu proprio in præsentia alterius, propter quam fit motus sanguinis & caloris ad eas partes, quæ laborant maxime. laborat autem maxime facies in præsentia alterius, qui judicet defectus nostros, propter quod & erubescimus, & demittimus oculos in pudore. tristamur igitur et dolemus ob defectum proprium (utpote

pote malum). nihil autem refert sive actu fiat defectus ille, sive factus fuerit, aut immineat. omnino enim tristamur, et si nemo sit præsens, tristamur solum. si vero alius, aut plures præsentes sint, non tristamur solum, sed propter præsentiam laborat facies, quasi ferre non potens præsentiam ejus, qui nostrum defectum videt. propter quod natura quasi opem latura illuc calorem mittit, calor etiam sanguinem trahit, unde rubemus, quod in adolescentibus signum bonum dici solet. signum est enim ingenui animi, cui cura sit defectus proprii, & corrigi sit sperandum. in sene autem verecundia laudari non solet, utpote qui factus senex correctus tamen non sit, & virtutem non habeat. qui igitur arrogantes sunt, & sibi plurimum tribuunt, cæteros contemnunt, & nihil habent. quique scelerum & defectuum propriorum curam nullam habent, hi solent inverecundi esse, propter quod impudentes cum exprobratione quadam nominantur. *Inverecundi.* Sunt tamen, qui inverecundi sunt, vel quòd ad defectus proprios non advertunt, vel non cognoscunt. Timidi vero, et qui alios nonnihil faciunt, defectuum autem propriorum curam gerentes, & advertentes, magis solent verecundia capi. atque hæc quidem de affectibus animi & eorum caussis et sympathiis, ac antipathiis dicta sint per transcursum.

CAPUT XXIII.

De aliis quibusdam consensibus phantasiæ.

QUosdam præterea consensus habet phantasia, quum à memoria quorundam movetur, aut valde intenta est. quippe alio oscitante, *Oscitatio.* & nos pariter oscitamus, si non adverterimus, quod fit excitata memoria alterius ab oscitatione, tum & facto repente & inadvertenter appetitu ejusdem, quod alias anima uti bonum agnovit, unde et nos simul oscitamus. nihil enim refert ad faciendum eum motum, an vapores aliqui pigri super musculis sint, unde appetitus fiat excutiendi, an alio modo, & ex memoria innascatur idem appetitus. idem enim omnino fit. innascitur autem non advertentibus nobis facta memoria. advertentibus autem non innascitur phantasia rectum judicante. similiter et edente alio acerba quædam, memoria fit & appetitus consimilium. omnis autem appetitus animam movet, & calorem. anima autem, quæ in membro est, quod appetit, quasi sibi deficiat aliquid in eo, suggerit proportionale quiddam aut salivam, aut quod melius judicat. sicut & in veneris phantasia appeti-

tu facto intenditur virga ſuggerente anima plurimum ſpiritus, & dolente membro calor & ſanguis concurrit. ad quæ ſi recte reſpiciamus, impoſſibile non exiſtimabimus, quod de prægnantibus dicitur, remanere, ſcilicet in fœtu ſigna quorundam, quæ ipſæ avidiſſime appetivere. ſiquidem facta ingenti quadam phantaſia et appetitu quorundam, anima ex iis, quæ in corpore ſunt, proportionale aliquid movet præcipue in ſanguine. ex quo quum nutriatur fœtus, nihil prohibet ſigna quædam ejus alimenti ita affecti in eo remanere præſertim coloris. propter quod ea ſigna rubentia ferè omnia ſunt, & exuſtionem aliquam in ſanguine factam oſtendentia. Fortaſſe autem & figura cupitæ rei oſtenditur, quod in eo proportionali anima etiam figuram mentiatur. Eadem porrò phantaſia intenta poteſt, & faſcinum inferre, non quidem ab unoquoque hominum, ſed à certis ſolum, quorum humores & ſpiritus adeo remoti ſunt à natura aliorum, ut pene venena ſint. ii igitur concepto in infantem odio intentiſſime intuentes, ſpiritus quoſdam ex oculis, & tota è facie ejaculantur, qui ad teneros infantis ſpiritus appliciti eos uti venena ſenſim abſumunt. ex oculis autem & toto è corpore evaporare inſenſibilia corpuſcula monſtrant, ſpecula in quæ menſibus laborantes mulieres inſpectant, ſpurca enim et ſqualore quodam ac ſitu obſita redduntur. legimus et familias quaſdam fuiſſe in Creta, qui laudando faſcinum inferebant. quod certe uti poſſibile recipiendum eſt. exiſtente enim natura quorundam (ut dictum eſt) perinde ac venenoſa, et ejaculatis ex oculis eorum ſpiritibus pernicioſis, nihil prohibet non infantes ſolum ſed & grandiores faſcino affici, laudando autem maxime. quoniam laus propria lætitiam parit, lætitiam autem ut diximus dilatationem tum cordis, tum & totius faciei, & præcipue oculorum, unde aditus quodammodo aperitur veneno, quod à faſcinatore ejaculatur. qua è re forte enatum eſt illud, quod præfamur quum aliquos laudare volumus. bene enim prius ominantes, verba noſtra dicimus tibi non noceant. quin & aliqui ſunt, qui dum laudantur, faciem avertunt, non tantum ut indicent moleſtam ſibi eſſe laudationem, ſed ut à faſcino caveant. jam enim in opinione eſt per laudationes faſcinum fieri. Utrum autem & numeri quidam & figuræ, & imagines ſympathias quaſdam, & antipathias habeant ad amores & odia & faſcinos, & utrum verba & cantationes, & id genus, ligent & ſolvant, alterius quidem eſt, & temporis & contemplationis. De ingenio autem eorum animalium, quæ intellectu carent, & quomodo nidos ad alendos fœtus & telas ad capiendas eſcas tam artificioſè fabricentur, et alia ejuſmodi, nonnulla quidem diximus in iis, quæ de intellectione à nobis ſcripta ſunt, nondum autem emiſſa, neque plane exculta & digeſta. quod faciemus, ſi vita & otium ſuppetet nobis.

Signa fœtuum.

Aſpectu faſcinantes.

atque

atque hæc de sympathia & antipathia rerum, quantum attinet ad contagiones pro tempore dicta sint.

CAPUT ultimum.

De quibusdam dubiis à Rhamnusio scriptis.

HÆc quum jam impressa essent, ac visa à Ioanne baptista Rhamnusio Illustriss. Venet. Dominii Secretario utriusq; linguæ peritissimo, & eorum quæ ad bonas litteras & disciplinas attinent, multa perdocto, gratulatus ille pro vetere amicitia nobis, simul & nonnulla dubia ad nos perscripsit, & novas quandam sympathias proposuit. quarum rationem si otium mihi foret, expostulabat. digna quidem omnia, de quibus consideratio haberetur diligentissima. nam quum ego causam, quòd in navigatoria pyxide perpendiculum semper in polum spectet, retulissem in montes ferri & Magnetis, qui sub polo sunt, dubitationem ille non negligendam attulit. primum quidem quod qui de subjectis polo partibus scribunt, nullos dicunt montes ferri, & Magnetis sub polo esse, deinde quod etsi dentur ii montes, causa tamen ad eos referenda non videtur in nostro mari: quando constet in Ilva insula juxta Populoniam Italiæ esse Magnetis montes. inde enim erui omnem magnetem quo hic utimur, nec tamen navium illac prætereuntium perpendicula ad eos montes verti. oportere autem ita fieri, si magnetis species perpendiculum movet, propinquissimis existentibus insulæ illius montibus. cur enim non magis moveant, quàm qui remotissimi sunt sub polo?

Ad hæc autem & miras quasdam proposuit antipathias, quarum una erat, qui fiat ut imposito oleo in charta, ita aptata ut contineat, subjectus ignis oleum quidem calefaciat, chartam autem non. alia erat consimilem habens rationem, cur & circa pomum circumvoluto tenui linteo, pomum ab igne calefieri cernamus, linteum nec quicquam lædi. Addebat autem & quod à fulmine navium malos sæpissime videmus tangi, carinas autem nunquam. Tum & illud quoque quærebat, quæ ratio efficiat, ut fervente, & exundante in ahenis saccaro si butyrum quamvis modicum imponatur, statim subsidat fervor. quo ingenio utuntur artifices ad prohibendum ne erumpat saccarum. utuntur et alio ingenio ad idem purificandum, quod pariter videri mirum potest. ubi enim coagulari saccarum incipit, projiciunt in vocatas campanas, tum cretam tenuem cicotriconizant, ac super imponunt, qua campanæ ostium patet crassitudine digiti.

Miræ quædam antipathiæ.

Mirum de saccaro bulliente.

atque ita saccarum purgant, surculis omnibus & fœculentia omni ad cretam attracta. Hæc sunt, quæ ille nobis examinanda proposuit. quod quidem faciemus à suprascripto instituto nostro non recedentes, ut non proprias et propinquissimas causas assignare nitamur, sed medias et propriis proximiores, quo possibile nobis sit.

Primum igitur utrum sub Polo sint Magnetis montes, nec ne, sub ambiguo relinquamus. scimus enim esse qui scribant, planas magis esse eas regiones, de quo & doctissimus, atq; eloquentissimus Episcopus Iovius circa eam Sarmatiæ partem, quæ Moscovia nunc dicitur, diligentem inquisitionem ab incolis fecit. qui ne eos etiam inveniri montes retulere, qui Rhyphei ab antiquis dicti sunt. meminimus tamen nos quasdam chartas vidisse earum, quas mundi mappas appellant, in quibus sub polo montes notati erant (qui Magnetis montes inscripti fuerant). sive igitur sint, sive non sint ii montes, nihil ad nos in præsentiarum attinet, quando per montes polo subjectos, catenam illam montium intelligimus, qui ad septentrionē spectant tanti & tam vasti, ac ferri & magnetis feraces. qui & si magis distant à nostro mari, quàm Ilvæ insulæ montes, potentiores tamen sunt ad movendum perpendiculum propter abundantiam & copiam ferri, & magnetis. Fortasse autem et qui in Ilva est magnes, non multæ actionis est in ea minera. multi enim dum in minera sunt, minus valent, quàm extracti, quòd spirituales species sua habeant impedimenta, signum autem parum valere in sua minera Ilvæ insulæ magnetem, quod tam propinquus quum sit navigiis illac prætereuntibus, perpendiculum tamen non ad se convertit. Incalescere autem & fervere in charta oleum, chartam non accendi, communem habet rationem cum lebete, in quo aqua quidem fervet, lebetis fundus friget, & pomo, quod & ipsum calefit linteo illæso. Horum autem omnium causa est antiperistasis. frigida enim sunt aqua oleum pomum, propter quod prohibent intermedium calefieri. Sed quomodo calefiunt ipsa, si medium non calefit? actio enim omnis contactu fit, ignis autem non tangit aquam, oleum, pomum, nisi per intermedia, lebetem, chartam, & linteum, hæc autem nisi calefiant, ac tantum calefiant quantum aqua, & oleum, & pomum, non videtur quomodo calefieri possint. quòd si calefiant, quo pacto igitur per antiperistasim & frigiditatem prohibent, ne intermedia incalescant. Dicendum porosis existentibus lebete, charta & linteo, citissime calorem contrahere aerem, qui in poris includitur, ac per ipsum incalescere aquam. porrò quicquid aquæ calefactum est tolli statim, & ascendere, ac loco ejus subsidere aquæ partem nihil calefactam, quæ lebetem infrigidat, qua pori non sunt, atque ita continenter fieri, ut aquæ pars cedat, & tollatur, pars succedat, & refrigeret, ita & oleum

facit,

facit, nam & ipſum actu frigidum eſt, ita & pomum, quoniam humidum eſt, & frigidum, & ſemper pars ejus aliqua frigida tangit intermedium, ac calefieri prohibet per certum tempus.

Cur vero fulmen navium malos tangat, carinas autem et ſpondas, quæ juxta aquam ſunt, non; dubitationem majorem habet, ſi modo verum eſt, quod fertur. nam & de Lauro traditur, non feriri ipſam à fulmine, quod non ſatis certum eſt, eo autem recepto, quòd res ita ſe habeat, promptior quidem poteſt eſſe ratio in Navi quàm in Lauro. nam antennas feriri à fulmine facile eſt, quòd altæ ſunt, alta autem à fulminibus peti in proverbio etiam eſt. cauſa autem eſt, quòd fulmen vapor eſt quidam miſtionis fortis, qui in altis gignitur, & extruſus è nube in latus acquirit impetum, quare alta maxime ferit. Interdum tamen impetus in ima inclinat, verum ubi antiperiſtaſim invenit aut frangitur, aut & repellitur, dictum eſt enim ſupra, contrariorum ſpecies fugare contraria. Igitur juxta aquas quum deſcendit vapor, partim quidem frangitur partim repellitur, quoniam aer aquis vicinus plenus eſt vaporibus frigidis ex aqua elevatis, qui tum materiali antipathia, tum ſpirituali frangunt, ac repellunt fulmen. quare carinas & proximas ſpondas, aut non tangit fulmen, aut fractum non immutat. in lauro autem utrum talis antipathia ſit, incertum eſt, illud magis in cauſa putarim, quòd laurus rotunda admodum eſt, & corticis denſi ac levis, à quibus omnibus fit, ut incidens vapor non inhæreat. propter quam rationem nec columnas à fulminibus tangi videmus, quòd rotundæ terſæq; ſint.

Butyrum autem injectum compeſcere fervorem ſaccari, dignam habet inquiſitionem. Idem vero & oleum facere videmus in pulmenta, ſi qua corpulentiora ſunt, ut in fabæ & ciceris lomenta, fervorem enim et exundantiam eorum compeſcit. horum autem cauſa eſt, quòd duo præcipue concurrunt, quum fervor exundans fit, alterum eſt exceſſus caloris, & vaporum copia brevi facta, alterum eſt obſiſtentia ferventis rei, ſi corpulentior ſit. multum enim extenditur & in magnas ampullas, priusquam ſcindatur. propter quod & dupliciter etiam compeſcitur exundantia illa. uno modo ſi calorem & vapores frangas qui extenduntur, quod fit injectis frigidis ut aqua, alio modo ſi ipſum obſiſtens, ita præpares, ut extendi in magnas ampullas non poſſit. quod faciunt unctuoſa injecta, dividuntur enim ipſa ad minimas, & non ultra diviſibiles partes, quæ intermiſtæ partibus corpulenti humidi, prohibent extenſionem amplam fieri. extenſio enim rarefactio quædam eſt. rarefieri autem non admodum poſſunt minima unctuoſi, tum quod minima ſunt, tum quod tenacis miſtionis, quare quum undique interpoſita intermiſtaque ſint obſiſtenti, faciunt ut nec

ipſum

ipsum obsistens recipere extensionem possit, nisi parvam, & per parvas ampullas factam; quare exundantia compescitur, & fervor fit per ampullas crebras & parvas. unctuosa autem sunt præcipue oleum & butyrum, & bene divisibilia in minimas particulas, at butyrum cum saccaro probe convenit propter dulcedinis, & pinguetudinis sympathiam, quare & si modicum sit, sufficit tamen ad compescendam exundantiam saccari, quoniam bene miscibile est, & modicum omne in multa partibile. *Aliud de creta.* Creta vero imponitur supra campanæ ostium, non quòd ipsa attrahat fœculenta, sicuti magnes ferrum. Sed quòd prohibendo exhalationem inclusi ignis & vaporum fit, ut penitissime vapores permeent per saccarum, qui mox ascendentes secum ferunt agglutinatas omnes sordicies, & sursum impellunt, quæ hærentes cretæ propter tenacitatem sic reddunt purum & sincerum saccarum.

Si igitur per hæc & doctissimo Rhamnusio, & aliis factum est satis, tibi præsertim Cardinalis amplissime, mihi quidem & gaudeo & gratulor, sin autem & alia desiderantur, excusabit me horum consensuum & dissensuum natura, quæ adeo in abdito est. Si qui vero laborem nostrum commendabunt, aditumq; & viam per nos apertam his rebus fatebuntur, id omne debebunt tibi.

DIS-

DISSERTATIO PHILOSOPHICO-MEDICA,

De

PARACELSISTARUM UNGUENTO ARMARIO,

Sub præsidio

JOHAN. GEORGII PELSHOFERI,
M. D. & P. P. publico examini exposita
Wittenbergæ,

à

M. HIERONYMO WECKERO, Wittenb.
d. 23. Junii 1630.

THES. I.

QUemadmodum is Deum honorat, qui ejus opera agnoscit, & qualia ab ipso condita sunt, admiratur & celebrat: ita in DEUM injurius & impius est, qui rebus alienas & novas, quas à Deo & Natura non acceperunt, vires tribuit. Quod hodie faciunt Paracelsistæ, qui superstitiosa vel magica, & quæ ab imaginatione vel à caussa superiori pendent, pro magneticis, seu per contactum virtualem, ut appellant, naturaliter in distans agentibus, venditare non verentur.

II. Ut enim de aliis opinionum portentis, & absurdis, quæ passim obtrudunt, dogmatibus non dicamus, quis adeò rerum imperitus est, qui nesciat, quantas hoplochrismati seu unguento suo armario, quod magneticum, sympatheticum, & stellatum vocant, affingant vires, toti Mundo persuadere conantes, vulneratum per aliquot eriam milliaria absentem, & rei ejus inscium, per medicamentum illud non ipsi vulneri, sed telo, quo vulnus inflictum est, vel lignello in vulnere cruento madefacto applicatum naturaliter curari posse? Quæ persuasio nonnullorum quoq; magni nominis Philosophorum & Medicornm, ne de rudi & credulo vulgo dicam, animos adeò dementavit, ut indubiam iis fidem adhibeant, & pro

vi, quam unguentum illud habere isti contendunt, magnetica non aliter ac pro aris & focis pugnent.

III. Cùm autem hoc partim saniori Philosophiæ adversetur, partim etiam sacræ Medicinæ labem inferat non exiguam; & verò non parùm referat, ut vera & ab ipso Deo profecta Medicina à superstitiosa curatione sejungatur & separetur: operæ pretium nos facturos existimavimus, si hac vice, quæ sit Martialis illius unguenti potestas, & cujus impulsu fiat, an Naturæ vel Dæmonis, altiùs paulo pensitaremus: cùm præsertim hæc materia à præsenti rerum statu, quo ubique ferè locorum Mars dominatur, haut sit aliena. Ubi tamen præmonemus, nos plurima eorum, quæ ab iis, qui primi hanc glaciem fregerunt, adducta sunt, repetituros, & mutuò quasi ab iisdem sumpturos: quâ liberali confessione id unicè præcavere cupimus, ne plagii, à quo crimine maximè abhorremus, nos quis arguere queat.

IV. Ut igitur jam ordine procedamus, primò omnium de Autore quæstio incidit. Non diffitentur autem ipsi Paracelsistæ, ante Paracelsum neminem curæ hujus hopliatricæ meminisse. Joh. Baptista Porta apertè ad autorem Paracelsum eam refert, qui unguentum illud Maximiliano Imperatori tradiderit & comprobârit. Crollius quoque in Basilica sua Chymica unguentum sympatheticum Paracelsi nominat, quod & alii faciunt. Sed sive inventor ipse fuerit, sive non, parum refert, & curare nihil attinet. Illud certum est, quod Paracelsus illustrator ejus amplificatorque extiterit, quem postea præter istos, quos jam nominavimus, secuti sunt Joh. Witichius, Joh. Ernestus Burggravius, & alii plures, qui fideliter id propagarunt & mirificè deprædicarunt. Verùm totam hanc curam à caussa supernaturali dependere, & primarium ejus autorem Spiritum illum μυριοτεχνίτην dicendum esse, sponte sequetur ex iis, quæ dicentur.

V. Igitur ipsam unguenti compositionem quoad materiam, sive quoad ingredientia jam videamus, ex quâ vel solâ ipsius vanitas manifesta evadit. Nam bone DEus quanta hîc occurrit varietas! Jo. Baptista Porta recipit usneam in calvaria furis strangulati & in aere derelicti concretam, mumiam item, adipem humanum, sanguinem humanum, oleum lini & terebinthinæ, bolum Armenum. Aliorum descriptionem ingrediuntur adeps porci castrati, seu verris aprugni, adeps ursi antiquus, lumbrici terrestres purgati, vel ex vino loti, & in clibano exsiccati & tosti, sandalum odoratum, lapis hæmatites, cranium humanum, quod tamen, si haberi nequeat, non multum referre dicunt.

VI. Præter ista suam in compositionem Crollius etiam cerebrum aprugnum siccatum, & loco cranii humani usneam è cranio hominis violentâ

lentâ morte perempti, Luna crescente, & in bona domo, Veneris scilicet, si fieri possit, non Martis aut Saturni existente, abrasam recipit, & hoc unguentum Sole in Libra existente parari præcipit. Nonnulli insuper mumiam, & quidam præter hanc sanguinem & adipem humanum, quæ primam compositionem ingrediebantur, etiam isti Grollianæ addunt. Sunt & qui tempus præparationis angustioribus adhuc terminis includunt, & circa 10. vel 11. diem Septembris duntaxat unguentum parari jubent. Plerique vero in fracturis ossium aliquid de Pulvere radicis symphyti majoris, vel radicis hellebori nigri, aut osteocollæ addendum monent.

VII. Vidistis, lectores, mirificum mirificorum ingredientium chaos, ex lenientibus glutinantibus, extergentibus, exsiccantibus, & putredinem arcentibus congestum. Sed qui fit, quod, cùm descriptiones tantopere varient, & modò hoc, modò illud vel omittatur, vel addatur, nihilominus in quibusvis vulneribus sequatur effectus? Inprimis verò cur Wittichius usneam omittit, & parum referre censet, sive cranium humanum habeatur, sive non? cùm tamen alii usneam pro basi compositi agnoscant, & præcipuum ingrediens esse contendant. Cur idem Wittichius mumiam, adipem & sanguinem humanum, quæ alii totius negotii succum & nervos esse censent, excludit? Ergo planè non necesse est ista adesse. Et est, qui novisse se scribit virum nobilem, qui ad unguenti hujus confectionem nihil à patibulo, nihil à rota desumserit, sed sanctè affirmarit, omnia sumi ex hortulo domestico, esseque meras herbas familiarissimas, & tamen nihilominus idem confecerit, quod alii. Plures quoque milites se scire addit, qui ex tempore id conficiant, ubi credibile planè non sit, eos omnia illa adhibere, quæ á multis requiruntur, maximè quæ non nisi ab infelici arbore peti possunt.

VIII. Ab unguenti compositione ad ejus effectum, seu famosas illas, quas ipsi inesse somniant, vires progredimur. De his ita fabulantur, quod hoc unguento sanentur omnia vulnera sine omni dolore & tumore, quocunque telo, sive metallicum id sit, sive lapideum, sive ligneum, sive acutum, sive obtusum, sive angulosum, sive rotundum, & quocunque modo, sive ictu, sive jactu, sive punctim, sive cæsim, cuicunque etiam sexui inflicta, etiamsi patiens multis milliaribus absit, & ejus rei inscius sit, modò telum, quo multis milliaribus absit, & ejus rei inscius sit, modò telum, quo vulnus factum, vel aliud sudsidiarium seu succedaneum telum, aut saltem ligneum ramentum cruentatum habeatur, & vel unguento isti infigatur, vel eodem illinatur. Wittichius expressam mentionem facit intervalli 10. aut 12. milliarium, cum alii rubore suffusi nimiam intercapedinem excipiant, certumque & determinatum spatium non expriment.

IX. Iterum attendite, quæsumus, lectores. Medici non sine caussa diligentissimè attendunt variorum vulnerum variè & variis humani corporis partibus inflictorum differentias. At isti homines nihil distinguunt, sed audacter ponunt hoc effatum, quod hoc unguento omnia vulnera sanentur. Verùm tantum abest, ut ullum vulnus compositum & paulo gravius possit ab istis curari, ut tantùm simplicia, nisi & hæc paulo graviora sint, vel non multùm ab illis distantia, adeoque vulnera duntaxat levia & minùs periculosa curentur. Atqui hæc natura sola curare potest. Quoties enim digitorum lacerationes & incisiones, si tantùm comprimantur vulnuscula, & deligentur, curari, & suo succo conglutinata ad sanitatem citra magnum dolorem, calorem, humorem, suppurationem, & alia perduci videmus?

X. Quod si verò graviora quoque istâ administratione sanescant, fit hoc in corporibus bene habitis, non cacochymicis, non morbidis. Probent suam artem, nullâ præterea adhibitâ curâ, si viri sunt, eo in casu, quando tendines & ligamenta fuerint sub poplite sauciata, incisaque cum nervis. Probent eandem artem vulneribus cerebri, qualium curatorum exempla ex diversis Medicorum scriptis annotavit & congessit Schenckius. Sed bene se res habet. Tam evidens enim ea est, ut neque ipsi hopliatri negare id audeant, sed sponte fateantur, non procedere curam in iis vulneribus, ubi nervi vel arteriæ, vel una è principalioribus corporis partibus læsa sit.

XI. Unum hic penè silentio præteriissemus. Omnibus Medicis & Chirurgis plusquàm notissimum est, solutionem continui in animalibus non contingere sine omni dolore, neque in parvis etiam vulneribus adesse indolentiam. Hi itaque non facilè persuaderi sibi patientur, ut credant id, quod de sua hopliatri promittunt curatione sine dolore. Nam vel eam non præstant, vel Cacodæmone singulariter operante eam perficiunt. Hunc siquidem efficere id posse, ut doloris sensum adimat, ubi alioqui doloris caussæ sunt quàm gravissimæ, in veneficis rerum capitalium quæsitores sæpissimè deprehendunt. Cùm itaque hæc indolentia, ut dictum, vulgo ignota sit, etiam in parvis vulneribus, & Diabolus eam præstet etiam in maximis malis, quomodo potest non esse suspecta etiam ex hoc capite hopliatrica curatio, quæ eam pollicetur?

XII. Sed properamus ad ipsum usum seu utendi modum, quem priusquam præscribant, duo præmittunt, quæ partim ante, partim ante & post inunctionem diligenter observanda sint. Ante inunctionem vulnerato sanguinem cumprimis quàm citissimè sisti præcipiunt. At hoc est initium curæ, quod sæpe solum sufficit ad integram sanitatem, ut apparet in arteriotomiis & venarum incisionibus. Quî autem fit, quod, si vulnus

sanare

ſanare poteſt ſola teli inunctio, ſanguinem ſiſtere non poſſit, cùm tamen lapis hæmatites ingrediatur compoſitionem unguenti? Ante & poſt inunctionem verò eo die, quo inungitur telum, abſtinere volunt vulneratum à Veneris uſu, & per totum curationis tempus congruâ diætâ uti, præſertim ſi enormiter fuerit læſus. Mirum, quod non etiam hîc magiſtrum ſuum, Paracelſum dico, ſequantur. Is enim ad morborum curationem diætam adeò non neceſſariam eſſe exiſtimavit, ut nullam victus rationem in curatione ulcerum etiam deploratiſſimorum eum præſcripſiſſe aut obſervaſſe homines fide digni referant.

XIII. Sequitur nunc ipſa curandi ratio, quæ complectitur, quæcunq; ex præſcripto ipſorum ad ritè illinendum unguendum obſervanda ſunt, ungendi modus ſcilicet, ceremoniæ, locus, tempus, & cætera. Ubi primò omnium de ſubjecto, quod illi inungunt, quæritur. Docent autem, inungendum eſſe ferrum vel telum, quod ſauciavit; ſi id haberi nequeat, aliud per vulnus cruentum ſemel tantùm ducendum, & loco veri teli illinendum eſſe. Nec tamen opus eſt, addunt, id ferrum eſſe, aut telum: ſufficit in hujus defectu lignum ſeu ramus ſalignus in vulnere cruento madefactus. Itaque tria ſunt diverſa, quæ unguento ſuo imbuunt: telum vulnificum, aliud telum vicarium, lignum ſalignum.

XIV. Sed dicant nobis, quid inungendum confractis contuſisq; toto corpore à caſu, quale exemplum Hollerius recitat? Verùm quàm ineptæ hæc ſint ineptiæ, & vana deliramenta, non tantùm ex ſequentibus patebit, ſed colligi etiam diſertè poteſt ex aliis rebus, quibus alii armarium unguentum illinunt. Neq; enim omnes unguentarii iisdem ſe legibus adſtringi & in tam anguſtos fines cogi patiuntur, ut curam ſuam in ſolis telis aut ſalicibus exerceant; ſed ſunt, qui thoraces curent pro pectore, caligas pro femore, calceos pro pede. Annon revera hæc riſu digniſſima?

XV. At et iſta à vulnere ſunt cruenta, inquiunt. Eſt ita, fatemur. Sed cur in telo potiſſimùm tentatur curatio, cùm ſæpè nihil in telo ſanguinis ſit, & ſæpe is abſtergatur? Cur non potiùs veſtimenta vel lintea, in quæ ſanguis multo copioſior defluxit, deligantur? Quid ſi quis lapidem aliquem cruentatum vulnere ſanguinante, vel vaginam pro gladio ungeret? Cur enim lignum & non lapis vel aliud quid poſſet ſubſtitui ferro, ſi non intercedit pactum diaboli ad illud, non ad hunc concurrentis? Sanè ſi ideò in telo fieri ſanationem neceſſe eſt, quod in telo aliquid læſæ partis hæreat, certè non videmus, cur non in quovis alio ſubjecto, in quod ſanguis ex vulnere decidiſſet, ea fieri poſſet. Sed rectè ſtipites vel ſimiles res inanimes & exſenſes jubent unguento illo polliniri: nec enim alio ſubjecto dignius eſt.

XVI. An non verò histrionicum plane est, instrumentum subsidiarium, sive sit improbum ferrum, sive lignum salignum, per vulnus, quod sanandum, demum ducere, & crudeliter illud renovare, cùm tamen non tantùm citò & tutò, sed etiam jucundè, quantum fieri possit, curandum esse ipsimet tàm acriter urgeant, & subinde inculcent? Tantum tamen abest, ut crudele id esse putent, ut ex abundanti adhuc moneant, eo usque, si sanguinem emittere nollet, vulnus fricandum esse lignello, donec sanguis effluat.

XVII. Sed de ligno sponte sui cuivis nova occurrit quæstio, cur salignum esse lignum oporteat? Certo certius autem esse videtur, quod ad affectum spectat, nihil ad rem pertinere, ex qua arbore id lignum sumatur. Credibile itaque est, impiam aliquam Diaboli fraudem subesse, cur salice, quàm aliâ arbore eos uti malit. Ut autem aliæ arbores alias proprietates, ut reliqua rerum creatarum; obtinent, quas accuratè novit damnatus ille spiritus: ita salix sterilis planè est arbor, nullum præbens fructum, atque insuper sui seminis prodiga, dum illud ante maturitatem projicit & perdit. Unde & apud Homerum Odyss. κ. à Circe trivenefica ὠλεσίκαρπος, id est frugiperda vel seminiperda vocatur. Voluit videlicet Diabolus vos, Unguentarii, amarè irridens eâ potissimùm arbore uti, quâ ipsimet apertè profiteremini, vos frustra in histrionica vestra unctione laborare, omnem operam, oleum, sanguinem, adipem, mumiam, usneam, unguentum ipsum, denique omnem fructum & frugem perdere.

XVIII. Adhæc eodem apud Homerum loco eadem Circe in nemoribus Proserpinæ nasci salices ait. Ex his igitur nemoribus præcisum est vestrum lignum, sive ramus salignus, quem unguento immergitis. Sacris quoque in literis infelix arbor censetur salix, ut apparet ex Esaiæ cap. 15, ubi Moabitis supplicium prænuntians ad torrentem salicum eos ductum iri minabundus addit. Ipse autem Dominus Job. 40. Behemoth, id est Cacodæmonem umbris delectari, & proinde à salicibus torrentis circumdari ait. Ex hoc saliceto vos, unguentarii, lignum vestrum præscinditis, & vice teli inungitis.

XIX. Modus ungendi, ut ulteriùs progrediamur, duplex est. Prior ita peragitur. I. Inungendum telum, quo homo vulneratus est, singulis diebus, si necessitas urgeat, & vulnus sit ingens, aut citò patientem sanare cupias; sin minùs, secundo vel tertio die semel. II. antequam telum ungatur, attendendum, an punctim, an cæsim vulnus factum sit. In punctura inungendum telum à cuspide versus capulum; in cæsura ab acie versus tergum; alioqui nocumentum adferetur ægrotanti. III. Si non appareat, quàm altè sit infixum telum, illud totum perungendum; sin appareat, pars illa tantùm, quæ fuit in vulnere. IV. Si instrumentum, quo vulnus

vulnus inflictum est, haberi nequeat, aliud ducatur per vulnus, & loco veri teli inungatur, utroque latere. V. Mundo linteolo involutum seu deligatum telum loco mundo & temperato, non nimis calido, nec nimis frigido, ne ventus afflet, reponatur, diligenter cavendo, ne pulvis desuper in ipsum cadat. Alioquin patiens ad insaniam redigetur, vel dolor aut aliud damnum ei inferetur. Hinc si dolorem excitare velint, telum aëri inter se calido vel frigido exponunt; si iterum sedare, ad calidum moderatè id reducunt.

XX. Posteriorem modum quod attinet, instrumentum vulnificum ipsi unguento infigitur, & ita relinquitur: aut si verum telum haberi nequeat, ramus salignus, quem ejus vice accipiunt, cruentatur, & postquam sanguis adhærens sponte & per se siccatus est, itidem in unguentum illud in pyxide asservatum immergitur usque ad sanationem plenariam. A quo superstitioso operandi modo non multùm abludit vulgus, qui cultrum quo vulnus est factum, in panis micam, in terram, in lardum, arvinam vel aliud pingue infigit, & persuasum habet, modò non exponatur aëri, sine suppuratione curatum iri vulnus. Utrobique verò vulnus ipsum seu locum vulneratum non necesse esse dicunt, nexibus filorum conducere vel consuere barbitonsorum more, sed sufficere, si quotidiè tantum illud, præsertim si magnum & profundum sit, expurgetur, seu extergeatur, & linteolo mundo in patientis urina priùs madefacto, sine omni alio usu extraneorum, oleorum, unguentorum, & similium, circumligetur.

XXI. Verùm enimverò cùm prior ille modus non tantùm non paucas molestias & nugatorias ceremonias habeat adjunctas: sed multis etiam constet observationibus, in quarum una aberrasse, quod tamen facilè fieri potest, ex ipsorum quidem sententia periculi plenum; alter autem modus multo facilior sit: si tam incertus is est, ut prædicatur, cur illo omisso hic non retinetur solus? Cur non semper ferreum quoque instrumentum, sicut ligneum, infigitur potiùs unguento, quàm inungitur: cùm hoc fiat sine periculo, inunctum autem ferrum facilè à pulvere lædi possit? Et quid quæso caussæ est, quod lignellum cruentatum non opus est quotidiè inungere, ut telum? Quàm frivolum autem hoc est, citiùs curari vulnus, si sæpius ungatur telum, curari verò nihilominus, etsi unicâ tantùm vice illinatur? Quid enim opus est, hopliatri, sæpius inungere, cùm balsamum vestrum radicale ex suspensi calva sumptum corrumpi non possit, & deficere ejus energia? Si enim posset, quomodo non periit in patibulo, à tot ventis agitatum, & imbribus, nivibus, tempestatibus maceratum? Quod si vis unguenti est immortalis, quæ est ista vestra profusio, qui tam pretiosum thesaurum frustra sæpius sordido ferro affricetis?

XXII. Quis verò ullam, saltem absurdam caussam fingere potest,

quod,

quod, an punctim an cæsim factum sit vulnus, attendere, & pro diverso modo diversimodè inungere jubent? Si enim unguentum naturalem causam habet, quid iste modus ad rem facit? nec enim iste modus unguento aliquam qualitatem superaddit. Imò utrovis modo linas lignum, ex tuo arbitrio pendet, utra superior sit pars, vel inferior. Quid faceres, si capuli contusione, perinde ac si punctim, foret vulnus factum? Et quî fit, quod, si nullo apparente vestigio totum telum inungatur, non noceat, etiamsi punctim factum sit vulnus? Cur etiam non semper totum telum inungunt? Timere scilicet videntur, ne liberaliùs unguentum fundendo pyxis unguentaria æquo citiùs exhauriatur. Telum inunctum etiam obligant & ab aere intemperato removent. Cur hoc? fortè ne frigeat miserum, & cephalalgiâ aut vertigine laborare incipiat? Obligatio si habet aliquam vim, non in telo eam habet, sed in vulnere, quod itidem vincitur, dum in eo hæmorrhagiam cohibet, calorem & spiritus coercet, aeremq; corruptivum & alias externas injurias avertit.

XXIII. Vulnus ipsum deniq; expurgare jubent & eluere urinâ, ac obligare. At hoc curæ totum est, maximè in vulneribus simplicibus, adeò ut relictâ istâ medicinâ nihilominus sequatur effectus, sanatio scilicet, si vulnus ritè tractetur, ægerque bono & non cacochymo victu simul utatur. Ita bestiæ, ut canes & ursi, solâ lambitione, absque unguento armario, sua ulcera & alia persanant, in quod homo etiam utitur sputo: quod non tam linctui salutari, quàm mundificationi seu repurgationi per crebrum linctum procuratæ, ex qua vulneris consequatur consolidatio, adscribendum meritò judicat Mindererus in threnod. Med. c. 14. Sæpe igitur decipitur vulgus, quod vulneris ablutionem, obligationem per lintea, stupam, & alia in nullo medicinæ loco ponit, cùm, ut modò diximus, debita vulneris obligatio, aeris alieni accessus prohibitio, & phlegmones hæmorrhagiæq; aversio plurimum habeant momenti, ne repetamus, quod supra diximus, multa sua sponte seu naturæ suæ motu convalescere. Quorsum ergo illa deliria teli obligati?

XXIV. Impudens nimis mendacium est, quando dicunt, dolorem inferri, vel noxam excitari in vulnere, si aeri intemperato exponatur telum; nullum autem esse, vel iterum removeri, si calido loco extra pulverem collocetur. Dicimus, nec semper aut plerumque hoc fieri, nec si fiat, naturale quid esse, sed fortuitum aut dæmoniacum. Quod si enim vulnus sit in loco nervoso, dolor sentietur, sive instrumentum in aere, sive aqua, sive igne, sive calido, sive frigido loco ponatur. Cum autem jam sanescere & glutinari inceperit, dolor cessabit. Si quis cultro vulnerat digitum leviter, at non sine dolore, adductis labris vulneris & compactis cessat dolor, si diducantur, redintegratur, nullâ habitâ ratione cultri.

XXV. Quid dicamus de sclopetorum vulneribus, quorum glandes sæpe aquæ immerguntur, sæpe in aere manent, innitentes terræ summæ? Quid de sauciatis militibus? Ibi certè ii, qui vulnerarunt, non à fornace ponunt instrumenta sua bellica, quinimò parati sunt strictis armis in acie. Sempernè ergo dolebit vulneratus, si hasta semper sit in aere libero? Si telo non præsente cruentum lignum, vel aliud telum vicarium sumatur, tunc telum ipsum, quo factum erat vulnus, non potest tam accuratè servari. Cur igitur non dolet pars, telo non recondito?

XXVI. Cur multo sanguine temerè effuso diuque in aere detento non ad hunc potiùs dolet? At quis nescit, plus semper aliò, quàm ad telum pervenire? Quantum enim effunditur in terram, vestimenta, & alia, vel abjicitur & putredine absumitur? quantum eluitur? quantum unà cum sordibus extergitur? Hic an nullas obtinet vires? an nihil cognati habet cum vulnere, ut ita eadem passio ad vulnus perveniat? Si habet, cur non ad hunc potiùs respicitur, quàm ad illum? Imò cur non totum habere oportet? Cur non, si plus pereat, quàm servatur, damnum vel ex toto vel dimidio, aut certâ quadam parte inducitur vulneri? Cur, si lignum, in quod sanguinis aliquid decidit, comburatur, aut linteum cruentum eluatur, non similiter uritur vulnus, aut friget, aut utrumq; patitur, si utrumq; accidat in diversis lignis aut linteis?

XXVII. Adhæc, si virtus debet pervenire à telo ad vulnus, non est ratio, cur non aeri expositum telum cum unguento faciliùs & meliùs sanet. Nam in libero aere meliùs posset perferri ad patientem, quàm in loco concluso. Qui fit tandem, si dum telum à pulvere, aut aere vel frigido vel calido alteratur, æger noxam sentit, quod tamen vulnus quotidie purgandum est? an non sufficeret telum tantùm ab externa injuria defendere? Sed cessandum est ab his nugis.

XXVIII. Videamus nunc etiam, prognosticum quomodo instituant. Id verò tale est. Si scire quis cupiat, utrum patiens sit moriturus vel supervicturus, ferrum vulnificum supra carbones leniter incalescere sinunt, in tantum scilicet, ut manus desuper teneri queat: tum subtilissimum pulverem è sandalo rubro & lapide hæmatite aspergunt. Et si observent exsudantes sanguinis guttulas, seu rorem sanguineum, moriturum; sin minùs, evasurum affirmant ægrum. Eodem modo, si cognoscere velint, utrum ex præscripto se gerat in cibo & potu aliisq; requisitis; an verò diætæ imperatos limites transgrediatur, diligenter explorant, an in telo maculæ appareant, nec ne? Si enim appareant, delinquentem; sin minùs, obedientem eas prodere ægrum opinantur.

XXIX. Verùm si hæc non sunt vanitates vanitatum vanissimæ, nescimus, quid vanitates sint. Quàm ridicula enim est illa exploratio vi-

cturi & non victuri? Qualis est consequentia? telum ferreum vel lapideum calefactum & pulvere rubro conspersum rubras exsudantes habet guttulas: Ergo non est victurus vulneratus. Nullam esse, quivis agnoscit, cui sanum est synciput. Ipse nimirum pulvis, si humidior telo est, spiritum reddit humidum, teli calore extractum. Quàm vanum etiam hoc est, quod peccari in diæta concludunt, si maculæ in telo deligato appareant? Alluvio enim quædam in eo, maximè si leve est, nascitur, pulvis autem facilè adhæret; inde macula est.

XXX. Audiamus nunc porrò, quomodo hanc tam prodigiosam curationem asserant & defendant hopliatri. Palmarium autem argumentum, unde suæ curationi subsidium petunt, sumunt ab effectu, qui in Magnete spectatur, qui est ferri dissiti attractio; quod tanti faciunt, ut suam hanc curam ex facultate unguenti magnetica procedere dicant, & magneticam eam vocent, quod; quemadmodum magnes in distans agit, ita unguentum in absens vulnus agat, dum illud remotum curet. Quomodo autem illud fiat, & quomodo unguenti vis per aliquot milliarium spatium feratur, propagetur, & loco vulnerato communicetur, seu quisnam sit magneticæ curationis modus, si quæras, sympathiam inter vulnus & unguentum ipsum hîc esse respondent, quæ sit continuatio quædam naturæ ejusque convenientia mediante spirituali vinculo facta, non aliter ac inter ferrum & magnetem: tametsi enim dissita sint magnetis & ferri corpora, in iis tamen ita naturam continuari, ut etiam conveniant in unum.

XXXI. Itaq; totam rem ita explicant, ut dicant, vim magneticam unguenti attractivam in spiritu balsamico, qui in usnea, & sanguine humano, mumia, & adipe humano potissimùm lateat, residere; hanc autem excitari seu potiùs evocari à spiritu mundi corpora ac res mutuo quodam naturæ nexu sibi devinctas disponente, qui tanquam vinculum medium primò ex definitis & propriis constellationibus sympathiam & copulam seu convenientiam inducat, & postea hâc mediante vim unguentariam & virtutem sanativam in spiritu balsamico fixam dirigat ac deducat ad partem usque vulneratam ipsumque vulnus; atque ita vim unguenti, quo telum delibutum est, magneticam à telo propagari ad vulnus propter sympathiam, seu naturæ cognationem ac continuationem, quam sequatur successiva impulsio per medium aerem spiritu isto stellato impregnatum, concurrente simul phantasiâ & imaginatione patientis, quæ plurimum hîc habeat momenti tùm ad balsamicam in sanguine virtutem à telo medicato attrahendam dirigendamque ad partem corporis malè affectam, tùm ad movendum principium sanativum in corpore existens.

XXXII. Primò nimirum considerandum, inquiūt subjectum seu materia in qua, ipse nimirum sanguis, qui in telo hærens idem est cum eo, qui in vulnere: secundò caussa efficiens à qua, quæ est spiritus mundi secretus, universalis, per cuncta diffusus, & omnium, quæ fiunt, proximus autor: tertiò caussa instrumentalis, sine qua non perficitur cura. Dicunt igitur nonnulli, unguenti Martialis basin esse usneam, quæ in se concentratum habeat spiritum naturalem, vitalem & animalem, atque ex strangulati potiùs quàm alterius cujusdam capite petenda sit. Cum enim strangulantur homines, spiritus naturales, inprimis verò vitales ob præsentiam mali præsentis sursum in caput & cerebrum refugientes ferri, ibidemque, cùm nec regressus ad principium suum, ob violentam illam constrictionem, nec exitus propter solidam cranii duritiem ullus pateat, remanere atq; inter suffocandum unà cum spiritibus animalibus balsamoq; capitis ac cerebri mistos & confusos includi, & quasi carceribus quibusdam circumscribi, ita ut, licet omnes functiones animales intereant, calor tamen ille in ossibus, nervis, aliisq; partibus similaribus elementaris maneat, donec temporis progressu in unum coalescant, & foràs ad cranii circumferentiam erumpant: hinc cooperante cœli influxu & accedente Mercurio seu spiritu mundi à Neptuno per pluvias, rorem, nivem, pruinas, tanquam externa vehicula, in hæc inferiora effuso, ceu vegetabili quadam vi & virtute, in calvaria tandem fieri usneam, basin scilicet hujus medicamenti, quæ in se contineat omnes virtutes animales, naturales, & vitales, quas eodem modo postea ipsi unguento comunicet. E sanguine autem vulnerati, dum ille adhuc spirans è vulnere manat, spiritus volatiles quidem illico in aerem evanescere, spiritus autem sali sanguinis fixo inhærentes non expelli.

XXXIII. Cum igitur, pergunt, telum inungitur, statim sal fixum sanguinis in telo allicere & attrahere vi magneticâ & sympatheticâ spiritum animalem ex unguento, & mediante spiritu mundi (ut qui hos duos spiritus, spiritum sanguinis scilicet & spiritum animalem in mumia & usnea coagulatum, amicabili nexu & copulâ uniat & conjungat) congeneri suo in venis sanitivam vim communicare. Hinc quodcunq; commodum vel incommodum spiritus ille extra venas coagulatus sentiat, id statim congeneri suo in venis residenti sympatheticè communicare, mediante eodem spiritu mundi: hinc si telum non rectè se habeat, sed vel igni admoveatur, vel aeri frigido turbidoq; exponatur, ægrum dolere, quia scilicet spiritus animalis, qui est extra hominem in telo, prius patiatur, & postea passionem suam communicet illi, qui intra corpus ægri est, per idem vehiculum: & vice versâ, si æger parvâ victus ratione utatur, & vel cepas, vel allium, vel sinapi comedat, aut vinum bibat, aut Venerem exerceat, id

ſtatim in telo obſervari, quia nempe ſpiritus animalis in homine priùs patiatur, & paſſionem ſuam poſtea illi, qui in telo eſt, ut ſibi homogeneo, communicet.

XXXIV. Intellexiſtis ita, lectores, quasnam hopliatri afferant & tradant unguenti ſui vindicias. Verùm quàm labili & infirmo omnia nitantur fundamento, ecquis non videt? Ipſam enim facultatem magneticam, quam hic prætendunt, quod attinet, quis inter magnetis & unguenti armarii applicationem nullam ſimilitudinem eſſe non deprehendit? Nam primùm diſtantia quantum diſtat; Magnes in ferrum diſſitum agit, illudq; allicit, ſed modico admodum ſpatio. Ferrum accedit & ſequitur, ſed non longo itinere. Propè enim admodum abeſſe oportet. Quod ſi unguentum ſuum vulneri propinquum adſtitui juberent, perſuaderent fortaſſe, vaporis aliquid eò derivari, ac per eum fieri ſanationem: Verùm ad plura paſſuum millia ſuam energiam diffundere unguentum iſtud, probabile omnino non eſt.

XXXV. Deinde ſi effectus ſpectetur, is à Magnete quidem unus & ſimplex eſt, ferri ſcilicet attractio. At armarium unguentum, dum vulnus ſanat, quàm multa præſtat! Corruptum ſanguinem exhaurit, ſaniem ab imo educit & expellit, putredinem arcet, conglutinat, & conſolidat, cutemque inducit; quæ omnia ægrè à variis unguentis & emplaſtris ſæpe præſtantur, etſi intimè vulneri jungantur. Porrò agentia ipſa quàm diſſimilia! Magnes naturale corpus eſt & unum, & in lapidum genere; at unguentum arte compoſitum, idque è pluribus diverſi generis. Præterea modus applicationis ſi attendatur, nec is cum magnetis applicatione quicquam habet ſimile. Hic enim ut ad certam diſtantiam in ferrum agat, ſemper eodem modo applicatur. At in unguento applicando quàm dextri adhibeantur modi, antea expoſitum. Sed maximè omnium diverſitas apparebit, ſi attendatur, cui magnes, cui unguentum ad ſuum effectum obtinendum admoveatur vel applicetur. Admovetur autem magnes ferro, quod alliciendum eſt, non alteri alicui. At unguentum magneticum applicatur telo vulnifico, non ipſi vulneri, quod ſanandum, etiam per aliquot milliaria abſente ægro.

XXXVI. Quamobrem nil illi proficiunt ſomnio virtutis magneticæ, quæ magna ex parte aſylum eſt ſtultitiæ & vanitatis Paracelſicæ. Licet enim non negemus, ſed ut certum & pleriſque omnibus Philoſophis admiſſum aſſeramus, eſſe etiam occultas in rebus naturalibus proprietates & qualitates, per quas multæ actiones naturales fiant; & neceſſarium non eſſe ſemper in actionibus naturalibus contactum corporeum, ſive ſubſtantiæ, ſed in quibusdam contactum virtutis ſufficere, libenter concedamus: tamen hoc nullo modo concedimus, inde effici, ut unguenti armarii vis ad

vulnus

vulnus remotum eo modo, quò ineptè creditur, & persuadere volunt, deferatur. Etiamsi itaq; concedantur actiones virtuales: tamen eæ non nimis latè extendendæ sunt. Nec eo se expediunt, quod amuleta nobis objiciant, & remedium non semper parti malè affectæ applicari, amuleta exempli loco adducant. Habet enim Pœonia vim Epilepsiæ medendi; & alia amuleta alias vires obtinent in corpora; sed in propinqua, non in longè remota.

XXXVII. Si verò jam ulteriùs quæratur, quâ ratione virtus illa, quæ unguento inesse dicitur, magnetica à telo unguento delibuto propagetur, & ad vulneratum absentem ac vulnus perveniat, & quomodo ea, cùm accidens & qualitas sit, possit è subjecto per tantum intervallum se diffundere, atque de subjecto in subjectum migrare, nihil ipsi respondent, sed magis muti sunt quàm pisces. Et qui possunt vel probabile quid afferre? Nec enim, si ipse etiam Dæmon auxiliis adhiberetur, eo modo transferri posset hæc vis magnetica, uti illi sibi imaginantur: cùm nequeat accidens sine subjecto trajicere quoquam. Dicunt tantùm, cur fiat, aut potiùs fingunt, nempe propter naturæ cognationem. Verùm cùm majoris quanti per se major sit virtus, & potentioris motus sit fortior, quis negabit, copiosioris sanguinis majorem esse virtutem, & motum etiam fortiorem? At quis nescit, plus semper aliò, quàm ad telum pervenire, & sæpe postea corrumpi? Cur igitur non ad id, quod effluxit, potiùs, quàm ad id, quod telo adhæret, respicitur? Cur non potiùs vestimenta vel lintea, quæ sanguinem multo copiosiorem exceperunt, & viciniora quoque loco affecto sunt, quàm telum, deligantur? Qui fit, quod vulnus non potiùs moveatur ad corruptionem & putredinem, quàm ad sanitatem?

XXXVIII. Et quid dicent ad hoc, quod sint, qui neque telum, quo vulnus factum, neque sanguinem, neque fictam illam cognationem attendentes, ubi vulneratum sanare aggrediuntur, tripodem domi suæ obligant, & curam in illo instituunt solennem? cùm is tripus nunquam vulnus aut vulneratum attigerit, aut aliâ ratione ei cognatus sit; & tamen æquè succedit sanatio. Satis enim est esse à Diabolo tanquam signum ad id destinatum. Idem contingit & hîc in deligatione & inunctione teli. Parùm enim ille curat, quid adhibeatur, quid non; dummodo decipiat.

XXXIX. Porrò quod continuationem adjungunt, planè intolerabile est. Sic quæcunque aliquâ ratione cognata sunt, continuabuntur, quantumcunque loco distent. Continuationem sequi successivam impulsionem dicunt. Quid illa? à quo? ad quid? si enim est continuatio, quid opus impulsione? aut quid impellas virtutem à telo ad vulnus, cùm virtus ab illo ad istud continuetur? Hanc impulsionem addunt fieri per medium aerem. Verùm prohibetur hîc tam à teli, quod obligatum inclu-

ditur, quàm à vulneris accessu. Imo ipsi etiam hoplochristæ de aere dicunt, quod in eo locatum telum noceat vulneri. Itaque propriâ assertione seipsos evertunt. Et mirabilis res videtur inde consequi. Si enim, quod nonnulli asserunt, curatio, quæ in telo administratur, per vim magneticam parti malè affectæ eo modo communicatur, quo odores cadaverum per multa milliaria ad vulturum nares creduntur pervenire; cùm plurimæ res intra istud spatium sint, quæ vim ejus habent, & simili sunt naturâ: cur non citra unctionem quodvis vulnus curatur? Nam si per tantum spatium agit unguentum, & tangit vulnus, tanget etiam telum. Et sic non referet, utrum quis inungat tela, an non. Nam sponte vel omnium medicamentorum virtus ad ista per aerem accedet.

XL. Quid verò faciunt, ubi alia corpora occurrunt, ut ingentes montes, aggeres, muri? An & hæc omnia imprægnata sunt? Nam de aere dicunt, eum spiritu stellato, & primario quodam ac magnetico vigore & potentiâ esse imprægnatum. Sed meræ hæc sunt vanitates, mera figmenta. Quæ enim naturæ virtus per tot milliarium spatium feratur, sincera præsertim & citra alterationem? In tanto siquidem intervallo non halitu tantùm ille miscetur, sed & pulvis, & à ventis motuque in diversas regiones procul à patiente abducitur. Et cùm odores & soni cum aere à ventis rapiantur, nec nisi immensâ vi per longinqua ducantur, quomodo non ista vis unguenti raperetur & dissiparetur?

XLI. Accedit, quod nec ipse aer ubivis locorum similiter se habet, tùm à subjectis locis mutatus, tùm ab omnis generis constellationibus. Cùm enim cœli vis influat mediante aere, utpote qui planetis subjectus ab omnibus dispositionem aliquam accipit, tempestatum quoque variationes non parùm afficiant corpora, & potissimùm sentiantur in locis imbecillioribus, sicut chirurgis id notum est; sæpissimè autem fiat, ut sit cœli constitutio infensa rei læsæ tunc, cum læditur, duretq; interdum diutiùs, & tempestates quoq; variè sæpe mutentur: quomodo non alteraretur ab aere innumeris qualitatum differentiis discreto? & quantâ quæso varietate modò damnum, modò adjumentum, modò anceps fortuna attraheretur vulneri? Tam forte autem esse unguentum præparatum, ni omnem cœli adversam vim avertat, fieri nullo modo potest. Aut ergo non inchoabitur, aut interrumpetur cura.

XLII. Verùm posito, nondum tamen concesso, per sylvas, campos, maria, flumina, muros, ædes, conclavia, vestes, & reliqua pertingere posse vim à telo medicato ad partem vulneratam: non semper tamen eodem modo dispositum corpus patiens reperiet, nec uni determinatæ parti tantùm se applicabit; cùm idem homo sanguinem & spiritus non in una parte habeat. Nam si idē corpus aliud vulnus interea acciperet, quis quæso diri-

geret vim illam magneticam, ne erraret, & vel utrumq; vulnus involaret, vel aliud, quàm illud, quod ab hoc telo factum? Neq; enim cœlum, quod pluribus, non uni influit, neq; imaginatio, quæ sæpe non adest, neq; sympathia, quæ millies intercipitur, ad determinatam in toto particulam, eam ducet. Quod si igitur plura fuerint in corpore vulnera pluribus telis facta, unum exempli gratia in femore, alterum in brachio, licet unum tantùm ita curetur, an ad omnia virtus feretur & quod sanabile est, sanabit? At si ita vis naturalis in corpore sibi simili citra electionem in omnia vulnera ageret, ὁπλιατρία maxima ex parte caderet. Nam quorsum opus erit, ex hac potiùs, quàm ex alia parte accipere sanguinem?

XLIII. Imaginationem verò & conceptam patientis fiduciam quod attinet, negandum non est, multum hanc in morborum curatione adjumenti afferre, & curationem faciliorem reddere: non quidem per se directè, & propriâ virtute, cùm potentia tantùm cognoscens sit, nec præter cognitionem effectivè aliquid agat, sed tantùm per accidens, dum per imaginationem & bonam fiduciam spiritibus & calore, ut primis animæ instrumentis, quibus humores & corpus solidum conjuncta sunt, commotis vires naturaliter ad ipsum locum affectum diriguntur, & curæ insuper aliæq; perturbationes, quę medicationi perfectæ non parum obstant, avertuntur. At magnetem ultra mille milliaria, quicquid vult, attrahentem, imaginationem esse, & animam humanam forti imaginatione vel intenso affectu etiam alienum corpus afficere posse, ut Paracelsistæ somniant, nos non concedimus; cùm nulla hujus rei dari possit experientia, & ratio repugnet. Ejus enim actio in homine immanens cùm sit, in alia non transit, nec per se in aliena & remota corpora agere, aut aliquid extra hominem immutare potest: sicut nec intellectus aut voluntas unquam extra facultates suas erumpunt in aliquod extraneum.

XLIV. Cætera quæ eos afferre diximus, pärum etiam probabilia sunt: imò mera sunt postulata, quæ tamen dubitationem non effugiunt. Quis enim facilè concesserit, spiritus vitales ex arteriis, naturales ex venis sursum ferri, ibiq; cum animalibus in unum coagulari, temporis demum progressu ad cranii circumferentiam eluctari? Quis spiritus vitales, animales, & naturales absque anima, cujus sunt instrumentum, superstites manere credat, ipsis canalibus & locis, in quibus generantur, corruptis? Quis non à putridis cerebri vaporibus, si relinquerentur, vehementer vitiari concesserit? Quis in cranio, si erumpant, remanere credat: cùm sint tenuissima corpora? Et quid opus est vehiculis istis (pluviis, rore, nive, pruinâ) spiritui mundi, cùm is per omnia diffusus sit, an non intra cranium, cum iis conjungi potest? aut an non illi partibus interioribus corruptis viam convenientiorem habent, per quam effugere possint, quàm

densum

densum illud cranium, quod in demortuis redditur adhuc densius? Tacemus, quòd, an ex craniis suspensorum petita usnea, quam pro hoc unguento conficiendo eligendam esse volunt, haberi queat, dubitare liceat: quandoquidem Gujl. Fabricius, obs. chirurg. cent. 1. epist. 27. non tantùm de seipso fatetur, se intra annos 38. à quibus praxi chirurgicæ incubuerit, nunquam illic eam reperire aut videre potuisse, sed & unam atq; alteram rationem adducit, cur craniis suspensorum usneam adnasci posse vix sibi persuadere possit.

XLV. Eodem modo de sanguine magna adhuc dubitatio est. Annon spiritus volatiles, qui effugiunt, nobilissima sunt pars sanguinis, quâ amissâ sanguis multo ignobilior redditur? Et licet concedantur omnia, nimirum fieri isto modo usneam: sal fixum etiam ex unguento attrahere spiritum animalem; tamen non dum videmus, cur spiritus animalis hominis ignoti, & per aliquot milliaria interempti convenientiam habere possit cum spiritu animali hominis vulnerati? Neque enim omne id, quod ex cadavere humano desumitur, ad omnis individui vulnera sananda facere posse verisimile est. Sicut enim in aliis, ita & inter homines δυσπαθείαι reperiuntur plures: ut taceamus, quod interdum ex sano, interdum ex morbido cadavere sumatur. *Si verò hominis vulnerati spiritus animalis esset in unguento, probabilior aliquantum videretur hæc ratio.*

XLVI. Deinde cùm facultates sint qualitates emanantes, & ubicunq; anima est, ibi etiam habeat suas facultates; ubi autem non est anima, ibi etiam non sint ampliùs facultates: videre nondum possumus, quomodo sensus possit remanere in isto spiritu, ubi tamen anima jam longè abiit: præsertim cùm spiritus non sit adæquatum sensûs instrumentum. Ut enim pars non sentit, nisi spiritus animalis adsit: ita nec spiritus animalis ad sensum aliquid facere potest, nisi adsit membrum aptè dispositum.

XLVII. Sunt denique ex recentioribus nonnulli, qui ideo curationem hanc pro impostoria vel magica habendam non esse volunt, quod sanguinis, qui ex vulnere hîc requiritur, natura, vis magnetica & harmonica mira sanè sit, utpote cujus beneficio biolychnium sive lampas vitæ & mortis, in qua tanquam in fatali lumine omnis hominis fortuna, affectus, morbi, & tandem ipsa mors observari possit, conficiatur, & plura miranda alia, de quibus Joh. Ernestus Burggravius agat, perfici possint, ut si modò illa alicui nota sit, is omnem superstitionem hinc abesse facilè percepturus sit. Dari præterea addunt ejusmodi magneticas curas plures, imò plurimas, & alios mirandos naturæ effectus, cujus generis plurima idem Burggravius in Achille πανόπλῳ redivivo congesserit, quos, etsi caussæ eorum lateant, Diabolo acceptos referre impium sanè sit.

XLVIII. Verùm quid aliud hoc est, quàm principium petere, & dubium

quum per æquè dubium probare velle? Nam, ut Cl. Sennerti de Chymicor. conſ. & diſſ. c. 18. verbis utamur, lampas illa vitæ & mortis portentoſa eſt, & ſi hæc non eſt pyromantia, neſcimus nos, quid pyromantia ſit: & an non talis artifex DEO æquiparetur, qui ſolus corda & animi affectus ſcrutatur, & cui ſoli dies vitæ & mortis noſtræ noti ſunt? Quo loco & reliqua, & interea armatura Martia, quam invalida diſpoſitione Martis ex 7 metallis ſub ſuis ſideribus aſſumptis & præparatis, opere ipſo fabrili, intentione, verbis & habitu omnibus Martialiter ſe habentibus, ad vim hoſtilem avertendam hoſtesq; in fugam vertendos idem Burggravius pollicetur, habenda ſint, viri docti & prudentes nôrunt. Validam ſanè phantaſiam & verba valdè potentia eum habere oportet, ut in ipſum chalybem agere poſſint.

XLIX. Quæ cùm ita ſint, nihil ampliùs reſtat, niſi ut totam hopliatriam vel impoſtoriam vel magicam eſſe concludamus, & ita ſtatuamus, vel merè naturaliter ſanari vulnera in hac curatione, minimè tamen per vim iſtius inunctionis telorum, ſed beneficio quotidianæ vulneris repurgationis & exſiccationis: (quam ad rem tamen etiam patientis imaginationem & conceptam fiduciam eo, quo ſupra dictum, modo aliquid facere poſſe non negamus, quamvis per hanc ipſam, de qua hactenus egimus, curam etiam alios, qui nihil aut parum fiduciæ habent, curari experientia teſtetur, & hoc unguento vulnera, etiamſi ejus rei inſcius ſit æger, æquè ſanari ipſi hopliatri concedant) vel concurrente Diabolo, qui quidem nec ipſe per unguentum illud eo modo adhibitum curet (neq; enim poteſt) ſed unguentarios iſtos irridens & ſubſannans unguenti activa paſſivis applicet in vulneris loco, vel interea clanculum aliquod aliud remedium, cùm Medicinæ omnis ſit callentiſſimus, adhibeat & occulto modo ſanationem perficiat, idq; vi pacti, quod hac de cauſſa iniit cum eo, qui primus eam diſciplinam ab ipſo accepit, & ceremonias iſtas, ſive magicas ſive impoſtorias & ad ſpeciem confictas eas quis nominare velit, ex ejus præſcripto uſurpare cœpit.

L. Nec valet argumentum Baſilii Valentini, & aliorum: Ingredientia hujus unguenti omnia ſunt merè naturalia, nulli adhibentur characteres, nullæ conſecrationes, conjurationes & Incantationes, aliavè illicita & prohibita media, quæ in naturam aut DEUM, & ſacroſanctum ejus verbum impingunt, & aliàs in curis magicis requiruntur. Ergo non eſt magicum. Quaſi diabolus ſe non poſſet ſub natura occultare, & non æquè pactum ſuum habere in rebus naturalibus, ac in characteribus & verbis. Neque enim penſi habet quicquam, ſumatnè ad iſtas impoſturas ſuas perficiendas imagines, characteres, verba, an unguenta aut alias res. Hoc unum quærit, ut ſeducat: quod ſi aſſequitur, ſatis eſt. Aliàs hoc ipſæ etiam Sagæ un-

guentum ſuum, quod dum per aera vehuntur, adhibent, magicum non eſſe probare poſſent. Omnes actiones magicæ demum & præſtigiæ diabolicæ naturalium cauſſarum prætextu, & magneticarum curationum pallio velari poſſent. Minùs etiam rectè idem Baſilius Valentinus ideo neutiquam diabolicam hanc eſſe curam cenſet, quod diabolus ad perdendum potiùs genus humanum, quàm juvandum incitetur, quod etiam citra divinam promiſſionem ei impoſſibile ſit factu. Stramineum argumentum. Quaſi hoc non ſit hominem perdere, ſublato corporis vulnere graviſſimum animæ inferre morbum. Crollius quidem etiam per veneficium perfici hanc curam negat, atque imperitos & fatuos tale quid opinari ſcribit. Verùm hanc calumniam retorquemus in ipſum, & imperitum ac fatuum eum pronunciamus, qui naturaliter per vim iſtius telorum inunctionis hanc curam perfici credat & aliis perſuadere cupiat. Et omnino à magia nec ille excuſandus eſt, qui credit naturalem quidem eſſe ſanationem, at quæ perficiatur vi iſtius inunctionis telorum. Falſum enim dum ſtatuit, à vero aberrat & vim illi tribuit, in quo nulla eſt, magos ita inſcius imitatus. Nihil enim obſtat, quin ad ſuum finem obtinendum etiam juſtos fallat Dæmon. Sed ſapientibus ſat dictum.

INDEX

INDEX
RERUM CONTENTARUM.

A.

Abhorrent quidam rosas, pisces, carnem suillam, vel carnem omnem, lac, caseum, sisymbrium, rutam, hericium animal, catum, mures, vinum, allium, panem, mannam, ita, ut, si ea comederet aliquis, qui speciali antipathiâ adversatur, aut videret, in lipothymiam continuò caderet. pag. 25. cremorem tartari & diaphænicon. ibid.

Abortu mulieres liberat mespili lignum pro amuleto. 21

Abrotanum inimicum venenatis & serpentibus. 16. in Germania & Britannia optimum odorem spirat, in Italia ferè nullum habet. 31

Absinthium interficit & fugat mures, ita, ut, si atramento scriptorio misceatur, libri sint immunes à muribus. 17

Abstinentia ab omni cibo & potu exemplum. 251

Acacia amplectitur solem, dum splendet, elevando & extendendo sua folia: absente autem eo, flaccida folia demittit. 31

Accidentia unde secundùm Peripateticos? 45. ea opinio rejicitur. 46. eadem de subjecto in subjectum migrant. 475. non migrant. 594

Aconito ruta adversatur. 6. aconiti omnes species, præcipuè autem pardalianches assumtum, vel manu, donec tepescat, detentum, vel si diu odoretur, congelant spiritus, scotomiam, oris apostemata & apoplexiam inducunt. 13. âconitum quadrupedes omnes aversantur in pascuis. 16. aconiti antidotus est herba Paris. 22

Actio est formæ per fermentum in materia. 54. actiones sympathicæ & antipathicæ quotuplices? 57. actionum in distans causæ variorum examinantur. 58. 64. & seq. actio non provenit ab æqualibus. 136. actio omnis est per contactum vel mathematicum, vel intermedium. 150. in distans non datur. ibid. 634. actio fit per contactum vel suppositi vel virtutis. 169. immaterialis à causa materiali non procedit. ibid. in distans requirit medium capax. ibid. sympathica non provenit à forma occulta. 171. actio, quâ agens attingit patiens, tribus modis fieri potest. 174. actionum mirandarum causæ unde eruendæ? 299. actionis nullius principia sunt figura, numerus, magnitudo. 336. actio in distans an detur? 374. 376. magnetis cum unguenti armarii non est comparanda. 417. 571. 581. actio est naturalis

etiam in sublunaribus, & est magnetica. 483. est duplex. 593. actio in distans quibus exemplis probetur? 631
Activitatis sympatheticæ sphæra quanta? 170
Adamas præsente toxico sudat. 25. adamantem mollit sanguis hircinus. 27. adamas trahit paleas. 634. cur sanguine hircino mollescat? 678
Adepti qui? 496
Adianton cur non madefiat? 667
Admiratio quid? 694
Ægrorum fasciæ cur patibulis suspendantur? 530
Ægroti unde præsentiant temporum procellas? 479
Aër plenus atomis. 88. aëris beneficio augentur viperæ inclusæ. ibid. in aëre est occultus vitæ cibus. 89 aëris beneficio augetur vitriolum, sal petræ. ibid. de aëre notanda. 563
Aëromantia quid? 256
Æs, in aqua regia dissolutum, adhæret ferro. 10. scoria æris dolorem & tormina ventris, cum fluxu ingenti & vomitu, inducit. 14 apii succus morbis, ex scoria æris originem habentibus, prodest. 20
Æschynomene Apollodori herba mirabilis. 537
Æthiopis hera claustra aperit. 248
Ætites valet contra abortum, si brachio sinistro aut collo applicetur: contrà verò, si femori interno. 23. appensus ficus radici, omnes ficus maturas ex arbore detrahit, & arbor infœcunda inposterum redditur. 25. mira præstat. 145
Agallochus in India solum provenit. 30
Agaricus cedro acerescit. 9
Agelasti qui? 697
Agnus, modò enixus, timet lupum & vulpem. 6
Agnus castus quando libidinem supprimat, quando non? 643
Agnus Scythica seu Boramez herba. 537
Agrifolium foliis perpetuò virentibus & spinosis si injiciatur, quo utuntur in liquando & purificando ferro, impedit liquefactionem ejus, & friabile reddit. 25
de *Alaodim*, Principe quodam in Oriente, historia. 414. 415
Alauda serpentes timet; nam sibilis eam fascinant, & ad se trahunt. 7
Alberti Magni caput mirandum. 544
Alberti Medici censura tractatus de unguento armario Petr. Scriverii. 530
Alcis ungulæ vires. 274
Alectorius lapis in stomacho veteris galli reddit gestantem apud omnes gratiosum & audacem. 23
Alectryomantia quid? 259
Alevromantia quid? 260
Allii succus curculiones abigit & necat. 17. allium contra magnetem quid agat, & cur? 483. de allio notanda. 550. 563. allium magnetis vires non supprimit. 643
virga ex *Alno* monstrat aquam sub terra, eodem modo facta, ut acus nautica ex duabus virgulis. 28. alnus apud flumina crescit. 30
Aloë hæmorrhoides provocat. 13
Alphitomantia quid? 260
Alsine gaudent gallinæ. 22
Althæa aculeatis omnibus inimica est, neq; ferit quemlibet eam portantem. 17
Amniomantia quid? 259

Amor & odium ut differant ab antipathia & sympathia, & ab his magnetismus? 57. 58. amor quid? 689
Amuleta gestata quâ ratione prosint? 102 de amuletis quid sentiendum? 641
Anacardis assumtus excitat febres, apostemata, morpheas & lepram. 12. anacardis antidotus est lini semen torrefactum. 21
Analogia rerum in agendo. 671
Ananas fructus eâ vi pollet, ut ferrum aut chalybem propinquum consumat. 25
Anas & capo bufones amant. 9
Anaxagoræ opinio de plantis, quomodo crescant? 51
Anchlusa, manibus portata, arcet serpentes. 16
Angeli hominibus præstantiores. 462
ad *Anginam* valet hedera & cochlear ex ea confectum, item herbæ nascentes in fimetis ruri. 21. angina curatur filo, quo suffocatur serpens, si collo circumdetur. 29
Anguillæ fiunt ex pilis equorum, in aquam projectis. 32
Anguis ex spina humani cadaveris nascitur. 30
Animæ brutorum non differunt specie. 53. nec anima vegetabilis à sensitiva. ibid. animæ brutorum non pereunt. 54. animæ humanæ origo. ibid. de anima mundi sententia Papinii. 155. 160. Platonis. 159. animæ demortuorum vivis nonnunquam apparuerunt 252. anima semel corpore egressa revocari vi dęmoniacâ non potest. ibid. animas tribuit rebus vulgò inanimis Burggravius. 366. & stellis. 430. anima mundi commentitia. ibid. 522. anima in corpore soluto nutu agit magicè. 491. quo modo & medio corpus moveat? ibid. quo modo in corpore & extra: illud agat solò nutu? ibid. anima mundi quid? 553. animæ sympathiæ & antipathiæ. 675. anima quî contraria efficere possit? 678
indusia ex pellibus lascivientium *Animalium* gestantes lascivos reddunt. 12. qui vestibus ex lana scabiosorum animalium, licèt tincta & præparata, utitur, scabiosus evadit. ibid. carnes animalium non ruminantium, ex toto vel parte, sunt venena, præcipuè, si animal herbis, quæ hominibus venena sunt, vescitur, quia remanet qualitas superstes post pravam digestionem. ibid. animalium membra conveniunt membris animalium similibus, præsertim, si animalia vel eorum alimenta virtutem habent morbo membri contrariam, ut lieni confert splen capræ, lentisco capparis & tamarisco pastæ; item, splen suis, aquam ferratam fabrorum bibentis, sic fimus & splen asini, pasti chelidonio, curat icterum. 30. animalia, quæ vescuntur piscibus, eorum qualitates participant, ut sunt sues, anseres, anates &c. 31. 33. animal non generat animal. 43. animalia quomodo nascantur? ibid. animal in saxò genitum. 542
Annebergius dæmon. 390
Annulorum sub certo astro scriptorum vis. 192
Anseres in Scotia Septentrionali fiunt ex lignis aridis abietinis, apti etiam sunt ad generandum sibi simile. 30. 31
Anthropomantia quid? 259
Antimonii vis attractiva, & humorũ pur-

gativa, ligatur à nitro, in antimonio diaphoretico. 7. antimonii vis mirabilis. 50. vicies & sæpius imprægnare vi emeticâ potest vinum, ut sibi nihil decedat ponderis. 132. antimonio plus subtrahit vinum quàm vini spiritus. 136. antimonium observat influentiam. 481

Antipathia vegetabilium. 5. animalium. 6. mineralium. 7. hominis cum partibus animalium. 10. hominum cum vegetabilibus, prava inducentibus symptomata. 12. hominis cum mineralibus & lapidibus. 14. animalium cæterorum, cum partibus animalium, & partium inter se. 15. animalium cæterorum cum mineralibus. 18. mineralium cum vegetabilibus. 25. antipathiæ & sympathiæ speciales. ibid. antipathia eorum, quæ sub nullo prædicatorum continentur. 26. quæ antipathiam exercent, contrarios pariunt in nobis effectus, ut cucurbita & olea, brassica & vitis. 30. antipathiæ & sympathiæ omnes à fermento. 55. antipathiæ in inividuis aliquando possunt destrui. 56. antipathiæ & sympathiæ in speciebus quomodo proveniant? ib. in causas antipathiæ & sympathiæ eorum, quæ in indistans agunt, inquiritur. 57. 161. variorum opiniones recensentur. 57. Helmontii opinio examinatur & rejicitur. 59. Papinii sententia. 162. antipathiæ & sympathiæ ab astris corporibus sublunaribus imprimuntur. 173. antipathia quid? 181. antipathiæ exempla illustria. 183. 189

Antithora inimica aconito. 6. antidotus aconitorum omnium & malorum ab iis ortorum. 20

Antrum fraternitatis roseæ crucis. 400. antrorum quorundam historica narratio. 407. & seqq. antrum Mithræ. 409

Apes fiunt ex vitulo mortuo occlusis meatibus. 30

Apium lactantibus malum; nam si eo utuntur nutrices, epilepsiam inducit. 13. ovibus lethale, & id in pascuis fugiunt. 16. blattas interficit, & hirundines nidis imponunt, ut eas arceant. 17

Apomactæ qui? 259

Apoplexiam inducit aquæ chrysulcæ suffitus. 15

Appetitus quid? 688

Apri testes valent contra sterilitatem. 19

Aquæ corrodentes fortes, salia, sulphur, antimonium, medulla ab iis mortificantur, dissolvuntur, calcinantur, corrumpuntur, & in tenues auras auferuntur. 8. aqua liquefactionis plumbi ferrum molle reddit. ibid. destillata rosarum & aurantiorum nullum odorem emittunt, quo rosæ & aurantia florent. 9. aqua tartari præservat argentum. ibid. aqua in vasis æreis asservata nobili incremento attollitur, dum nubes in pluviam colliguntur. 28. in caverno quodam Scotiæ, Slaines dicta, aqua pura illic decidua vertitur in petram albam marmoris æmulam. 30. in rupe Scotiæ Septentrionalis lapidescit aqua, illic guttatim decidua: si autem aqua ista extra cavernam in aëre aperto locetur, non lapidescit, licèt vim habeat lac coagulandi. 32. de aqua experimentum attractivum. 102 aqua in siccum effusa cur in guttulas rotundetur? 667

Aquila quomodo per magnetiſmum cadaveris alliciatur? 94. 132. 487. aquilæ renovatio unde? 132. aquila Regiomontani. 546
Thom. de *Aquino* ſigilla & characteres damnat. 330
Aranea & bufones ſe mutuo odio proſequuntur, & veneno bufonis antidotus eſt aranea apposita. 6. ejus punctura tumidum reddit hominem, & hoc peculiare habet, quòd puncti in excrementis & urina ejiciunt telis aranearum aliquid ſimile. 11. aranea ipſa appoſita & trita reſiſtit puncturæ ipſius. 18. puncturis ejus medentur endivia, meliſſa, carduus benedictus, ruta. 20. quidam araneis ſine noxa paſcuntur. 25
Arbor Javæ majoris, cujus medulla ferrea. 536. pudifica. 537. arbores ſerpentiferæ. ibid. anatiferæ. ibid. quædam mirandæ. ibid. arbor in thorace hominis vireſcens. 543
Archimedis ſphæra & ſpeculum. 544
Architæ columba. ibid.
Argentum, diſſolutum in aqua regia, adhæret æri. 10. argenti vivi uſus apoplexiam, epilepſiam, nervorum tremorem, dentium caſum, & congelationem ſpirituum, ſi crudè uſurpetur, inducit, cum ptyaliſmo potenti. 14. argentum vivum venenum eſt vermibus & pediculis. 18. argenti vivi antidotus ſunt ſcolopendria, ruta, juncus Indicus, quem icho appellant, hydrargyrum ex corpore gallicatorum trahit, ſi eo ſuffumigentur. 20. portiuncula argenti vivi, in meditullio arboris impoſita, impedit, ne creſcat arbor, 25. argenti vivi mira vis. 50, miſtio quæ? 673. argentum vivum nulli liquidorum miſcetur. ibid.
urina *Arietum* à muliere epota inhibet ejus conceptum. 11. medulla arietis memoriam labefactat. 12. medullæ arietis veneno ſuccurrit caro phaſiani comeſta. 19
Ariolatio quid? 61
Ariſtolochia rotunda piſces ad ſe allicit & inebriat, ut capi poſſint. 23
Arithmantia quid? 260
Arſenicum, fuſum cum metallis, ea præſervat à rubigine. 9. adurendo, ſitimq; intolerabilem cum doloribus ſtomachi ſæviſſimis inducendo, necat. 14. gliribus & muribus inimicum. 18. de arſenico contra peſtem geſtando primus ſcripſit Jacob. Carpenſis. 136. quâ vi agat arſenicum contra peſtem, examinantur variæ opiniones. ibid.
Arthritidem ſanat teſtudo maſcula, quæ cognoſcitur ex levi inciſura ſub inferiori teſte alligata membro. 20
Artis quædam miranda. 544
Arum quadrupedes omnes averſantur in paſcuis. 16
Arundo flacceſcit, obſita ſilicibus, & contrà. 5. flos in capite arundinis vallatoriæ, ſi imponatur auribus, ſurditatem cauſat. 13
Aſa gravis fœtoris participes reddit accreſcentes. 6. aſam fœtidam fugiunt omnes piſces. 17
Aſarum, ſurſum evulſum, vomitum cauſat, deorſum excerptum, per ſeceſſum purgat. 60. aſarum & ſambucus magnetica. 471
Aſini amant ceterach & ſcolopendriam. 22. ferulam in deliciis habent, quâ pereunt equi. 23

Asparagus delectatur in arundinetis; nam illic meliùs cresc it. 8

Asphodelus inimicus venenatis & serpentibus. 16

Aspidis morsus visus hebetudinem, tumorem faciei, surditatem & dolorem hebetem, cum torpore, crebros hiatus & inclinationes colli infert. 11. aspis contactu radicis halicacabi seu vesicariæ minoris stupescit. 17. urina demorsi hominis resistit malis, ex morsu aspidis ortis. 18

Aspidomantia quid? 259

Astra agunt in distans, nec interjectione corporum opacorum impediuntur. 170. astrum peculiare cuilibet rerum speciei dicatum. 218. astra in hæc inferiora qualitatibus non solùm manifestis, sed & occultis agunt. 271. non agunt pro nostro arbitrio. 337. sunt agentia universalia. 347

Astragalomantia quid? 264

Astralis Philosophia non est ars, nec scientia. 602

Astrologia quid? 287

Astromantia licita. 284. & seq. ejus utilitas. 289. astromantia seu astrologia superstitiosa quæ? 291

de *Atomis* quid doceant Epicurei? 49. atomistarum opinio de causis actionum in distans examinatur. 66. rejicitur. 67. atomi omnium corporum, in aëre existentium, ad maximam distantiam extendi & deferri possunt. 93. ab omnibus corporibus continuâ emanatione propelluntur. 105. atomorum primi doctores qui? 129. 658. multa promtè & feliciter per atomos explicantur. 129. 130. atomi animatæ Kircheri. 130. atomi principium attractionis quomodo? 658

Atriplicis sativæ usus pustulas rubentes in facie excitat, item motum regium producit. 13. atriplex suibus venenum est. 17

Attagenes & perdices cervos amant. 9

Attractionis species variè recensentur. 94. 95. attractio per filtrationẽ quomodo fiat? ib. per ignem quomodo? 96. ejus variæ observationes. 97. attractionis experimentum in aqua. 102. in Mercurio. ibid. in spiritu salis & vitrioli vel balsamo sulphuris. ibid. in carnibus salitis. ibid. in cepis. 103. in nævis maternis. 104. corpus attrahens spiritus unà secum illorum comites, & quicquid iis adhæret, aufert. 115. attractionum varia in variis rebus experimenta. 135. 136. attractio virtutum unde? 181. attractio electrica & magnetica differunt. 302. de attractione & motu similium ad similia. 656. attractionis causa generalis. 665. attractio à quo principio fiat? 676

Attractrici vi pollent aristolochia longa, scopa regia, cadmia, adeps cuniculorum, asa fœtida, tapsia dictamnus, fermentum panis, fimus columbinus, anserinus, anagallis flore purpureo, arundinis radix, pyretrum, thlaspi semen, euphorbium, anemone, helleborus uterque. 29

species *Avenarum* est, quas avenas inebriantes appellant, quarum esu homines vertigine tentantur, cespitantes usquedum dormiverint. 12

ad *Aves* capiendas sigillum. 348

Augurium & auspicium quid? 259

Augustinus characteres & sigilla damnat. 330

Aurantiorum aqua destillata odorem nullum emittit illâ arbore florente. 9
Aureolus avis ab aspectu icterici moritur, attrahendo ægritudinem ad se. 7
vasa ex *Aurichalco* si sunt in mensa, ubi est venenum, varios attrahunt statim colores. 27
Auripigmentum gliribus & muribus inimicum odoretenus. 18
Aurum coalescit cum argento, pulvere boracis. 10. aurum & argentum attrahunt olivas & palmas. 24. aurum an habeat spiritum cordis humani? 610. cur oleum & vinum non imbibat? 672. cur argentum vivum imbibat? ibid.
Axinomantia quid? 258
Axiomata quædam physica & magnetica Goclenii. 296. Helmontii pro magia. 495
Azeg quid vocetur Paracelso? 168

B.

Balneorum tubicines qui? 579
Balsamum Tobiæ præstantissimum. 561
Thomas *Bartholinus* de transplantatione morborum. 528
D. *Basilius* vanitates Astrologicas, sigilla & characteres damnat. 331
Basilisci aspectus homini lethalis, in distans. 6
Batrachium ovibus lethale, & id in pascuis fugiunt. 16
Dan. *Beckerus* de unguento armario. 514
Belluæ quoq; magicæ unde? 496
Bengala herba mirabilis. 536
Bojani & Taliacotii mira opera. 551
Bombardæ mirabiles. 546
Bonzii qui ita dicantur? 406
Petr. *Borellus* de Curationibus sympatheticis. 526
Botanomantia quid? 258
semina, quæ in *Boum* cornua impingunt, effœta redduntur. 17. boum ulcerosi pedes quomodo sanentur sympathicè? 119
ad *Brachii* dolorem remedium per transplantationem. 530
Brassica, cyclamino apposita vel juxtà sata, arescit. 5. ab origano arescit. ibid. brassica & ruta simul sata arescunt. ibid.
Bruta quæ magica, & agant extra se, solo nutu? 501
Bryoniæ succus, crudè assumtus, scotomiam, cordis angustiam & stoliditatem inducit. 13. succo bryoniæ contrariatur piper nigrum. 20
spuma & sanguis *Bufonis* difficultatem anhelitus, intumescentiam corporis, cordis syncopen, mortemq; inducit. 10. bufo alligatus sistit hæmorrhagiam. 19. munit se ab hoste aranea, & morbos curat plantagine. 22. thymum amat, & sub eo delectat jacere. 23. lapis bufonis, puero appensus, certo experimento lumbricos necat & expellit, item, morsibus araneæ & ipsius spumæ contrariatur. ibid. apud cavernas serpentum & bufonum herbæ cordiales, puta buglossum, borrago, melissæ, violæ induunt qualitatem deletoriam. 32. bufonum usus. 102
de Ern. *Burggravio* censura D. Roberti. 363
Butyrum injectum cur fervorem sacchari compescat? 703

C.

Cabalæ effectus potissimus. 492
Cachexiam per transplantationem curandi modus. 529

contra maleficia *Cacodæmonis* valent plus Dioscoridis, verbena flore purpureo, hypericon, abrotanum & ruta. 22
Cadaver, confossum coram judice, præsente homicidâ, cruorem effundit. 6. dens cadaveris, longâ tabe extincti, solo attactu dentes excidere facit. 11. capillus cadaveris, longâ tabe extincti, calvitiem facit solo attactu. ibid. dens cadaveris, longâ tabe confecti, solo attactu parat dolorem dentium, & deciduos reddit. 19. confossum cadaver, præsente homicidâ, ante judices cruentatur. 27. in cadavere sponte mortuo non est spiritus insitus. 490
Cæci sculptoris opera miranda. 545
Cæpe decrescit crescente lunâ, licèt omnia alia bullosa crescant. 26. cæpæ contagio aëris facillimè inficiuntur. 98. de cæpis & alliis mirandum. 550
Calaminthum feles deligunt. 384
Calcantum, vide *Vitriolum*.
Calendulæ semen quid præstet? 276
Caloris effectus per se quis? 42. calor naturalis est verè cœlestis. 556
Calx & pannus & alia quædam sicca cur aquam promtissimè admittant? 668 calx aquâ affusâ cur dissolvatur & incalescat? ibid.
Camelus equum timet. 7
Camini incensi explosione sclopeti extinguuntur. 116
Cancri fluviatiles abhorrent sues, & ab odore fœtido eorum moriuntur. 6. cancrorum odor apes interficit, & ab alvearibus pellit. 7. cancri si ponantur in loco, ubi est polypodium, ungues ex pedibus decidunt & corrumpuntur. 16. fluviatiles auxiliantur demorsis à colubro. 18. lapides cancrorum vino dolori splenis medentur. 24
Canes pelliones, non priùs visos, odio habent. 7. hyænam odio prosequuntur, & contactu umbræ ejus obmutescunt. ib. amant homines. 9. fel canis marini infert symptomata fellis leopardi. 10. canis rabidi saliva ex dentibus morsu, in carne relicta, inducit hydrophobiam, & omnia symptomata, quæ in canibus rabidis videntur, & si alium momorderint, iis etiam accidunt talia symptomata, &c. 11. in morsu canis rabidi crescunt vermes capite canino, it. in demorsorũ urina. ib. hydrophobiam ex morsu canis rabidi arcent cancrorum cinis, item, caro, pili & hepar canis. 18. dens canis rabidi, amuleti loco gestatus, præservat à morsibus canum. 19. hydrophobis prosunt & medentur morsibus canis rabidi cynorrhodi radix gentiana, melissa, ruta. 20. canes amant gramẽ. 22. saliva canis rabidi, in carne à dentibus relicta reddit homines & cætera animalia hydrophobiæ hæredes, &c. 33. canes ut te sequantur? 56. quâ ratione investigent vestigia hominis vel bestiæ? 93. quâ ratione lapidem manu tactum ex magno lapidum acervo eruant? ib. canis animal calidum. 98. canis rabidi morsus contagium quomodo propagetur? 114. cur contra canem rabidum bruta reliqua se non defendant? 500. de cane historia. 559
decoctum *Cannabis* vermes ex foraminibus edunt & necat. 17
Cantharides non solùm assumtæ, sed & applicatæ in distantissimis corporis partibus officiunt vesicæ, & eam exulcerant, & stranguriam inferunt, quarum etiam cinis post combustionem idem

idem facit. 10. cantharidum antidotus grana alkekengi & semĕcucumeris. 20
Capitis dolores, exorti ab umbra juglandis, curantur contactu umbræ tiliæ. 22. dolores capitis acutos curat plumbum liquatum & scintillæ ligneæ capiti suppositæ & aquæ semiplenæ injectum. 29. caput Alberti Magni ligneum humanâ voce loquens. 544
Capnomantia quid? 260
Capones, qui vescuntur serpentibus & bufonibus, eorum caro est salutaris. 30
Capræ pellis gestata vel odorata epilepsiam reducit, & istud animal insultibus epilepticis maximè tentatur. 11. odor cornu capræ epilepsiam inducit. 12
Capri abhorrent salivam hominis, & si homo aliquid priùs tetigerit aut gustaverit, non attingunt. 16
Caprificus omnibus ferè jungi gaudet. 8. innumeras ficus producit, sed non maturescunt circumpositis fœmellis, & etiam sic firmantur in arbore. ibid.
Carbones fossiles quid in se contineant? 89. eorum detrimenta. 90. bituminosi pulmonibus noxii. ibid.
Carlina sub umbra trahit mirificè. 470
Caro & lignum fossile. 542
Caseus dum fit, si aliquantillum cerebri mustelæ imposueris, non attingunt neq; glires, neq; mures. 15. casei aversatio unde? 643
Castanea commixtæ juglandibus non putrescunt. 8. castanea moro delectatur, & ferè omnibus aliis arboribus. ibid.
Castellum ligneum ignem illudens. 539
Castrandi modus Turcarum. 639
Catablephæ aspectus cur lethalis? 667
Catelli cur ægrotis applicentur? 98
Cati cerebrum qui comedit, vertiginem incurret, & stolidus redditur, mores, gesticulationes & vociferationes cati præ se ferens. 10. 33. catus amat nepetam. 22
Catophromantia quid? 256
Catula luxurians, si manum alicujus lambat, vesicatur. 11
Causa proxima una est in uno effecto. 43. causæ principalis definitio. ibid.
Centaurium inimicum cum venenatis & serpentibus. 16
Cephalæomantia quid? 258
Cerasus nec Persici nec terebinthi insitionem admittit. 6. cerasi species impressa in embryonem, per imaginationem maternam, viridescit, flavescit, & rubescit cum cerasis in arboribus, pro diversitate regionum citiùs aut tardiùs. 8. cerasi historia. 551
Ceraunia qualis lapis? 198
ad *Cerebrum* catarrhosum secretum. 192
Ceremonia actionibus naturalibus nihil superaddunt. 601
Cerevisia in cadis, florente hordeo, turbabatur, & ex hordeo non fit malta, dum reliquum in campis floret. 8. 137. quâ ratione id fiat? 137
Ceromantia quid? 260
Cerussa linguam albificat, dentes denigrat, singultum & tussim inducit, dolorem & tensionem ventris, sanguinemq; excernere facit. 14. vinum ad ebrietatem morbis à cerussa ortis adversatur. 20
Cervus serpentes etiam in deliciis habet. 9. cervinæ caudæ extremitas angustiam & dolorem stomachi cum syncope inducit. 10. os de corde cervi gestantem reddit immunem à venenatorum

torum morsibus. 19. cervus transfixus serpentariâ & dictamno se curat. 22. cervi, elaphobosco pasti, resistunt morsibus serpentum. 23. cornu cervi reverberatum ponderosius fit. 135
Chaëlis sigilla seu imagines. 198
Chalcedonius lapis est melancholiæ antidotus. 24
Chamæleon canibus & cæteris venenum est, hominibus antidotus. 17. 21. mutat foliorum & florum colorem, pro mutatione terræ, aut fundorum diversitate, in quibus crescit, ut nunc sit nigra, alba, &c. 29
Chamæpitys viti adversatur, & ramis ejus coronati non inebriantur. 621
Characteres quomodo efficaces? 194. characteres & sigilla magnetica omnia damnantur ab Augustino & aliis Ecclesiæ Doctoribus. 330. damnantur rationibus. 334. characterum auctores quales fuerint? ibid. & seq. characterum vim à phantasia esse statuit Burggravius. 335
Chelidoniâ curant oculos hirundines. 22
Chiromantia licita. 284. quid sit? 294. de ea D. Roberti judicium. 452
Chondrillæ vires ad hæmorrhoides. 529
Chordæ ex intestinis lupi & ovis, si in instrumentis extendantur, semper discordant. 15. chordarum in instrumentis musicis sympathia. 139. unde illa sit? 500. de earum sonis quæstio. 674
aquæ *Chrysulcæ* suffitus apoplexiam inducit. 15
Cicatricem inducentia medicamenta. 578
de *Cichorio* notanda. 562
Ciconia omnia genera reptilium in deliciis habet. 9. origano delectatur. 22
Cicuta à vite flaccescit, & veneno cicutæ vinum, postea exhibitum, est antidotus; si verò cum cicuta exhibeatur, intendet ejus vim. 6. cicuta inducit stuporem & sensuum amissionem. 13. cicutam amant testudines, & eâ tanquã panaceâ, utuntur. 22. aliqui cicutam sine noxa comedunt. 25
Cimices lectularii, in vino exhibiti, abigunt hirudines adhærentes in distantissimis corporis partibus. 16
Cinnamomum, ex patrio solo plantatum, degenerat in laurum. 26. in Arabia solùm provenit. 30
de *Citriis* mirum. 674
Claviculia ferrea ex ore in vesicam illapsa. 538
Cocao ita ebenum amat, ut nullibi nisi sub umbra ejus crescat. 9
Cœleste principium an ingrediatur mistionem sublunarium? 155. cœlestia corpora non agunt in distans, sed sphæram suam activitatis habent reliquis rebus ampliorem. 416
Cœlum suum habet res quæq; particulare. 479. non causat, sed enunciat futura. 480
Cognitio cur delectet? 695
ad *Colicum* dolorem valet intestinum lupi. 19. colicum amuletum est radix hyoscyami albi portata 21. colicos dolores sanat lapis corvinus, ex corvo pisce sumtus, dum palpitat. 24
Colocynthis omnes herbas, sibi vicinas, veneni modo inficit, & amaras reddit. 6. in magna quantitate inducit eadem symptomata, quæ scammonium, tithymallus, &c. 14
Color colorem quomodò producat? 63. 64. de colorum mutatione varia exempla. 138. colores quidam cur grati? 680

Columbæ tinnunculum amant. 9. verbenâ delectantur. 22. cur ægrotis applicentur? 98
Compositio quantum possit? 557
Conceptum retinet cingulum ex lupina pelle & ex corio equi marini. 19. promovet umbilicus infantis exhibitus, sponte cadens. ibid. firmat sardonius lapis, ventri alligatus. 24
Conchylia marina & testacea in petrosis locis degunt. 30. conchylia contrita & in avena seminata, aquâ salsâ irrigata, producunt conchylia. ibid. 54
Concretorum principia ex sententia Epicureorum. 49
primus *Consensus* rerum omnium. 652. consensus partium in toto. 654. membrorum ad matricem. 684
Constructio & dilatatio unde? 677
Contactus est vel mathematicus, vel intermedius. 150. contactus omnis est vel proprius, vel virtualis. 158. de contactu opinio Fracastorii. 657
Cor à thesauro trahitur magneticè. 487. cordis motus unde? 684. cor quomodo afficiatur à phantasia? 686
Corallina vermes necat. 16
Corallium si carnem hystericæ aut fluxu menstruo laborantis tetigerit, colore mutatur & pallescit; si removeatur, pristinum recuperat splendorem 15. 17
Cordialia sunt unionum pulvis, bezoar, rubinus, granatus, smaragdus, hyacinthus, cyaneus. 23
Coriandrum recens cum inconstanti sopore mentem turbat, aphoniam inducens, hominem stupidum reddens. 12. symptomatibus à coriandro recenti ortis occurrit urtice minor Romana. 20
odor *Corii* combusti fugat venenata animalcula. 15
Cornicis cor ad solvendam ligationem valet. 19
Cornus vel sanguinaria attactu demorsos à cane rabido rursus in hydrophobiam conjicit. 12
Corpora, quæ creduntur mista, unde? 46. corpus omne etiam minimæ quantitatis in infinitum extendi potest. 91. 132. corpora ejusdem naturæ faciliùs attrahuntur quàm diversæ. 99. corpora à patibulo cur tollenda? 494
Corruptio latentem potentiam manifestat. 486
Corvus cum vulpe amicè degit. 9. corvi fel cum oleo sesamino ad ligationem solvendam valet. 19
Coryli virga eodem modo concinnata, quo acus nautica, venas argenteas monstrat. 24. ejus viscum. 275. ex corylo surculus bifidus quid valeat? ibid. 581
Coscinomantia quid? 258
Coturnices veratro delectantur. 23
Crabronum, apum & vesparum ictus inflammationem partis causant. 11
Creatura omnis vivit suo modo. 484
Creta solum fert cupressum. 30
Creta qui saccharum purget? 704
per *Cribrum* ex pelle lupina transmissa semina quævis crassescunt. 23. ex pelle phocæ marinæ transmissa semina grandini & tempestatibus resistunt. ib.
Crocodilus hominibus infestus est. 6. timet ibidem. 7
Crocus agrestis dysenteriam inducit. 13
de Oswald *Crollio* judicium D. Roberti 358. Crollius verè superstitiosus. 550
Cruor in unguento quomodo trahatur ad the-

ad thesaurum suum? 488. præsente homicidâ cur effluat? 494
Crurifragiũ quomodo àquodã curatũ? 436
Crystallomantia quid? 257
Crystallus arserico adversatur. 8. generat lac mulieribus. 23
Cucumeres cum olea inimicitiam habent. 5. amant aquam. 8. cur recurventur supposito oleo? 667
Culices non ingrediuntur, ubi est semen cumini itẽ, ubi sunt folia cannabis. 17
Cupressus adeò austro delectatur, ut in septentrione non bene crescat; nam in Livonia mutatur in aliquid sabinæ simile. 31. semel excisa nunquam renascitur. 424. est arbor funebris. ibid.
Cuprum gaudet associari Mercurio, item, cum sublimato Mercurio, præservat oleum salis marini. ibid.
Curandi modus cujusdã rustici mirus 526
Curatio morborum in quo propriè consistat? 41. per transplantationem. 71
Curculiones abigit & necat succus allii. 17
Currus Stevini velifer. 546
morbis à succo *Cyclamini* ortis & aristolochiæ medetur piper album. 20
Cyclaminis succus strangulationem & suffocationem facit. 13
Cydonea omnibus ferè jungi gaudet. 8
Cyminum lactis proventum arcet. 277

D.

Dactylomantia quid? 257
Dæmoniaca magiæ opera miranda. 247. & seqq. dæmon hominem generare non potest. 249. dæmones defunctorũ animas excitare vel evocare non possunt. 252. earum vices subire possunt. 253. dæmonomantia quid? 255. dæmonis adulatores qui? 467. dæmones ab hominibus cogi non possunt. 617
quidam *Deliquio* animi tentabatur legendo tractatum de chymo & chylo. 25
Delphinus amat homines. 9
Dentium doloribus medetur talpæ vivæ dens. 18 pastinacæ marinæ radius. 19. ad dentium dolorem remedia. 509. 520. 588
Deus non omnium rerum immediata causa. 568
Diabolus an supernaturalia ad libitum patrare possit? 147. multa potest. 247. diabolicus effectus omnis est imperfectus. 485. diabolus cur non cooperetur cum unguento armario? 489. sub rebus naturalibus pactum suum occultare potest. 597
Diadochus qualis lapis? 202
Dictamnus fugat serpentes. 16. applicatus ventri capræ, facit lac ei abundare. 23
Digbæi Oratio de pulvere sympathetico. 72
Dilet Paracelsi quid sit? 168
Dipsadũ morsᵘ siti intolerabili excruciat. 11
Divinatio. 282. quid sit? 283
Dolor unde? 682
Dracunculus minor est serpentibus venenum, & ad vernationes serpentum se à terra exerit, & discedentibus iis ampliùs cernitur. 16
Dysenteriam sistunt argentinæ folia, plantis pedum apposita, spatio unius diei. 22. eam eradicat smaragdus, collo alligatus. 24. ab illa dissolvuntur hydrops, munia & morbi lienosi. 26. ad eam remedium. 515

E.

Ebrietatem arcent chamæpitys, brassica & folia Persici. 21
Ebuli folia servant sibi impressum characterem à carptionis sensu. 60
Echiũ, manibus portatũ, arcet serpẽtes. 16

Ecstasis. 694
quorum *Effecta* specie distinguuntur, eorum causæ æquè distant. 42
Effluvia rerum an possint esse causę actionum in distans? 65. non semper sunt corpora. ibid. eorum concatenatio refutatur. 66
Electrum minerale arcet maleficia sagarum & incantamenta. 24, 26. non trahit ocymum, utut reclamante Kirchero. 26. electrica corpora, qualia sunt electrum, gagates, mastix, vitrum, cera sigillaris, sulphur, resina durior, arsenicum, selenitis, sapphirus, &c. omnia promiscuè attrahũt. 28. electrica à magnetica attractiõe ut differat? 302
Elementum nullum purum invenitur. 88. elementa quatuor ut pro diverso pondere unum altero superiori vel inferiori loco collocetur, pulchro experimento declaratur. 99. meliùs. 135. de elementorũ sympathia ad loca propria. 653. de elementorum consensu & dissensu circa qualitates contrarias. 660
Elephantiam equorum bufo de collo suspensus curat. 102
Elephantiasin sanat pulvis ex visceribus milvi & ejus carne. 20. elephantiasi adversatur aurum. 24
Elephas furens ad conspectum arietis mansuescit, & ejus morsum sanat pinguedo illius. 7. porcelli grunnitum timet. ibid. amat homines. 9
si quis pertransiverit tumulum *Embryonis* mortui in utero, ante partum ferunt corpus ejus ita aduri, ac si se urticis fricuisset. 11
Ens primum siderale est subjectum magnetismi. 300
Entitates reales mens generat. 497
Ephialtes seu incubus undę fiat? 62. 693
Epicureorum de atomis sententia. 49. examinatur & rejicitur. 50
Epilepsiæ medetur cranium hominis, item ungula alcis. 18. cingulum ex pelle humana gestatum idem præstat. ibid. ad epilepsiam valet pici viridis pulvis. 19. epilepsiæ contrariatur officulum in vertice cyprini piscis. ib. eam tollunt pæonia, saponaria, valeriana agrestis. 20. ad illam valet squilla. 21. eam eradicat smaragdus, collo alligatus. 24. epilepticis conveniunt argentum & ex eo composita. ib. epilepsia non patitur tertianam febrem aut quartanam longam. 27. epileptici quomodo explorandi? 275
Epithymum accrescit in thymo & lino. 9
Equa, si lupi vestigia conculcaverit, torpescit & abortit. 7. os capitis equa fugat erucas ex hortis. 15
Equus timet lupum. 7. equi si leviter percutiantur fuste, ex sambuco confecto, provocat iis urinam remorantem. 23. pereunt ferulâ. ibid.
Eryngium, ore unius capræ detentum, totum gregem sistit. 17
Essentiæ rerum non putrescunt. 486
Esula, ut & ebulus vel sambuci extremitates, & asari folia sursum evulsa per vomitum, deorsum per secessum purgant, reliquum autem sambuci, quocunque modo vellicetur, uno modo tantùm purgat. 28
Etruriæ Ducis effigies à cæco sculptore. 585
Eunuchi scortatores esse possunt. 639
Euphorbium oris & gutturis inflammationem & excoriationem cum fluxu immoderato infert. 14. euphorbii antidotus semen citri. 21

Exci-

Excitatores magiæ. 496
Excrementa canis exusta quomodo canem afficiant? item, cujusq; animalis exusta quid operentur? 118
Exercitia pia Catholicorum quorsum? 492
Extasis duplex. 486. vis extatica sanguinis. ibid.

F.

Fabanomantia quid? 261
Fabarum putamina si juxta radices arborum serantur, eas steriles reddunt. 6. flores eos, qui ad maniam aut melancholiam propensi sunt, furere faciunt, mentem turbando. 13
Fœcunditatis seminum causa. 498
Fascinationi resistit talpæ pes, applicatus sincipiti. 18. à fascinatione & incantamentis liberant antirrhinum & pervinca, vel intus assumta vel amuleticè apposita. 21. fascinatio sagarum qualis? 264. aspectu fascinantes qui, & quales? 700. fascinatio qui fiat laudando? ibid.
ad *Febrem* quotidianam aranea amuleticè brachio apponitur. 19. calorem febrilem minuit sapphirus, arteriæ applicatus. 24. febris ab ictero, post diem sextum superveniente, pellitur. 27. febrem tollit ovum, in urina febricitantis ebullitum, & inter formicas reconditum. 29. febres curantur, sanguinem calentem ægri includendo putamini ovi & carne mistum canibus exhibendo, & sic transfertur ægritudo. ibid. ad febrem tertianam remedia sympathetica. 324. ad febres remedia per transplantationem. 529.
piscis quidam, qui ob id *Febricus* dicitur, præhensori febrem inducit, si manu gestaverit. 11
de *Fele* historia. 559
antidotus *Fellis* leopardi & canis marini est urtica rubra. 20
Ferino sanguine epoto ferini mores induuntur: ut sanguis lupi, canis, felis, leonis, tigris, &c. item, carnes eorum sæpe comestæ. 12.33
in *Fermenti* destructione omnis curatio consistit. 41. à fermento origo qualitatum diversarum omnium & figurarum. 47.60.63
scoria *Ferri* inducit dolorem ventris & capitis, cum oris & gutturis inflammatione & febre hectica. 14. ferrum molle redditur à succo cicutæ. 25. ferri & magnetis sympathia explicatur. 303.663. ferrum trahit ferrum. 664
Ficus mero & platano conjungi cupit. 8. nepetæ consortio delectatur. ibid. Pharaonis tertianas febres inducit, ac totius corporis fractionem & hydropem. 14. antidotus semen cucumeris & lac ejus. 21
Figura figuram producit, & quomodo? 63.64. figuram propriam sibi affectant omnes corporum species. 100. corpora quidem figuræ faciliùs miscentur. 101
Filix resistit frumenti corruptioni. 8. filicis & arundinis antipathia. 185
Filtratio quâ ratione procedat? 95.173
Flores quidam cur solem sequantur? 642.664
Rob. *Fluddi* de Fluctibus dissertatio de unguento armario. 507
de *Flumine* Indorum occidentalium, Amazon dicto, observatio. 511
Fœniculum amant serpentes, & visum ab eo roborant. 22

Fœtoris oris remedium sympathicum. 101
Fœtus vulneratur læsa prægnante. 541. fœtus lapideus. ibid. fœtuum signa unde? 700
in *Fontibus* crescunt nasturtium, becabunga. 28. fons ex sene juvenem faciens ubi? 252
Forma est una & eadem in omnibus. 47. formarum origo unde secundùm Peripateticos? 48. secundùm Epicureos. 49. secundùm Helmontium. 51. sententia Autoris. 52. secundùm Goclenium. 218. forma universalis datur. 53. forma cœlestis est materialis. 173. est immaterialis. 217. formæ corporum cœlestium an infra concavum lunæ reperiri possint? 173. formales vires quæ dicantur? 464. sunt incognitæ. 466. formæ rerum ab imbecillitate intellectus nostri non cognoscuntur. 465
Formicæ crescente lunæ lumine laborant, decrescente cessant. 31
Hier. *Fracastorii* de Sympathia & Antipathia liber. 650
Marcel. *Franckheimii* Epistola ad Arnold. à Bœcop, Soc. Jesu. 369
Fraxini folia, item, & sola umbra, fugat serpentes. 16. 184. canibus fraxini fructus venenum, neq; adoriuntur sues iis pastas. 17. fraxinum lignum quid valeat? 619
Joh. *Freitagius* de unguento armario. 609
Frigus spirituum transpirationi obstat. 124
Fructus brevioris vitæ (ut horarii) & animalia, quæ iis vescuntur, si sæpe iis utamur, vitam nostram abbreviant. 14
si *Frumentum* imponas saccis farinaceis, uredinem contrahunt fruges, ex eo productæ. 6
vulneris *Fuci* antidotus muscæ contritæ & appositæ. 15
de *Fulmine* mirandum. 536. fulmen an laurus abigat? 642. de fulmine problema. 672
Fumigatio pulmonis asini in domo necat vermes, serpentes, & venenata omnia. 15. fumigatio cum herba scorpione fugat scorpiones. ibid. ex stercore vaccino vel cervino fugat locustas. ibid.
Fungorum species multæ ventris & stomachi inflammationem, cum pectoris dolore, urinæ retentione, brevispirio, syncope, sudore frigido, apoplexiam & morbum inducunt. 14. morbis à comestione fungorum ortis contrariantur allium, calamentha, absinthium, sinapi. 21
Furcæ, in quam furciferi olim adigebantur, qualis figura? 388

G.

Gagates lapis serpentes fascinat. 18. lapis hydropicis confert. 23. ejus suffitus epilepticos explorat. 275
Galaxias lapis in mediis flammis non potest calefieri. 26
Gallinæ, appenso iis milvi capite, nunquam quiescunt. 7. galli & gallinæ araneas in deliciis habent, ut & simia. 9. galli gallinacei aureis nummis maximè delectantur, & deglutiendo in stomacho digerunt. 24. gallinâ ovis incubante, si in iisdem ædibus ovum igne assetur, intereunt pulli, exclusioni vicini. 26. gallinarum ova ex uno coitu prolifica. 43. cordis gallinæ nigræ vires. 224

Gastromantia quid? 256
Gaudium unde? 688
Gemma lunaris mirabilis. 542. de gemmarum viribus quid ſentiendum? 643
Generationis diſtinctio in univocam & analogam an admittenda? 42. generatio univoca quid? ibid. æquivoca quid? ibid. omnis generatio aut univoca eſt, aut nulla. 43. in omni generatione & corruptione nulla eſt productio novæ entitatis, aut deſtructio propriè ſic dicta. 54
ſuccus *Geniſtæ* pediculos necat, & phthiriaſi adverſatur. 17
Gibboſos curandi ratio vetularum. 131
Gladius cur deligari, & loco vulneris curari poſſit? 124
Globus vitreus Trebellii. 544
Glycyrrhiza & acacia amplectuntur ſolem, dum ſplendet, elevando & extendendo ſua folia: abſente autem eo, flaccida folia demittunt. 31
animalculum lacertæ inſtar, nomine *Gnarit*, in occidente æſtate frequens viſitur, cujus ictus ſyncopen, livorem partis, & præſentaneam mortem infert. 12
Rod. *Goclenius* ſuum unguentum armarium defendere audet inani demonſtrationum conatu. 232. idololatriam, magiam Göeticam ſeu præſtigiatricem profitetur. 227. ejus vis magnetica in unguento iſt Gauckelwerck. 233. cum ſuis ſigillis & unguento armario refutatur. 320. & ſeq. eſt ariolus. 325. characterum diabolicorum aſſertor & propugnator. 328. de eo judicium D. Roberti. 338. illius argumenta refutantur. 339. 343. ejus curationis magneticæ modus rejicitur. 349. illius lolium. 439. & ſeqq. ejus Theologia. 445. illius arcus triumphalis. 449. abſurdæ quædam propoſitiones è Goclenii fundamentis probabiles. 454. ejus errores ab Helmontio notantur. 464
Göetia unde dicta? 245. quid? 255
Graveolentia oris remedium ſympathicum. 101
Grues ſeſeli amant, & iis medentur. 22
ſtragulum ex pelle *Gulonis* (animal eſt in Suecia voraciſſimum) excitat inſomnia de venatione & epularum voracitate. 13.15
Gypſum difficultatem anhelitus, colorem lividum & ſtipticitatem alvi cauſat. 14. cineres ſarmentorum vitis aut fabarum in vino hyſſopi morbis à gypſo ortis ſuccurrit. 20

H.

Habitus infuſus etiamnum datur. 462
Hæmorrhagiam ſiſtit bufo alligatus. 19. piſcis anthropomorphus, Sien dictus, idem præſtat, ſi oſſa ejus exhibeantur trita. ibid. ſtercus muris tritum idem præſtat, præſertim in hæmoptyſi. ibid. item, ſcobs dentis hippopotami. ibid. aranea contuſa, ſi juxta nares teneatur. ibid. ad hæmorrhagiam ſiſtendam remedium. 515. 572. 576
Hæmorrhoides ſanat pellis leonis particula, appoſita ano. 19. hæmorrhois ſeu chondrilla herba, item folia ſambuci appoſita. 21. hieracites *lapis* Indicus. 24. carneolus lapis in armillis. ibid. tapſus barbatus applicatus, & poſtea ſepultus. 29
de *Harpaſi* caute mirandum. 536

Haruspicina quid? 261
Hassia Dynastarum genealogia unde? 447
Hedera arboribus omnibus & satis nocet. 6. mirabilis. 543
Heliotropium in Euphrate non solùm sequitur solis cursum, sed ex aqua paulatim ad solis adventum emergit, recedente sole, sic etiam paulatim undis immergitur. 29
Hellebori albi antidotus est nymphææ flos. 21. helleborus niger, femori interno alligatus, menses movet, partum accelerat, & fœtum mortuum attrahit. 22. quidam helleboro non purgantur. 25
Helmontii professio fidei. 506. argumentum pro magia. ibid. Helmontius invocat angelum seu genium suum. 462
Heracliti ignis invisibilis quid? 128
Herba aliqua, minutim concisa & terræ commissa, producit herbam ejusdem speciei utplurimum. 30. herbæ cordiales, puta buglossum, borago, melissæ, violæ, apud cavernas serpentum & bufonum induunt qualitatem deleteriam. 32. herbæ quæ & cur magneticæ? 471. herbæ quà herbæ habent suos magnetismos. 476. herbæ & arbores quædam mirabiles. 537
Hermetis sigilla seu imagines. 202
in *Hibernia* non generantur neque vivunt serpentes, ranæ, bufones, araneæ, ut & alia venenata. 27. 32. in lacu Hiberniæ, quem Lochneich vocant, lapidescit lignum, in eum projectum, minimo temporis spatio. 32
Hieracio gaudent anseres & accipitres. 22
Hieroglyphica quæ vocentur? 398
assatura *Hirci* armenta caprarum & boum fugat. 15. sanguis hircinus in lecto omnes pulices negat. 16. adamantem non mollit. 643
Hirundines hominum aspectu recreantur. 9. cor hirundinis devoratum memoriæ labefactatæ medetur. 18. lingua hirundinis exsiccata & sub lingua detenta exosculatis philtrum esse dicitur. 19. hirundines curant oculos chelidoniâ. 22. hirundo marina semper faciem ad eam partem cœli dirigit, dum vivit, ex qua ventus spirat. 28
Historia de gravi vulnere pulvere sympathetico sanato. 77
Homeri Ilias inclusa nuci. 544
Homicidâ præsente cur cruor effluat? 494
Homines, viso lupo, raurescunt, & vocem amittunt. 6. sanguis hominis irati & furiosi epotus confundit sensus, & intellectum cum furore maximo, & inverecundia, & manasmo paulatim consumti potantes moriuntur. 10. homo omnis, ubicunque natus, ejus loci habet annexam constitutionem. 293. homo quid? 487. an cæteris corporibus imperet? 490. agit per nutum, & cur? ibid. internus cum externo fundamentaliter unum, materialiter autem diversa. ibid. tam spiritu quàm corpore agit. 493. microcosmus. 497. ordo motus in homine. 510
Hoplochrismatis assertores à Kirchero graviter & accuratè refutantur. 569

semen *Hordei* in locis incultis mutatur in avenas. 32
Hostile maleficium quid? 260
Hyænam pardus timet. 7. hyænæ pellis contactu, pardi pellis pili decidunt. 16
Hydrargyrum antivenereum est, &c. pro amuleto colico portatur. 24
Hydromantia quid? 257
Hydrophobiæ amuletum est hyænæ corii particula gestata. 19. hydrophobiam curat catuli coagulum in aceto epotum, & continuò aquam appetunt. ibid. hydrophobia ubi introducatur? 64
Hydropicis aquam exhaurit pellis vituli marini applicata. 19. lapis colubrinus, si ventri alligetur. 24. hydrops, podagra, icterus, febres curantur, sanguinem calentem ægri includendo putamini ovi & carne mistum canibus exhibendo, & sic transfertur ægritudo. 29. ut curetur per transplantationem? 529
Hyoscyami radices inducunt stuporem, mentis alienationem, scotomiam, vertiginem, catalepsin, rubedinem oculorum, inflammationem linguæ, spumant etiam ore, & rugiunt sicut mulus, cum siti intolerabili & dysuria. 13. hyoscyamo contrariantur nasturtium, grana fisticorum, pini. 21
Hypericon vermes & tineas abigit. 17
Hyssopus & abrotanum in Germania & Britannia optimum odorem spirant, in Italia ferè nullum habent. 31

I.

Jacobus, Rex Britanniæ, gladium vaginâ vacuum aversatus est. 111
Jalappa plus subtrahit vini spiritus quàm vinum. 136
Iberis herba in Hispania solùm provenit. 30
Ibidis penna, injecta in cavernam serpentum, eos stupidos reddit. 7. ibis, pasta serpentibus, utitur origano pro antidoto. 22. in Ægypto solùm vivit, alibi transportatus moritur. 31
Icterus Gnarit curatur à stercore humano epoto, & aliis alexiteriis non cedit. 19. icterum curat radix tamarisci, urinæ patientis infusa, si postea comburatur. 29. icterus curatur, sanguinem calentem ægri includendo putamini ovi & carne mistum canibus exhibendo, & sic transfertur ægritudo. ibid. icterus, scorbutus, &c. quomodo transplantetur in canes? 70. in gallinas. 529. ejus alia cura. 572
Idololatria quid? 281
si *Ignis* ex ligneis ficulneis accendatur coram hernioso, crepitant ejus testiculi. 14. quomodo attrahat? 96. & seq. quid? 97. ejus attractionis variæ observationes. ibid. igne quomodo supellectilia peste infecta purgentur? ibid. ignis *inextinguibilis* unde fiat? 362. de eo judicium D. Roberti. 367. ignis Heclæ mirabilis. 536. ignis cur calefaciat oleum, nec tamen lædat chartam, quâ oleum continetur. 702
Imaginatio quid valeat? 60. imaginationis vires unde? 63. 109. ejus contagio fœminæ & pueri maximè *subjecti* sunt. 107. historiæ de imaginatione prægnantium. ibid. 110. 111. 112. 139. de imaginatione Milesiarum virginum. 138. imaginatrix facultas an secundùm Kircherum saltem humores actuet?

actuet? 139. imaginatio præstat facultati seminis. 140. imaginationi nimiùm tribuit Burggravius. 368. imaginationis humanæ mysterium fundamentum est magiæ naturalis. 504. quæ ad fortem imaginationem sequuntur, non tamen ex ea proficiscuntur. 616
Imagines variæ & earum vires. 195. & seqq. imaginationi asini divinatio tribuitur. 197. de imaginibus, sigillis & characteribus in genere. 243. de iis in specie. 244
Impressiones in semine quomodo sigillentur? 63
Inane, vide *Vacuum*.
Incantatio Turcarum contra servos fugientes. 378
Inclinatio unde? 479
Incubus unde fiat? 62
planta *Indica* sanguinalis panacea curat omnes morbos, carpis applicata per sudorem sanguinis. 21
Inflammatio quomodo arceatur, & quibus remediis? 576
in *Insomniis* cur discamus? 462
Intellectus defectus in homine exteriore. 491. ejus objectum. 497. procreatam entitatem imprimit in objectum externum, & ibi realiter perseverat. 504
Intentio opus bonum depravat. 493
Inverecundi qui? 699
Ira iram quomodo producat? 64. quid? 697. 698. quæ eam impediunt? 697. qui citò irascatur? 698
actionis per *Irradiationem* modus. 174
Ischiaticus dolor musicâ curatus. 140
S. *Isidorus* sigilla & characteres damnat. 331
Iva accrescit cæteris arboribus. 9
umbra *Juglandis* hominibus gravem capitis dolorem infert. 14
ungulæ *Jumentorum* lascivientium dysentericis venena. 11
Jupiter quas habeat virtutes, & ubi? 217
Juventutem senibus reparare Diabolus potest. 351

K.

Athan. *Kircheri* error notatur de virtutibus magneticis. 68. idem unguentum, magneticum dictum, tanquam è stygia profectum acutissimè refutat. 569
Krampffisch vel **Zitterfisch** quomodo torporem inducat? 648

L.

Lac, in prunas effusum, quâ ratione vaccam afficiat? 115. lactis proventum arcere quæ valeant? 277. 469
Lacerti amant homines. 9
Laconismus quid? 279
Lampas Johan. Ern. Burggravii æterna. 367
aliquis *Lapidibus* pascebatur. 25. lapis Philosophorum quid? 454
Lardum vulnera sanat. 597. idem agit quod unguentum armarium. 599
Lavendula herbis proximè satis inimica. 6
Laurus malo Damascenæ & Persicæ jungitur. 8. laurus vel ejus folia strata abigunt venenata ex ædibus. 16. laurum amant palumbes, monedulæ, merulæ, perdices, & morbos suos abigunt lauri foliis. 22. laurus & vitulus marinus an fulmina abigant, dubitatur. 642
Lazuli lapis in magna quantitate & non ablatus

ablatus subversionem stomachi, tristitiam, solicitudinem & melancholiam inducit. 14
Lebes cur frigeat aquâ in ipso fervente? 702
Lecanomantia quid? 256
Leo, omnium animalium terror, cantu galli terretur. 6. si conculcaverit ilicis vel scyllæ folia, torpescit. 17
fel *Leopardi* efficit vomitum materiæ viridis, aloës odorem habentis, & ictericus redditur assumens, & frequenter syncopizans moritur. 10
ad *Lepram* valet fraxinus, item, veronicæ decoctum & saponaria. 21
Lepus marinus, vel assumtus, & tactus, vomitus cholere, & sanguinis sputum, difficultatem urinæ, & ulcus pulmonumq; infert. 10. tempore conceptus si contigerit mulierem pertransisse sedem leporis, infans bifurcatus labio notabitur. 11. stercus leporis gestatum inhibet mulieris conceptum. ibid. pedes leporis ano ligati non permittunt canes latrare. 15. leporis stercus terret lupos. 16. antidotus veneni leporis marini est sanguis anserinus, caro vulpis, rubinæ cinis. 18. coagulum leporis medetur malis ex sanguine taurino epoto ortis. ibid. pannus tinctus in sanguine leporino assumtus & adhibitus, antidotus est erysipelatis & dysenteriæ. ibid. sanguine leporino succus, hyoscyami commixtus, & si cum pelle ejus sepeliantur, congregat omnes lepores istius tractus ad locum. 29
Lethargus à delirio expellitur. 27
Libido cur mente velut alienet? 498
quid? 689
Lienis scirrhus ut curetur per transplantationem? 529
Ligaminis maleficium quid? 262
ad *Ligationem* solvendam valet fel corvi cum oleo sesamino, item, suffimigium ex dente cadaveris, item, cor cornicis. 19
Ligaturæ physicæ. 188. unde? 276
Ligna oleo sulphuris præservantur in ævum. 24 lignum in aqua salis gemmæ lapidescit. 25. si lignum demergatur in aquam illâ parte, quâ cœlum aspexit, supernatat, situmque universi, quoad partes, reservat, quem, dum cresceret, servavit. 28. lignum in lacu Hiberniæ, quem lacum Neich appellant, lapidescit, ita, ut eo utantur ad novaculas acuendas. 31. 32. lignum fossile. 542. fraxinum quid præstet? 921
Lilia rosis applantata meliùs crescunt, & fragrantiora sunt. 8
Linteum ignem eludens. 539
Liquida quæ miscibilia? 672
Lithargyron dolores intestinorum & rejectionem fæcum per superiora cum passione iliaca infert. 14. decoctum apii morbis ex lithargyro ortis resistit. 20
Lolium exhibitum vertiginem inducit. 12
Luce repleta est omnis äëris sphæra. 83 in corpus incidente, radii atomos quasdam ex eo tollunt & auferunt. ibid. 129. lux est substantia materialis & corporea. 83. de luce aliorum sententiæ. 128. lux non est corpus. 129
Lucerna è stercore, vel ex sanguine, Theophrasti. 362. 365. de lucerna Sinensi

nensi historia. 366. antiquorum lucerna mirabilis. 544
ad *Luem* Veneream remedium per transplantationem. 530
pulvis *Lumbricorum* lumbricos interimit. 16
Lunæ incrementum & decrementum servant omnia bulbosa inter herbas & cucumeracea accrescendo & decrescendo, item, ostreacea, & pupilla oculi cati. 28. ab inopinato lunæ conspectu si mulier terretur tempore conceptus, fœtus maculâ luniformi signabitur, quæ incrementum & decrementum ejus sequetur. 29. lunares radii frigidi & humidi. 91. de iis experimentum mirabile. ibid. 131 lunam semper eandem faciem terræ obvertere snesit Chartesius. 131. luna an se habeat instar speculi convexi, sphæricique tersi ac politi? ibid. lunæ radii ulceribus livorem inducunt. ibid. lunæ virtutes & influxus. 217
Lunaticis medetur chelidonius lapis, amuleticè appensus. 24. lunaris gemma. 542
Lupi timent lepores. 7. lupus cum vulpe amicè degit. 9. si pellis lupina ponatur inter ovinas, lanæ earum sponte cadunt. 15. si suspendatur caput, pellis, aut cauda lupi, super præsepe, non comedent boves nec oves, sed timent & moventur de loco ad locum: Hoc negant multi. ibid. lupi terrentur ab eo, qui stercus leporis habet. 16. lupus ab allio sylvestri terretur; nam si suspendas allium collo unius, reddit totum gregem à lupo immunem. 17. lupus si conculcaverit ilicis vel scyllæ folia, torpescit. ibid. si tetigerit lycoctonum herbam, convulsionibus tentatur. ibid. inter lupum & ovem antipathia unde secundùm Scaligerum? 610
Lupini sycomoris infesti sunt, neque simul crescunt. 6. vitem meliorem reddunt, si juxtà seruntur. 8
Luscinia pavonem amat. 9
contactu *Lychnis* coronariæ scorpiones torpescunt. 17
Lysimachia melancholiam inducit, exceptâ eâ, quæ luteo est flore. 13

M.

Maculæ è vino rubro vel moris quo tempore faciliùs expurgentur? 103. 137. de maculis maternis observationes. 104. 108. 549
Cæsar. *Magati* vulnera curandi modus. 592. 605
Magia superstitiosa consistit vel in pacto cum Dæmone, vel in observantia vana. 168. naturalis quid? 181. 192. 246. vetita quæ? 192. 245. & seqq. non omne magicum est impostorium. 223. 244. magi unde dicti? 244. quales fuerint? 245. magia Goëtica unde sic dicta? ibid. quid possit? 255. magiæ vocabulum cur in abusum & vitium tractum sit? 246. magorum dæmoniacorum opera varia. ibid. & seqq. ubi sita sit potestas magica in homine? 490. diversimodè latet in homine. ibid. magiæ basis. 495. magia bona in sacris ibid. magia vera quæ dicatur? ibid. magicæ potestatis quatuor gradus. 501. vox magia analogon multorum ad unum tertium. 502. omnis magica vis excitatione gaudet. ibid. magia apud Chaldæos nata. 535. qui eam excoluerint. ibid. frustrà legibus vetita, ibid.

Magna-

Magnale magnum Helmontii quid? 59

Magnetis vis ligatur præsente adamante: & tamen hoc negat doctissimus Kircherus. 7. magnes amat ferrum, & limaturâ ejus pascitur. 9. qui magnetem in potu sumserit, lunaticus & melancholicus redditur. 14. magnes herniam curat, catarrhum sistit, uterum firmat, quartanam hydropem & cephalalgiam profligat. 23. servatus foliis laccæ sive kermes, & isatis sylvaticæ roboratur. 24. inter communia metalla magnes solùm attrahit & attrahitur à ferro. 25. magnetis vim retundunt ignis, aëris humiditas, sevum, oleum, rubigo, scabrities, pruinæ, pluviæ, radii Solis; item, si detineatur in aqua, quâ utuntur lapidibus serrâ secandis, totam vim amittit. 27. 30. magnes se ad polum telluris dirigit australē vel borealē. 28. magnetismi vires. 132. 137. magnetismus in omnibus rebus. 133. magnes magnetem trahit. 162. 664. cur trahat ferrum? 182. 609. 663. magneticum filum aliquando rumpitur. 270. magnetica vis non est corporea. 303. magneticæ Philosophiæ peritus quis? 304. magneticæ curationis modus Goclenii per unguentum refutatur. 349. in magnete duplex effectus. 416. quâ vi ad polum vertatur? ibid. 665. magnetismus cum sympathia non confundendus. 464. à fascino & sympathia quomodo differat? ibid. 502. putatur Diabolus, ex ignorantia causæ. 466. magnetis aliquot effectus. 468. 536. quis de eo optimè scripserit? 468. 641. magnetica cura morborum incurabilium perfecta. 469. magnes suus cuiq; homini est. 474. magnetismus est qualitas cœlestis 475. supernaturalis probat naturalem. 476 magnes se dirigit, non autem trahitur. 481. magnetismi causa in unguento armario. 487. magnetismus fit per sensationem. 499. ejus subjectum capax quod? 502. magnes an includat spiritum ferri? 609. magnetica non trahunt qualitatem, sed ipsam substantiam. 611. magnetis natura crux Philosophorum & abyssus impenetrabilis. 641. magnes argentum trahit. 664. illius genus datur, quod ferrum abigit. 667. de magnete cur ad polum inclinet, dubium. 701

Mala Medica abhorrent panem; nam si cumulo inspergas panem, continuò putrescunt. 5

Malabathrum in India solùm provenit. 39

Malacca arbores quales? 537

Malaciæ exemplum. 548

à *Maleficis* an liceat remedium petere? 263. maleficium excretionis quid? 262. ligaminis quid? ibid.

Malva aculeatis omnibus inimica est, neq; ferit quemlibet eam portantem. 17

Mammas siccat lac combustum. 469

Mandragora vitibus nocet; nam vim iis narcoticam indit. 6. ejus poma & radices stuporem, mentis alienationem, amentiam, ruborem ferinum oculorum & lethargum facit. 13. mandragoræ succus ebur emollit. 17

Manus ut lavari possint ex radiis lunaribus reflexis in pollubro argenteo? 91

aliqui viso *Mari* purgantur vomitu, non solùm navigantes. 25. in mari salso quædam animalia insipida sunt

ut pisces. 27. pellis vitulo marino detractæ pili eriguntur, & rigent accedente maris æstu, recedente autem dimittuntur, & flaccescunt. 29. in mari quæ fluxus & refluxus causa? 479
Mars in quibus rebus efficax? 217
Massiliensis puellæ historia. 551
Matricem pendulam retrahit personaria vel lappa, si summo vertici applicetur: si plantis pedum applicetur, detrahit. 22. brassicæ folia idem præstant, eodem modo adhibita. ibid.
Joh. *Matthæi*, M.D. enodatio quæstionis, an unguentum armorum ad curationem vulnerum aliquid conferat? 573
Medicamenti aspectu aliqui purgantur. 25. medicamentum universale an detur? opinio Oswaldo Girembs refutatur. 41. alia est opino Papinii. 153. in medicamento composito simpliciũ virtutes non confunduntur. 44. declaratur id pulcherrimâ similitudine. ibid. facultas medicamentum triplex à Medicis statuitur. 171. medicamenta simplicia virtutes suas non retinent. 580
Mel cum pane mistum in formicas mutatur. 30
Melancholiæ antidotus est chelidonius lapis. 24. melancholici qui? 691
pro *Memoria* corroboranda medicamenda. 214 & seq. memoriæ omnium maximæ exemplum. 545
ad *Mensium* profluvium nimium remedia. 516
Menstrua movet caltha per sympathiam; nam sanguis mulieris bene valentis redolet caltham. 21
Mensuram nullius rei potest agere, qui sui nescit. 531
Mentha apposita matricis orificio aut propè conceptum impedit; hoc negant practici. 12. mentha, si exhibeatur vulnerato, non facilè curatur. ibid.
Mercurialis, juxta vinum plantata, vim ei purgativam communicat, sicut cicuta, hyoscyamus & solanum ei vim narcoticam indunt. 33
Mercurius tyrannide quadam omnia metalla, demto auro, destruit, omnia cætera metalla Mercurio supernatant. 7. Mercurius & antimoniũ se mutuò aversantur. 8. Mercurius habet ad aurum magnetismum; nam ab auro attrahitur. 10. de Mercurio experimentum attractionis. 102. 138. Mercurius aurum maximè dissolvit. 105. ejus atomi ad aurum advolant. ibid. Mercurius frigidus & siccus. 133. Mercurii cum auro sympathia maxima. 138. illius vires seu virtutes. 216. 217. Mercurius vivus à magnete impraegnatus quid agat? 298. Mercurius contra magnetem quid agat? 483
si multa *Metalla* simul cum auro injiciantur in vas hydrargyro plenum, aurum fundum petit, cæteris supernatantibus. 10
Mezereon juxta vinum plantatum vim ei purgativam communicat. 33
Milvi fimus, si eo suffumigetur domus, fugat serpentes, araneas, & venenata animalcula. 15
Mimosa hortensis manu admotâ senescit, remotâ reviviscit. 537
Mineralia quomodo nascantur? 43. virtutes suas in distans exserere possunt eo modo, quo astra, à quibus impressas habent facultates. 170
in *Miraculis* Deus sequitur naturam. 476.

miraculorum duplex genus. 534. miracula naturæ. 537. miraculum omnium maximum. 547
in *Mixto* ſimplicia medicamenta quas facultates retineant? 44. non retineant? 580. in mixto tria conſideranda. 45. mixta omnia cœleſte quoddam principium ingreditur. 157. de hac re Ariſtotelis ſententia. 156. de mixtorum ſympathiis & antipathiis & attractione ſimilium. 663
de virgine *Moniali*, aërem attrahente & per urinam copioſè in forma liquoris reddente, hiſtoria mirabilis. 98
Mons altiſſimus quis? 84. montis Cenifii deſcriptio. ibid. & ſeq.
Monſtrum partus. 541
Morbillorum amuleta ſunt radices acetoſæ & plantaginis appenſi. 21
Morborum curatio in quo conſiſtat? 41. 70. 573. morbi contagioſi quomodo alios inficiant? 64. morborum transplantatio uti fiat? 70. 529. exempla quædam. 529. morbi quomodo intendi poſſunt per transplantationem? 71. morbus numero morbus ſubjecta mutat. 470. morbus non eſt in prædicamento qualitatis. ibid. aſtralis unde? 479. morbus eſt qualitas. 611
Moſaicæ Philoſophiæ autor ineptus. 568
Moſchus eſt antidotus cerebri cati aſſumti. 18
Motus motum producit. 63. 64. motus ſubterranei hoſtiles obſidentium ut cognoſci poſſint? 138. motus cordis & inteſtinorum unde? 683
Moyſes & Salomō magiæ periti. 246. 255
Mulierum ab igne non læſarum exempla. 539
Mullus ſuffocatus in vino, & ſic deinde potatus, ſterilitatem inducit. 12. piſcis mullus antidotus eſt veneni Draconis marini, i. e. murænæ, ſcorpii & aranei, item, ipſius caro & pinguedo ſuperpoſita. 19
Mumia Arabum. 153. numia unde fiat? 225. quid ſit? 465. fratris mortui mumia, olim impreſſa ſedi, adhuc magnetica. 471
Mundi anima an detur? 155. 159. 430. 522. 622
Mures, glires & ſues phaſeolum timent, & citiùs perirent, quàm eum comederent. 6. mures cæci, pertranseundo vel attingendo membrū āliquod hominis, illud ſtupidum reddunt. 7. mures odio perſequuntur ſcorpiones, & eos interimunt. ibid. mures fugiunt halitum murium putrefactorum. 15
in *Murorum* rimis aut tegulis creſcunt parietaria, blitum, ſedum, omnigenum leucoion. 28
Muſca Regiomontani. 546
Muſcus ſuspenſi hominis præſtantior alio, & cur? 557
Muſicum inſtrumentum mirabile. 547. muſicus concentus cur ſuavis? 679
Muſtela timet bufonem; nam, ſi diu teneatur in ejus conſpectu, moritur: & attractrici vi ad ſe eam allicit bufo, ut devoret, nec muſtela aggreditur caponem, aut anates, bufonibus paſtos. 6. muſtela rutam timet, & eā ſe munit à regulo. 22. muſtela, à ſerpentibus læſa, ſalutem quærit à verbaſco, & ejus folia appoſita ictus ſerpentū ſanant. 23
Mutili & membro aliquo truncati cur tales non generent? 44
nux *Myriſtica* ſub torrida zona creſcit, & in Europa in juglandem degenerat. 31

Myrmecidæ navis & quadriga. 544
Myrtus amat littora. 30

N.

Nævi materni quomodo imprimantur? 104. 108. 137
Napelli ſuccus facit vertiginem, ſyncopen, apoſtemationem linguæ & labiorum, oculorum egreſſum, tenaſmum; & ſi, evaſerint, febri hecticâ corripiuntur. 13
Naphtha è longinquo attrahit ignem. 29. ad illam quomodo ignis proſiliat? 142
Joh. *Nardius* Florentin. de prodigioſis vulnerum curationibus. 605
Narium fluxum ſiſtit fimus porcinus. 19
Naſus impoſititius, ex carne muſculoſa brachii, cadit mortuo eo, ex quo deſũtus erat, licèt rami arboris inſititii nõ marceſcant corruptâ arbore, cujus erant rami. 29. naſus inſititius cur mortuo eo, vel ægroto, de cujus carne ſumtus erat, afficiatur, & quomodo? 70. 114. 141. nullam habet ſympathiam cum corpore, à quo avulſus. 645
Natura quatuor habet gradus. 55. naturales res quibus modus invicem affinitatem vel copulam nanciſcantur? 182. naturæ interpretes qui? 466. naturæ quædam miracula recenſentur. 536. natura in vulneribus ſanandis quid præſtat? 555. 576. 592. 600. res naturales non opus habent ceremoniis. 571. 596. 600. natura eodem modo ſemper agit. 620
Necromantia quid? 255. unde? 487. 494
decoctum *Nigellæ*, ſparſum in domo, pulices necat & abigit. 16
terra ex *Nilo* deſumta exſiccata, & diligenter aſſervata, toto anni tempore nihil in pondere mutatur ad diem 17. Julii, tunc ſeipsâ fit gravior, quo tempore inundatio fit Nili. 28. de Nili terra mirandum. 536
Nobilitas unde orta? 503
Noctambulonum actiones unde? 62
Noctua & phœnicurus ſe mutuò oderunt. 7
Nomina nihil ſignificantia cur à ſuperſtitioſis vel magis adhibeantur? 617
in *Nutricibus* lac generat fœniculum. 22
Nux umbrâ ſolùm proximis arboribus & vegetabilibus exoſa. 6. ſoli arbuto jungi poteſt; nam cæteris nocet. 8. nuces Indicæ lumbricos in homine generant. 13. nux vomica cornices, vultures, canes & feles necat. 17
Nymphæa ranunculi commercio delectatur. 8. in loco arido plantata inclinat ad vas aquæ plenum juxtà poſitum. 28

O.

Occultæ qualitátes à fermento. 56. occultarum proprietatum cauſa. 483. occultæ qualitates quædam cur dicantur magneticæ? 589
Oculomantia quid? 163
Ocymum inficit cuſcutam, in eo naſcentem. 6. fragrantiſſimi odoris eſt in Italia, in Germania obtuſi tantùm. 31
Odium quid? 690
ad *Odontalgiam* remedium. 325. 520. 588
Odor per multa milliária penetrat, & quomodo? 94. fœtidus unde? 681
Olea amica viti, & lignum aloës; nam intendunt ejus vim. 8
Oleandri ſuccus inteſtinorum & ſtomachi inflammationem, cordis tremo-

rem & syoncopen inducit. 13. morbis ab oleandri succo ortis succurunt agnus castus, grana juniperi. 20
Oleum cur aquæ non misceatur? 672
Omphalomantia quid? 264
Onus à duobus faciliùs portetur. 674
Onymantia seu onychomantia quid? 263
Oomantia quid? 264
Ophthalmiâ laborantes quomodo alios inficiant? 647
Opium assumtum commata, catalepses & stuporem inducit, & insensibilitatem cum somno profundo adfert. 13. opii antidotus est spiritus vini. 20. de opio notanda. 562
Oraculum quid? 255
Origanum inimicum venenatis & serpentibus. 16. formicarum cellulis impositum eas interficit. 17. illo delectatur ciconia. 22
Oris graveolentiæ remedium. 101
Ornithomantia quid? 264
Orobanche legumina omnia, si inter ea crescat, strangulat. 6
Orbi vel Ervi continuus usus sanguinem per meatus urinarias & anum expellit. 13
Oscitante uno cur oscitet alter? 647. oscitato unde? 699
Ossifragus lapis curat & conglutinat ossa fracta exhibitus, item confert lithiasi & podagræ amuleticè gestatus. 23
Osvvaldi pateræ ex ebore in piperis grano inclusæ. 546
Otis timet equum. 7
Ova gallinarum ex uno coitu cum gallo prolifica. 43. per ovum amoris antiquorum quid intelligatur? 129

P.

Pactum cum Diabolo implicitum quid sit? 575. pactum suum Diabolus sub rebus etiam naturalibus quomodo occultare possit? 597
Pagomantia quid? 256
Palma non germinat, nec fructificat: Fœmella, nisi vicina ad contactum mari, & exciso mari sterilescit. 8. palma Christi talpam fugat. 16
Palomantia quid? 264
in *Paludibus* fracidis fiunt conchylia, limaces, bufones, ranæ, lacertæ, hirundines, vermium multæ, species, &c. 30
si quis, *Panes* dum in clibano sunt, calidas placentas ex eadem massa scindat cultro, cuncti panes in clibano integrâ crustâ à mica divelluntur. 26. item, si tempora, dum panes in furno sunt, aliquis tectum ejus conscendat, aut aliquo modo concutiat, idem continget. ibid. ex uno pane vi diversorum stomachorum fit caro porcina, equa, bovina, humana, &c. item pisces diversi. 32. panis calidus attrahit mucorem vini, dolii operculo impositus. 98
Pannus è sponte mortuorum animalium lanis mox foraminibus scatet, velut carie resolutus, quibus locis fila mortua insunt, quod non cernitur, si totus pannus ex mortuorum lanis fiat. 15
Panthera maculam habet in pelle, lunæ typos perfectè imitantem, filamenta hepatis glirium, ad normam luminis lunæ crescunt, & decrescunt. 31

Papaver Rheas & triticum mutuo consortio delectantur. 9. usus papaveris Rheados infatuat, & stupidos reddit homines. 12. papaver nigrum multa symptomata facit. 13. papaveris nigri antidotus est allium. 20. papavera apud nos ignaviter aut parùm purgat. 32

Theophr. *Paracelsi* encomia falsa. 359. ejus vita qualis? 360. 599. 615. de ipso D. Roberti judicium. 360. ejus doctrina. 361. 613. aliud de eo judicium. 478. illius epitaphium. ibid. 15 monarcha arcanorum. 479. ejus magia cum Ægyptiorum doctrina convenit. 615. fuit blasphemus. 618

Parochi cujusdam breviarium in aleam versum. 248

Partes corporis humani singulæ singulis medicamenta præbent. 155

Partium acclerant exuviæ serpentum mulierum circumdatæ, aut plantis appositæ. 10. pennæ vulturis subditæ pedibus parturientium idem præstant. ibid. ad partum accelerandum valet dictamnus. 21. polypodium contusum & plantis pedum parturientium applicatum. 22. partus octimestris cur non vitalis? 675

radius *Pastinacæ* marinæ infixus loco, ubi minxerat aliquis, urinam ei sistit, nisi avellatur. 12. arborum radicibus infixus, iis est venenum. 17

Pavonis vox terribilis serpentibus. 7. pavo terror bufonum. ibid. si caudæ pavonis pennas deferenti ex casu aut ictu contingat hæmorrhagia, non potest sisti sanguis, nisi iis ablatis. 11

Peccatum dona gratiæ abstulit, dona naturæ obscuravit. 492

Pegasi alati qui? 93

Pelles lupi & ovis phantasiam inimicam vitæ prioris impressione retinuerunt. 503

Peripata, vide *Amuleta*.

Persicæ folia, præter solitum tempus decidentia, portendunt pestem in jumentorum & pecudum genere. 23. arbor Persica fructus producit Europæis suaves, Persis & Ægyptiis venena. 31

Persicaria, consolida, sophia, serpentaria, brassatella istud habent peculiare, ut, si de mergantur in aquam, & super vulnus aut ulcus tepescant, & defodiantur, ubi putrescant, tum vulnus sanetur, si verò non putrescant, sed arescant, non sanetur. 29

Pestis amuleta sunt arsenicum & auripigmentum sublimatum, licèt non conveniant cum homine. 24. peste infecto supellectilia quomodo igne purgentur? 97. eâ non infici pisces, Aristoteles falsò dixit. 134. pestis à variis exhalationibus venenatis excitari potest. ibid. ejus rei exempla. ibid. pestis plumis columbarum & pilis felium potest propagari. 135. peste afficiuntur multi sine contactu. 221. pestis in obsidionibus cur frequens? 494. opera misericordiæ, saltem respectu pestis evitandæ, exercenda. ib. pestes vindictæ & execrationum sunt execrabiles. ibid. pestem excrementa non causant. ibid.

Pettomantia quid? 264

Phantasiæ ecstaticæ exemplum. 60. phantasia quid valeat? 60. 109. & seq. 497. ei transmutationes rerum non rectè adscribuntur. 63. verus modus

earum actionum, quæ phantasiæ aliàs tribuuntur, describitur. ibid. alius modus proponitur. 109. historiæ de viribus phantasiæ prægnantium. 110. & seq. phantasia trahentium mutatur. 499. phantasiam suam habent inanimata. ibid. phantasia in electivis est varia adhibitum, in aliis verò est determinatæ semper identitatis. 501. phantasia habet quatuor gradus. ibid. phantasiam suam habent humores & sordes. 502. phantasiæ consensus & dissensus. 685

Pharmacia magica quid? 258

Philosophia rationibus tantùm immediatè redarguitur. 465. ejus novatores qui? 625

Philosophorum lapis quid? 454

Philtra ut fiant? 56. 253. mumialia ut fiant magnetica? 470

Phocæ marinæ pellem qui gestaverit, immunis redditur à fulmine, ut & ipsum animal, dum vivit. 26

Phrenetidi succurrit corallium nigrum, quod antipathes dicitur. 21

ad *Phtiriasin* remedium sympathicum. 145

Physa seu orbis piscis Ægyptiacus semper faciem ad eam partem cœli dirigit, dum vivit, ex qua ventus spirat; item exsiccatus, & suspensus in domo, eundem qualitatem retinet. 28. decrescit & crescit, cum lumine lunari. 31

Physica in universa scientiarum cyclopædia jure sibi primas vendicat. 2. physicæ ligaturæ unde? 276

Picearum umbrâ gaudent tapsia, herba cuculi, cotyledon. 9

virga ex *Piceastro* plumbum monstrat. 24

Picus cum vulpe amicè degit. 9

Picus mons altissimus. 84

Piper Indicum causat tussim, sternutationem & vomitum. 13. piper extra patrium solum, nempe in Italia, plantatum producit hederam. 26. 32. 477. in Arabia solùm provenit. 30

Pisa frixa, injecta excrementis, tot pustulas in podice excitabunt, quot pisa. 27. pisa, sata in novilunio, totâ æstate florent, usque ad finem autumni, licèt non germinet. 29

Pisces cocti & rancidi faciunt ventris & stomachi inflammationem cum pectoris dolore, urinæ retentione, brevispirio, syncope, sudore frigido, & tandem mortem. 10. omnes pisces asam fœtidam fugiunt. 17

Planetarum sculpturæ. 209. influxus quomodo metallis imprimendi? 214. planetæ variè positi varias & miras efficiunt mixturas. 289

aquaticæ *Plantæ*, ad arida loca transplantatæ, phthisi pereunt. 26. aridæ in locis aquaticis hydrope pereunt. ibid. quædam plantæ succos omnes sive amaros, salsos, acres, dulces, acidos in suam naturam convertunt, ut colocynthis reddit omnes ad radicem sparsos amaros. 27. plantæ certis planetis dicatæ. 278. an sentiant? 676

Platanus gaudet ficui inseri, & accrescere. 8

Platonis de anima mundi locus illustris. 159

Pleuritidi medentur virga tauri, fimus equinus, dens apri. 18. taraxacum, papaver

ver Rheas, item ſuccus bellidis. 21. ad pleuritidem remedium. 572
Plumæ cæterarũ avium cariem ſubeunt, à pennis aquilarum ſi iis miſceantur. 15. ferarum ſi pulvillis indentur, excitant peregrina inſomnia. ibid.
Plumbum adamantem frangit, quod ferrum & ignis non poſſunt. 7. ejus aqua liquefactionis ferrum molle reddit. 8. plumbum uſtum mutat colorem linguæ & labiorum in plumbeum, & ſuffocationem ſpirituum cum morte inducit. 14
Podagra curatur, ſanguinem calentem ægri includendo putamini ovi, & carne miſtum canibus exhibẽdo, & ſic transfertur ægritudo. 29. ad podagrã remedium per transplantationem. 529. 530
Pollutiones nocturnæ quibus cauſis fiant? 62
Polypodium accreſcit quercui, vel apud radices ejus. 9
Polypus piſcis fugit pulicariam herbam & ejus ſuccum. 17. ſolùm vivit in aqua marina, in aliis moritur. 31
unum *Pomum*, putredine marcidũ, quotquot attingit, marcida reddit. 9. pomũ in duas partes æquales diſſectum, ſi iis verrucæ fricentur, usq; dum tepeſcant conjunctis pomi partibus, filo ſi reponatur, ubi putreſcere poteſt, diſparent verrucæ, ſi verò nõ putreſcat, manent: Hoc etiã verificatur in particula carnis, eodẽ modo ãdhibita & ſepulta. 26
caro *Porcina* in Palæſtina & Ægypto lepram generat, ſi comedatur. 12. porcinus fimus narium fluxum ſiſtit. 19
Porci ſe ſolent fricare, quando nimiùm obeſi aut ſcabioſi, ſi mappa affricetur iſtis lapidibus, & deinde applicetur faucibus, inflammationibus earum medetur. 29
de Joh. Bapt. à *Porta* D. Roberti judicium. 358
Portulaca vermes necat. 16
Poſſibile interminatum eſt. 552
inter *Potentias* rerum reales & formales diſtinguit Goclenius. 175
Potiones vulnerariæ quid præſtent? 176
Prægnantis exemplum in imprimendis fœtui rebus variis. 497. prægnantes ut fœtus ſuos non ſignent. 506
Præſtigiæ quid? 280. earum exempla. ibid.
Pſeudo-Alchymiſtæ qui & quales? 452
Pſeudomagnetica medicamenta quæ? 572
Puer, ſeu infans recenter natus, ſæpe iisdem torminibus afficitur, quibus mater, ante lapſum umbilici. 9
ſanguis *Puerperialis* aſſumtus lunaticum, leproſum, maleficum & oblivioſum reddit, & ſi conceperit mulier fluentibus menſibus, iisdem, ut plurimùm, tentatur infans. 10
Pulegium aſparagum amat. 9. quid præſtet? 274
Pulices necat & abigit decoctum nigellæ, ſparſum in domo. 16. eorum generationem impedit muria carnium ſalitarum. 27
Pullus gallinaceus timet accipitrem, nonpriùs viſum. 6
Pulvis ſympatheticus Digbæi graviſſima ſanat vulnera. 77. 80. 167. eũ monach⁹ in oriente didicit. 80. ad cauſas illius operationis mirandæ principia aliquot præſupponuntur. 82. & ſeq. 142. ejus deſcriptio. 121. 142. 148. curatio per illum non fit per actionem agentis diſtantis in patiens. 124. de pulvere ſympathetico Digbæi clariſſi-

clarissimorum virorum sententiæ. 127. quonam pacto conferat vulnerum curationi sententia Papinii, 151. quo modo operetur? 152. 527. cur linteis applicetur & non parti affectæ? 174. quid agat in parte læsa? 175. de eo observationes. 526. illius operationis modus. 527. rejicitur. 601

Punica malus omnibus aliis arboribus sociari cupit. 8

Purgatorium adstruens historia. 448

Pus moventia medicamenta. 578

in *Puteorum* cõcavis sine semine crescunt adianthum, capillares herbæ, scolopendrium, cymbalaris, hepatica. 28

à *Putredine* præservant carnem & multa alia dulcia, fimus, sal, piper, aqua vitæ, olea distillata. 30

Putrefactio spagyrica ad quid? 486

Pyrrhi Regis digitus admirabilis. 539

Pyrus amygdalo, terebintho & moro inseri cupit. 8

Pyxides mirabiles. 546

Q.

Qualitates secundæ dictæ à primis non producuntur. 46. tertii ordinis seu occultæ non sunt à formis elementorum in mistione. 47. earum origo à fermento. ibid. qualitates certis determinatæ substantiis è subjecto in diversæ naturæ subjectum in grave aptæ natæ non sunt. 159. qualitatum occultarũ causa. 483. qualitatem spiritualem quid vocet Goclenius? ibid. qualitas spiritualis aliter à Theologo, aliter à Medico intelligitur. 484. à qualitatibus manifestis ad occultas fugere, turpe non est. 641. qualitatum gradus quot? 661

Quartanam curant serpentum viventiũ dentes gestati. 18. ad quartanas valet vermis in dipsaci capite inventus. 19.

Quercus oleæ adversatur, ita, ut, si juxtà sint, inarescant. 5. juglandi proximè crescens arescit. ibid. castaneæ, terebinthi & cerasi admittit insitionem. 8. excisa, flante Boreâ, verminosa redditur. 26. in quercu fit polypodium, & cortex quercus pulverisatus, & aquâ subactus arboris alterius trunco impositus producit ingentem polypodii copiam. 30

R.

Ranarum oculi ad quid valeant? 324. ranæ è guttis aquæ pluviatilis. 542

Ranunculus flammeus corrumpit jecur jovium, & ex comestione ejus animalcula instar soleæ in eo crescunt. 17. esu vel attactu ranunculi recreantur ranæ, bufones, serpentes & lacertæ. 22

Raphanus hermodactylos meliores facit. 8. succo raphani si imbuantur manus, impunè tractabunt serpentes. 16

Rapistri succus pediculos necat, & phthiriasi adversatur. 17

Raucedo, viso lupo, an & quomodo contrahatur? 646. ejus causa frigida & ridicula affertur à Dav. Frölich. 647

Realgar sitim, æstuationem & contractionem membrorum facit. 14. gliribus & muribus inimicum odoretenus. 18. oleum nucleorum pini symptomatibus à realgari ortis medetur. 20

Regiomontani aquila. 546. ejusdem musca. ibid.

Regulus fugit rutam. 16

Remora

Remora quid valeat? 537. 566. 651. Indica. 538. 566
Resina magnetica. 483
Rhabarbarum apud nos ignaviter aut parùm purgat. 32
Rhagaëlis sigilla. 197
Rhinocerotis sanguis exhibitus resistit febribus malignis & morsibus tigridis. 19
Rhododaphne omnia animalia necat, excepto homine. 16. ejus antidotus est siccus juniperi, risus apii & melissa. 21
Risus quid? 694. res risum moventes quæ? 695. risus ex titillatione. 696. ad risum promti qui? ibid.
Joh. *Roberti* Anatome Tractatus Goclenii de magnetica vulnerum curatione. 226. is immeritò carpit Goclenium. 484
Rosa abhorret cæpe. 6. rosa & allium simul crescere delectantur. 9. rosanum aqua destillata nullum odorem emittit eo tempore, quo rosæ florent. ibid. rosa ubi lateat hyeme? 190. uno die nata adulta, perfecta. 547
Frat. *Roseæ* crucis origo. 335. de iis censura D. Roberti. 390. 403. unde sic dicantur? 392. de eorum auctore. 393. quot & quales sint? 394
Rubecula phœnicuri sodalitio gaudet; nam ejus ope tuta est à noctua. 9
Rustici cujusdam curandi modus mirus. 526
Ruta cum basilico non crescit. 6. cicutam odit. ibid. Nymphææ bene accrescit. 8. ruta & ficus se mutuò amant. 9. rutæ odor epilepticis nocet, morbum inducendo. 12. rutam amat mustela, & eâ se munit à regulo. 22. ruta & brassica cur inimica? 675

S.

Sabina omnia animalia necat, excepto homine. 16
Sacchari fervor ut mirâ facultate resideat? 701. saccharum ut purgetur. 702
Sagarum maleficia & incantamenta arcet electrum minerale. 24. sagæ quomodo evolent? 261. earum maleficia varia. 254. & seqq. an liceat ab illis auxilium petere? 263. earum fascinatio qualis? 264. illarum unguentum unde conficiatur? 359. earum effectus nefarii. 489. sagæ potestas est naturalis, & quomodo? 490. in sagis quid faciat Satan? 491. quinam radius à saga in brutum? 493. sagæ quomodo prodantur? ibid. quomodo alligentur in corde equi? ibid. sagæ spiritus per clavum ceu medium necti potest. 505
Salamandra. 539
Salis natura. 116. quomodo sal ignem in fumariis exstinguat? ibid. solis spiritus contra exustionem optimum remedium. ibid.
Salix inimica frugibus; nam juxta salicta non crescunt. 6. salicis decoctum, exhibitum jejuno stomacho, sterilem reddit. 12
Salomonis sculpturæ seu sigilla. 205
Salvia fontanâ delectantur aves aquaticæ. 22
Sambuci folia, in caverna talpæ imposita, eam abigunt. 17. illius extremitates servant sibi impressum characterem à carptionis sensu. 60

Sanguinem fluentem cohibet jaſpis viridis. 24. ſpiritus ſanguinis, in vitro ſervatus, monſtrat ſanitatem aut morbos ejus, à quo detractus eſt, licèt longè abſentis; nam morbido eo exiſtente turbatur diverſimodè, & claritatem amittit, & contrà. 29. ex ſanguinis ſpiritu ut ſanitas & morbus abſentis cognoſci queat? 56. ſanguis occiſi cur fluat ad præſentiam occiſoris? 62. 141. 540. de ſanguine S. Januarii in vitro incluſo mirandum. 141. ſanguis humanus Diabolo gratus eſt. 421. 600. ſanguinis humani arcanum ſpagyrorum magnes. 471. ſanguinis phantaſia quî ducatur in actum? 502. ſanguinem cur potiùs animatum quàm alios ſuccos ſcriptura dicat? 503. ſanguinis phantaſia in unguento quid efficiat? ibid. ſanguis mortui fluxit ad præſentiam fratris ſympathicè. 541. humanus eſt neceſſarius in unguento armario. 556. ſanguinis è vulnere fluxus quibus remediis ſiſtendus? 576. fluxus ſanguinis è cadavere unde ſit, dubitatur, nec enim per ſympathiam nec per antipathiam fieri poteſt. 645

ſemen *Santonicum* vermes necat. 16

Sapores unde? 680. cur grati? ibid.

Sapphiro anthrax aut bufo ſifricentur, curantur. 23. ejus vires. 472. illum in annulis cur Eccleſiæ antiſtites geſſerint? 474

Sarcophagus lapis carnem exedit conſumendo. 14

herba *Sardonia* riſum facit ad mortem. 12

Sardonius lapis, ventri alligatus, conceptum firmat. 24

Saſſafras in Florida ſolùm provenit. 30

Satanæ vera ſolius opera quæ? 492. ſi Satan movet corpus ſine extremitate naturaliter, cur non & homo interior? 505

Saturni virtutes. 217

Satyriaſi ſuccurrunt agnus caſtus, grana juniperi. 20. ſatyriaſis muliebris antidotus eſt cicuta. 21

Scammonia quadrupedes omnes averſantur in paſcuis. 16

Scarabæi cornuti oleo ſubacti, & appoſiti carpis, continuò febrē ardentem inducunt. 12. ſcarabæi fiunt ex ſtercore equino. 32

Schœnanthus in Arabia ſolùm provenit 30.

Scientiæ quo ordine ad nos deſcendant? 461. ſcientia pomi ſcientiam magicam impedit. 491. hominum ſciendi deſiderium. 535. ſcire noſtrum quid? 562. 563

Scinci caro impotentiam Veneream curat. 19

Sciomantia quid? 255

Scorbutus, icterus, &c. quomodo curentur, pauxillum ſanguinis aut urinæ cibis commixtum canibus præbendo. 70. vel gallinis. 529

Scorpionis ictus vehementem infert dolorem & incendium, oculi torquentur, corpus videtur quaſi guttis quibusdam percuti, in oculis lachrymæ viſcidæ, membra torquentur, horrores perpetui, & frigus etiam congelans, tumores ſub axillis vel inguinibus, anus extrà procedit, aliquando delirant, & loquelam amittunt, ignorantes omnia. 10. à ſcorpione

aliquando

aliquando percussi nunquam crabronibus, vespis apibusve percutiuntur. 16. scorpio torpescit aconito, item ab arbore avellana. ibid. scorpiones contactu herbæ scorpionidis exanimantur. 17. saliva humana, item oleum scorpionis resistit veneno ejus. 18. scorpionum puncturas sanat mus appositus. 19. scorpiones exanimati contactu herbæ scorpionidis exsuscitantur rursus contactu radicis hellebori albi. 22. à scorpionibus Hydaspis fluvii accolæ in India communes sunt. 25. sues, ut & boves à scorpione morsi non læduntur, nisi ingressi fuerint aquam. 27

ad *Scrophulas* suspenduntur collo radices arnoglossi. 21

Secundina si non comburatur aut sepeliatur, damnum adfert mulieri. 29

Selenites lapis sistit sanguinem in quacunque parte corporis, si pelli applicetur, & tertio digito applicatus sanat dysenteriam in unius horæ quadrante. 23

Semen à coitu in utero non manet corporaliter. 43. est causa principalis in generatione. ibid. quando semen fiat, & ex eo embryo generetur? 63. ens seminis cujusque habet firmamentum & virtutem influentiæ suæ. 480. seminalis virtus est magica naturalis. 493. fœcunditatis seminum causa. 498. semen habet traducem patris phantasiam. 503

Senes qui juventutem reparârint? 252

Dan. *Sennertus* de unguento armario. 585

Sensatio naturalis & animalis differunt. 488. sensationes in uno subjecto plures. 499

Sensus omnibus rebus inest. 55. sensuum actiones uti perficiantur 104. 105. sensus non sunt initium omnis demonstrationis philosophicæ. 217

Serpentariæ semen oris & gutturis inflammationem & excoriationem cum tremore cordis infert. 14. ejus symptomatibus adversatur hordei cremor. 21

Serpentes ibidem timent. 7. carnes serpentum & venenosorum animalium iis venena sunt, ut caro viperina viperis exhibita &c. 15. serpentes fugat dictamnus. 16. serpens quernis foliis contactus moritur. 17. caro serpentum resistit sanguini puerperiali assumto. 18. ad morsum serpentum valet succus fraxini. 21. serpentes & eorum venena arcent echium & malvæ folia. ibid. serpentes amant fœniculum, & visum ab eo roborant. 22. aliqui à serpentibus immunes sunt, ut Psylli. 25. cornu serpentis, si teneatur in mensa, ubi est venenum, sudat. 27. serpens mortuus seminarium est novis serpentibus. 30. serpentes ligant vox pavonis & fraxini folia. 33. serpentes juniores solo aëre enutriri possunt. 131. serpentum spelunca in Etruria mirabilis. 542. serpens in corde natus. ibid.

Serpyllum inimicum venenatis & serpentibus. 16

• Petr. *Servii* dissertatio de unguento armario. 532. refutatur. 622

Seseli amant grues, & iis medentur. 22

Severini statuta miranda. 544

Sevum ursinum certo tempore in vase clauso augmentatur. 57

Sexus hominum mutati exempla. 250

Sicca quædam cur aquam promtè recipiant, quædam non? 668. siccorum duo genera. 659

Sigillum B. Mariæ aversatur brassicam. 6. Martis contra timiditatem. 195. Solis. ibid. Mercurii. 196. Piscium. ibid. sigilla multa & varia describuntur. 196. & seqq. sigillis quomodo utendum? 214 sigilla & imagines sympatheticas non omnes damnat Goclenius. 265. sigilla Arn. Villanovani. 266. sigillorum Gocleniacorum ruina. 329. de sigillis, imaginibus & characteribus Theologorum Parisiensium sententia. 332. Theologi alii & Jurisperiti quid de iis censeant? ibid. 333

Signatura morborum. 191. signaturæ rerum quid indicent? 276

Simia serpentes odio prosequitur. 7

Similia sese invicem facilè attrahunt. 99. similitudinum tres species celebriores. ibid.

Simplicia medicamenta in compositis facultates suas non retinent. 580. imò retinent, nec confunduntur. 44

Smaragdus, collo alligatus, epilepsiam & ventris dysenteriam eradicat. 23. smaragdus, si sit in manu ejus, cui offertur venenum, statim viriditatem amittit, & alium colorem induit. 27

pomum *Solani* sylvatici phrenitidem & amorem insanum producit, item solani hortensis. 13. solanum inimicum venenatis & serpentibus. 16. solani sylvatici antidotus est vinum. 21. solanum sylvaticum, collo boum appensum, curat eorum vertiginem. 23

Solem sequuntur flores heliotropii, sicut tragopogon, cyclamen, chamæleon, chrysanthemon, lupinus, omnia cichoreata, tulipæ, lilium persicum, anemone, scorpiurus, caltha, acatia, lotus, & alia, tam diebus serenis quàm obnubilatis, & noctibus. 28. solis annuum cursum denotant suis foliis abies, tilia, populi, olivæ, ulmus, & salicis species, & quæ folia habent virentia in una parte & albicantia in altera; nam crescunt & virent continuò, dum sol accedit ad solstitium. ibid. sol pariter calorem vegetabilibus, ut producantur, nihil confert. 43. ventorum pater est. 87. solis virtutes ubi? 217

Solenites lapis noctu imaginationem lunæ sequitur. 28

Solifuga (animal exiguum est instar araneæ) fodinis argenteis frequens, si quem purgat, excitat vesiculam venenosam, unde oritur pestis. 11

Solisequi flores ex magnetismo sunt. 470. ratio alia. 642

Solstitialis herba. 566

in *Somniis* initium cabalæ hauritur. 491

ad accersendum *Somnum* valet cor vespertilionis, si gestetur. 19. somni longissimi exempla. 251

Sonus quid? 113. similem in aqua motum efficit. ibid. sonus ingratus unde? 679. stridulus cur horrorem quendam circa dentes excitet? ibid.

Sorbus, arbor, si quis sub ea jacuerit, qui priùs à cane rabido demorsus, in rabiem rursus fertur. 12
Spagyri soli naturam interpretantur. 466
Spasmi amuletum est ossiculum è poplite leporis. 20. ad spasmum remedium. 572
Species rerum à cœlo. 219
Sphæra activitatis sympatheticæ quanta? 170. sphæra & speculum Archimedis. 544. sphæra solissequa. 547. de sphæra activitatis mirabilia. 558
cornu *Spicæ* assumtum facit mictionem sanguinis, nigredinem linguæ cum phrenesi. 13. spica mirabilis. 543
Spirituum hominis internorum officium. 106. spiritus igneus à Mercurio Trismegisto quid vocetur? 128. spiritus astralis Goclenii. 160. spiritus influentes ad actiones sympathicas ut conferant? 164. 220. & seqq. spiritus vehiculum occultarum potentiarum. 216. lucidus vehiculum mundi. 219. est una & impermutabilis substantia. ibid. spiritus mundi astrorum opem desiderat. 220. spiritus mediæ est naturæ inter corporatas & incorporatas substantias. 222. spiritus virtutum incorporearum vehiculum est corporeus. ibid. spiritus familiares. 254. spiritus adipatus Goclenii quis? 354. spiritus philosophicus quis? 484. quid sit spiritus vitalis, ejus scientia & donum? 490. in cadavere sponte mortuo non est spiritus insitus. ibid. divisio spirituum juxta Medicos. ibid. spirituum regnum litem alit & amorem. 496. spiritus patronus magnetismi quis? 498. spiritus universalis. 525. spiritus familiares non sunt medii ordinis inter bonos & malos. 617. spiritus à partibus corporis quomodo separati? 686. an animati? 687
Spleneticis succurrit porus suæ urinæ. 19. dolori splenis medentur lapides cancrorum in vino. 24. spleneticis succurrunt ferrum & chalybs & ex iis composita. ibid.
Spodonomantia quid? 264
Sputo quis alios interfecerit? 136
Stannum odit omnia metalla, quia, si cùm iis miscentur, ea impura, friabilia, immalleabilia & dura facit. 7. cum plumbo, cupro, ferro & argento coit cum pice Græca. 25
Stercus bovinum fugat cimices. 15. qui stercus leporis habet, ab eo terrentur lupi. 16
Sternomantia quid? 263
Stibium aut antimonium cum fluxu vehementissimo convulsiones atroces omnium membrorum inducit, aqua infusionis ejus, in pavimento sparsa, alvum movet, si pedibus nudis attingatur, item in annulo gestatum idem facit. 15
Stomachi os adjuvat jaspis viridis. 24
Stribiligines quid? 442
Struthiocamelus ferro maximè delectatur, & illud in stomacho conficit. 24
Subjectum rerum quarumlibet duo. 492 magnetismi capax quod? 502
Sublimatum vel arsenicum, apposita venenatis ulceribus, duo venena se mutuò ligando curant ulcus 33. sublimati liquori si instilletur oleum tartari, duo ignes, se mutuò ligando, relinquunt balsamum dulce, sic oleum vitrioli & tartari, agendo in se, relin-

quunt tartarum vitriolatum, sic etiam oleum arsenici & realgaris relinquunt balsamum paregoricum. ibid.
Substantia duplex secundùm Peripateticos. 45. substantiæ modus duplex. ibid.
Succinum, applicatum pulsibus, amuletum pestis est. 23. est antiepilepticum, & urinæ difficultatibus succurrit. ibid. si fricetur oleo, festucas non trahit. 25. succini candidi vires. 275
Sudor Anglicus veteribus fuit ignotus. 134
Sues etiam salamandram amant. 9. testis suis domestici Venere utentis est optimum antiepilepticum. 19
Sulphuris odor pacat furores uterinos. 23
Superstitio quid? 180. 280. 468. ejus exempla. 180. 280. 379. 567. damnatur. 159
Surculus Borealis arboris, si Australi ramo inseratur, non crescit. 26. in insitionibus arborum surculus convertit succum radios alterius speciei in suam naturam, mutatis omnibus ejus proprietatibus, tamen ut surculus pomi in rhamno aut mezereo acquirit vim purgativam, &c. 32
Sympathia vegetabilium. 8. animalium 9. mineralium. ibid. hominis sympathia cum partibus animalium, quæ morbis ejus adversantur, vel sponte intus genitis vel ab externis. 18. hominis sympathia cum vegetabilibus, quæ morbis ejus adversantur. 20. animalium cæterorum sympathia cum vegetabilibus. 22. hominis sympathia cum mineralibus & lapidibus, quæ morbis ejus adversantur. 23. animalium cæterorum sympathia cum lapidibus & mineralibus. 24. mineralium sympathia cum vegetabilibus, & contrà. ibid. sympathia eorum, quæ sub nullo prædictorum continentur. 28. ea, quæ sympathiam inter se habent, idem in nobis ferè semper efficiunt, ut cucurbita & aqua, olea & myrtus: Quæ antipathiam exercent, contrarios pariunt in nobis effectus, ut cucurbita & olea, brassica & vitis. 30. in sympathiarum & antipathiarum causas inquiritur. 45. & seq. 182. omnes à fermento. 55. 56. 69. modi, quo fiant actiones sympatheticæ & antipatheticæ actiones in distans, varii recensentur, & rejiciuntur. 59. & seq. verus asseritur. 69. 170. sympathica remedia cur non omnia agere possint per effluvia seu atomos? 142. 594. sympathica curatio an detur, & quid sit sympathia? 144. 181. quid sit sympathicè agere? & ejus exempla varia in morbis curandis. 145. 188. Papinii sententia, quomodo res sympathicæ se afficiant? 162. sympathicarum actionum in distans principium non est forma occulta. 171. sed facultas ab astris impressa & influentiis affinis. 172. 173. sympathias quarundam rerum exempla recensentur. 273. 528. sympathia à magnetismo & fascino differt. 464. sympathia præsupponit sensum. 471. sympathia inter dissita medio spiritus cujusdam mundani fit. 500. sympathia quæ necessaria in unguento armario? 558. sympathicum unguentum cum magnetis viribus nullam habet convenientiam. 581. sympathia

inter unguentum armarium & vulnus nulla. 582. de sympathia quid saniores Philosophi sentiant? 583. de sympathiis multa superstitiosa. 595. sympathiæ multæ fabulosæ. 623. 649. sympathias mera animi ludibria quis vocaverit? 641. de sympathia & antipathia exempla varia. 651

T.

Tabula artificiosa. 547
Tactus ingratus unde? 682
Taliacotii & Bojani mira opera. 551
Talpam fugat palma Christi. 16. abigunt folia sambuci, in caverna ejus imposita. 17
Tarantulæ ictus relinquit hominem in statu, quo invenit, sed potiùs dicunt, saltationem continuam cum dementia ab ictu ejus provenire. 11. tarantulæ ictus reddit homines & bruta instar tarantulæ inquietos, & in motu continuo saltantes, & urinis eorum cernitur aliquid simile telis araneарum. 33. tarantula ictu amentiam facit. 500. 552
Tartari aqua præservat argentum à rubigine. 9. 25. oleum tartari instillatum infusioni foliorum sennæ rubicundum reddit. 27. tartari oleum odorem rosarum attrahit. 89. 527. tartarus calcinatus aërem attrahit. 135
Tauri sanguis assumtus vomitum sanguinis producit, præfocationem, spasmum & mortem. 10. taurus, licèt furens, ficui alligatus mansuescit. 16. tauri sanguis cur sit delecterius? 494. pinguedo cur in unguento magnetico? 495
Taxi insitionem nulla arbor admittit. 6. taxorum umbris gaudent aconiti & solani species. 9. taxus tam præsenti veneno est Narbonæ, ut sedentes sub ejus umbra strangulet. 12. baccæ taxi profluvia ventris excitant hominibus & febres. ibid. succus taxi viperam interficit, & volatilia de pennâ aut jugulat. 16. taxus amat Aquilonem. 30
Telephium genitalibus omnium quadrupedum appositum eos necat. 17
Telescopium mirabile. 546
Telungium rejicitur. 569
Terra Lemnia & Armenia veneni aranei, cantharidum & leporis marini antidota. 23. terra omnia vulnera sanans ubi? 566
Terror quomodo morbos procreet? 64
Tertianas curant cor turturis palpitans, & ranarum viventium oculi deglutiti vel amuleticè gestati. 18
Testacea ferè omnia, licèt extra mare, quamdiu vivunt, accedente maris æstu hiant, recedente autem æstu, clauduntur. 31
lapis *Theamedes* inter omnes lapides ferrum abigit, & à se pellit, in Æthiopia nascitur. 7. 25
Theophrasti blasphemia. 618
Thesauri omnes ut inveniri possint? 205
Thetelis imagines seu sigilla. 204
Theurgia quid? 255
Thuris arbos inficit alias odoris fragrantiâ. 6
Thymelæa, ventri prægnantis applicata, partum extinguit. 14. solo odore vermes necat. 17
naturâ *Timidi* qui? 695
Timon Nicæus hominum obstinatissimus. 552
Timor quomodo morborum quorundam causa? 64. quid? 692

Tiromantia quid? 264
Tithymalus & ejus species scammonium & mezereon multa symptomata inducunt, nauseam, singultum, torsiones ventris cum fluxu, vocis defectum cum spasmo, & subinde mortem, & stercori humano recenti impositus, ventrem solvit. 13
Topazius verus, si imponatur aquæ bullienti, continuò defervet. 26
Torpedo piscatoris manum convellit, in distans operando. 6. quomodo stuporem inducat? 648
Toxici Scytharum antidotus cantharides. 15
Transmutationes quot modis fiant? 41
Transplantari potest triticum in avenas, si juxtà serantur, sic ebulus in sambucum. 28. transplantationum metamorphoses alternas subeunt ilex in quercum, adianthum in scolopendrium: sic rapa, raphanus, typha, zea, sisymbrium & mentha. 29. 32. transplantationis vestigia in sanis literis deprehendit Thom. Bartholinus 529. transplantationis morborum tres modi. ibid. contra transplantatores morborum censura gravis Ath. Kircheri. 573. eadem transplantatio rejitur. 610. 623
Trebellii globus vitreus. 544
Trifolium coctum, sanis impositum, doloribus lancinat. 12. trifolii species quædam est, quæ ter in die, pro vario solis aspectu, colorem mutat: nam manè albicat, meridie purpura scit, vesperi saturatè rubet. 31
sunt, qui *Tripodem* vel scamni pedem obligant pro vulnere. 425. 426
Tristes naturâ aut lætabundi qui? 690
Tristitia quid? ibid.
Triticum viride lumbricos in homine generat. 13. ex tritico si fiat farina, quando germen emisit, pultes ex eo nullâ coctione spissantur. 27. tritici spiritus aëreus, soli expositus, igneas atomos attrahit. 135
Tussim cohibet lapis spongiæ, collo gestatus. 24
Tympanum ex pelle vitulina & agnina mutescit, sonante ex lupinis; hoc negat Kircherus. 15. tympani è corio lupi effectus. 566. tympana lupina cur agnina dissolvant? 674

V.

Vaccarum lac si ab uberibus calens projiciatur super prunas candentes, inflammantur cum dolore ubera, & lac discedit, quod etiam sæpissimè accidit mulieribus. 26
an à *Vacuo* natura abhoreat? 133. 652. dari videtur vacuum interspersum aut coacervatum. 134. vacuum cur non detur? 375
quædam *Vegetabilia* ita propriis locis delectantur, ut aliò transplantata non crescant, vel specie aut qualitatibus mutentur, ut cinnamomum, &c. 30. vegetabilia quomodo nascantur? 43
Veneficarum nocturna convivia. 420. veneficis Diabolus doloris sensum adimere potest. 428
Venenata abigunt ex ædibus laurus vel ejus folia strata. 16. veneno aspidis & avenarum inebriantium adversatur acetum largiter potatum. 20. veneno extremitatis caudæ cervinæ contrariantur nux avellana, pistacia. ibid.

venenis

venenis laxativis adversantur opium & adstringentia, succus ribium, scammoniæ, origani, succus mezereo. ibid. veneno pomorum mandragoræ assumtorum medetur radix raphani. ibid. veneno & morbis à piscibus rancidis ortis contrariantur allia cruda, pulvis calamenthi. ibid. veneno scorpionum adversatur succus abrotani. ibid. antidotus veneni sanguinis tauri est semen caulis cum aceto. ibid. venenatorũ animalium antidotus est laserpitium. 21. venenatorum ictibus medentur scordium & centaurium. ibid. venenata animalia sympathiã habent cum pino, picea, quercu, cupresso, buxo, napello. 22. venena irrita reddit adamas madendo. 24. venenatæ plantæ succus si ponatur apud radicem alicujus salutaris plantæ, ut succus aconiti, hyosciami, &c. ad radicem brassicæ, boraginis, buglossi, &c. redduntur venenosa, sic & arbores per emphytismũ producere possunt fructus vomitivos, purgativos, cordiales, deleterios, sudorificos, &c. si talia medicamenta perforato loco, ubi fit emphytismus, imponantur artificiosè. 27. venenata animalia, ut sunt serpentes, busones, reddunt plantas cavernis suis accrescentes venenatas, quod verificatur à salvia infecta halitu bufonis. ibid. venenum ut è vulnere extrahatur? 577

Venti unde concitentur? 479. 568. ventus quid? 84. 88. 130. 568. eum, quomodo generetur, vidit Digbæus. 84. venti redolent loca, unde proveniunt. 88. 130

Ventrem solvunt folia lapathi, semina adstringunt. 21. eum solvit succus tithymalli, sali & stercori humano injectus. 27

Venus in quibus rebus & locis efficax? 217

Veratrum in agro Tridentino non purgat, in omnibus aliis locis summè purgativum. 25. 32

Verbenâ delectantur columbæ. 22

Verecundia quid? 698. unde rubor in verecundia? 699

Vermes talpam fugiunt. 7. eos necant corallia, & semen santonicum & portulaca. 16. illorum pulvis exhibitus vermes in homine necat. 18

Vermiculi noctu lucentes si exhibeantur homini, eum emasculant. 11

Verrucas abigunt coria pedum gallinarũ sub cinere tosta. 19. ex toto corpore tollit sanguinis picæ certo experimento. ibid. si quis verrucas, meliceridés, nactas, & ejusmodi excrescentias, collecto in conum vitri lunæ lumine, superradiet, donec frigus percipiatur, suâ sponte evanescunt. 26. ad verrucas extirpandas experimentum mirabile. 91. 131. 530

Vesicatorium si aliquod imposueris excrementis adhuc calentibus, intestina corrosione afficientur. 27

Vespertilionem timet ciconia, & ova ejus contactu suo sterilia reddit. 7. vespertilio & ciconia se odio prosequuntur. ibid. vespertilio solo attractu ova ciconiæ sterilia reddit. 16. torpore corripitur à platano, ideoque ciconiæ folia nidis imponunt, ut se defendant & ova sua ab ipso. 17. vespertiliones eryngium aversantur, ita ciconiæ ejus usu ab illis se defendunt. ibid.

Vestes, quæ fuerunt in funere, nunquam à tineis attinguntur. 16

Arnold. *Villanovani* sigilla recensentur. 226. & seq. rejiciuntur. 342

Vineæ dum florent, vinum in doliis afficitur etiam in locis remotissimis. 103. 527. 549. quî id fiat? 137. 481. 527

Vinum instauratur à beta. 9. in quo viva anguilla perierit, item, in quo ponitur polluties ranarum, homines vinum pro vitę spatio abhorrere facit, & abstemios reddit. 11. vinum sulphure præservatur à corruptione. 24. vina à fulmine præservantur, si ferrum doliis supponatur. ibid. vinum adustũ cum sulphure aut pipere si superspergatur stercori calenti, dysenteria, & scabiem ani, cacanti inferunt. 26. vinum, aquâ dilutũ, si vasi ex hedera confecto instilles, extillabit aqua vino remanente. 26

percussio *Viperæ* totum corpus tumidum reddit, icterum aliquando flavum, aliquando nigrum infert, horrores, refrigerationes, mentis stuporẽ, singultus, difficultatem anhelitus subinde inferens. 11. sal viperæ ptyalismũ homini excitat, quasi Mercurio usus fuisset. ib. sanies viperina, mixta cum sanguine humano, toxicũ est hominibus lethale. ibid. viperinæ fagi vel arundinis ramulo tactæ stupescunt. 16. carnes viperinæ auxiliantur symptomatibus ortis ex felle leopardi & felle canis marini. 18. viperinæ contrariantur etiam symptomatibus sanguinis furiosi & rabidi hominis, item renovant carnem elephantiacorũ. ibid. carnes viperinæ morsus viperæ antidotus. ib. percussis à vipera succurrit scorzonera. demorsis à vipera succurrit trifoliũ, sanis impositum doloribus lancinat. 21

Virga metallaria idololatrica impostura. 380. 582. modus eâ utendi. 389. 581. sed vanus & superstitiosus. ib. virga Mercurialis. 630. est fallax. 643

Virtutes simpliciũ in medicamento composito non confunduntur. 44. rerum sympathicarum incorporeæ. 217. & cœlitus illabuntur rebus sublunaribus. ibid. virtus seminalis est magica naturalis. 493

Viscum corylaceum mirabilis virtutis. 275. 383

Visio fit per receptionem, non per emissionem. 647

S. *Viti* saltus ubi familiaris, & unde? 140. uti curetur? ibid.

Vitis, si ei brassica applantatur, arescit, & se in adversum flectit. 5. vitis & brassicæ succi etiam pôst mutuam antipathiam exercent; nam ebrietatem ex vino brassica compescit. ibid. item, si brassicæ in olla bullienti imponetur tantillum vini, non coquitur neq; tenerescit. ibid. vitis abhorrescit laurũ, neque crescit, si ei laurus applantetur. 5. ulmo gaudet associari, & roboratur, si tartarum radicibus inspergatur. 8. quãdo floret, turbat vina in cellis procul, quæ non turbantur, ubi nulla vitis nascitur, & citiùs in Hispania quàm Gallia, & illic quàm apud Rhenum. ib. admittit insitionem oleæ, unde fit elæostaphylon. ibid. in dumetis crescit. 30. brassicæ applantata arescit, vel se in adversum flectit, &c. 33. turbat vina, non cœlum. 481. 527

Vitrarii cur magnete utantur? 499

fumigatio ex *Vitriolo* mures fugat. 18. vitrioli natura. 120. Chymicorum de eo sententia. 122. 127. olei vitrioli dulcis vires. 121. vitriolum per magnetismum non moritur. 469

Vitrum magneticum. 482

Vituli marini pinguedo à fulgure præstat.

stat. 476. vitulus marinus an fulmina abigat? 642
Vlceribus tam internis quàm externis medentur plumbum & varia ex eo medicamenta. 24
Vlmus inimica apibus, neque bene apud eam vivunt. 17. ulmi folia, præter solitum tempus decidentia, portendunt pestem in jumentorum & pecuino genere. 23. ulmus apud flumina crescit. 30
Vnguenti notatio. 625. ejus usus apud veteres qualis? ibid. unguenti armarii modus quomodo operationem perficiat? 220. 222. 308. 509. 525. 552. ejus actio non est corporea. 223. illius descriptio & præparatio. ibid. 224. 508. 517. 554. 579. 585. 627. ejus praxis, seu modus applicandi. 224. 519. 589. 605. 628. Goclenii opinio de unguento armario examinatur, & rejicitur. 343. & seqq. 602. ejus vanitas manifesta ex compositione probatur. 418. ex eo, cui affricatur. 423. ex unguendi modo. 426. ex curatione sine dolore. 428. de unguento armario opinio Frat. Basilii Valent. 305. unguenti hujus primus author quis? 357 516. 618. 626. 629. an rectè dicatur sympatheticum? 464. unguentum aliud sympatheticum, aliud magneticum dictum à Paracelso. ibid. cur non superstitiosum? 467. quid trahat unguentum è vulnere? 484. Satan cur ad id non concurrat? 495. modus magnetismi in unguento. 503. 553. unguenti armarii seu magnetici virtus non ab imaginatione componentis, sed à simplicibus in unum coalitis. 506. quæ vulnera sanet? 509. 520. illius variæ appellationes. 516. 626. ejus infelicis successus observatio Hildani. 520. 564. non operari naturaliter, unde probetur? 521. 571. 584. de illo opiniones variæ. 534. unguentum armariū quomodo agat in distans? 553. ejus vires esse naturales, argumenta contraria solvuntur. ib. partes seu ingredientia examinantur. 555. ejus vis quocunq; pervadit. 560. in unguento armario componendo certus siderum positus non observandus. 564. est superstitiosum. 571. 599. 606. 612. non agit magneticè. 571. 581. 594. 601. an agat in distans? 592. non agit per effluvium corporeum. 594 non agit per species. ib. non semper sanat. 619. unguenti hujus varietatem qui ostenderunt? 623. 626. de illo qui scripserint? 626. argumenta pro eo. 630. refutantur. 569. & seqq. 590. 636. argumenta contra illud. 632. refutantur. 553. & seqq. unguenti armarii author primus. 706. materia seu ingredientia. ibid. ejus vires seu effectus. 707. utendi modus. 708. horum omnium refutatio. 707. & seqq. unguentum lamiarū unde conficiatur? 359. ab unguento armario ut differat? ibid.
Vngulæ jumentorum lascivientium sunt dysentericis venena. 11
Voluntas mittit spiritum ad objectum. 498. nisi quid reale produceret, Dæmon non agnosceret. ibid. quid? 689
suffitus pennarum *Vpupæ* fugat muscas, araneas & scorpiones. 16
Vrbani VIII. Pontificis Max. effigies. 545
Vrinæ profluvii miranda historia. 98. alia. 135. 538
Vrsi formicas amant. 9. sevum ursinum in pyxide reservatum augmentatur

eo tempore, quo ursi hyeme in suis latibulis pinguescere solent. 29. ursorũ adeps cur certo tempore turgeat vel intumeat? 549. ursini adipis sphæra. 559
Usnea quando colligenda? 224. & unde? 225. 514. usnea eadem à viro aut muliere, fure aut probo. 475. cœlitus semen accipit. ibid. ejus vires. 476. quid? 514. illius usus in variis affectibus. 515. ejus vires prædicantur, & non tantæ sunt, quantæ de usneæ generatione frustrà sunt Paracelsici. 621
Uterum furibundum compescit asa fœtida. 22. stannum & ex eo composita medicamenta. 24. ad uteri procidentiam remedium. 516
Uva livescens reliquas propinquas livore inficit. 9
Vulnera lethalia à pulvere sympathico curata. 146. vulnera sine remediis curandi modus Goclenii. 220. pro vulnere quidam scamnum pedis ligant. 425. 526. vulneris ab unguent. armar. curati observatio. 509. ad vulnerum hæmorrhagiam sistendam. 515. 576. vulnus an lethale experimentum à telo? 520. 587. vulnus mirificissimum fœtui inflictum ex læsione gravidæ. 541. in vulneribus curandis scopus. 555. 576. in vulneribus natura quid præstet? 555. 560. 575. 600. vulnus quid? 574. ejus differentia. ibid. vulnera levia solius naturæ ope curantur. 575. gravia medicâ ope indigent. 576. ad vulnerum labia unienda remedium. 577. vulnera qui solâ aquâ curent? 605. ea secundùm Hippocratẽ curandi ratio. 607. vulneris instrumentum, succidiæ immissum, vulnus sanat. 619. vulnera quibus remediis citò curentur? 638
Vulpes cum serpente amicè degit. 9
Vultures qui sentiant cadavera per ducenta vel trecenta milliaria? 94

W.

Joh. Conr. *Wechtleri* judicium de unguento armario. 598
Wundholtz/ ejus vires. 638

Z.

Zagarum effectus nefarii. 489. potestas zagæ est naturalis, & qualis ea sit? 490. quid faciat Satan in zagis? 491. quinam radius à zaga in brutum? 493. quomogo zaga in corde equi? ibid. causa idololatriæ zagarum. 496
Zenexton quid? 474
de *Zenith* virginũ sympathia vana sunt, quæ ab aliis afferuntur. 645
Zigeuni qui? 259
Zingiber, ex patrio solo Arabia desumtum, mœrore tabescit. 26. 32
Zinzilla quid? 477
Zodiaci sigilla Arn. de Villanova. 266
Zoroastres quid per ignem invisibilem intelligat? 128. Moysis æmulus. 410
Zythum, ex hordeo confectum, præservatur à caryophyllis. 9. ex lupulis & hordeo factum turbatur flante vento. 26

F I N I S.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Theatrum sympatheticum auctum

Norimberga 1662

4 M.med. 238 a
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10226896-5
VD17 23:290712A